







IORDAN
ed.RAYN.
Raymundi
Jordani
Opera Omnia









XXXIX

IORDAN.

ed. RAYN

RAYMVNDI
IORDANI
CANONICI REGVLARIS
SANCTI AVGVSTINI

Primùm Vticensis in Gallia Præpositi: Deinde Abbatis Cellensis qui huc vsque nomen prætulit

IDIOTÆ OPERA OMNIA.

THEOPHILVS RAYNAVDVS ex *Societate* IESV, *hanc editionem, plurium Tractationum accessione cumulauit. Omnia recensuit, distinxitque; ad loca subobscura facem prætulit. Priores & posteriores suas de Authore cogitationes exposuit.*





PARISIIS,
Apud IACOBVM QVESNEL, viâ Iacobæâ, sub signo Cochleæ, & Columbarum.

M. DC. LIV.

CVM PRIVILEGIO ET APPROBAT.



REVERENDISSIMO PATRI,
AMPLISSIMOQVE DOMINO

FRANCISCO BLANCHART

PRÆPOSITO GENERALI,
necnon sanctæ Genouefę Parisiensis Abbati meritissimo.

Et Reuerendis Patribus

FRANCISCO BOVLART,
& ANTONIO VVATRE'E Assistentibus:

ET VNIVERSO ORDINI CANONICORVM Regularium S. Augustini Congregationis Gallicanæ.

RAYMVNDVM IORDANI, *qui hactenus sub sordido* IDIOTÆ *pallio delituerat, & obscurus inter Scriptores, præ obsoleta cognominatione, binis iam seculis, eóque amplius iacuerat, luci vestræ reddo,* PATRES RELIGIOSISSIMI.

Quam lucem vestram dicam, vel lusciosus, aut etiam cœcus videat. Cœtus enim sacer, cuius apud vos successio perennat, in Apostolis gratiæ Christi primatibus occœptus, & tot prælustrium virorum qui omnibus deinceps Christianis seculis, velut soles fulserunt in Templo Dei, radiis coruscus; quâ vitæ sanctitate, qua sacræ doctrinæ iubare, qua factis in Dei gloriam & Ecclesiæ decus ac diffusionem insignibus, adeò colluxit, vt nulli de splendore auito concedat, nemini gloriam gentilitiam inuideat. Quæ verò oratio fulgorem sanctitatis & sapientiæ S. Augustini, quem colitis sacri instituti informatorem, satis assequatur? Quis Hugonem, ac Richardum, & Lotharium posteà Innocentium III. & Nicolaum de Cusa, ac Ioannem Rusbrochium, & Thomam Hemerchenum à Kempis, ac recentiore memoria Martinum ab Azpilcueta Nauarrum, Gabrielem Flammam, Ascanium Martinengum, Celsum Mancinum, Gabrielem Pennotum, & alia clara in Ecclesiæ cœlo sydera insigniter micuisse, & æuo suo tenebras orbi incubantes potenter dispulisse, non agnoscat? Cogor parcè agere, ne in immensum excrescat oratio.

Tantæ ergo luci; Ordinis, & antiquitate, primi (cum eius forma tametsi posteriùs feliciter exculta, tamen ipso teste Augustino, ab Apostolis initia sua repetat) & fulgore omnium ornamentorum quibus cœtus Religiosus insigniri præcellenter possit, sancti-

tatis inquam, ſapientiæ, fructus in Dei Eccleſiam micantiſſimi; RAYMVNDVM IORDANI, reddo: ita vt qui priùs ne de nomine quidem conſpicuus erat, nunc & abiecta, vili cognominis inglorij maſtruca, nitens ac terſus prodeat, & tot ſyderibus ſacri ſui Ordinis adiunctus, micare pleniùs, & viam Domini carpentibus prælucere clariùs queat.

Nactus ante annos aliquot, partem lucubrationum eximij huius ſcriptoris, emiſeram eas, cum piorum (Deo laus) & fructu & approbatione. Nunc eductis ex alia fauiſſa opibus multo pluribus; (an omnes, non auſim dicere, ne iteratò impingam, & epigraphen qua Idiotam totum *dixerim, inducere denuò cogar;) iis ipſis quæ ante manca prodierant, beneficio Codicum è Germania & Italia ſuppeditatorum recognitis ac expletis; nomine quoque Autoris proprio feliciter è latebris educto, ac muneribus queis cum laude functus eſt per publica & indubiæ fidei ſcripta veſtigatis; quo item quod multos primæ notæ Scriptores ancipites diu habuit, certa nota conſignato; Tandem ſuſpicionibus, ſi quæ fortè, è lubricis in ſpeciem locis exiſterent, validè diſcuſſis atque depulſis, purus vndecunque, ſiſtit ſe vobis RAYMVNDVS, ſyllabum inſignium ſacrì Ordinis veſtri Scriptorum, acceſſione ſanè nobili cumulaturus.*

Pretium operæ in eo comendo ac explendo naua-

ã iij

ta, si quod me manet, commune mihi cum Reuerendo admodùm Patre, D. Francisco Bovlardo *Ordinis Assistente, debere esse, gratus profiteor, quod eius & stimulis ad operis absolutionem incitatus sim, & nunc eius cura in editionis labore leuatus. Hominem munere quod per vos obit. dignissimum; de Ordinis gloria, & fructu publico sollicitissimum, non* Raymvndvs *duntaxat, sed &* Thomas a Kempis, *quem alij quidam aliò auertebant, eius maximè studio suis vendicatus, prodidit. Quam ego tenuem pro curis Ordini per honorificis, Ecclesiæ verò maximè commodis, gratiam ago, vendicati ab illo cœlites, (digni certè qui in Ecclesia vindicentur, ita ex eorum scriptis ad vitæ rationem non erubescentibus conijcio;) plenam atque commensam referent. Me si roris illius benefici tantula aspergine, ac vel paucis stillis perfundi detur; & comprobationis vestræ* Patres Religiosissimi *fauens calculus accedat; erit cur supergressus vota, videri possim. Valete.*

Humillimus in Christo seruus,

THEOPHILVS RAYNAVDVS
ex Societate Iesv.



ILLVSTRIVM ALIQVOT SCRIPTORVM DE IDIOTA TESTIMONIA.



Ardinalis Bellarminus lib. de Scriptor. ad annum 1305.

Idiota, nomine proprio ex humilitate suppresso, scripsit libros quinque contemplationum, valdè pios & eruditos.

Franciscus Feu-ardentius ad l. 3. 5. Irenæi cap. 33.

Idiotæ pij & docti viri, quem volunt anno 850. vixisse, præclara aliquot verba prætermittere, nec debui, nec potui, &c.

Antonius Spinellus, in Throno Dei, admonit. de Auctoribus, nu. 16.

Idiota, qui Christianæ humilitatis ergo, nomen suppressit suum, Idiotæ præter nomen, habuit nihil.

Ferdinandus Salazarius lib. de Concept. Deip. cap. 42, sæculo 10.

Idiota, Vir sapientissimus, inter præcipuos puræ conceptionis vindices, & assertores meritò censeri debet.

Ægydius à Præsentatione lib. 3. de præseruatione à peccato quæst. 4. artic. 3. §. 1.

Sanctissimus ac vetustissimus Idiota, (hoc enim nomine, humilitatis gratia, proprio suppresso, appellari voluit) cum tamen eius eruditio simul cum sanctitate, tanta fuerit, vt & Hæreticis formidini, & Catholicis admirationi habeatur, & inter sanctos Patres, meritò referatur.

Hippolitus Maracius, Congregationis Matris Dei, in

Bibliotheca Mariana V. *Raymundus Iordani.*

Hic nolens ponere nomina sua in terris suis, hactenus humilitatis gratia, proprio suppresso, Idiotæ nomen prætulit: tantáque eruditione cum sanctitate coniuncta, conspicuus fuit; vt & hæreticis formidini, & Catholicis admirationi sit habitus, atque à multis, etiam in sanctorum Patrum album non immeritò sit relatus. Inter alia præclara opuscula Auctoris sui reconditam sapientiam pietatémque redolentia, scripsit doctis æquè ac piis omnibus, valdè probatas contemplationes.

Iacobri Fabri Stapulensis, luculentum de Idiota testimonium, suppetit, ex adornata per eum Idiotæ editione. Sed quod de Tertulliano scriptum est à S. Hilario; consequens hominis error, detraxit scriptis probabilibus authoritatem. Consecuta inquam, Fabri à Catholica fide defectio, cum à testimonio ferendo repellit. Authent. *Credentes* Cod. de Hæreticis; cap. *Si Hæreticus*. Et cap. *si Pagani*, 2. qu. 7. Vt mirum sit, eum è Simleri sectarij Scrobe, à Tirino, Galliæ decus denominari.

INDI-

INDICVLVS EORVM
quæ hoc opere continentur.

TRACTATVS IDIOTÆ.



CONTEMPLATIONES de miserabili cursu vitæ præsentis, in quinque tractatus distributæ.

Tractatus I. de homine corruente in bello spirituali.
Continet Cap. XIV.

Tractatus II. de multiplici erga hominem misericordia Dei. *Continet Cap. X.*

Tractatus III. De vita præsenti, atque hominis nouissimis *Continet Capita X.*

Tractatus IV. Ad varios sanctos, aspirationes, & alloquia. *Continet Cap. XI.*

Tractatus V. Ad primum & secundum Adamum, aspirationes. *Continet Cap. XI.*

Contemplationes de innocentia perdita. *Continent Cap. VII.*

Contemplationes de conuersione, per duodecim menses anni spiritualis, producentis duodecim fructus spiritus. *Continent. Cap. XII.*

Contemplationes de conflictu assiduo inter animam, & carnem. *Continent Cap. VI.*

Contemplationes de septem donis spiritus sancti contra septem peccata mortalia. *Continent Cap. VI.*

Contemplationes quod Spiritus sanctus est adiutor animæ, déque variis Spiritus sancti erga hominem officiis. *Continent Capita XXIII.*

Contemplationes de octo beatitudinibus. *Continent Cap. XIX.*

Contemplationes de amore. *Continent Capita XXXVI.*
Contemplationes de vera patientia. *Continent Cap. XXI.*
Contemplationes de morte. *Continent Cap. XIX.*
Contemplationes de Beata Virgine Maria. *Continent Cap. VI.*
Tractatio plena de Beata Virgine. *Continet Partes XVII.*
Opus tribus libris distinctum, de statu religioso.
Opus de oculo spirituali. *Continet Cap. XV.*
Supplementum eiusdem operis.
Regulæ Christianam vitam complectentes.
Paraphrasis in Psalmum decimumquintum.
Hæc duo postrema opuscula, alibi tribuuntur Ioanni Pico Mirandulæ Comiti.
Priores & posteriores cogitationes Theophili Raynaudi, Societatis Iesu, de Autore horum librorum.
Eiusdem Faculæ ad Idiotæ subobscura quædam loca. Siue iudicium de quibusdam eius propositionibus, quæ nonnullis cum receptiori doctrina Theologica, minùs cohærere videri possunt.

FINIS.

† † †



EXTRAIT DV PRIVILEGE du Roy.

PAR grace & Priuilege du Roy, donné à Paris le 29. Decemb. 1653. signé DAVDIGVIER, & ſcellé du grand ſeau. Il eſt permis à IACQVES QVESNEL, d'imprimer ou faire imprimer, tant en latin, qu'en françois, en tel volume que bon luy ſemblera, vn Liure intitulé, *Raymundi Iordani Canonici Regularis S. Augustini, qui huc vſque nomen prætulit* IDIOTÆ *opera omnia*, & ce pendant le temps de quinze ans, à commencer du iour qu'il ſera acheué d'imprimer, auec defences à tous Libraires, Imprimeurs, ou autres de quelque qualité qu'ils ſoient, de l'imprimer ou faire imprimer, vendre ny debiter, en latin ny en françois, ſans la permiſſion dudit QVESNEL, à peine de confiſcation des Exemplaires, & de cinq cens liures d'amende: Le preſent Priuilege eſtant tenu pour ſignifié, en mettant au commencement ou à la fin deſdits exemplaires l'extrait d'iceluy.

Acheué d'imprimer pour la premiere fois le 14. Mars 1654.

Les Exemplaires ont eſté fournis.



TRACTATVS QVINQVE-partitus deplorationum miserabilis cursus vitæ præsentis.

PROOEMIVM.



EPARATVS à Deo per peccatum, cupiens ipsi reconciliari, consideret seipsum cogitatione profunda; & cursum miserabilis vitæ suæ examinet diligenter, non solum præsentem, sed etiam præteritum, nec in genere, sed actus singulares eiusdem, non breui, sed morosa, non solum vocali, sed etiam mentali examinatione. Non quærat solos ramos scindere peccatorum, sed radices cogitet & euellat. Terra enim inculta, non bonum fructum, sed spinas pullulat: sed culta euulsis radicitùs spinis, bonum fructum germinat, & producit. Sic etiam oportet quod homo cultiuetur diuersis laboribus, cogitando, & examinando cursum miserabilis vitæ suæ; nunc peccatorum suorum humili recordatione, nunc ipsorum contritione, nunc integra confessione, nunc condigna satisfactione, nunc pœnitentia & emendatione, nunc cordis afflictione, nunc ad gratias referendas iugi meditatione, nunc assidua oratione, nunc beneficiorum Dei consideratione, nunc proximi ædificatione, nunc operum misericordiæ exhibitione. Et tunc diuina gratia infundetur & fructum germinabit, qui multiplicabitur in homine sic agente, plusquàm dici possit.

Modus autem examinationis, & deplorationis cursus miserabilis vitæ præsentis particulariter infrà scribitur per generalitates peccatorum, vt legens & contemplans generalia in seipso, specialia recognoscat, & recogitata deploret, ac deplorando gratiam diuinam inueniat, & inueniendo cursum miserabilis vitæ suæ præsentis, sine dilatione emendet.

Deplorationes igitur cursus miserabilis vitæ præsentis, in quinque partes diuiduntur.

SVMMA PRIMÆ PARTIS huius tractatus.

Prima pars consistit in quatuordecim gradibus per multiplicationem vitiorum.

PRIMVS GRADVS, *miserabilis descensus hominis est, quòd homo creatus & per Baptismi lauacrum Deo iunctus, in bello huius mundi ponitur.*

menta ministrare, vt sic recognoscendo meum, & ipsum, vitam suam emendet, & conuertatur ad Deum.

OCTAVVS MODVS misericordiarum Dei ad hominem est, quòd peccatorem misericorditer respiciens, inclinat eum, & compungit cor ipsius, vt de peccatis suis conteratur, & ipsa humiliter confiteatur.

NONVS MODVS misericordiarum Dei ad hominem est, quòd non solum confert peccatori prædicta dona, imò ex abundantia suæ charitatis, ministrat ipsi pretiosissimum corpus suum in cibum, & pretiosissimũ sanguinem suum in potum, vt sic dignè sumens, gratiam hîc mereatur, & post mortem, vitam æternam.

DECIMVS MODVS misericordiarum Dei ad hominem est, quòd Deus volens misericorditer peccatorem saluare, & non perdere, & trahere ad se, vt emendetur, corripit eum per varias corporis infirmitates: vt sic debilitato corpore, fortior fiat spiritus peccatoris, quod Apostolus attestatur, dicens: dum infirmor, tunc fortior sum. 2. Cor. 12. 10.

VNDECIMVS MODVS misericordiarum Dei ad homines est, quia flagellat peccatorem diuersis tribulationibus in hoc mundo, vt Deum diligat & noscat, veniam petat, mundum spernat, commissa defleat, & satisfaciendo virtus constantiæ & patientiæ in eo probetur, quia per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei. Act. 14. 21.

SVMMA PARTIS TERTIÆ huius tractatus.

Tertia pars deplorationum miserabilis cursus vitæ præsentis, continet decem deplorationes, quæ retrahunt hominem à peccatis, & inducunt ac excitant ipsum, vt secundùm gradus & modos superiùs particulariter descriptos, cursum miserabilem præsentis vitæ suæ deploret Legat easdem, & contempletur frequenter meditando, nunc vnam, nunc aliam, quia sic abstinebit à malo, & faciet bona, quandoque amore præmij, quandoque timore supplicij.

SVMMA PARTIS QVARTÆ huius tractatus.

Quarta pars præsentis tractatus, continet decem deplorationes cum confidentia diuina: Quarum aliquæ diriguntur ad certos Sanctos, quia scriptum est ad aliquem Sanctorum conuertere. *Et aliquæ diriguntur ad omnes Sanctos. Quia licet peccator audiri & exaudiri non mereatur, tamen misericors & miserator Deus, Sanctorum deprecationibus, & multiplicatis intercessionibus inclinabitur, vt indulgeat peccatori misero.*

SVMMA PARTIS QVINTÆ & vltimæ huius tractatus.

Quinta pars deplorationum miserabilis cursus vitæ præsentis continet decem deplorationes partim deploratorias, *partim* deprecatorias, *super vtili & salubri confidentia peccatorum.*



DEPLORATIONES miſerabilis curſus vitæ præſentis.

CAPVT I.

De corruente in bello ſpirituali.



OMNIPOTENS ſempiterne Deus, tua exuberante clementiâ, de nihilo me creaſti; vt hîc in mundo tibi placidè ſeruiendo, tuam æternam beatitudinem poſſiderem. In campum magni certaminis me introduxiſti, vt contra tuos & meos aduerſarios viriliter dimicando, & eos proſternendo, titulo altioris gloriæ coroner. Et tuam in me creatura tua miſericordiam ampliando, ſcuto fidei me armaſti, & vt aduerſarij terrerentur, nomen tuum mihi impoſuiſti, vt à te Chriſto, Chriſtianus vocarer, & me tanta fortitudine roboraſti, vt non poſſent contra me aduerſarij præualere. Et licet diuerſis telis me inuaderent, arma plurima mihi contuliſti. Nec tantam eiſdem potentiam contuliſti, quod poſſent, niſi vellem, me aliqualiter ſuperare; quia eorum fortitudo in tantum debilis eſt, quòd non poſſunt vincere niſi volentem.

2. Ego verò nequam proditor, & mei ipſius iniquiſſimus homicida, arma tua miſericorditer data, voluntariè depoſui, & in me miſerabili meis, hoſtibus locum dedi: quia vt fictus, non vt verus Chriſtianus, cum opera veri Chriſtiani non facerem, in campo certaminis miſerabiliter corrui: quia in bello, vt poteram, me non defendi. Magna mea dementia. Ab hominibus nolim vinci, & à vitiis vinci me permiſi. Quotieſcumque enim inimici cogitatione me impugnauerunt, totiens ferè aut conſenſu, aut opere eis conſenſi; & armis virtuoſis, quibus me defendere poteram, imprudenter abiectis, cum ipſis inimicis quaſi fœdus inij, vt eorum voluntatibus obediens ſemper eſſem. Et licet ad reſiſtendum eiſdem, mihi aſpirationes bonas concederes ex benignitate tua, meam damnationem euitare nolui. Si aliquotiens tibi parui, hoc raro fuit, & tunc breui temporis ſpatio ad eos redij per peccatum, vt eorum voluntatibus me voluntariè ſubiungerem.

3. Ecce creator meus pugilem quem creasti. Ecce qualiter strenuè se habuit cum armis tuis, & qualiter tibi fidelitatem seruauit. Imò vt cum veritate loquar, ego sum proditor maximus, tuorum aduersariorum amicus, desertor militiæ tuæ, tibi fidelitatem non seruans, vexillum fidei tuæ, vt iussisti, non sequens, sed potiùs contra te elato spiritu non desino rebellare. O plasmator meus, quis me lauabit à tam lugubri casu? Quisnam restituet arma quæ perdidi? Quis mihi adiutorium præstabit? Quis mea vulnera curabit? Quis medicamenta valida mihi dabit? Quis me iuuabit, & defendet ne in manus inimicorum vlteriùs incidam cruciandus?

4. Certè benignissime Domine Iesu Christe, tu es ille qui potens es ad omnia: nullus est qui tibi possit contradicere. Exuberet in me tua infinita misericordia. Memento quia fragilitas mea magna est, & inclinata ad malum. Inter inimicos meos positus sum, quos fugere non possum, nec ab ipsis separari. Imò meam miseram carnem, meum domesticum inimicum, continuè portare cogor. Interimere ipsam non audeo, neque mihi licet, & eam nutrire compellor. Defendere me digneris Domine Iesu Christe, à cornibus inimicorum meorum. Hoc est studium eorum continuum, hoc vnicum desiderium eorum, vt deuorent animam meam quam creasti. Ideò ad te clamo, vt me liberes ab aduersariis quotidianis, qui siue dormiam, siue vigilem, siue comedam, siue bibam, siue quodcumque opus operer, instant modis omnibus, die ac nocte, fraudibus & artibus; nunc occultè, nunc palàm, nunc sagittas venenatas contra me dirigentes, vt interficiant animam meam, & tanta est insania mea pessima optime Domine, quod cùm continuè videam contra me draconem ore aperto ad deuorandum, nihilominùs dormio & lasciuio in pigritiis meis, tanquam securus, ante eum qui nihil aliud desiderat quàm vt me perdat.

5. Dilectissime Domine Iesu Christe, non deserat me pietas tua: redde mihi misericorditer arma quæ perdidi, cum quibus superare valeam inimicos meos; ne dicere possint contra me, præualuimus aduersus eum: vt victoria de ipsis habita in hoc mundo, ad tuam gloriam cum triumpho perueniam, & tecum gaudeam per infinita sæcula sæculorum. Amen.

CAPVT II.

De Pronitate ad malum, & difficultate ad bonum.

1. DOmine Iesu Christe Saluator meus, ad te cor meum eleuare non auderem, si solùm tuam iustitiam cogitarem, quam ex peccatis meis nefandissimis, non mihi piam, sed rigorosam, meritò pertimesco. Sed tua misericordia infinita est, & ex magna misericordia tua, multæ sunt miserationes tuæ. Attendis enim contemptores vt corrigas, attendis etiam ignorantes vt doceas, attendis confidentes vt ignoscas. Hæc igitur misericordia tua firmam spem mihi confert vt non desperem, sed in te respirem, non prosternar sed eleuer, non confundar sed indulgentiam consequar quam affecto.

2. Duo Domine in me sentio, quæ meam animam miseram nunc detinent alligatam, vt in te viuere non valeat. Vnum est pronitas ad malum, & aliud est difficultas ad bonum. Hæc duo mihi ad inuicem aduersantur, quia primum est diligens & currens ad malum, & secundum est negligens & tacens ad bonum: primum vigilat, secundum dormitat: primum placet corpori, secundum displicet animæ: primum impingit animam ad infimum, secundum colorat: primum copulat sibi & attrahit ad se animæ inimicos, secundum sibi nullos acquirit amicos. Tu præcipis, vt secundum primo faciam dominari, & secundum primo subiugari permitto. Primum animam vulnerat, & secundum de eius sanitate non curat. Primum venit otiosè in committendo, & secundum viuit otiosè in omittendo. Primum prouocat tuam vindictam, & secundum non mitigat tuam iram. Primum crescit multiplicando vitia, & secundum decrescit diminuendo virtutes.

3. O Domine Iesu Christe miserator & misericors Deus, qui tantam bonitatem tuam erga me miserum exhibuisti, vt non solùm veram cogitationem in iis mihi benignè concesseris, verùm etiam patientiam habuisti vt non me perderes, sed ad tuam pœnitentiam expectares. Ego enim pronitati prædictæ obediens semper fui; & ex hoc, (prout nunc ex tua aspiratione cognosco,) difficultatem ad bonum habui. Sed aufer à me, dulcissime Iesu, cor carneum, vt pronitati ad malum viriliter contradicam; & da spiritum nouum, vt à me difficultatem ad bonum repellam. Vertatur obsecro ipsa pronitas ad malum, in difficultatem, & ipsa difficultas in pronitatem ad bonum, vt difficultatem ad malum semper habeam.

4. Audi me ex benignitate tua & exaudi me secundùm magnam solitam misericordiam tuam: vt maculæ animæ meæ, quas ex pronitate ad malum contraxi, deleantur & curentur. Et bonitas quæ superat ipsam pronitatem, ad nihilum deducat eamdem: Et sicut hactenus vigilauit ad malum, sic de cætero te iuuante ad bonum continuè excitetur: vt mala præterita in me corrigat, & emendet præsentia: inducat ad tuum placitum, & ad præmium consequendum. Et futura cum tuo timore præcaueat, ne sicut canis ad vomitum redeat, & plaga fiat in anima mea periculosior quàm ante. Sed sic ad exercitium virtutum attingere valeam, & eis sine intermissione insistere, vt tuam iram placare valeam: vindictam de peccatis meis pœnitendo sumam, & inchoata bona non deseram, sed vsque in finem vitæ perseuerem, & post eam gloriosum regnum tuum cum Sanctis tuis possideam per infinita sæculorum sæcula. Amen.

CAPVT III.

De subiectione Animæ ad Carnem.

1. Creator & Redemptor meus, te ordinante & disponente, hanc miserabilem & lamentabilem peregrinationem intraui, compositus ex duobus. Nam à parentibus carnem ex vili materia contraxi, & à tua bonita-

te animam mundam; quam caro retinendo nunc virtutibus suffocatis, ad peccata diuersa prouocat. Sic etiam quæ carni meæ infectæ & corruptæ coniuncta fuit, sordida & maculata effecta est. Sed tua misericordia eam lauacro sacri fontis abluisti, vt in ea nullo peccati contagio remanente, gratiis & virtutibus ornaretur, per quas tibi placeret & seruiret: & carnem sub tua seruitute teneret. Hanc carnem tanquam instrumentum ad benè operandum, eidem animæ contulisti, vt ieiunando, vigilando, orando, abstinendo, peregrinando, pœnitentias agendo, operibus misericordiæ insistendo, peccatis resistendo, tribulationes cum patientia supportando, & virtutibus inhærendo, merita augerentur, & æternis gaudiis frueretur.

2. Sed heu Domine bone Iesu, animam meam debilitando, & pronitatem ad malum & difficultatem ad bonum incurrendo, carni animam miserabiliter subiugaui, ancillam dominari permisi, non considerando carnis originem: quæ ex tali materia processit, quod non solùm eam nominare, sed etiam cogitare abominabile est. Concepta in peccato, nutrita ex sanguine menstruo in vtero materno, subiecta omni corruptioni, pœnalitati, & peccatis, deputatur irreuocabiliter morti, esca vermium & bufonum facta. Et tumens & inflata, animam miseram suis ingeniosis vinculis colligauit: nunc ipsam vento eleuationis & superbiæ exponendo, nunc ad iracundiam prouocando, nunc ad gulæ illecebras incitando, nunc in fornacem auaritiæ introducendo, nunc peste inuidiæ sauciando, nunc in lecto pigritiæ detinendo, nunc virtutibus suffocatis ad diuersa peccata prouocando. Sic enim miserabiliter dominando, miseram animam maculauit, deuorauit, vulnerauit, morti perpetuæ deputauit.

3. Ecce Saluator meus qualiter animam meam tua pretiosa morte redemptam, quam mihi non dedisti, sed ad tempus commodasti, ignominiosè gubernaui. Ecce magnum furtum quod commisi, auferendo quod tuum erat, & inimicis tuis dando. Ecce magnum sacrilegium quod commisi, rem spiritualem taliter tractando. Ecce qualis illegalitas in me fuit circa gubernationem rei commissæ, quia rem pretiosam pro vilissima commutaui. Ecce qualem rationem reddere valeo de commissis, qui talentum traditum non duplicaui, sed in peccatis abscondi. Væ mihi iniquissimo peccatori, qui sic peruersè egi, permittendo ancillam dominari, & dominam ancillari. Ordo iste peruersus est, & iniquus, perpetuaque damnatione dignus, nisi tu misericors Deus, tuæ magnæ misericordiæ porrigas mihi manum. Aufer tantam iniquitatem à creatura tua, quam misericorditer creasti.

4. Parcere mihi Domine, & indulgere digneris. Non odium tuum, sed gratiam & clementiam sentiam. Nihil enim odisti eorum quæ fecisti. Reuoca à me regimen animæ meæ, quam sic nefandissimè gubernaui, & tua misericordia dignetur eam assidua protectione defendere & gubernare. Fac me quæso dulcis Iesu Christe, bone & semper benedicte, tuo amore & desiderio, onus carnalium desideriorum & terrenarum concupiscentiarum superare, & calcare. Dominetur obsecro carni anima, animæ ratio, rationi gratia tua, & tuæ me interiùs & exteriùs subde voluntati. Tribue mihi, vt laudent te

te cor meum & lingua mea. Dilata mentem meam, & attolle intuitum cordis mei, vt rapida cogitatione spiritus meus attingat te æternam sapientiam super omnia manentem. Dissolue me, oro te, à vinculis quibus constrictus teneor, vt relinquens omnia ista, tibi soli placere festinem, tibi soli inhæream, & tibi soli intendam; vt qualem fecistianimam, talem tibi reddam illam in exitu huius vitæ; vt in tua gloria, tibi cnm aliis Sanctis, laudes referam, per infinita sæculorum sæcula. Amen.

CAPVT IV.

De noxiis cogitationibus.

1. OPera manuum tuarum ne despicias misericors Deus; sed esto misericors meæ miseriæ, quia vim patior. Cor meum vagum est & instabile & velut arundo, hinc inde agitatur præ multitudine cogitationum quæ ipsum ducunt, nunc ad cacumina montium, nunc ad profunda vallium, nunc orientem, nunc occidentem faciunt perlustrare, dum in te & de te cogitare deberet. Terrena cogitatio quam etiam voluntariè admitto, & in ipsa frequenter delector, ipsum trahit ad se, & dum ad tuum seruitium se præparat & tibi seruire cogitat, noxia cogitatio latenter subintrans, ipsum captiuat, & pertrahit ad diuersa, vt labiis te honorans, de tuo seruitio solus labor remaneat labiorum. *Ps. 137. 8.*

2. O Deus meus cæcus fui non considerans quod cogitatio est radix, & principium omnium actuum: quæ nisi à principio celeriter euellatur, deducitur ad consensum vt exinde suos producat affectus. In hac noxia cogitatione delectatus fui, & perseueraui in ipsa, vt bonum quod nolebam non facerem, sed malum postea facerem quod volebam. O peruersa cogitatio, quæ animam meam separasti à Deo. O importuna cogitatio, qnæ cor meum sic captiuatum deducis, vt tibi per importunitatem compellatur consentire. O distorta & nefanda cogitatio, qnæ me vigilando, dormiendo, aut alia dicendo, cogitando, & faciendo quiescere non permittit. O sordida & inficiens cogitatio, animæ meæ inimica, quæ inter spirituales contemplationes mentis meæ, inter deuota ad Deum suspiria, inter preces cordiales calamitatum mearum, inter actus diuinæ bonitati placentes, inter diuinæ misericordiæ inuocationem, inter sacrorum eloquiorum meditationem, & inter diuinorum officiorum lectionem, te immisces: & sic me constringis, vt ducam sub assiduo otio miserabilem vitam, & nulla mihi vtilitas, sed solus labor temporalis sequitur.

3. O benignissime Domine Iesu Christe, nihil mutabilius corde meo, nihil velocius mente mea: quia sicut flos egreditur, & velut vmbra euanescit, eleuatur & deprimitur in momento vt vnda maris. Quomodo ergo ante tribunal tui tremendi & districti iudicij audebo comparere, in quo me scio redditurum rationem de huiusmodi cogitationibus vsque ad minimam ca- *Iob. 14. 2.*

rum, in quibus perseueraui ferè sine intermissione, quandiu in peregrinatione fui, & habui intellectum? Sed hoc mihi misero est, & non alteri, imputandum, quia virtutes debilitaui per peccata, & carni animam subiugaui. O benignissime Domine Iesu Christe, libera me ab isto multiloquio quod patior intus in anima mea misera in conspectu tuo: Nam confugiens ad misericordiam tuam, non cogitationibus taceo, etiam tacens vocibus. Et si quidem non cogitarem nisi quod placet tibi, non vtique rogarem vt me ab hoc multiloquio liberares, sed multæ sunt cogitationes meæ, tales quales nosti cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt. Da mihi eis non consen-
Ps.93.11. tire, sed si aliquando me delectant, eas nihilominus improbare; nec in eis velut dormiendo immorari, ne in tantum valeant apud me, vt aliquid in opera mea procedat ex illis, sed ab eis saltem tuta sit sententia mea, & tota conscientia te tuente: vt te donante, tibi hîc in præsenti, & in futuro seruire valeam, per infinita sæculorum sæcula. Amen.

CAPVT V.

De assiduitate peccandi.

Ps.138. 16. 1. DA mihi Domine veraciter cogitare miserabilem vitam meam, quia imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnia scribuntur. Venio namque ad tuam misericordiam magnam, antequam veniat dies ille magnus & terribilis, ac peccatoribus omni amaritudine plenus: in
Iaco.2. 13. quo libri aperientur & conscientia nunc absconsa. Tunc opus cuiusque patebit, & iudicium fiet illi sine misericordia, qui dum viueret, non fecit misericordiam. Præuenio igitur illum diem, & confiteor tuæ immensæ pietati,
Ps.26. 12. quod iniquitas mea mentita est mihi: Quia tanta leuitate animi ductus fui, tanta spiritus mobilitate, tanta carnis inclinatione, tanta hostium impugnatione, tanta voluntatis inordinatione, tanta mentis cæcitate, tanta beneficiorum tuorum obliuione, tanta peccatorum obstinatione, tanta corporis voluptate, vt cogitatione, consensu, aut opere ferè me dederim praua & antiqua consuetudine, vitiis quibuscumque. Et tanta fuit diuturnitas temporis in eisdem, & sic quasi in profundum vitiorum deueni, quòd illa aut nulla, aut modica esse cogitaui, nec emendare curaui, sed illa contempsi. Istis detentus, manus ad operationem virtuosam non apposui, sed in ipsis vitiis malitiosè persistendo, præsumpsi me non posse abstinere, & sic te accusaui iniqua intentione mea, quasi virtutem resistendi, cogitationem discernendi, & liberum arbitrium non dedisses.

2. O sustentator patientissime, gratias tibi refero, quia me iustè damnandum, misericorditer sustinuisti ad pœnitentiam. Eripe igitur animam meam è vitiorum abysso; & licet te contempserit iniquitas mea, non condemnet me tua misericordia, sed inclinationem meam malam tolle carni, & conuertendo ipsam in bonum, sursum eleua ad te: Spiritum fortifica, hostes expugna, aufer noxias cogitationes, repelle prauos consensus. Da mihi noti-

tiam peccatorum meorum, de quibus non curaui, sed habui ipsa in contemptum. Scio enim quod pessimum genus peccati est, non intelligere peccata. Omnes enim cognoscentes crimina sua, reconciliari tibi possunt per pœnitentiam. Nullus ex peccatoribus, plangi magis dignus est, quàm qui putat se non habere quod plangat. Multa enim Domine delictorum genera sunt, & periculosiora, quædam quæ leuiora esse videntur. Et illa sunt magis noxia, quæ non æstimantur esse peccata. Nullum enim malum faciliùs decipit, quàm cùm non intelligitur esse malum.

3. O Deus meus, misericordia mea, peccaui grauiter, peccatis adhæsi pertinaciter, gauisus fui de peccato, post peccata ambulaui extento collo, peccatum meum prædicaui & abscondi, & tu placatus eras. Ego te prouocaui ad iram, & tu conducebas me ad misericordiam. Ego irritabam te ad furorem, & tu differebas ad vindictam. Iusto exterminio punire me poteras peccantem, & subuertere me negligentem: sed patienter expectasti, vt me corrigerem pœnitentem. O Deus meus misericordia tua, munda me ab occultis meis, & ab alienis parce mihi seruo tuo, quia iniquitatem meam vix *Ps. 50.*
ego cognosco, licet peccatum contra me fuerit semper. Hoc nunc scio, hoc notum mihi fecisti. Tu es illuminatio mea, tu es salus mea. Fac vt am- *Psal.*
pliùs me non absorbeat profundum vitiorum. Sed sicut hactenus ad ma- *62. 1.*
lum, sic de cætero ad bonum animam habeam inclinatam, vt tibi placeam, *Ps. 68.*
cogitatione, consensu, & operatione: Et sic in præsenti corrigam me & *16.*
emendem, vt te iuuante, vitam cœlestem consequar per infinita sæculorum sæcula. Amen.

CAPVT VI.

De aggrauatione peccatorum.

1. CONfundor in me ipso quia anima mea in amaritudine est (dulcissime Domine Iesu Christe.) Aculeis enim diræ anxietatis compungor, dum considero facinorosos actus meos. Quia licet me flere incipiam nequissimum peccatorem, duo tamen inter cætera me grauant, & penetrant cor meum plaga horribili: scilicet magnitudo & multitudo scelerum, & altitudo dignitatis meæ. Tanta est namque peccatorum meorum magnitudo horrenda, tanta cumulatio innumerabilis, & tanta peccatorum iteratio confusibilis, quod memoria non sufficit ad cogitandum, nec cor ad dolendum, neque lingua ad confitendum, neque corpus ad pœnitentias supportandas. Væ mihi crudelissimo peccatori, quia ipsorum magnitudinem & multitudinem cogitare non valeo, nec ipsorum iterationem dinumerare: sicut nec stellas cœli, nec arenam maris, neque pluuiæ guttas. Et si vulnus iteratum tardius sanatur, quomodo vulnera mea, fœtidissima tibi & Angelis tuis, sanari poterunt, quæ non solùm semel, sed etiam infinitis & innumerabilibus vicibus sunt iterata & perpetrata?

2. Altitudo etiam dignitatis meæ reddit ipsa horribiliora & grauiora.

Tantam namque dignitatem ex visceribus tuæ pietatis mihi indignissimo contulisti, vt inter tuos Christianos, Christianum me faceres, & ministrum sacri altaris, vt te immundissimis manibus meis sacrificando tractarem. Mediatorem inter te & populum me constituisti, vt iram & indignationem tuam mitigarem precibus, & populum tibi acceptabilem redderem meis monitionibus & exemplis.

Math. 8.6. 3. Sed benignissime Domine Iesu Christe, præmissa reddunt vulnera mea diuturnitate temporis putrefacta & incurabilia, nisi tu qui es verus medicus, des operam ad sanandum. Dic igitur verbo, & sanabitur anima mea; non enim sum dignus vt venias ad me, quia homo peccator sum Domine. Non me spernas indignum proditorem tuum, malè & iniquè tibi promerentem, de bonis tui patrimonij viuentem, illa inutiliter expendentem, & te contemnentem, tibique displicentem, ac tuis inimicis inhærentem: sed dextera tuæ misericordiæ me suscipias, me eleues, me confortes, me defendas, & me protegas: Et magnitudinem & multitudinem peccatorum meorum ac altitudinem dignitatis meæ mihi vlterius non imputes ad vindictam, nec ad iustitiam, sed ad piam correctionem, & emendationem. Adiuuet me tua clementia, quia mea malitia perire me fecit: sanet me tua immensa pietas, quia crudelissimis vulneribus mea iniquitas me sauciauit: vt medelam te miserante consecutus, tuam gloriam obtineam; hoc est gratiam in præsenti, & in futuro gloriam sempiternam. Amen.

CAPVT VII.

De obliuione proprij status.

Ps. 70. 18. 1. DEus meus docuisti me à iuuentute mea, & vsque ad senium me non dereliquisti. Hoc Domine ad laudem & gloriam nominis tui fecisti, hoc vt te cognoscerem, hoc vt te diligerem & timerem, hoc vt viam scirem qua debeo ambulare, hoc vt cæteros ignorantes informarem, & exemplum benè viuendi ostenderem; vt hostium astutias non ignorarem, vt modum eis resistendi cognoscerem, atque tua armatura me armarem qua eos expugnarem.

2. Sed heu retributor omnium, meipsum in obliuione dando, & tua beneficia non recolendo, quantò plus me docuisti, tantò plus tuam scientiam repuli. Quantò plus me docuisti, tantò plus pauper fui. Scientiam quam mihi dedisti, vtiliter non expendi, & sic in diuersos vsus & dãnabiles consumpsi, Vbi mereri debebã, demerui, vbi culpa debebat deleri, eam accumulaui; gloriam in pœnam conuerti, & gaudium in mœrorem: vnde retributionem acquirere debebam, damnationem acquisiui. Sed vnde hoc mihi Domine? Certè non à te quia totus bonus es, & magnam misericordiam mihi fecisti. Sed à mea maximè magna malitia. Sciebam namque me plus tibi teneri quam cæteros, quia corpus & animam mihi conseruasti, in sortem tuæ hæreditatis me elegisti, scientiam mihi dedisti, victum mihi abundantem de tuo patri-

monio contulisti, quo non solùm mihiipsi, sed etiam aliis subuenirem. His ego gratiis vsus fui non humiliter, sed superbè, non ad laudem tui, sed ad damnationem meam, non ad bonum sed ad malum. Et ad ista sic miserabiliter pectactanda, causam mihi præbuit obliuio beneficiorum tuorum & meiipsius.

3. O Domine Iesu Christe, scio & ignorare non possum quòd grauiùs me iudicabis, quia plusquàm aliis mihi gratiosè tribuisti. Cùm enim auges dona, rationes etiam tibi reddendæ crescunt donorum, quas tibi reddere non valeo dignè, sicut mihi præcepisti. Si me cum seuera iustitia tractare intendis, redigar in cinerem & fauillam, & ad inferos miserabiliter descendam, nisi misericorditer mecum agis, Sic spero firma fide, quia in magna misericordia tua confido; à qua absit vt recedam. Nunc me iustificabis, & de peccatore iustum facies, & de immundo mundum.

4. Deprecor te Domine Iesu Christe, vt in me misero veram confidentiam augeas, perditam obliuionem auferas, tuam misericordiam amplies, mea scelera indulgendo amoueas, remoueas, & abstergas, & tua dona (vt debeo) recognoscens, illa dispensem ad beneplacitum tuum in præsenti, vt in futuro tuam veram beatitudinem possideam, per infinita sæculorum sæcula. Amen.

CAPVT VIII.

De ingratitudine temporis perditi, & indignitate seruitij diuini.

1. TOtum me esse scio tuum, Domine Iesu Christe, quia totũ me fecisti, & regenerando, & redimendo, & sine te nihil sum debitor tuus, quia totã vitam tuam pro me misero dedisti, & te Christum mihi dedisti, & das quotidie, & omni die in cibum & potum, me esurientem pascendo, sitienti potum tribuẽdo, & totam animam meã recreando & sanando. Quidquid sum, totum est de misericordia tua, totum me fecisti, vt totus tuus essem, & totus tibi seruirem, & toto corde, tota anima, tota mente, totis viribus te diligerem, & toto tempore tibi seruirem, Ad hoc totum tempus mihi constituisti, prohibendo ne alteri, in toto vel in parte, me darem aut seruirem, sed solùm tibi aut proximis propter te. Hæc omnia me docuisti, in omnibus me informasti, de omnibus cogitationem mihi dedisti, omnia sciui, omnia facere potui & adimplere, sed nolui, nec curaui. Voluptati carnis me dedi, & corporis seu animæ passiones secutus fui, multa & enormia peccata committendo, & sic à te, quia totus tuus eram, totum me subtraxi, indignum seruitio tuo me reddidi, & ferè totum tempus ad seruitium tuum ordinatum, tibi ex iniquitate mea maxima auferendo, in prædictis peccatis consumpsi, & sic damnabiliter commutaui.

2. O liberator meus de gentibus iracundis, qualis est, & quàm incomparabilis hæc ingratitudo mea, quanta est iniquitas mea, & quàm grauissima prauitas cordis mei. Scio me obligatum ad reddendam arctissimam &

strictissimam rationem de tempore ad tuum seruitium non impenso, & momentum de tempore non peribit. Et si mihi confusibilis condemnatio fiat, quia ad tuum seruitium tempus non expendi, vt debebam, qualis erit, & quanta illa terribilis condemnatio mihi debita dignè quia ad seruitium hostium tuorum & animæ meæ, ipsum tempus, turpissimè & nefandissimè sic expendi? & si vix quantumcumque iustificatus dignè tibi seruire debeat; quid erit de me misero, qui scienter, voluntariè & malitiosè tuo seruitio indignum me feci? Et si propter ingratitudinem donatio reuocatur, qua sorte ego miser confidere debeo de gratiis à te mihi misericorditer collatis, vt de promissione saluationis meæ¦, quia semper tibi ingratus fui, & tota vita mea nihil aliud fuit, nisi ingratitudinis multiplicatio, & accumulatio? Et si furtum committitur rem seu partem rei alienæ contrectando, quantum & quale furtum commisi ego sceleratus, qui non partem mei, sed totum me ipsum, non rem vilem sed pretiosam, scilicet animam meam, tibi abstuli & violenter rapui.

3. O temporum dator & dispensator, rerum perditarum diligens inuentor, & mortuorum piissime sustentator, respice in me & miserere mei. Tolle à me misericorditer ingratitudinem, fac me de indigno dignum, quãtum mea possibilitas modica sustinere valet. Et in seruitio tuo parce mihi longi temporis perditionem, qui etiam multis peccatoribus pepercisti, da temporis spatium tibi placens, vt malè impensum emendem. Ad infœlicem pietas immensa, respice, ad miserrimum misericordia publica. Desperatus ad omnipotentem venio, vulneratus ad medicum curro. Serua pietatem mansuetudinis, qui tam diu suspendisti gladium vltionis. Dele vniuersitatem criminum, auge multitudinem misericordiarum, vt tibi dignè seruire valeam; nunc, & in futurum, per infinita sæculorum sæcula. Amen.

CAPVT IX.

De Ambitione.

1. GVbernator meus, clementissime Deus, tanta prouidentia me gubernasti, quòd diuitias mundanas ne superbirem, aut malè dispensarem; & paupertatem ne desolatione, aut tristitia frangerer, mihi non dedisti, sed victui meo necessaria tribuisti. Et licet ex hoc & multis aliis gratiis & donis gratuitis, tibi incessanter, humiliatione deuota, gratias referre debuissem, tamen immemor beneficiorum tuorum ad diuitias fallaces, & honores mundanos & transitorios animum declinaui, & tuis donis immensis, quorum vnius dignus non eram, non contentus, ipsas diuitias & honores, superbè & ambitiosè concupiui, non solùm cogitatione, sed consensu & opere. Qui etiam ad ista habenda vigilaui, laboraui, & tuo seruitio ad quod electus eram & adstrictus, derelicto, ad acquirenda illa corpus & animam dedicaui: & ex hoc, creaturis plus affectuosè quàm tibi Creatori, obsequium præbui, plus tibi quàm ipsis deferre volui, plus eis quàm tibi obe-

diui, laborare in earum seruitio, leue mihi fuit, & in tuo seruitio valdè graue. Vix de earum seruitio fessus fui, sed de tuo satis citò. De offensis quas eis feci, dolui, & veniam petij, sed de offensis, tibi factis, nec dolui, nec vix etiam longo tractu temporis, petij veniam. Imò, quod grauius est & horribilius, propter eas, te offendere non dubitaui, quia magis illis quàm tibi volui complacere.

2. O ambitio nequam, crudelis auaritia, damnabilis concupiscentia, quæ Dominum & retributorem omnium mihi abstulisti, & seruis mundanis me subjugasti: perpetuum pro temporali mihi commutasti, pro mercede vana & vacua omni bono, mercedem omni bono & dulcedine plenam relinquere fecisti: virtutibus abjectis, in peccatis viuere me fecisti, & non solùm inutiliter me viuere fecisti, sed damnabiliter: quia propter corpus vermibus deputatum, & ab eis corrodendum, animam meam peccatis subjugasti, & Deo, cuius erat, abstulisti. Eia! quis mihi satisfaciet de labore impenso? cùm ad hoc potentiam non habeas, restat mihi, vt quia peccatoribus cum peccatis seruiui, infernalis merces & retributio mihi detur.

3. Sed misericors Deus, qui neminem vis perire, & saluas sperantes in te, confidenter ad te redeo cum gemitu & dolore. Doleo namque de seruitio sic perdito. Erubesco, quia sic te deserui, tibi non seruiui, gratias non retuli, & placentem tibi operam non detuli: beneficia tua respui, nec de ipsis contentus fui. Et quia sic in me abundauit iniquitas, superabundet in me quoque misericordia tua. Et licet sit longè à peccatoribus salus, quia qui elongant se à te, peribunt: Tamen misericordiam promittis redeuntibus ad te, *Ps. 118.*
& pœnitentes recipis manu pia. Recipiat me igitur misericordia tua, & veniam mihi tribuat de peccatis, vt ipsis non ponderatis, regnum tuum consequar sempiternum. Amen. *155.*

CAPVT X.

De vana spe longioris vitæ, & negligentia sui ipsius.

1. AD te confugio immensa clementia, quia nulli dees, ad te venio vt delicta iuuentutis meæ & ignorantias meas non recorderis; in vltionem iustam deducendo, negligentiam quam habeo de salute animæ meæ, & *Ps. 24. 7.*
spem longioris vitæ, quæ animam meam tuis virtutibus spoliauit, catenis vitiorum ligauit, pondere peccatorum grauauit; delictorum sordibus fœdauit, nunc pulchritudine & fortitudine iuuentutis, nunc affabilitate vocis, nunc agilitate membrorum, nunc cupiditate mundanorum, nunc corporis sanitate, nunc vani gaudij suauitate, nunc ingenij subtilitate, nunc animi mobilitate, nunc ira, nunc vindicta, nunc detractione, nunc oculorũ vanitate, nunc omnium sensuũ corporalium inutili gubernatione. His & aliis grauibus malis meam miseram animam opprimendo, prædicta negligentia, & spes, ipsam damnabiliter necauerunt. Insuper confessionem retardarunt, & quandoque absque confessione dimiserunt; Confessorem

idiotam eligere fecerunt; & quandoque extraneum & ignotum, vt peccatorum horribilium verecundiam vitarem. Pœnitentias injunctas nec suscipere, nec susceptas adimplere, nec de peccatis dolere permiserunt, nec ab illis abstinere in posterum voluntatem præbuerunt.

2. O peruersa negligentia, ô vana & inutilis spes, quæ spes non est dicenda, sed præsumptio. Vitam meam sic miserabiliter sperando, vsque ad senium deduxisti: quæ vita sic dici non potuit, sed mors potiùs; non consolatio, sed desolatio; non gaudium, sed mœror; non bonitas, sed malitia; non ignorantia, sed iniquitas affectata.

3. O Saluator meus, ne despicias me sub tanto discrimine positum: adesto mihi propitius, in his maximis & periculosis necessitatibus. Nec sufficiens sum meipsum, neque tempus sic præteritum redimere meis operationibus. Sed tu Redemptor meus, redime me & miserere mei. Diffido namque &
Psal. 25. 11. diffidere debeo de meis meritis, quæ merita non sunt, sed demerita: & de tuis miserationibus confidenter confido. Et longè ampliùs de tuis miserationibus confido, quàm diffidam de meis malis, & iniquis actibus. Tu ex sola misericordia tua, tuo pretioso sanguine me redemisti: In mea redemptione sic tibi fui carus; non sim tibi vilis ad perdendum. Respice me oculo tuæ pietatis, & aufer à corde meo ipsam negligentiam, & spem vanam omni bono vacuam, imò omni peccato plenam: Et da firmam diligentiam, & validam spem, pariter & timorem, vt in tua misericordia firmiter sperando, tuam iustitiam timeam; quæ me ad bonum excitent, & à malo retrahant, vt te miserante veram gloriam percipiam, per infinita sæculorum sæcula. Amen.

CAPVT XI.

De negligenti custodia gregis Dominici.

1. CONfusus ex peccatis meis, ad te venio Domine Iesu Christe, non judicium, sed misericordiam implorans. Negligens enim fui, non solùm contra regimen proprium, sed etiam contra regimen animarum mihi commissarum. Pastorem namque multarum animarum tuo pretioso sanguine redemptarum, ex pura bonitate tua cōstituisti, vt has verbo & exemplo juxta præceptum tuum pascendo, & à luporum morsibus custodiendo, in conspectu tui tremendi judicij præsentarem, ab omni contagione mali illæsas; & rationem tibi debitam, tibique placitam redderem de eisdem.

2. Sed heu Domine Iesu Christe, dum meum regimen considero, nescio quid faciam, aut quid dicam: quia nomen pastoris vsurpaui, & mercenarius fui. Propter temporalem mercedem, regimen assumpsi, & de bona custodia gregis non curaui: Oues errantes non reduxi, sed errare permisi, & ad peccandum meo exemplo perduxi. A periculis non liberaui, sed tanquam cœcus, laqueos, & fornacem infernalem mihi & ipsis paraui. Lupos in eas irruentes, non fugaui, nec aduersus eos me postposui, sed fui & steti mutus
Isai. 56. 10. velut canis latrare non valens. Vulneratas non sanaui, famelicas victu spiri-
tuali

tuali & temporali non paui, sed perire fame permisi. Væ mihi quia tacui, & super ipsam custodiam non vigilaui, sed tanquam custos negligens dormiui. Imò quod detestabilius est mihi dicere, verbis, operibus, & prauis exẽplis non solùm ipsas oues vulneraui, sed nequiter interire non memorans, quòd tot mortibus dignus eram, quod eis exempla præbui malæ vitæ.

3. Qua confusione confundar ante tuam maiestatem, cùm videbo in tremendo iudicio tuo, Apostolos per eorum prædicationem, animarum multitudinẽ secum ducere; Martyres per martyrij susceptionem; Confessores per vitæ honestatem, Virgines per intemeratam virginitatem; Continentes per bonæ vitæ operationem; Pœnitentes per vitæ austeritatem, ac multos alios, per operum misericordiæ exhibitionem. Ego verò miser, & omni miseria dignus, vacuus & solus apparebo in conspectu tuo pro meis demeritis recepturus, & de multis ac multis accusabor. Nec fas erit mihi aliquid respondere, nec me potero aliqualiter excusare, quia non solùm de animabus mihi commissis, imò nec de propria mea anima, bonam potero reddere rationem. Nihil tunc supererit, si tua misericordia hîc me præueniat, quàm audire illam terribilem sententiam, *ligatis pedibus & manibus, proiicite eum in tenebras exteriores, vbi semper est & erit fletus & stridor dentium.* *Matth. 22.*

4. O Redemptor meus, memor esto quo pretio me redemisti, & noli perdere sic redemptum. Non consideres malitiam meam, quia maior est misericordia tua. Non despicias carnem tuam, quia caro & frater tuus sum. Non abhorreas seruum tuum, te suum Dominum confitentem. Vince malum meum, per bonum tuum. Qui propter peccatorem aduenisti, compelle me peccatorem redire ad te. Tu Domine scis & dixisti, quod non egent sani medico, sed malè habentes. Veni ad me multipliciter ægrotantem, sana infirmitatem meam, doce me vt verbo & opere pascam gregem tuum. Non remaneat in grege tuo mihi commisso, ouis morbida, sed ipsius medere infirmitatibus: vt tibi præsentando ipsas immunes ab omni malo, dicere possim, *Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam, quam perdideram.* Et vt illud gaudium Angelorum impleatur, *gaudium est Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente*, omnis gaudij particeps efficiar cum animabus mihi commissis, per infinita sæculorum sæcula. Amen. *Luc. 5. 31.* *Luc. 18.*

CAPVT XII.

De defectu Charitatis.

1. BEnignissime Domine Iesu Christe, tuam piissimam misericordiam imploro, vt non secundùm peccata mea facias mihi, neque secundùm iniquitatem meam retribuas mihi. Non me dimittat pietas tua, quæ me de morte ad vitam, & de tenebris peccatorum & ignorantiæ, ad lucem cognitionis tuæ misericorditer euocauit. Non permittas, vt fallacia hostis callidi me seducat, sed tua veritas me protegat, & defendat. Eleua mentem meam in terra prostratam, ad te, & fac ipsam manere in te. Sicut fui voluntarius ad

peccandum, non sim remissus ad emendandum, sed tu sis propitius ad ignoscendum. Doleam de peccatis vltra quàm in ipsis fuerim delectatus.

2. Non retardes in me conuersionem, quia etiam velox fui in auersione. Per meipsum cecidi, & sine te resurgere non valeo. Fac vt resurgam, & recogitem omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Non sim in conspectu tuo sicut puluis quem proiicit ventus à facie iræ: sed apprehendam disciplinã, & quiescat contra me ira tua, ne peream de via iusta. Viuam spiritu vt carnis desideria non perficiam. Hæreditatem æternã, quam primi parentes perdiderunt, pretio incomparabili, hoc est tua pretiosa morte mihi emisti: ad eam possidendam me elegisti, & dare eam, misericorditer promisisti. Attendat mihi promissa inæstimabilis clementia tua, quia omnes homines ex sua manu largissima vult saluos fieri.

3 Sed heu, dulcissime Domine Iesu Christe, dum vitam meam miserabiliter ad memoriam reduco, nescio qua fronte, aut qua præsumptione, audeo aperire os meum ad petendum vt mihi promissa attendas; cùm non fecerim, nec faciam iustitiam, propter quam, æternam gloriam promittebas. Præcepisti nãque, vt charitatem perfectam haberem: scilicet vt te diligerem super omnia, & proximum meum sicut meipsum. Hæc sunt præcepta tua singularia & præcipua quibus impletis cætera adimplentur, & ipsis relictis, cætera quantumcumq; bona ad nihilum rediguntur. Istud est iugum tuum suaue, & onus tuũ leue, in cuius obseruatione nemo potest se per impotẽtiã excusare. Per ista sancti viri vtriusque testamenti tibi placuerunt. Hæc est via, per quã præcipis ambulare Hæc est porta, per quam patet Paradisi ingressus. Hæc est vita placens tibi. Nulli obest, omnibus prodest, animam decorat virtutibus, corpus adornat moribus, intellectum clarificat, mentem eleuat ad superna, Diabolum vincit, merita auget, peccata fugat. Hæc est via mãdatorum tuorum, in quorum custodia retributio multa. Ista cognoscebam, & videbam, & sciebam, quia tua, clementia me docuerat, & ea adimplere præceperat.

4. Sed ego miser & sceleratus, more aspidis obturans aures cordis mei, nolui intelligere, vt bene agerem, & more Pharaonis, tua precepta spernens durior fui effectus, & animum ad deteriora mihi, vt non solummodò te nõ diligerem, sed etiam quod prohibebas fieri totis viribus adimplerẽ. In amicum, charitatem perfectam non extendi, & si quandoque eum dilexi, causa diligendi eum fuit carnis affinitas, bonum acceptum ab eo, vel etiam speratum. Aut finxi me diligere ob timorem; & quandoque vitium materiam dilectionis præbuit. Et sic talem charitatem seruando, charitatem destruxi. Inimicum odio habui, & pro posse de ipso me vindicaui, auferendo vindictam à te, quam tibi singulariter reseruasti. Cùm de facto non potui, corde tamen adimpleui, & in omnibus contra eum multas detractiones malitiosè interposui, & alios ad similia aut deteriora contra eum prouocaui: fictam cum eo pacem feci, & si ei tunc non nocerem, gaudebam ob alios damnum inferentes, nec prohibui fieri, licèt hoc possem.

5. Ecce, Deus meus, qui es suprema & indissolubilis charitas, qualiter obediens tibi fui, qualem charitatem seruaui, & qualiter quod præceperas ad-

impleui, Indulgentiam de iniquitatibus meis, frequenter petij, & aliis nolui indulgere. Debita tibi decem millium talentorum à te misericorditer petij, & remisisti. Et ego nequam, conseruo meo, imò fratri meo, nolui debitum centum denariorum remittere, neque ei charitatem exhibere. Quid igitur mihi restat, nisi vt tradas me tortoribus, quousque reddam vniuersum debitum? Dignum enim & iustum est, vt magna charitas mihi non fiat, qui modicam charitatem nolui exhibere.

6. Sed, misericordissime Iesu, absit à me talis iustitia. Misericordiam peto & non iudicium. Tuam clementiam exoro, Merita tuæ beatissimæ passionis flagito, vt defectus meos suppleant, tuam iram mitigent, vindictam in misericordiam commutent, charitatem inuocent, vitam meam emendent, pœnitentiam de commissis tribuant, veniam de ipsis concedant, satisfactionem dignam donent, & animam meam veste indutam iniquitatis, charitate induant: vt sic veste nuptiali induta, te iuuante ad cœnam tuam veniat, vbi ab vbertate domus tuæ satietur, & æternaliter repleatur. Amen.

CAPVT XIII.

De inutili & damnosa gloriatione.

AD hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, Domine Iesu Christe, vt corde humili, & actu perseuerabili, cogitatu, consensu, verbo, & opere placidè tibi seruirem. Et vt hoc experientius adimplerē, à mundo me separasti; ad te me vocasti, spirituali prærogatiua scientiæ, & plenioris notitiæ tuæ, me docuisti; qualiter tibi seruirē, me singulariter informasti. Omnia sufficientia ad seruitium tuum dono gratuito pro parte tua ministrasti. Nihil enim mihi præcepisti, aut fieri voluisti per me, quin leuiter adimplere possē. Sed ex parte mea non defuit posse; sed velle omninò defuit, & nolle plus potuit in omittendo, quàm posse potuit in operando. In hac desidia me tenui, in hac pigritia perseueraui, modum voluntarium non mutaui, ad mundum de quo misericorditer me eieceras, redij, cum dilexi adhærendo, & flammis cōcupiscentiæ ipsius me exponendo: ad complacentiam carnis omnes sensus corporales dedicaui, cum quibus in superbiam eiectus sum, & sic Regi superbiæ obediui. Tota vita mea carnalis fuit, & non spiritualis, & sic te derisi & contempsi.

2. Sed benignissime Iesu, adhuc maiorem dementiam in me tua gratia illustrante cognosco: quia si interdum in aliquibus tibi seruiui, hoc reputaui gratiosè, non ex debito, tibi factum. Et ex hoc in superbiam erigebar, cupiens vt hæc videntes me laudarent. Et vt sic fieret, in peruersa cogitatione habebam; & ignorantibus hoc pandebam; & ab omnibus videri affectabam. Et ideò à te maiorem retributionem habere credebam, sic modicum tibi seruiendo; & tamen ex debito semper tibi seruire debebam.

3. O singularissimæ bonitatis Domine Iesu Christe, qualis gloria tibi ista fuit? Quale seruitium tibi impendi? Quod gratiosum esse credebam, debi-

tum erat, & non solùm interdum tibi seruire, sed iugiter tibi seruire debitũ, erat & obligatio perpetua. Imò nec creatura pura quæcunque fuerit, dignè tibi seruire potest, nec hoc sufficit quantumcumque viuat. Et ego miser, vanè & otiosè gloriabar, & in hoc mercedem meam recipiebam, quia talis gloria in ignominiam conuertetur, nisi manum misericordiæ tuæ, ô pietatis auctor, super me extendas, & talem vanam gloriam in humilitatem conuertas, & reatum meum perfectè cognoscam, & cognoscendo doleam; & dolendo pœnitentiam corde humili & contrito agam, remissionémque à te misericorditer obtineam. Spes mea valida est in tua misericordia infinita. Sana igitur omnes languores meos, quia magni sunt & multi. Habet enim multa in me princeps huius mundi, & hoc fateor.

4. Sed tuam clementiam oro, vt liberare me digneris, quia Redemptor meus es. Viuifica me, tu qui peccatum non fecisti. Tu caput meum es, in quo nulla est macula. Adiuua membrum exiguum & infirmum, reple me tuis sanctis virtutibus, & fac me pollere bonis moribus, & sanctis operibus, & perseuerare vsque in finem, secundùm tuam voluntatem, vt ad tuam beatissimam gloriam peruenire valeam, ibíque manere per infinita sæculorum sæcula. Amen.

CAPVT XIV.

De iustificatione sui ipsius, & de condemnatione temeraria circa alios.

1. NOn sufficit impurissimus animus meus, cogitare, & inuestigare singulares maculas & peruersos actus miserabilis vitæ meæ. Tãta enim sunt vitia & peccata mea, quòd inuestigabilia sunt apud me, nisi tua misericordia magna reducat mihi illa ad memoriam. Ego nimia assuefactione & actu consuetudinario, enormia peccata mea, venialia & nulla esse putaui Et quia erga me negligenter me habui, & vitam meam miseram cognoscere postposui, vitam aliorum iudicando temerariè denigraui. Alterum Pharisæum me sentio, qui iustificans seipsum, cæteros in genere, & Publicanum in specie accusabat. Sic etiam ego miser, me ipsum iustifico, & aliorum vitam condemno. Peccata mea leuia puto, & in aliis grauia.

2. Imò non mea, sed aliena considero & inspicio diligenter. De meis vitiis & malitiis interdum glorior & aliis nõ compatiendo, vitam ipsorũ vitupero. Mala mea secreta esse volo, sed aliena publica. Peccata mea inulta esse cupio, sed aliena cum rigore punita esse affecto. Misericordiam mihi quæro fieri, sed aliis iustitiã. Alios reprehendi, & me non respexi, alios posui ante oculos meos, & me posui post dorsum meum. Laudes humanas quæsiui, & aliis libenter detraxi; delicta mea excusaui, & aliorum peccata accusaui; de me ipso præsumpsi omne bonum, & de aliis omne malum; quia facta ipsorum quantumcũque bona in deteriorem partem interpretatus fui, nec ab eorum detractione cessaui. Dolui de laudibus aliorũ, quia plus voluissem laudari. Et vt

melior reputarer, aliorum bonam famam mendaciis coinquinaui. Nihil mihi restat, nisi quod contra me, dignè & iustè Pharisæi sententia proferatur.

3. O Domine Iesu Christe, scio, quod non glorificabitur ante te omnis caro: quoniam si quid boni parui vel magni est in me, donum tuum est, & in me non est nisi malum. Cùm enim me glorificaui de bono, hoc feci de alieno, quia tuum est omne bonum. Et sic me glorificando, me constitui furem & latronem, quia furari volui gloriam tuam, & tamen laudare te debebam de bono tuo. Tu autem, Domine, non sinas me ampliùs cadere in illam exprobrationem, vt exprobretur mihi furari voluisse gloriam tuam, cuius est omne bonum. Mihi autem confusio faciei & miseria, cuius est omne malum, nisi tu, benignissime Domine Iesu Christe, qui Publicani pœnitentiam suscepisti, & me etiam ad pœnitentiam expectasti, misericorditer digneris preces meas suscipere. Rom. c. 3.20.

4. Suscipe igitur clementer, vt cum Publicano dicam: *Deus, propitius esto peccatori.* Non enim dignus sum oculos ad cœlum leuare præ multitudine peccatorum meorum: sed percute pectus meum vera contritione. Aperi os meum, vt recognoscendo peccata mea, integra confessione ea pandam. Da mihi gratiam dignè conterendi, & confitendi, & satisfaciendi de delictis, & indulgentiam tribue de eisdem; vt hîc in tua gratia viuendo, mala defleam, & illa iterum non committam, sed opera tibi placita faciam: vt cùm dies vltimus vitæ meæ aduenerit, ad regnum tuum perueniam sempiternum. Amen. Luc. 18.

SECVNDA PARS, HVIVS TRACTATVS, *SIVE* CONTEMPLATIONES DE MISERICORDIA Dei ad homines, gradatim & successiuè concessa.

CAPVT I.

De misericordia Dei circa creationem hominis.

1. MISERICORDIA tua, sempiterne Deus, præuênit me, quia cùm nihil essem, aliquid me fecit de nihilo. Quippe me fecisti creaturam tuam. Sed qualem creaturam me fecisti? Certè non inanimatam, sicut lapides, sed animatam anima rationali, quæ corpus suum sua societate viuificaret, & semetipsam sua ra-

tione disponeret: habentem in se arbitrij libertatem, vt sua cogitatione eligeret & vellet. Quæ sic colligata est corpori, vt nec cùm vellet, se inde segregare posset, nec se retinere, cùm iussionem tuam audiret. Hanc sum me mundam & speciosam creasti, & ad imaginem & similitudinem tuam mirabiliter productam tribus potentiis dotasti; scilicet intellectu, per quem te cognosceret & intelligeret; volunate per quam te diligeret & amaret; memoria, per quam te Creatorem suum in mente memoriæ retineret, & vt beneficia tua, ex dono gratuito impensa semper recolendo, gratiarum actiones tibi non cessaret referre.

2. Sed, misericors Deus, vnde hoc tibi, vt me creares tam nobilem creaturam? Quia non solùm cum creaturis terrenis, verùm etiam cum creaturis cœlestibus, scilicet beatissimis Angelis participem me fecisti. Nam ex voluntate tua totaliter dependebat creare me, vel non creare, vel creare cum anima, aut sine anima. Certè sic est, nec quisquam de hoc addubitare potest. Quis igitur te mouit vt creares me cum anima rationali? quæ fuit causa motiua tua? quid ad hoc faciendum te induxit? hoc solùm fuit summa & immensa misericordia tua, quæ talem me creauit, vt regnum possiderem æternum, socius essem Angelorum beatorum, & cùm ipsis perpetuò te laudarem.

3. O benignissime Deus, quanta fuit misericordia tua erga me miserũ peccatorem, qui sic me dignatus es creare, & honorare, & eligere ad te laudandum cum beatissimis Spiritibus cœlestibus? Non enim mea merita, nec meæ gratiæ te coëgerunt, vt me creares, sed benigna bonitas tua & clementia tua. Illa charitas quæ te coëgit ad me creandum, ipsa, quæso, cogat te ad regendum. Quid enim prodest, quidve contulit charitas tua, si per eam, miseriam meam non releues, & non regat me dextera tua? Ipsa te vincat charitas ad soluendum, quæ te vicit ad creandum, quia non minor est. Nam tua charitas tu ipse es, qui semper idem es. Non est abbreuiata manus tua, vt saluare nequeat; neque aggrauata auris tua, vt non audiat: sed peccata mea diuiserunt inter me & te, & inter lucem & tenebras, quia maxima fuit mea ingratitudo, qui sciens & non ignorans prædicta beneficia, illa tibi non recognoui, gratias tibi non reddidi. Imò te Creatorem meum aspernans, & non timens, nec verens, non laudaui, sed vituperaui; non honoraui, sed dehonestaui; gratias non retuli, sed te irritaui; gloriam tibi non dedi, sed meipsum glorificaui super te.

4. Ecce, piissime Creator meus, creaturam, quam creasti ad imaginem tuam, deformaui per innumerabilia peccata, & deturpaui. Tuam igitur clementiam deprecor humiliter, vt oculos tuæ immensæ charitatis ad me conuertas. Dele iniquitates meas. Referam in me imaginem & similitudinem tuam, vt recognoscam tanta beneficia tua. Concede mihi gratiam, vt officium ad quod me elegisti, faciam puro corde. Præsta misericorditer, vt in præsenti vita, continuè tibi gratias referam, & in futura cum sanctis Angelis tuis te laudem, & benedicam in tua gloria, per infinita sæcula sæculorum. Amen.

CAPVT II.

De misericordia Dei circa regenerationem hominis.

1. MVltiplicasti misericordiam tuam, in me creatura tua, misericors Saluator meus, quia animam meam mihi dedisti speciosam & immaculatam: ex coniunctione & vnione infecti corporis, infecta & maculata originali peccato fuit, per quod pœnam damni incurrit, vt tua diuina visione perpetuò priuaretur. Sed ex magna misericordia tua, oculos tuæ pietatis in eam defixisti, & per Baptismi gratiam, ab ipsa, peccati maculam extersisti, vt non pœnam damni aut sensus vlteriùs subiret, sed ad tuam gloriam separata à corpore conuolaret. Ipsam insuper tibi in sponsam desponsasti, & annulo tuæ sacratissimæ fidei subarrasti, inimicis & corporum noxiis renuntiare fecisti, & donis & gratiis spiritualibus mirificè decorasti. In hoc, piissime Pater, misericordia tua abundauit, tua immensa clementia exuberauit, & tua summa bonitas sic me elegit. In infidelitate cum multis aliis infidelibus reliquisse me potuisses. Vbi te aut tua dona non nouissem, sicut multi alij non nouerunt, qui simulacra aut idola fraude diabolica non desinunt adorare, vt sic dæmonibus seruiendo, miserabiliter cum ipsis perpetuò trucidentur, & pœnis infernalibus obligentur.

2. Sed heu, Domine Iesu Christe, plus infidelem me video quàm sint ipsi infideles: quia te & misericordiam tuam agnoui, & post agnitionem quodammodò retrocessi. Nam promissionem meam tibi factam, irritam feci. Quia inimicis quibus renunciaueram, & eorum pompis, per consensum & operationes volui adhærere, & te cum infidelibus copulatus reliqui, abjeci, & contempsi. Onus tuum leue, cui me subjugaueram, deposui, & ceruicem meam durissimam submisi sarcinæ peccatorum, & voluntati inimicorum meorum.

3. O benignissime Redemptor meus, adhuc regeneratione magna indigeo, quia mortuum me sentio, & nihil sum. Ad nihilum sum deductus propter multitudinem peccatorum meorum quæ commisi, & propter multas iniquitates, negligentias, & ignorantias meas, in quibus totam miseram vitam meam expendi. Regenerare me igitur digneris, dulcissime Domine Iesu Christe, de culpa ad gratiam, de tenebris ad lucem, & de morte ad vitam perpetuam, per tuam piissimam misericordiam, vt de nihilo aliquid me facias tibi placens. Simque creatura placens & acceptabilis, & per bona opera, gratiosa. Viuam hîc per gratiam, qui mortuus fui per culpam. Pœna quam merui, conuertatur te miserante in gloriam: & de beneficiis tuis tibi gratias referam, téque laudare valeam per infinita sæculorum sæcula. Amen.

CAPVT III.

De misericordia Dei circa aspirationes diuinas.

1. QVantas ostendisti mihi, benignissime Domine Iesu Christe, aspirationes multas & bonas in vita mea, vt declinando à malo bona facerem? Hoc tu solus scis, quia præterita, præsentia & futura, in conspectu tuæ diuinæ majestatis, manifesta manent. Nihil tibi est absconditum vel occultum. Nihil à memoria tua excidit. Omnia vides, omnia scis, omniumrecordaris. Nam licèt magnus peccator sim, & ex iniquitate mea & peruersa voluntate, in profundum vitiorum venerim: tamen tua immensa misericordia aspirationes salutares semper mihi dedit & præbuit. Non fuit in hoc temporis interpellatio, non dierum electio, non horarum diuisio, non momentorum interruptio, sed temporum, dierum, horarum, & momentorum mirabilis continuatio. Iiis enim aspirationibus tuis cor meum frigidum in amorem tuum inflammasti; animum prostratum ad te eleuasti; mentem meam vacantem otio, ad benè operandum clementer stimulasti.

2. Has aspirationes à me non separasti, ne importunitate vincerer, qui tepiditate vincebar, eas in me multipliciter cumulasti. Nunc ad contemplandum, nunc ad officio vacandum, nunc ad Missas celebrandum, nunc ad peccatis resistendum, nunc ad te laudandum, nunc ad gratias tibi referendum, nunc ad te & proximos diligendum, nunc ad injurias & rancores remittendum, nunc ad discordias mitigandum, nunc à detractionibus præcauendum, nunc ad proximis indulgendum, nunc ad otiosa fugiendum, nunc ad corpus animæ subjugandum, nunc ad bona pauperibus erogandum, nunc ad desolatos consolandum, nunc ad opera misericordiæ & alia bona meritoria exercendum, & alia multa & innumerabilia ad salutem corporis & animæ, per tuas piissimas & continuas aspirationes, mihi indigno & miserabili, manu largissima præparasti, & misericorditer tribuisti; & tribuere assiduè non cessasti; quocunque irem, vbicunque essem, quidquid cogitarem, dicerem aut facerem, semper me benignè aspirasti. Hoc non merueram, neque dignus eram, vt sic per tuas benignas aspirationes me visitares, & ad te me traheres, qui à te fugiebam, à te me separabam, tuis aspirationibus contradicebam, nec eis adhærere volebam.

3. Ecce, misericors Domine Iesu, qualiter animam meam coram te exhibeo virtutibus destitutam, catenis vitiorum ligatam, discissam vulneribus dæmonum, puridam & fœtidam vlceribus criminum; his & aliis omnibus malis obrutam, compressam, circundatam; bonorum omnium releuamine destitutam. Ecce quanta coarctat me miseria sincerè. O vniuersa misericordia, grauiter coram te peccaui, quia non solùm multa & enormia peccata commisi, sed etiam tuas benignas aspirationes non recepi, sed eas contempsi. Indulgere mihi digneris, dulcissime Iesu. Non recedant à me misero

misero peccatore tuæ aspirationes, sed eas recipiam, & opere compleam te adiuuante; cor meum malignum mundent à vitiis, & vitam meam laudabilem tibi reddant, & animam meam ad te perducant, vt misericorditer tecum viuat, per infinita sæculorum sæcula. Amen.

CAPVT IV.

De misericordia Dei circa cognitionem peccati & emendationem ipsius.

1. AVxiliator meus, benignissime Iesu Christe, tot & tanta beneficia animæ meæ pro salute sua misericorditer contulisti, & conferre non desinis omni die, quòd memoria mea, ea retinere non valet, nec mens cogitare, nec lingua proferre. Nec etiam mea modicitas, ingenioli ac potentiæ, dignas gratias referre potest. Inter cætera dona misericordiæ tuæ mihi gratiosè concessa, agnosco, dulcissime Iesu, & Saluator meus, sollicitudinem quam erga me miserum peccatorem habuisti de salute & saluatione mea, ne morte perpetua perirem, sed æternaliter viuerem cum bonis. Scio namque me nequissimum peccatorem, & pronum ad omne malum: cui operam dedi, vt nequissimos conceptus opere adimplerem: tua mandata contemnendo, & tua consilia non seruando.

2. Sed tu, piissime Redemptor meus, mala quæ iniquè perpetrabam, ad vlciscendum non considerasti, sed vt animam maleuolam retraherem à peccatis, & de ipsis dolerem, & gratiam primam acquirerem, cogitationem perfectam dedisti. Tantáque gloria me illuminasti, quòd quacumque hora seu momento temporis ad peccandum descendebam, peccati mihi notitiã dabas, vt illud non committerem, vel saltem de commisso satisfacerem & dolerem, & ad te redirem sine mora; ne inimici mei de lapsu meo lamentabili diutiùs gauderent, nec me possent trahere secum pariter ad infernum. Hæc fuit tua prouidentia pia erga me, hoc fuit adiutorium magnum mihi, hæc fuit permissio emendandi vitam meam miseram, hæc magna miseratio tua, Domine Iesu Christe, quia scio quòd cognitio peccati nõ potest haberi sine cognitione tui. Non enim noscerem tenebras, si semper in tenebris essem, sed lucis notitia contrarium suum non dimittit incognitũ. Tu namq; fuisti lux illuminans mentem meam, vt peccatorum tenebras cognoscerem.

3. Igitur secundùm magnam misericordiam tuã memento mei, tu, propter bonitatem tuam, Domine, quia dulcis & rectus & benignus es, Domine, Propter hoc confido, & firmiter spero, quòd dabis mihi delinquenti gratiam in hac vita. Et quamuis tua miseratione peccata cognouerim, & propter huiusmodi cognitionem à peccatis non desij, tamen in exuberante misericordia tua confido. Et absit quòd de ea diffidam, quantumcumque sim nefandissimus peccator, & sagena peccatorum multorum circundatus. Recipiat igitur me solita pietas tua, non deserat me misericordia tua, indulgeat mihi clementia tua custodiat me tua immensa bonitas: vitam meam tibi odibi-

lem emendem: pro pecccatis meis lugeam & satisfactionem condignam iuxta possibilitatem meam impendam, vt pccatis & vitiis per tuam largissimam bonitatem misericorditer indultis & remissis, ad tuam gloriam veniam, eámque possideam per infinita sæcula sæculorum. Amen.

CAPVT V.

De misericordia Dei, ne peccator tantum peccet, quantum vellet.

1. VSque nunc cæcus fui in mente mea, Domine Iesu Christe, quia tuas immensas misericordias non cognoui. Fui namque & sum maximus peccator, multis criminibus inuolutus, ad quæ commitenda animum inclinaui, & opere consummaui, & longa consuetudine illa in mente retinui, & quadam animi obstinatione, quasi in naturam conuerti. Sed vnde hoc mihi vt multa alia non commiserim sicut ista? Num virtus animum meum retraxit? numquid subiectum ad illa committenda non disposui?

2. Scio, piissime Iesu, & verè scio, quòd virtus propria me non retraxit, vt subiectum dispositum & inclinatum ad illa perpetranda. Non stetit per me, quominùs illa ex magna malitia commiserim, & alia multa. Sed, misericors & miserator Domine, manus dispensatiua misericordiæ tuæ, se interposuit, animum meum tenuit, me retraxit, tentantium potentiam restrinxit, frænum mihi posuit, & non laxauit, vt subiectus ei, malum non conciperem, aut conceptum perducerem ad effectum.

3. Laudo igitur & magnifico & benedico nomen tuum, Saluator meus. Gratias tibi refero de tantis gratiis & misericordiis mihi peccatori impensis. Quia sicut multa peccata perpetraui, sic etiam multa alia perpetrassem, nisi tua infinita misericordia mihi peccatori miserabili subuenisset. Quis igitur potest considerare, quæ bona amicis tuis præstas, qui mihi inimico tuo propter multitudinẽ peccatorum meorum, sic subuenire dignatus es, vt tanta facinora non admitterem, quanta vellet mea iniquitas; non solùm actum, sed etiam occasionem tollendo?

4. Parce mihi, Domine Iesu Christe dulcissime; parce mihi. Indulgere mihi digneris ingratissimo peccatori, cæcitate cordiali repleto, omni gratia & misericordia indignissimo. Parcere & indulgere mihi digneris misericorditer; aufer puluerem cæcitatis de corde meo, vt tuam misericordiam videã. Tolle ingratitudinem de mente mea, vt tuam pietatem, & misericordiam agnoscam, & cognoscendo gratias referam, & referendo, tua immẽsa misericordia in me miserabili peccatore augmentetur & multiplicetur, vt peccata mea deleantur, virtutes infundantur, cor meum eleuetur ad te, & vita mihi meritoria tibi placita tribuatur, vt vita ipsa temporali me moriente finita, vita spirituali tecum viuam, per infinita sæculorum sæcula. Amen.

CAPVT VI.

De miſericordia Deì expectante peccatorem ad pœnitentiam.

1\. O Miſericordia infinita, pietas immenſa, clementia exuberans, virtus indeficiens, bonitas me cõſeruans, patientia me ſuſtinens, fortitudo me confortans, ſapientia me inſtruens & informans, dulcedo me recreans, ſalus me languentem ſanans, fons terram aridam cordis mei irrigans, ſumma bonitas me proſpiciens, ſuprema potentia me defendens, mitiſſime Domine Ieſu Chriſte, ego iniquiſſimus peccator & fugitiuus longæuis temporibus, ad tuam miſericordiam redeo, quæ mihi ſemper affuit, & nunquã mihi defuit. Mea fragilitas nulli alteri comparabitur, attento, quòd tanta & talis fuit. Sed tuam ineffabilem miſericordiam volui cogitare. Vita namque mea miſera & nominatione indigna, tota fuit indignis vitiis & peccatis maculata, & ſordidata criminibus & delitiis, repleta fœtoribus & ſpurcitiis, tota contaminata dolo & fallaciis, & tota ſauciata iniquitatibus & mendaciis.

2\. Ex his autem ſubiectus fui inimicis animæ meæ, qui potentiam in me fraudulenter vſurpauerunt; me iniquè proſtrauerunt; à te, me volente & conſenſum præbente, ſeparauerunt, & eorum ditioni me miſerum ſubiugauerunt. Et quid aliud reſtabat, niſi iuſtiſſima recipere? Niſi quòd terra me viuum abſorbuiſſet, & mox Infernus perpetuò deglutiſſet, vbi corpus & anima pœnam iuſtam & dignam pro ſuis demeritis recepiſſet, & in illorum manibus ſemper eſſẽ, quibus in hac vita te derelicto, volũtariè me ſubmiſi.

3\. Et vnde hoc mihi, Redemptor meus, quòd tua iuſtitia fuerit retardata? Vnde hoc quòd inimici mei, quorum voluntati & poteſtati me ſubiugaueram, huiuſmodi iuſtitiam, ſicut etiam affectabant, non fecerunt, quamuis cupientes, vt me cum ipſis perderent in æternum: vt ſicut eis in hac vita deflenda, fueram ſocius conſolationum carnalium, ſic in Inferno fierẽ cum ipſis ſocius paſſionum? Sed miſericordiſſime Domine Ieſu Chriſte, tu me tua gratia illuminaſti ſuperabundanter, & ſuperueniẽtem miſericordiã tuam, nunc cognoſco. Illa ſola fuit, & non altera, quæ prædictam iuſtitiam retardauit, voluntatem meam prauam, & inimicorum meorum potentiam cohibuit, & meam dementiam non ſequendo, manu pia me tenuit; nec permiſit, vt inimici in me ſuam complerent voluntatem. Quando offendebam te, tu me cuſtodiebas; à te recedebam, & tuo inimico me tradebam, & tu ipſum ne me acciperet, impediebas. Sic me multotiens à faucibus Diaboli liberaſti. Sciebas enim, Domine, quia ſi tunc mors me occupaſſet, animam meam Infernus ſuſcepiſſet, & perpetuò damnatus fuiſſem.

4\. O benigniſſime & piiſſime Saluator meus, gratias tibi refero, quantum mea miſera fragilitas ſe extendit, quia in tali vita miſerabili & iniqua, tua magna miſericordia me cum patientia ſuſtinuit. A tantis & tam im-

mensis periculis,in quibus tantis temporibus steti,me liberauit,& meæ malitiæ compatiendo, inimicorum meorum voluntatem retraxit, & à faucibus infernalibus me piè eripuit. Fac per tuam misericordiam magnam, vt vitam meam emendem,tempus enim misericordiæ, non iudicij est. Tu donas remissionem conuersis;patiens es super peccatores,donec cõuertantur; & quando conuersi sunt,peccata obliuioni tradis;futura promittis,hortaris pigros, consolaris afflictos, doces studiosos,adiuuas dimicantes, neminem deseris laborantem,& clamantem ad te corde contrito. Igitur lamentabiliter clamo ad te,vt inimicis meis potẽti virtute resistã,& tibi placita faciam; vt hîc in tua gratia viuendo, gloriam tuam acquiram & possideam, per infinita sæcula sæculorum. Amen.

CAPVT VII.

De misericordia Dei circa prouisionem victualium temporalium.

1. CVr vixi hactenus,aut adhuc viuo,Domine Iesu Christe,qui non sum dignus pane quo vescor, cùm sim tibi ingratus peccator? Victum mihi temporalem tribuisti liberaliter, vt ad tuum placitum viuendo, æternam gloriam obtinerem; vitam meam diutiùs conseruasti,vt tibi affectuosè seruirem;me ad pœnitentiam expectasti,ne morte æterna perirem, bona temporalia mihi largitus es, vt ex eis mihi & pauperibus subuenirem.

2. Sed heu, misericordissime,victum gratanter recepi,& tibi placere non curaui;vitã,quam mihi benignè conseruasti,ad tuum seruitium non expendi. Etsi me ad pœnitentiam expectasti, non propter hoc me emendaui; sed oblectamenta corporis concupiui.Bona temporalia mihi gratiosè concessa voluptuosè consupsi,pauperibus non ministraui; ex his multoties superbiui.Cæteros, minores,pares,aut maiores contempsi; de his omnibus gratias tibi non reddidi,nec contentus fui istis,sed ex maxima cupiditate,plura alia & maiora, malo desiderio affectaui, non vt tibi seruirem,sed vt mihi ipsi & mundo abundarẽ;non vt subessem, sed vt præessem, non vt humiliarer, sed vt superbirem,non vt erogarem,sed vt cupidè retinerẽ. Tu has gratias mihi impendere non cessasti, & ego illis malè vtendo causam,propter quam hæc mihi gratiosè contulisti,negligenter & malitiosè postposui adimplere.

3. Cur igitur in tali vita me sustinuisti,cùm potiùs vita priuari debuissem? Cur manum largissimam tuam non retraxisti,ex quo renuebam facere quæ iubebas, vt cessante causa etiã cessaret effectus? Benignissime Domine Iesu Christe nunc cognosco & intelligo,quòd nulla causa alia te induxit ad continuationem & largitionem tantorum donorum, nisi summa & inscrutabilis misericordia, & exuberans benignitas tua, vt rebellem voluntatem meam,quæ sponte tibi seruire nolebat,donis & promissionibus ad seruiendũ tibi multipliciter immutaret.Gratias igitur tibi refero,dulcissime Domine Iesu Christe,gratias tibi reddo,& gratiarũ actiones.Corde humili assurgo.

ad te. Concede mihi miserabili peccatori, vt cor meum tibi gratias acceptabiles referre non cesset, sicut etiam nec tua dona cessant. Sola misericordia tua erga me iniquissimum peccatorem, patientem te reddit, & iustitiam tuã mitigat, ab Inferis me eripit, à morte me liberat, & cognoscere te & tua largissima beneficia facit. Tu pascis me, tu erigis me, bona das, blandiris ne fatiger in via, corripis, cædis, percutis, dirigis ne aberrem in via. Siue ergo blandiris ne fatiger in via, siue castiger ne oberrem in via, tu Domine, refugium factus es mihi.

4. Augeatur in me misero peccatore tua misericordia infinita, quam corde humiliato prout possum deprecor & oro, vt mihi hîc vitam tibi placitam tribuat, & in futuro misericorditer gloriam sempiternam. Amen.

CAPVT VIII.

De misericordia Dei circa confessionem peccatorum.

1. O Inæstimabilis dilectio charitatis! ô amor insuperabilis! ô patientia inuincibilis! piissime Domine Iesu Christe, non potest intellectus meus modicus, capere aut comprehendere infinitam misericordiam tuam, mihi nequam peccatori exhibitam, quam etiam exhibes omni die. Licèt enim tua magna misericordia me creauerit, & ex aqua & Spiritu sancto me regenerauit, tamen nihil mihi ad salutem profuisset, quia propter malitiam & iniquitatem meam frequenter naufragium pertuli: hoc est, diuersa peccata corpori & animæ periculosa commisi; & nisi misericorditer tua immensa bonitas per secundam tabulam mihi subuenisset, incendio infernali subuersus fuissem, nec eius voraginem euasissem.

2. Sed hæc secunda tabula, scilicet confessio, contritio, & satisfactio, quam mihi ordinasti ad emendandum, & euitandum mortis pericula, me liberauit te adjuuante à naufragio vitiorum, & me elongatum à te, nauigando cum ea, peruenire fecit sine periculo ad te. Istam tabulam tu diligis, ista placet tibi, & in ista delectaris; quia tibi reconciliat peccatorem, de inimico amicum facit, tuam indignationem mitigat, tuam misericordiam prouocat, iustitiam tuam in clementiam conuertit, injustum viuificat, sententiam tuam formidandam auertit, malas maculas cordis tergit, virtutes ministrat, pacem procurat, inimicos vincit, Infernum claudit, cœlum aperit, gaudium affert Angelis, animam lætificat, & bona omnia sibi parat. Sed ego miser & sceleratus peccator, nauigando per periculosum & tempestuosum mare huius sæculi fluctuantis, hanc tabulam contempsi, & dum per aspirationes tuas piissimas, eam in corde meo misisti, recipere recusaui; & dum habui, cum debito modo non gubernaui, sed quandoque eam fregi & diuisi, & sic periculum propinquabat.

3. O misericordissime Redemptor meus, quàm infœlicissimus peccator sum, quàm salutis meæ immemor, & quàm ingratissimus tibi, qui tantum

beneficium mihi salutiferum non recolens, tantum donum non acceptans, periculis me exposui, periculis me submisi, & pericula euadere non curaui. Et ideò non solùm infirmitattem aut vulnera lethalia, sed etiam mortem frequenter incurri. Adjuua me, Domine Deus meus, in mortis articulo constitutum, naufragio circumdatum, ventis mortiferis expositum peccatorum turbinibus agitatum. In tua namque misericordia fixi anchoram spei meæ. Præsta mihi misericorditer hanc tabulam tibi placitam, mihique necessariam & salubrem, per quam possim euadere pericula cun[illegible], tibi placere, & ad te tutò venire valeam, securus de remissione omnium, peccatorum meorum, quam humiliato corde flagito misericorditer mihi dari.

4. Da, Domine Iesu Christe, misericordiam misero, quia tamdiu pepercisti criminoso. Inclinet ad remedium humilitatis pœnitentis, quem prouocare non potuit diuturnitas peccatoris. Dirige pedes meos in viam pacis per quam ingrediar in viam tabernaculi admirabilis vsque ad domum Dei, in voce exultationis & confessionis: quia confessio est via, per quam regredior ad te, per quam regredior ab inimico, & redeo ad te: via, quam te iuuante sequar, vt cum tuis Sanctis laudes & gratias tibi referam, & securè viuam per infinita sæcula sæculorum. Amen.

CAPVT IX.

De misericordia Dei circa communionem sui sacri Corporis & sui pretiosissimi Sanguinis.

1. QVis me horribilem peccatorem potuit plus amare quàm tu, clementissime Domine Iesu Christe, qui corpus, & animam & omnia bona quæ habui, & habeo, spiritualia & temporalia, vitam quoque diuturnã mihi misericorditer & donatione gratuita tribuisti, & morte tua piissima me redemisti. Et ampliora beneficia mihi contulisses, si mea peccata non interuenissent, & illa beneficia debito modo & tibi placito recipere voluissem. Sed semper tanquam iniquus & peruersus, aduersùs te recalcitraui, & contra propria commoda laboraui, fatuitatem meam & negligentiam sic ostendens.

2. Sed quid ampliùs, Domine Iesu Christe, mihi miserabili peccatori donasti? Certè donum excellentissimum. & incomparabile; scilicet sanctissimũ Corpus tuum in cibum, & salutiferum Sanguinem tuum in potum, ad recolendam memoriã tuæ beatissimæ passionis, & meæ gloriosæ redemptionis. O donum singularissimum, & omni admiratione plenum! qui te dignè recipit, à malis retrahitur, ad bona promouetur, peccata sua minuit, & virtutes acquirit. O cibus suauissimus animam nutriens & impinguans! qui te dignè comederit, viuet in æternum.

3. O panis Angelorum, habens omne delectamentum & omnem saporem

ſuauitatis, panis vitæ, panis munde; ſumentem reficiens & nō deficiens; purgans & non inficiens; mentem confortans & non debilitans; viuificans non interficiens; pacificans non bella prouocans; ſalutē non morbum tribuens; gloriam non pœnam miniſtrans, gratiam dans, & pœnam auferens; noxia debilitans, & bona largiens; conſolans imbecillem & ſuperbum humilians; quis dignè poteſt te extollere laudibus? quis dignis precibus exaltare? quis dignis ſtudiis magnificare, & glorificare? Quis dignis vocibus venerari, & dignè ſuſpiriishumilibus adorare? Quis digna mente, & mundo corde ſumere te poteſt? O donum pretioſiſſimum, & omni laude digniſſimum, omnem immenſitatem excedens, in quo idem eſt ipſum donum cum datore, & dator vnum & idem cum dono.

4. O largitor omnium bonorum, pretioſius donum mihi dare non potuiſti quàm teipſum: hæc fuit tuæ miſericordiæ ſuprema afluentia: hæc fuit ſummæ charitatis tuæ exuberantia: hoc ſolum præceſſit ea tota cordiali amicitia, ſolita bonitate, benignitate immenſa, & clementia infinita. Ad tuam igitur miſericordiam venio trepidus, & anxius, miſericors Deus; non quòd de tua miſericordia diffidam, ſed quòd peccatis meis confundor, quia donum huiuſmodi, indignè ſumere non expaui, frequenter reſpectu humano ductus, quandoque conſuetudine, non deuotione; non humiliter, ſed ſuperbè; non contritus, ſed doloſus & ingratus.

5. Indulgere mihi digneris, piiſſime Domine Ieſu Chriſte, meritis tanti doni; hoc eſt, tui ipſius. Veniam mihi tribue de peccatis, vt doni tui ipſius ſuffultus auxilio, gratiam in præſenti, & in futuro gloriam percipiam ſempiternam. Amen.

CAPVT X.

De miſericordia Dei circa infirmitates corporales.

1. NOtum mihi feciſti, Domine Ieſu Chriſte, quòd infirmitas corporalis prouenit frequenter ex infirmitate ſpirituali. Hæc autem infirmitas ſpiritualis, periculoſior eſt, quia hæc eſt in anima, altera in corpore; iſta æterna, illa temporalis; iſta te Deum offendit, illa ſolùm corpus corrumpit, & frequenter ſtimulat animam. Iſtam infirmitatem ſpiritualem, ex mea malitia & iniquitate incurri: ſed infirmitate corporea cecidi, quandoque ex voluptuoſa vita mea; & quandoque te iubente & permittente, vt per iſtam corporalem, ſpiritualis ſanaretur, & corpus ſeruituti animæ ſubiiceretur, vt te Creatorem & Saluatorem & dominatorem humiliter cognoſcendo, vita miſera emendaretur, & à te venia peccatorum miſericorditer obtineretur.

2. De ſanitate infirmitatis ſpiritualis non curaui, ſed morbum morbo iugiter accumulaui. Hanc infirmitatē, vt veniret, non expectaui, ſed præueni, & vt veniret, coëgi, plures occaſiones mihi dedi. Dolorem inferebat, quem dulcorem putabam. Negligens fui pro ſalute recuperanda, quia te medicum

non quæsiui, sed vt te quærerem, quærendo inuenirem, & inueniendo sanitatem obtinerem, infirmitatem corporalem dedisti, vt per hanc, illa ab anima expelleretur, & mihi moriendo diceres; *Ecce sanus factus es, iam amplius noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat.* Sed ista ego miser non aduer-
Ian. 5. tendo, neque patienter sustinendo, diligenti studio sanitatem corporis procuraui, medicum corporalem perquisiui, donis multiplicatis ipsum attraxi, corpus ieiuniis & abstinentiis extenuaui, siruppis, & amaris potionibus repleui, vinum in potum ei præbui, sanguinem cordis & corporis minui, vota multiplicaui, peregrinationes feci, bona mea libenti animo in his consumpsi. Hæc omnia feci, vt infirmitas corporis sanaretur, quæ medicinalis animæ meæ erat, non mortalis.

3. O bone Iesu, qui es omni bonitate plenus, animarum lugentium medicus peritissimus, sanans omnes infirmitates, cùm nihil impossibile sit apud te, non respicias in indignatione vultus tui cæcitatem meam, quæ tanta fuit, vt plus timerem infirmitatẽ corporalem, quàm spiritualem: plus essem sollicitus in curatione illius, quàm istius. Tu qui es pius Samaritanus, recipe me infirmum, & vulneribus sauciatum, quia mei aduersarij me reliquerunt semiuiuum. Duc me in stabulum gregis tui, infunde oleum misericordiæ, & vinum pœnitentiæ salutaris. Conforta cor meum vt patienter tuas recipiam medicinas, vt mihi sint tua medicamenta salutaria, per quæ in ista vita labili purgatus, ante conspectum tuæ maiestatis sanus reputer, victurus in æternum. Amen.

CAPVT XI.

De misericordia Dei circa temporales tribulationes.

1. O Amator & desiderium animæ meæ, piissime Domine Iesu Christe, impleuisti faciem meam ignominia, & procella, & tribulatione; vt quia promissionum & donorum tuorum benignitas à peccatis non reuocabat, saltem terrore suppliciorum & tribulationum tuarum ad non peccandum inuitarer, & vt quærerem nomen tuum, mundum non diligerem, ad te mentem eleuarem, cor meum in te firmarem, peccatis resisterẽ, caduca & transitoria respuerem, virtutibus inhærerem, corpus pœnitentiis castigarem, vitam miseram in meritoriam commutarem, & relictis illecebris huius mundi miserabilis, operatione continua tibi humiliter seruirem & te adiutorem in meis semper necessitatibus inuocarem.

2. Ideò more piissimi patris, qui filium quem diligit, corripit, cordi meo anxietates dedisti, carni meæ vanas infirmitates parasti, litigia vt mouerentur contra me, permisisti: insuper amicorum perditionem, guerrarum multiplicationem, æmulorum detractionem, bonorum temporalium perditionem, inimicorum multiplicationem, corporis indispositionem, dolores & pericula circa multa. Hæc, & multa alia corpori aduersantia ad, vtilitatem

animæ,

animæ, misericorditer ministrasti. Sed ego impius tua benigna flagella non recognoscens, nec patienter acceptans, ad iracundiam fui motus, & impatiens fui factus. Te blasphemaui, tua sancta irritaui, & eis maledixi. Tu iustè me affligebas, & ego iniquè conquerebar. Tu meam salutem volebas, & ego meam damnationem procurabam. Tu ab inimicis meis eripiebas, & ego eis adhærere cupiebam. Tu mihi aspirationes patientiæ dabas, & ego inimicorum tentationes impatienter acceptabam. Plus volebas mihi misereri, quàm ego miser à miseria liberari. Tua flagella credebam mala, & voluptates corporis credebam bonas. Iustè me corrigebas, & impatienter portabam; quidquid ad salutem animæ meæ faciebas, molestè ferebam. Vitam veram spernebam, & vita mundana mihi grata erat. Temporalia meliora iudicabam, quàm spiritualia.

3. Væ mihi nefandissimo peccatori, qui dixi malum bonum, & bonum malum; dulce amarum, & amarum dulce; ponendo lucem tenebras, & tenebras lucem. Qui etiam ad tantam dementiam deueni, quòd tribulationes mihi datas diuinitùs ad me probandum, & corripiendam miseram vitam meam, patienter non suscepi: contra te murmuraui, & me erexi, nec propter hoc vitam meam emendaui, neque gratias tibi retuli, qui me sic misericorditer visitabas, & de multis periculis ac peccatis animam meam miseram eripiebas; in quibus fuissem miserabiliter lapsus, si nullam tribulationem sensissem.

4. O tribulatio desiderabilis & amanda, quæ me coëgisti Deum quærere. Nam in die tribulationis, meum Deum exquisiui manibus meis: quia in die deliciarum mearum Deum non quæsiui, ideò dedit mihi tribulationes, non irascendo, sed magis miserando. Non me deseruit, sed vt ipsum quærerem, voluit. Profuit tamen mihi tribulatio, vt mihi Dei inquisitio curæ fieret. Inquisitionem sequetur inuentio, quoniam cum ipso sum in tribulatione; & tunc tolletur tribulatio, quia eripiam eum, & glorificabo.

5. O benignissime Saluator meus, qui volentibus subuenis, & desideras misereri peccanti: tu nosti meam indigentiam, & necessitatem. Da mihi misericorditer, quod vtilius erit animæ meæ, & quod sibi plus expedire tibi videtur, ad saluationem perpetuam: vt hic tuis afflictionibus & tribulationibus patienter susceptis, consolationes tuas sentiam per infinita sæcula sæculorum. Amen.

TERTIA PARS HVIVS TRACTATVS, *SIVE* CONTEMPLATIONES PECCATOREM inducentes, & excitantes, vt deploret miserabilem cursum vitæ suæ, & eum emendet sine mora.

CAPVT I.

De vita præsenti.

1. VITA præsens, vita lugubris & damnosa, miserabilis & incerta, plena dolore & angustia, languore & tristitia, tribulatione & ærumna: vita non quærenda, sed respuenda; non amanda, sed timenda: vita quæ mihi vita non es, sed mors, non solum temporalis, sed etiam perpetua, circumuenisti me, quia in tua longitudine confidebam, quæ quò plus longior fuisti, tantò plus damnabilior mihi fuisti, quia dum plus viuo, plus deficio: peccata mea tempore non redimo, sed tempore multiplico. Tempus datum est mihi ad merendum, quod exposui ad me perdendum.

2. O vita longa & periculosa animæ meæ! Quid hîc facio? quid hîc ago? Data eras mihi, vt Deo seruirem, & Deo non seruiui, sed peccata cumulaui. Melius mihi fuisset, si anteà mihi defecisses quàm vt sic me traheres ad miserabiles cruciatus. In te nulla cõsolatio est, sed omnis desolatio. Corpus & animã affligis; sine intermissione inquietas. Qui te diligit, decipitur; qui te suscipit, ambulat in tenebris; qui tibi consentit, irridetur; qui te bonam credit, fallitur; & qui in te sperat, illuditur. Innixum super te corruere facis, molestas hominem in corpore, molestas & in mente. Qui tibi aliquo vinculo dilectionis iungitur, in amaritudine & instabilitate viuit, nũc infirmus, nunc dolens, nunc tristis, nunc mœrẽs, nunc anxius, nunc desolatus, nũc pauidus, nunc acediosus, nunc tacens, nunc nimis loquens, nunc iracundus, nunc vindicatiuus, nunc ridens, raro autem gaudens. Et si tuis machinationibus quandoque facis aliquem gaudentem, breui temporis spatio reddis eum turbatum, & sic facis eum mutabilitati assiduè subiacere.

3. O misera vita, quantos de prosperis decepisti, tantos seduxisti. Quæ dum fugis, nihil es, dum videris, vmbra es; cũ exaltaueris, fumus es. Tu dulcis es stultis, amara sapientibus. Qui te amant, non te cognoscunt, qui te contemnunt, ipsi te intelligunt. Timenda es, fugitiua es, quasi vmbra es, & velut somnium. Periculosa es, breuis es, & nihil es, væ qui tibi credunt, beati qui te contemnunt: ipsi te intelligunt. Vera non est via quam ostendis. Alius

te ostendis longam, vt perdas in fine, aliis breuem, vt dum pœnitere volũt, non permittas, aliis latam, vt faciant quæ volunt, aliis angustam, vt non benè faciant, aliis tristem, vt non consolentur. De bono interrroganda es, & non credenda, misera es, & mortalis, non diuturna, sed casura. Et qui tibi amicus esse volet, inimicus Dei constituetur.

4 O vita iocunda & perpetua, Deus meus, erubesco venire ad te & redire, quia ex iniquitate deserui te, & huic vitæ præsenti adhæsi, per quam me deceptum cognosco. Sed quia dixisti peccatoribus, *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos, & in quacumque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius ampliùs non recordabor.* Ex his de tua misericordia confisus, gemẽs, & tremens redeo ad te in perpetuum. Incolatum quem per peccata perdidi, mihi misericorditer restituas, ad quem possidendum, tua clementia me elegerat, peccata dimittas, vt hac caduca vita spreta, tecum, qui es vita æterna, viuam per infinita sæculorum sæcula. Amen. Ezech. 12.

CAPVT II.

De deceptione præsentis vitæ.

1. NOn sum sicut cæteri homines peccatores, Redẽptor meus, quia inter malos pessimus sú, inter imperfectos imperfectissimus, inter impios impiissimus, inter ingratos ingratissimus. Tanta enim cæcitate, cordis lumine orbatus sum, tanta mentis fatuitate percussus sum, & tanta eleuatione, quòd meipsum non cognoui: imò penitùs ex magna impietate mea scire, aut aduertere non curaui, quamuis mihi misero frequenti impulsu notitiam planam dares. Fui namque mortuus, & in morte quasi cõtinua, impia operatione prostratus. Et sic procedendo in diebus meis, vsque ad senectutem deueni. Sic namque viuendo in morte viuere me putabam, & tamen mortuus eram, quia viuebam solo corpore, at spiritu semper mortuus eram.

2. Vt autem corpus viueret, diligentiam adhibebam: sed vt spiritus viueret, negligenter prætermittebam. Pro vita miserabilis corporis, labores suscepi libẽter, sed pro salute animæ, nolui laborare. Delectationes corpori placentes dilexi, & eas cum diligentia procuraui, & pro posse, opere consummaui: sed illis quæ animæ placent, & concernunt eius salubrem & perfectum statum, renui vacare, & eas adimplere contempsi. Imò nec ad ipsas quæ corpori displicebant, manum ad operationem assumere volui. Sic fatuus fui, & quantum ad animam mente alienatus, quod dum corpus viuebat modo præmisso, animam etiam viuere credebam; & sic alendo indiscretè corpus, alimoniã animæ subtrahebã, mundana prudenter pro honore corporis, pro vt sciui & potui, gubernaui; sed circa spiritualia, quę salutem animæ concernunt, me habui negligenter. In corpori complacendo tantis temporibus laboraui, deduxíque ad corruptionem, & nisi tua misericordia superueniat, animam deduxi ad damnationem.

3. Ecce, Saluator meus, qualiter vita præsẽs me decepit. Quia mortuus erã, & viuere me credebam. Imò vt veriùs loquar, ecce qualiter meipsum decepi.

Ecce fructū quem reporto viuendo in morte, & in moriendo in vita; oculi enim plenè lumine carent; pedum grauitas terræ imprimit profunda vestigia; auditus subaudit; dentes nigrescunt & putrescunt, & à faucibus euelluntur, aut dolorem inferunt; sanguis vilescit, memoriæ tenacitas euanescit; membra viribus deficiunt; mors appropinquat, etsi peccata me dimittunt actu, nō ego illa cogitatione, aut consensu. Inimici mei, quos ad actus meos exercendos pro corporis mei delectatione voluntariè admisi, expectant animam meam miseram, vt eam crucient in æternum. Iam totus fœteo in sepulcro flagitiorum, non quatriduanus, sed quinquagenarius ligatus vermibus vitiorum. Lapis prauæ consuetudinis & indurationis super me positus est, nec fugere valeo à sepulcro.

4. O piissime Iesu, qui Lazarum resuscitasti, iube misericorditer, vt reuoluatur lapis. Dissolue ligamina quibus sum ligatus, suscita me mortuum de sepulcro vitiorum; clama, clama, peccator, veni foras, vt tua misericordia suffragante, hîc viuendo per gratiam, in futuro tecum viuam per gloriam sempiternam. Amen.

CAPVT III.

De fine hominis.

1. Finis vitæ meæ appropinquat, de proximo instat Domine Iesu Christe, non respondens vitæ meæ principio, quo me misericorditer de lauacro Baptismi abluisti. Mediam viam vitæ meæ corrupi, & in peccatis consumpsi, à quibus non cessaui, nec cessare volui, quamuis possem. Imò occasionem mihi dedi, nec semper tentationem expectaui, sed eam frequenter præueni, tuam aspirationem obuiantem tentationi, à me ipso totaliter repellendo.

2. O Domine Deus meus, redemptor meus, tardè venio ad me, quia tardè meipsum recognosco, sed tardè non venio ad te, & ad tuam immensam misericordiam, quæ extensis brachiis piissimis peccatorem recipit quandocumque ad eam humiliter se conuertit, reatum suum debito modo cognoscendo, & veniam postulando. Ad ipsam igitur venio ego miserrimus peccator: pœna æterna dignus, & corde contrito, & humili confiteor, quòd longitudinem dierum meorum in peccatis consumpsi, & paucos dies retinui mihi vtiles; vtinam in conspectu diuinæ maiestatis tuæ non inutiles & damnabiles, cùm nemo sciat vtrum sit dignus odio, vel amore. Hos dies inutiles miserabilis vitæ meæ, redimere non valeo à longinquitate dierum, quia modicum tempus vitæ meæ restat vsque ad mortem. Imò fortè mihi non superest vna hora, quia de mane vsque ad vesperam finies me; inimici mei me expectant vt me perdant, me rapiant, me deuorent, & secum trahant in damnationis abyssum.

3. Quid igitur faciam? quid dicam? quid cogitem? aut quomodo mihi prouidebo, cùm finem meum propinquum expectem, sed non vt deberem: imò nec ipsum venturum de proximo considerem omni hora, neque ad

eius aduentum mihi incertum me præparem expiando & plangendo quantum in me est, & facinora quæ commisi, vt manus rapacis hostis euadere possim: nec tuam propitiationem inuocem, assidua deprecatione. In pigritia mea iaceo, de sola corporis placida & voluptuosa sustentatione cogitans. Non sum frigidus, neque calidus, sed tepidus. Ideò timeo ne me relinquas, méque separes à te, de me ampliùs non cures, iudicio meo me dimittas, regimini malo meo meipsum committas, quia tibi parêre nolui, tuis mandatis non obediui, te non dilexi, ad te vocantem non veni, de te non curaui te non timui, propter te peccare non desij, & tota vita mea tibi odiosa fuit, & esse debuit.

4. O benignissime & clementissime Domine Iesu Christe, non consideres prædicta delicta in me crudelissimo peccatore. Amoue indignationem tuam à me factura tua. Ne abiicias me à tua magna misericordia. Nunc in tempore senectutis meæ, non me derelinquas, neque despicias me; furor iræ tuæ non me comprehendat. Nemo enim nouit potestatem iræ tuæ, & pręe timore tuo iram tuam dinumerare. Ne reminiscaris delicta mea, neque vindictam sumas de ipsis, sed memento mei in beneplacito tuo, in misericordia, & charitate tua libera me ex omnibus augustiis meis, & dimitte mihi omnia peccata mea, & propitius esto mihi peccatori propter nomen tuũ. Libera me, quia egenus & pauper sum, & cor meum conturbatum est intra me. Respice in me, & miserere mei, & saluum me fac sperantem in te. Da mihi finem bonum, quemadmodum etiam principium bonum dedisti. Me miserum peccatis & vitiis sordidatum & infectum, aqua pietatis tuæ & misericordiæ ablue & exterge, vt concluso fine vitæ meæ, vitam infinitam & æternam percipiam, te miserante, per infinita sæcula sæculorum. Amen.

CAPVT IV.

De morte corporis.

1. PRotector vitæ meæ, dulcissime Domine Iesu Christe, continuatis diebus, horis, & momentis, ad mortem cursu veloci festino, nec interrumpitur cursus meus dilatione quacumque, aut aliquo interuallo. Comedam, aut bibam, dormiam, aut vigilem, sim tristis, aut gaudens, semper ad mortem accedo; nec eius via continua aliquo obstaculo impeditur. Hæc namque mors non fugit, vbique me expectat, arcum suum in me tenens paratum, vt animam meam à corpore separet cum dolore, ipsáque anima coram te tremendo iudice se præsentet, redditura de factis propriis rationem, & corpus terræ visceribus tradetur, à vermibus corrodendum, & resuscitandum in generali resurrectione, recepturum cum anima prout hîc gesserint, siue bonum fuerit, siue malum.

2. O mors amara, à morsu dicta, eo quòd per morsum primis parentibus vetitum, ex inuidia Diaboli orbem terrarum intrasti, & potestatem in homines suscepisti, & à Deo iudice iusto pro pœna in peccatores permissa es.

dominari; nihil parcis sexui, nulli ætati, nullus te fugere potest. Non valet quis seipsum eripere de manibus tuis prætextu scientiæ aut prudentiæ, bonitatis aut nequitiæ, nobilitatis aut potentiæ, dignitatis aut præeminentiæ, simplicitatis & ignorantiæ, iuuentutis aut senectutis, diuitiarum aut paupertatis; sed omnes distinctè percutis & occidis, & in manu tua cōcludis.

3. O Deus meus, qui es vera vita, scio quòd in hac valle miseriæ, nihil mihi certius quàm mori, initium meum & finem ignoro, nescio vnde venio, aut quò vado. Hoc planè scio, quòd mortalis sum, & velim, aut nolim, moriar. Sed quando, vbi, & qualiter, hoc mihi, aut alteri non est notum. Tuæ maiestati scio hoc reseruatum. Hæc timorem mihi incutiunt, dolorem inferunt, & animum inquietant: non solùm quia ventura sunt, sed etiam quia illa expauescens, tamen meipsum salubriter non dispono ad suscipiendum illa, sed potius contrarium operatus sum omnibus temporibus vitæ meæ, quibus ex tua misericordia cognitionem dedisti. Peccaui, Domine, peccaui, & multiplicata sunt delicta mea; non sum dignus de te cogitare, aut loqui, præ multitudine iniquitatis meæ, quoniam irritaui viam tuam, & malum coram te feci. Ex his igitur mors iustissimè mihi debetur, quia stipendia peccati, mors; & tantò citiùs ista stipendia mihi debentur, quantò frequentiùs peccata commisi.

4. Heu me, Saluator meus, si propter transgressionem vnius præcepti tui, genus humanum mori statuisti, quot mortibus ego miser & iniquissimus peccator dignus sum, quia à iuuentute mea vsque nunc, inobediens tibi fui, & præcepta tua voluntariè & iniquè præteriui. Tua namque misericordia operata est, in miserabili creatura, patienter supportando inobedientias & iniquitates meas. Non tradas me, Domine Iesu Christe, cum iniquitatibus meis, quia scio, quòd in illis actibus, in quibus vnusquisque homo inuentus fuerit, in eis iudicabitur, quando anima exierit de corpore. Tunc enim in illa hora angustiæ, vox detinetur, lingua verbum excutere non valebit, oculi hinc inde voluentur, & videbunt assistentes lamentantes, nec loqui eis valebunt.

5. Quò ibit misera anima, & qualem remissionem recipiet, aut qualem locum intrabit? Assistent subitò Angeli tartarei miserā animam expectantes; & si improperata fuerit, conturbabitur, & fugā inire non poterit, sed oculis miseris, & vultu plorabili stabit anxia, trepida, audiens prædictos Angelos, clamantes, & dicentes, ò misera anima, omnibus diebus tuis in peccatis vixisti. Finis tuus aduenit, Deus ordinauit, vt egrediaris & separeris à corpore, crucianda nobiscum in igne æterno, secundum opera tua. Non est tibi spes salutis, sed perpetua damnatio.

6. O pie Iesu, largitor indulgentiarum, & amator humani generis, fac me ante illam horam mortis, currere ad pœnitentiam. Suscipe me sicut suscepisti latronem, publicanum, & adulteram mulierem, nec in finem iratus, reserues mala mea. Et si tempus & locum postremum vitæ meæ non permittis mihi scire, fiat saltem misericordia tua super me, vt cùm benignitati tuę placuerit mihi mortem mittere, & caro mea à vermibus cœperit deuorari in

ſepulchro, anima mea ornata bonis operibus cum Sanctis ſubleuetur in cœlos, victura cum ipſis per infinita ſæculorum ſæcula. Amen.

CAPVT V.

De morte animæ.

1. HVmani generis Conditor & Redemptor, benigniſſime Domine Ieſu Chriſte, ſcio me in hac vita miſerabili duob' periculis ſubiacere, ſcilicet duplici morti; quarum prima erit in corpore, ſecũda in anima; prima erit tẽporalis, ſecunda perpetua. Prima eſt neceſſaria, ſecunda voluntaria, vtraq; incerta quando veniet; vtraque periculoſa, ſed periculoſior ſecunda. Prima prouenit ex alieno peccato, ſecũda ex proprio. Prima eſt ſeparatio corporis ab anima, ſecunda eſt ſeparatio animę à Deo. Prima eſt corporis corruptibilitas, ſecunda eſt animæ impietas; prima eſt naturalis, ſecunda accidentalis; prima venit homine nolente, & recuſante, ſecunda homine volente, & conſentiente; prima omnibus eſt præparata, ſecunda ſolis malis, impiis, infidelibus, & blaſphemis, & his qui ſanæ doctrinæ aduerſantur. Primam nullus euadere poteſt, ſed à ſecunda vnuſquiſque ſi voluerit, poterit liberari.

2. Sed, clementiſſime Pater, audi me clamantem, & miſerum; meam miſeriam confitentem, & indulgentiam petentem. Solo corpore viuendo, animam meam mortuam per peccata longinquitate & diuturnitate temporis, portaui. Eius mortem lugubrem, & periculoſiſſimam, tibi diſplicentem non timui. Illã, quamuis aſpiratione multiplici me excitares, reſuſcitare per pœnitentiã non curaui: ſed de miſericordia tua præſumptuosè confidens, illam non ſolùm vna morte, ſed etiam pluribus interemi, quia peccata peccatis cumulaui, intra meipſum cogitans frequenti inſania, vt ætate iuuenili vigente, concupiſcentias exſatiarem & adimplerem, poſteà in ſenectute malorum meorum pœnitentiam acturus. Et tu pius & miſericors, facinorũ meorum non recordaris ampliùs. Non conſiderabam, ſed ignorabam qua die moriturus ſum; cùm nemo in præſenti vita poſitus quantumcumq; prudentia fulgeat, ſcire valeat, (niſi quantum miſericordia tua ei reuelauit) exitus ſui diem. Non enim omnes moriuntur in ſenectute, ſed in diuerſis ætatibus Cùm enim diluculo ſurgo, ignoro, ſi ad veſperam viuus potero peruenire: & cùm in lecto infirma membra mea depono, neſcio ſi lucis aduentum potero intueri.

3. O Saluator meus, quanta ſtultitia & dementia plenus ſum, qui mortem corporis timeo & abhorreo, quam neceſſariò habiturus ſum; & tamen mortem animæ, quam tua pietate & clementia euadere poſſum, non timeo incurrere. Et ſi ad tantam malignitatem deueni, vt propter me mortem animę incurrere non timeam, ſaltem propter gloriam & honorem tuũ, quia eam creaſti ad imaginem & ſimilitudinem tuam, amare deberem eã, ſicut etiam poſſem, ſi vellem, te ſuffragante, diligentiſſimè cuſtodire ne moreretur. Pro morte carnis, quæ ſine dubio ventura eſt, pro poſſe fui ſollicitus, & inde labo-

raui, ne morerer, necessario moriturus; sed non laboraui ne peccarem, in æternum victurus.

4. O Redemptor meus, qui es vita, per quem omnia viuunt, & sine quo omnia mortua computantur, sola misericordia tua est, quòd non sum consumptus; sola pietas tua animam meam sustinuit, ne moreretur in æternum, sed sanaretur. Sola tua clementia viuere me fecit in præsenti, & ad pœnitentiam expectauit. Tuam igitur benignissimam misericordiam humiliter exoro, vt vitam corporalem talem mihi tribuere digneris, ne mortem æternam incurram, sed tecum viuam in gloria, per infinita sæcula sæculorum. Amen.

CAPVT VI.

De morte subitanea.

1. IN valle miserabili & lamentabili penitùs, benignissime Domine Iesu Christe, in statu periculoso iaceo prostratus; quia vita mea præsens non distat à futura, nisi tenui & fragili pariete corporis mei interposito. Hic paries propter vetustatem, ruinam minatur, nunc infirmitate, nunc anxietate, nunc fame, nunc siti, nunc frigore, nunc calore, nunc somno, nunc vigilia, nunc labore, nunc dolore, nunc aliis multis pœnalitatibus & passionibus: & semper declinando mutatur, & non permanet in eodem statu. Ignoro quando, & qualiter paries mei corporis miseri destruetur. Video namque alios gladio cadere, alios veneno mortifero, alios aliis potionibus, alios apostematibus, alios diuersis præcipitationibus & doloribus. Quæ singula, parietes huiusmodi concutiunt, & repentino casu diruunt, funditùs dissipant, & subuertunt: & sic anima desolata, peccatis plena, nec contrita, nec confessa, à misero corpore subitò separatur.

2. Quò tendat, non mihi, sed tibi notum est. Sicut illis accidit & euenit, ita mihi accidere, & euenire potest, quia homo sum sicut illi, mortalis sum sicut illi, in mundo sum sicut illi, peccator sum sicut erant illi, & fortè maior quàm illi. Dum hæc repentina pericula cogito, expauesco; timor & tremor inuadunt me, terror concutit cor meum, viscera cruciantur, caput turbatur dolore & amaritudine, omnia membra commouentur. Nescio quid faciam, aut quale remedium quæram, qualiter mihi prouidebo; quia præuidere prædicta pericula subitanea non possum per meipsum.

3. Itaque ad tuam immensam misericordiam recurro, benigne Domine Iesu Christe, qui me voluisti, antequam me creares, & quicquid tibi placuit, ordinasti de me antequam de vtero matris meæ exirem, & in mundum venirem. Scio quæ & qualis fuit præterita vita mea, quia peccatis & iniquitatibus tota plena fuit. Sed qualis in futurum erit, & quali exitui seruetur, hoc ignoro. Tu solus hoc scis ab æterno; & quod futurum est, in conspectu tuæ æternitatis iam factum est. Alia quidem vasa ex eodem luto facis in honorem, & alia in contumeliam sempiternam. Quos elegisti de multis, mundas,

mundas, & effundis super eos aquam mundam, quorum nomina tu solus Ps. 146.
nosti, qui numeras multitudinem stellarum & omnibus eis nomina vocas: 4.
& ij cùm cadunt non colliduntur, quia tu supponis manum tuam. Alios Psal. 36
quidem præsciuisti ad mortem æternam, antequàm faceres cœlum & ter- 24.
ram, quorum dinumeratio apud te est, qui numerum arenæ maris dinu-
merasti, & dimensus es profundum abyssi. Neminem tamen cogis ad pec-
candum, sed benè præuides eos qui propria voluntate peccabunt. Sicut
enim nemo memoria sua cogit facta esse quæ præterierunt, sic & tu præs-
cientia tua non cogis facienda esse quæ futura sunt. Et sicut homo, quædam
quæ fecit, meminit, nec tamen omnia quæ meminit, fecit; ita tu omnia
quidem bona recordaris tanquam eorum autor, cætera verò tanquã aliun-
de exorientia, recordaris. Quorum auté non es malus autor, iustus es vltor.
Ad quem istorum statuum venire debeam, ignoro; quia ad altitudinem di-
uitiarum sapientiæ & scientiæ tuæ attingere non valeo, quia incompre-
hensibilia sunt iudicia tuæ iustitiæ. Sed misericordiam tuam deuotè exoro, Rom. 11
pietatem tuam suppliciter deprecor, clementiam tuam humiliter imploro, 33.
benignitatem tuam corde contrito flagito, benignitatem tuam crebris ge-
mitibus obsecro, vt qui me creasti, non me dimittas; qui me redemisti, non
permittas vt meipsum perdam. Defende me ab hoste maligno, parce pec-
catis meis; da mihi cor contritum, & humiliatum; tribue, vt delicta defleam,
emendem, & pro eis satisfaciam; pœnitentiam veram de ipsis agam; non
semper à tua misericordia, quæ me patienter sustinuit in mea malitia, alie-
natus persistam. Liberare me digneris à morte subitanea & æterna. Da mihi
hîc vitam tibi placitam, ne ampliùs in gurgite vitiorum demergar; præsta
mihi misericorditer, vt in fine dierum meorum, te verum Deum, & Redem-
ptorem meum congnoscam, & post cum Sanctis tuis vitam mihi benignè
tribuas sempiternam. Amen.

CAPVT VII.

De extremo iudicio.

1. NOn intres, benignissime Domine Iesu Christe, cum seruo tuo in iu- Ps. 142.
dicium, quod meritò expauesco, sed misericordia tua præueniat me, 2.
quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens: quia si iustus vix
saluabitur, peccator impius vbi apparebit? Venies enim manifestè, & non
silebis, venies in eã carne iudicaturus, in qua veneras iudicandus, solis bo-
nis formam Dei ostendens, & malis formam hominis. Constitutus es iudex
viuorum & mortuorum à Deo Patre, qui omne iudicium tibi dedit.

2. Venies namque Iudex terribilis & districtus, testẽ contra me non quæ-
rens, cùm ipse testis sis vitæ meæ. Tantæ namque sapientiæ es & iustitiæ,
quòd falli non poteris, nec corrumpi. Testis & Iudex eris, quem nulla pec-
catorum conscientia effugere poterit, omnia nuda & aperta erunt oculis
tuis. Tu namq; qui iniustè iudicatus es, iudicabis orbem terræ in æquitate, &

populos in iustitia. Tu etiam non poteris ibi ab aliquo per gratiam præueniri, nec misericordia flecti, nec pecunia corrumpi, nec satisfactione mitigari. Erit namque tuum iudicium sic terribile, quod etiam Angeli, & alij cœlestes ministri pauebunt, & te iudicem intuentes horrenda formidine contremiscent. Ostendes mihi & aliis signa passionis tuæ, vt cognoscam quod pro me misero tanta pœnæ acerbitate crucifixus fuisti. Quid terroris erit? quid miseriæ? quando ego infirmus peccator diuersis peccatorum maculis vulneratus, veniam in publicum, & latissima nequissimæ vitæ historia; ante oculos omnium apparebit?

3. Tunc te iudice veniente, præcedet exercitus Angelorum, qui triumphale Crucis vexillum præferentes, diuinum & tremendum iudicium nunciabunt, vt sciat vnusquisque peccator quãto charitatis amore nos dilexit. Illa insuper clauorum & lanceæ signa, bonis salutaria, malísque terribilia ostendentur, vt cognoscam quæ pro me impio tua pietas pertulit. Tũc locus non erit correctioni, sed damnationi. Erit ibi pœnitentia, sed infructuosa, quia tarda. Quàm lugubre ergo erit homini, te videre & perdere, & ante Creatoris conspectũ perire? Timor me conturbat, conscientia confundit, cogitationes increpant, fugere non licet. Ecce in quo periculo incessanter consisto, quia hoc non semper cogito. Eò autẽ miserior & miserabilior quòd hoc obliuisci possum. Semper enim vides me & peccata mea. Semper etiam intimantur mihi in mente. Semper inuisibiles insidiatores parati sunt, vt illuc rapiant animam meam. Dicturus est namque insidiator falsus contra me: Æquissime iudex, iudica illum, meũ esse ob culpam, qui tuus noluit esse per gratiam. Tuus enim fuit super naturam, meus autem per miseriam: tuus per passionem, meus autem per obseruationem. Tibi inobediens, mihi verò obediens fuit. Iudica igitur illum meum esse, & mecum damnandum esse. Hæc omnia quæ hîc attuli, mea esse cognosco. Meus esse voluit & concupiuit, mecum puniri debet, quoniam quem tu dignatus es tanto pretio liberare, ipse se mihi postmodum, libenter sic voluit obligare.

4. Sic sum cùm vigilo: cùm dormio, sic sum cùm rideo, cùm lætor: sic sum cùm superbio, cùm irascor, & cùm tristor: sic sum cùm delicias corporis miserabiliter amplector: denique sic sum semper & vbique. Heu me miserum, vbi sum, qui nescio vbi futurus sum? Nec possum dicere pro defensione mea: Nesciui te Deum meum esse. Non legem dedisti, sanctorum exempla non legi, aspirationes ad benè operandum & ad resistendũ peccatis, non dedisti mihi; discretionem discernendi inter bonum & malum, ac liberum arbitrium non concessisti: quia tanta gratia me illuminasti, vt te Deum verum & Redemptorem meum cognoscerẽ; legem dedisti, vt mandata tua seruando, modum viuendi haberem; Sanctorum exempla ante oculos meos posuisti, vt tibi dignè seruiendo eorum vestigia imitari & sequi deberem; ad quæ peragenda aspirationes salutares protectione assidua tribuisti.

5. O Iudex meus, quomodo, intrabo in tuum tremendum iudiciũ, vbi erit ineffabilis mugitus, inconsolabilis luctus, inenarrabiles lacrymæ? Nudus ibi assistã, solam sarcinam peccatorum meorum in humeris meis portans; pœ-

nitentiam mihi debitam videbo, & locũ pœnarum. Ibi lingua mea blaſphemans & maledicens exuretur ſine intermiſſione, nec erit qui refrigerium præſtet. Ibi os meum plenum ſuperbia & elatione, ignibus obturabitur à tartareis Angelis. Ibi manus meæ cupidæ & impuræ pendentes trement, & extendi non poterunt pro gratia obtinenda. Ibi oculi mei pleni vanitate effodientur. Sed vbi tunc parentes, & fratres, & amici & vicini? vbi poteſtas & ſuperbia mea? vbi veſtimenta & calceamenta ſplendida? vbi ornamenta? vbi excellentia? vbi cibaria varia & delicata? vbi habitationes ornatæ & ſplendidæ? Confiteor tibi, Domine Ieſu Chriſte, quòd tua iudicia iuſta ſunt, vera & digna, & vnicuique tribues ſecundùm opera ſua, ſiue bona fecerit, ſiue mala. Superas enim omnes iudices, & qui ſe putat iuſtum coram te, iniuſtus eſt. Tu ſolus iniuſtè iudicaris, vincis autem cùm iudicaris. Miſericordiam, & iudicium cantabo tibi, Domine: non confidam ſic in miſericordia tua, vt peccata committam, & iudicium non timeam; neque ſic tuo iudicio diſcreto terrear, quòd de tua miſericordia diffidam, quia non in pietate miſericordiæ, perdis iudicij ſeueritatem, nec in iudicando cum ſeueritate, amittis miſericordiæ bonitatem.

6. Scio, Domine Ieſu Chriſte, quòd in tuo terribili iudicio quatuor ordines erunt: duo bonorum, & duo malorum. Primus erit illorum qui amore tuo omnia bona ſua reliquerunt, & te ſecuti fuerunt. Iſti ſaluabuntur & non iudicabuntur, ſed cæteros iudicabunt. Secundus erit illorum, qui ſua bona iuſtè poſſidentes opera miſericordiæ impleuerunt: & iſti ſaluabuntur & iudicabuntur, quibus dicturus es: *Eſuriui, & dediſtis mihi manducare*, &c. quos iudicabis dicens: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum vobis paratum.* Matth. 25.
Tertius erit malorum Chriſtianorum, qui fidem tuam mortuam habentes, operationem bonam non habuerunt, & iſti damnabuntur & iudicabuntur, quibus dicturus es: *Eſuriui, & non dediſtis mihi manducare*: Ideò illis dices, *Ite maledicti in ignem æternum.* Quem in duas partes diuides, vt ſplendor ad ſaluatos, & ardor ad damnatos tranſeat. Quartus erit infidelium qui damnabuntur & non iudicabuntur, quia ſine lege fuerunt, & ſine lege peribunt.

7. Sed heu, Domine Ieſu Chriſte, in quo ordine collocabor? Gratias tibi humiliter refero, quia me ſeruum tuũ ab vltimo ordine miſericorditer liberaſti. Et ſi tantæ perfectionis nõ ſum, vt primum ordinem adipiſcar, fac cum ſeruo tuo miſericordiam, ob meritum paſſionis tuæ ſacratiſſimæ, vt hîc non tertium, ſed ſecundum ordinem poſſideam, & in tuo iudicio reportem benedictionem tuam ſalutarem, duraturam per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

CAPVT VIII.

De Purgatorio.

1. INclina aures tuæ pietatis, miſericors Deus, & audi placatus, gemitus cordis mei. Propitius eſto mihi, & tuarum miſericordiarum multitudinem mihi non deneges iniquiſſimo peccatori, quoniam vitam meam an-

nuncio tibi, quam meliùs nosti; pono lacrymas meas in conspectu tuo, quas affluenter educere digneris de saxo durissimo cordis mei, vt redimam tempora vitæ meæ perdita.

2. Scio, nec occultum mihi fecisti, benignissime Domine Iesu Christe, quòd decursis huius miserabilis vitæ curriculis, varia habitacula sunt obeuntibus præparata. Nam in sanctitate & perfectione vitæ fideliter decedentibus, & iis qui pro nomine tuo, martyrio se voluntariè exposuerunt, ac etiam innocentiam seruantibus præparasti gloriam sempiternã, in qua perpetuò tecum gloriabuntur, quorum animæ fruuntur cum sanctis Angelis visione & plenitudine diuinitatis tuæ, quantum eorum merita suffragabuntur. Et post tremendi iudicij tui diem, eorum glorificata corpora tuam sanctam humanitatem videbunt. In peccatis verò capitalibus, morientibus, pœnæ infernales sunt præparatæ, & perpetui cruciatus, vt quia te infinitum offenderunt, infinitè etiam puniantur. Nec cessabit eorum pœna, quia dum viuebant, non cessauit culpa. Peccatoribus autem de suis peccatis pœnitentibus, & secundùm eorum demerita pœnitentiam non agentibus, pœna purgatorij præparata est temporalis. Vt quod numquam iustè, dùm hîc vixerunt, emendauerunt, ibidem dignè suppleatur.

3. Tanta autem est misericordia tua erga miseros peccatores, quòd in ipsorum libero arbitrio posuisti, vt ex istis habitationibus eligerent quam plus vellent. Imò tam affluens & exuberans fuit, & est tua immensa clementia, quòd eosdem piis aspirationibus tuis, & aliis remediis præuenis, ad acquirendum & possidendum tuam gloriam sempiternam. Ista scio & sciui, quę tu ineffabiliter tradidisti, & mihi misericorditer ostendisti. Sed tanta fuit dementia mea, tanta iniquitas, tanta malitia, & tanta negligentia, quòd istam notitiam mihi datam contemnendo, peccata, tam capitalia quàm minuta, multipliciter perpetraui. Et te non verendo, nec pœnas debitas timẽdo, imò nec mihi ipsi compatiendo, de tua misericordia peccando præsumptuosè confidebam, quòd me creaturam tuam non perderes in æternum, sed ad pœnitentiam expectares. Etsi ignem Purgatorij sustinerem, non molestabar in corde, licèt ibi diuturno tempore permanerem, certificatus nihilominùs quòd ille ignis purgatorius est durior quàm omnia genera pœnarum, quę in hoc sæculo aut videri, aut cogitari, aut sentiri possunt. Et tamen hîc solo digito, ignem modicum tangere non auderem, nec afflictionem modicam voluntariè sustinerem. Tanta enim fuit voluptuosa delectatio ad miseram & corruptam carnem, quòd sibi plusquam animæ voluit complacere.

4. O spes & refugium meum, Redemptor meus piissime, licèt peccatorem horribilem me cognoscam, absit, vt de tua immensa misericordia diffidam, quòd me trad..s æternis suppliciis. Nec sic præsumptuosè confido, quòd sine pœnitentia de commissis malis, deposito carnis onere me eleues ad superna, quin ignis purgatorius maculas meas consumat. Sed tuam piissimam misericordiam, quæ nullis clauditur limitibus, & exuperat omnem meam nequitiam humiliter imploro, vt cor contritum & humiliatum mihi dones, doleam & satisfaciam pro commissis. Indulgentiam plenariam à te

misericorditer consequar, & merita tua beatissimæ passionis ac etiam merita & intercessiones gloriosæ Virginis Mariæ dignissimæ Matris tuæ, ac omnium ciuium supernorum defectus suppleant delictorum meorum; vt hîc iustificatus per gratiam tuam, cœlestes sedes quas mali Angeli propter superbiam perdideruut, ingrediar, & possideam per infinita sæcula seculorum. Amen.

CAPVT IX.

De gloria Paradisi.

1. O Ciuitas gloriosa, domus secura, mansio beata, incolatus iucunditatis & lætitiæ, quis tuam beatitudinem cogitare potest, quam oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit? In te namque manet virtus siue vitio, in te manet gloria sine opprobrio, veritas sine mendacio, solatium sine tædio, securitas sine fastidio, gaudium sine dolore, charitas sine rancore, requies sine labore, scientia sine errore, sapientia sine fatuitate, sanitas sine infirmitate, iuuentus sine senectute, amor sine fraude, pax sine terrore, populus sine murmure, vita sine morte, bonorum abundantia sine defectione, honor sine superbia, dilectio sine inuidia, fœlicitas sine miseria, exultatio sine tristitia, omnium ciuium summa vnitas, nulla ibi mala societas, securitas sine timore, consolatio sine desolatione, formositas sine deformitate, tranquillitas animi sine turbatione, societas sine confusione, eloquentia sine detractione, humilitas sine fictione, laus sine intermissione, vnitas animorum sine diuisione, dies sine nocte, lux sine tenebris, visio inæstimabilis, fruitio insatiabilis, status immutabilis, perpetuitas omnis boni infinibilis.

2. Quidquid de tanta gloria homo detexit, est quasi stilla de mari, vel quasi scintilla de igne. Ibi enim est omnipotens Deus, in sua beatissima Trinitate suam diuinitarem sanctis Angelicis Spiritibus & animabus iustis communicans & ostendens. Ibi beatissima Virgo Maria gloriosè regnat, suum beatissimum Filium assiduè pro peccatoribus exorando. Ibi ciues Angelici sub triplici Hierarchia, & Sanctorum animæ, sanctam & diuinam Trinitatem sine intermissione laudantes; ibi nulla indigentia, nulla pœnalitas, nulla egestas, nulla desolatio, nulla calamitas, nulla necessitas, sed ibi est omnis fœlicitas, iucunditas, suauitas, iubilatio, exultatio, & omnis boni perpetua repletio. Ibi nullus superior superbus erit, & nullus inferior inuidus; ibi nullus meliùs esse vel superiùs concupiscet, quàm erit, nec aliud desiderabit, quàm quod erit. Quidquid ibi desiderabitur, habebitur. Voluntas cuiuscunque adimplebirur, quia illud solùm volet, quod Deus voluit, & nihil aliud nolet, nisi quod Deus noluerit. Ibi quisque saturabitur & glorificabitur. Quidquid desiderabit, fruendo comprehendet. Nihil sibi remanebit incompletum; quia ibi est beatitudo, plenitudo, & perfectio omnis boni. Quidquid aliquis petet, quidquid quæret, quidquid desiderabit, omnia ha-

bebit, omnia tenebit, omnia possidebit; non ad tempus, sed in perpetuum; non per partes, sed in totum. Gloriosa est igitur, Domine Iesu Christe, tua sancta ciuitas, quam per passionem & mortem tuam piissimam peccatoribus misericorditer emisti, & per gloriosissimam Ascensionem tuam, portas eius aperuisti, vt quisquis vellet, eò intraret, & perpetuò permaneret.

3. Beati, qui inhabitant in domo tua, Domine, qui te laudant in sæcula sæculorum. Ij sunt illi qui ingrediuntur sine macula, & operantur iustitiam: qui loquuntur veritatem in cordibus suis, qui non habent dolum in lingua sua, qui non faciunt proximo suo malum, nec opprobrium accipiunt aduersùs proximos suos. Qui etiam cordis munditiam habent. Beati namque mundo corde, quoniam te soli videre possunt, & tuam beatissimam gloriam introire. Sed ego miserrimus, quid facturus aut dicturus sum, qui viam mihi ipsi præclusi, & ingressum sanctæ ciuitatis supernæ mihi prohibui. Si enim immaculati hanc beatissimam ciuitatem inhabitant, quid ego miser faciam, multis & diuersis vitiis & peccatis maculatus & contaminatus: qui iustitiam non feci declinando à malo, & bonum faciendo, sed potiùs declinaui à bono, & malum feci coram oculis tuæ majestatis. Qui licèt ex bonitate tua, veritatem in corde meo cognoscerem, tamen mendacium, dolum, verbum otiosum, blasphemiam, & stultiloquium habui in ore meo; proximis etiam meis, malum aut feci, aut fieri feci, aut mihi placebat quando fiebat, aut dixi aut cogitaui: insuper nullam cordis munditiam habui, imò omnem immunditiam, & conceptus mentis meæ corruptos.

4. O Redemptor meus, exul factus sum à tanta beatitudine, propter peccata mea. Indignum me feci tanta gloria. Procul factus sum à tanta fœlicitate, extraneus ab ista hæreditate, segregatus à tanta dulcedine. Pro malo bonum perdidi, vitam in mortem commutaui, pro temporali perpetuum dereliqui, pro momento temporis longitudinem dierum, pro corruptione incorruptionem, & extrema gaudij luctus finaliter occupabit; quia ex his latam & spatiosam viam ingressus sum, quæ ducit ad infernum, nisi oculo tuæ pietatis & misericordiæ respicias me, Domine Iesu Christe, & me iniquum & reprobum reducas ad arctam viam quæ ducit ad tuam ciuitatem cœlestem. Vias tuas demonstra mihi, & semitas tuas edoce me, dirige in conspectu tuo viam meam, deduc me in via tua quam ingrediar in veritate tua, fac mecum signum in bonum, vt videant qui oderunt me & confundantur, quoniam tu, Domine, adjuuisti me, & consolatus es me. Tu enim suauis & mitis es, & copiosus in miserationibus tuis, omnibus inuocantibus te, non deneges eas mihi, cùm locus & tempus sit nunc misericordiæ. Nec differas, cùm nunc necessitas vrgeat. Nec de me nefandissimo peccatore fastidium habeas, cùm sim creatura tua. Nec me contemnas, cùm per te pretio inæstimabili sim redemptus, sed viam arctam & angustam, per quam ad tuam ciuitatem cœlestem venitur, non solùm mihi ostende, sed etiam meum rebellem & durum animum intrare compelle.

5. Adueniat, obsecro, regnum tuum, regnum æternum, regnum omnium

fæculorum, fine carens, vbi eſt pax exuberans omnem ſenſum, in quo Sanctorum animæ requieſcunt, & lætitia ſempiterna ſuper capita eorum, gaudium & exultationem obtinent, & fugit dolor & gemitus ab eis. O quàm glorioſum eſt regnum tuum, Domine, in quo tecum regnant omnes Sancti. Adueniat, obſecro, in me regnum tuum; per tuam piiſſimam miſericordiam compelle me illuc intrare, vt te facie ad faciem aſpiciens, te laudem cum Sanctis omnibus per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

CAPVT X.

De Inferno & pœnis eius.

1. TImor & tremor venerunt ſuper me, clementiſſime Domine Ieſu Christe, quia dum cogito miſerabilem vitam meam, diuerſis peccatorum maculis ſordidatam, mihi iuſtiſſimè debetur, non gloria, ſed pœna; non temporalis, ſed perpetua; non ſaluatio, ſed damnatio; non Paradiſus, ſed Infernus, vbi nulla eſt redemptio, nulla conſolatio, nulla peccatorum remiſſio, ſed continua punitio: ibi ignis inæſtimabilis, non lucens, ſed miro modo ardens & vrens: ibi aquæ frigidiſſimæ congelatæ, vt ab aquis niuium peccator transſeat ad calorem nimium, ibi tortores tormenta multiplicia miniſtrantes non ſolùm actu, ſed etiam ipſorum horribili & terribili aſpectu; ibi clamor & gemitus, fletus & vlulatus, qui tantò acriùs cruciat, quantò fortiùs vnus ab alio lamentationes & mœrores audit.

2. Non eſt ibi ſpes ſalutis, aut veniæ, aut miſericordiæ obtinendæ. Nulla ibi mitigatio aut intermiſſio tormentorum, nec tortorum laſſitudo. Ibi tenebræ perpetuæ nullam claritatem habentes; ibi timor & tremor, dolor & labor, calamitas & egeſtas, anguſtia & triſtitia, obliuio & confuſio, amaritudines & terrores, fames & ſitis, ſulphur & ignis ardens, ibi vermes, & aliæ cruentæ beſtiæ non morientes, ſed ſupplicia inferentes, ibi ſubſtractio omnimoda viſionis diuinæ, ibi blaſphemia Creatoris, & defectus totius charitatis, ibi omne malum & nullum bonum, nulla felicitas, ſed perpetua infelicitas. Sola mors quæ hîc plus timetur & plus terret, ibi ſola deſiderabitur, ſed non habebitur. Quantò ampliùs quis hîc in deliciis corporalibus fuit, tanto plus tormentorum patietur, quia potentes ad peccandum, potenter tormenta ſuſtinebunt.

3. Ibi immaniſſimus rugitus tortorum, vt peccatores fortiùs expaueſcant. Ibi pœnarum diuerſitas, & maxima acerbitas ipſarum, vt damnati de vna ad aliam tranſeundo grauiùs moleſtentur & conquerantur. Ibi fœtor horribilis, dolor intolerabilis, cruciatus indicibilis, locus terribilis, gemitus irremediabilis, pœna durabilis & infinibilis, priuatio omnis auxilij, deſperatio cuiuſvis remedij, vita miſerabilis, ſocietas inconciliabilis, tortor inuincibilis, & importabilis. Ibi vita moriens, & mors viuens, quia tanta eſt ibi calamitas, tanta pœnarum crudelitas, tanta cruciatorum impatientia,

Ps. 9. 18. tanta cruciantium inhumanitas, quòd vita mirabilium damnatorum, mors meritò dici potest.

4. O Redemptor meus, Domine Iesu Christe, circundederunt me gemitus mortis, dolores inferni circundederunt me, quia scriptum est, *Conuertantur peccatores in infernum, omnes gentes quæ obliuiscuntur Deum*: de quorum majoribus me esse cognosco. Adjuua me, Domine Deus meus, ne perdas cum impiis, Deus, animam meam, & cum viris sanguinum vitam meam; libera me de ore leonis. Tu es qui extraxisti me de ventre matris meæ, tu es spes mea à iuuentute mea. Tribulatio mihi proxima est, & non est alius qui me adjuuet. Si peccata mea cum iustitia respicias, pereo; sed si cum misericordia respexeris, me perditum restaurabis. A te dependet damnatio aut saluatio mea, non est qui possit resistere voluntati tuæ, nec de manu tua possit eruere; vel audeat dicere, cur hoc facis? Et licèt maximus peccator sim, tamen tua misericordia est major, quia miserationes tuæ super omnia opera tua, & misericordia tua plena est omnis terra. Veniat super me magna & immensa misericordia tua: veniat mihi miserationes tuæ, vt viuam per gratiam in præsenti, & à pœnis infernalibus liberatus, viuam in futuro, per gloriam sempiternam. Amen.



QVARTA PARS HVIVS TRACTATVS, *CONTINENS* CONTEMPLATIONES DEPRECATORIAS ad Sanctos.

CAPVT I.

Ad Beatam Mariam Genitricem, & Beatum Ioannem Euangelistam.

1.  D refugium tuæ pietatis & clementiæ confugio, misericordissima Virgo Maria. Ego miser, omni miseria plenus, qui per deuia ambulando, & in voraginem vitiorum meipsum damnabiliter submergendo viam salutis deserui, & dereliqui, viam bonam odio habui, & viam iniquam dilexi, viam securam dimisi, & viam non securam concupiui, viam vitæ contempsi, & viam mortis suscepi; viam lucidam abhorrui, & viam tenebrosam secutus fui; viam planam neglexi,

glexi,& per viam ſpinoſam ambulaui;viam arctam,quę ducit in Paradiſum, reſpui,& viam latam, quæ ducit ad Infernum, amaui; & de vitio in vitium incedendo vſque nunc perduxi miſerabilem vitam meam. Tua igitur miſericordia indigeo, Virgo pia, quæ me ab illa magna vitiorum voragine eruat, & in viam ſalutis reducat.

2. O Beate Ioannes Apoſtole, & Euangeliſta Domini noſtri Ieſu Chriſti, inclina aures pietatis tuæ ad neceſſitatem meam, quia anima mea indiget valdè; & ora illum, qui Virginem Matrem Mariam tibi commendauit, & te Diſcipulum, Filium eius miſericorditer fecit. Vos eſtis illi duo, in quorum meritis & precibus confidenter confido, qui me facietis gratioſum & acceptabilem Domino Ieſu Chriſto.

3. Tu benedicta Virgo Maria, mater & virgo fuiſti, & tu beate Ioannes, virgo & diſcipulus fuiſti. Tu glorioſa Virgo Maria, Filium Dei benedictum intra ſacra viſcera tua ſuſcepiſti. Tu Sancte Ioannes, ſupra pectus illius, in cœna recubuiſti. Tu Virgo Maria, illum diligenter nutriſti. Tu ſancte Ioannes, ei ſeruiuiſti, & illum prædicaſti. Vterque virgo, vterque dilectus ſpeciali priuilegio amoris, vterque ſecreta eius noſti. Ad maiorem amoris cumulum in cruce pendens benedictus Ieſus Chriſtus, te Diſcipulum in Filium dedit Matri, & tibi Matrem ſuam in Matrem tuam Diſcipulo adinuicem commendauit.

4. Per hanc coniunctionem dilectionis, vos humiliter deprecor, veſtram clementiam exoro, veſtram charitatem poſco, & toto corde flagito, vt pro me nefandiſſimo peccatore intercedere dignemini, apud illum qui tantò amore vos dilexit, & tantò priuilegio vos dotauit, vt me reſpiciat oculo ſuæ miſericordiæ infinitæ; & ſuum amorem in me ampliando, crimina deleat, virtutes tribuat, & ad æternam gloriam me clementer perducat. Amen.

CAPVT II.

Ad ſanctos Angelos.

1. O Beatiſſima agmina beatorum Spirituũ, anxius ſum, & perplexus in abominabili vita mea. Veſtra quidem interceſſione indigeo, ſed eam vereor requirere; & rogare non audeo, quia peccator ſum, & vos innocentes: terrenus ſum, & vos ſpirituales; corruptus ſum, & vos incorrupti; Deo ſum propter peccata mea odibilis, & vos propter veſtram innocentiam & charitatem amabiles; vos Deum facie ad faciem cernitis, ego ſolummodò per fidem; Deo ſemper aſſiſtitis, ego propter malitiam meam elongatus ſum ab eo, laudes ſemper ei perſoluitis, ego otioſa quæro; vos pro peccatoribus propter charitatem oratis, ego ad damnum & vindictam multorum tendo; vos gaudetis ſuper emendationem peccatoris, ego multos ad peccandum prouocaui, vos confirmati eſtis in gratia, ego infirmus propter peccata, vos à mole carnis ſeparati, ego ipſa ſum oneratus; quidquid placet Deo facitis, ego inobediens ſum ipſi, vos dæmones debellaſtis & viciſtis, ego cum ipſis

bellando, remansi victus; vos Creatori gloriam dedistis, ego verò creaturæ: vos hæreditatem cœlestem possidetis, ego terrenam.

2. Quid igitur faciam, si vobis indigeo, & requirere vos non audeo? Si taceo, mihi ipsi noceo, si loquar, à vobis audiri non debeo, cùm corruptibilis ab incorruptibili multùm distet: sed audaciam loquendi cum fiducia in me sumo, & dico. Vnum Creatorē communem habemus, qui vos & me creauit ad vnum effectum, scilicet ad sibi seruiendum & laudandum. Nos & vos creauit, sed diuersimodè, quia vos in spiritu, & me in carne & spiritu: vos leues, me autem grauem, vos fortes, me debilem, vos immortales, me mortalem: vos absque peccato, me in peccatis: vos nulli tentationi subjectos, me tentationi omni subiectum.

3. Sed cum magna confidentia accedit ad charitatem vestram cor meum, quia scio, quòd ad me custodiendum vos elegit Creator noster, quia Angelis suis mandauit, vt in omnibus viis custodiant me. Quam defensionem generosè suscepistis: ad benè operandum me induxistis, orationes & bona mea Deo præsentastis, pro me misero Deo preces fudistis, nisi in mea desidia remanserit, à malis cogitationibus & actibus me retraxistis, de emendatione mea gauisi fuistis propter saluationem meam, & vt vobiscum essem affectastis, etsi ex magna malitia mea vobis non parui, sed inobediens & molestus fui. Compatiamini mihi, & Deum iugiter exoretis, vt mihi peccata remittat, gratiam tribuat, vt decursis huius vitæ miseræ periculis, cœlestis gloriæ vobiscum particeps efficiar, vt pariter Deum laudemus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

CAPVT III.

Ad beatum Andream Apostolum.

1. O Gloriose Domini nostri Iesu Christi Apostole & amice, beate Andrea, vnde hoc, vt Saluator noster benedictus te ex littore & rete vocauerit, & traxerit ad se? Hæc fuit misericordia & clementia sua & summa ipsius bonitas cupiens te, & per te multos alios trahere ad æternam salutem. Te namque de piscatore piscium, constituit hominum piscatorem, & de piscatore te fecit prædicatorem & doctorem. Sed vnde hoc tibi, vt ad primam vocationem ipsius, retia quorum vsu actúque viuebas; relinqueres, & ipsum sequi velles? Quæ scriptura hoc te docuit? quæ lex tibi ostendit? quis Propheta tibi annuntiauit? Tu ignarus eras pariter & indoctus, artem piscatoriam solam sciens, quis te docuit istum esse Saluatorem mundi? Quis te mouit mox ad sequendum eum, cùm præmia æterna ignorares, & eius retributionem non agnosceres? Certè non tua merita, neque scientia, sed sola miseratio diuina, & largissima manus charitatis ipsius.

2. Non reuoces ad cor in malum, si sic præsumptuosè loquar, quia veritatem loquendo, Dei bonitatem laudo & glorifico, & tuam promptam & voluntariam obedientiam profiteor, & meam duram ceruicem agnoscendo,

manifesto. Tu semel vocatus es, & mox secutus es vocantem, Ego vicibus infinitis vocatus sum, & nondum compareo debitè. Tu Saluatorē ignorabas, ego ipsum agnosco, tu eius miracula non videras, ego illa oculata fide aspexi, tu præmia æterna non sciebas, ego scio: tu propter vocationem omnia reliquisti, ego non solùm mea retineo, sed & alia concupisco. O Deus meus, sic famulo tuo Andreæ aspirationes dedisti salubres, nec mihi indigno denegasti: sed ille benignè, humiliterque illas suscepit, & ego illas peruerso corde tenui. Ex illa susceptione meruit ipse gloriam æternam obtinere, ego ex ipsarum despectione, damnationem perpetuam merui dignè & iustè.

3. Adiuua me, sanctissime Andrea, tuis deprecationibus sanctissimis, laxa rete sanctum tuum super me, & comprehende me. Compelle cor meum, durum, ingratum, & iniquum intrare tecum, ad memoriam illius sanctissimę passionis Domini nostri Iesu Christi, pro cuius amore sanguinem tuum fudisti, & in cruce martyrium suscepisti. Imprime in corde meo illam beatissimam crucem, in qua Saluator noster de inimicis triumphauit, & acerbissimam mortem sustinuit, vt ore & corde tecum dicam: O bona crux, quæ in corpore Christi dedicata es, & ex membris eius tanquam margaritis ornata, accipe me ab hominibus, & redde me Magistro & Saluatori meo Domino Iesu Christo, vt per te me recipiat, qui per te me redemit suo Sanguine pretioso, cuius meritis peccata mea deleat, & ad æternam gloriam me misericorditer & clementer perducat. Amen.

CAPVT IV.

Ad Beatum Blasium.

1. O Triumphator inclyte, Martyr Christi fortissime, athleta Ecclesiæ, Blasi, sanctissime Pontifex Domini nostri Iesu Christi, cuius gratiā & benedictionem sortitus es. Tibi enim commisit oues, quas suo proprio Sanguine redemit, vt earum Pontifex fieres, illis prouidens, per quem de terra ad cœlum iter facerent, per obseruationem fidei, & mandatorum diuinorum. Tanta virtutis diuinæ redundantia abundabas, vt tortores tuos vincēdo mirificè superares, & de tuis hostibus triumphares. In te charitas mansit, compassio non defuit, vt non solùm peccatoribus, sed etiam brutis animalibus subuenires. Tuum nomen sanctum per vniuersum orbem prædicatur, & tua sancta vita in memoria habetur. Te veneratur omnis populus Christianus, quia à te repulsam non patitur, sed in suis necessitatibus auditur, & iuuatur. Nam Saluator noster gloriosissimus, tanta gloria singulariter te dotauit, vt tui memoriam facientes, à quacumque infirmitate vel aduersitate tenerentur, per tuam piissimam orationem misericorditer liberaret.

2. Hoc beneficium tibi contulit, hanc gratiam tibi fecit, hunc thesaurum tibi dedit, hoc munus benedictionis tibi impendit, quia tua beata vita hoc meruit, tua merita hoc valent, tua constantia in crudeli martyrio hoc tibi concessit. O beatissime Præsul Blasi, ex istis confisus, ad te venio confi-

denter, tuum patrocinium inuoco, tuum auxilium imploro, tuum medicamen requiro, audi infirmitatem meam, nec me abhorreas propter immanissimam ipsius fœditatem. Nam Medici valentis curare ægrotum est, vt vulneratum audiat, & audiendo sciat, & sciendo cognoscat, & cognoscendo remedium necessarium apponat. Infirmus sum vetustissima & grauissima infirmitate, quia à planta pedis vsque ad verticem capitis non est in me sanitas.

3. Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ: non est sanitas in carne mea, non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum. Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me. Nihil in me sentio nisi peccata multiplicata, & multiplicatis vicibus iterata. Hæc fœtorem parturiunt, dolorem inferunt, mortem minantur, cruciatus cumulant, terrorem incutiunt, damnationem inducunt.

4. Heu, bone Medice, per sacram orationem tuam, & merita sancti martyrij tui, cura in me hanc infirmitatem. Et licèt non sit semper in medico vt æger curetur, in me tamen manet tanta virtutis compassionis bonitas, vt per orationem tuam cureturquiuis infirmus, & omnis infirmitas per illum supremum medicum, qui nunquam deest neque deficit, sed petenti se tribuit, pulsanti aperit manu misericordiæ suæ. Hunc exora, hunc implora, non sileat tua benigna deprecatio, vt tuam orationem pro me misero audiat & exaudiat, & sanitatem mihi animæ & corporis tribuat, nunc & in perpetuum. Amen.

CAPVT V.

Ad Beatum Laurentium.

1. O Strenuissime miles Christi, Beate Laurenti, qui tanta fortitudine & virtute diuina roboratus fuisti, vt non solùm inferiores Iudices sed etiam Cæsarem Decium non timeres. Licèt enim crudelissimos cruciatus sacro corpori tuo inferret, & mortem tibi proximam nunciaret, tamen carnem tuam despiciens Deo animam coniunxisti, & ab eo nullo modo te separasti. Tu thesaurorum Ecclesiæ sanctæ fidelissimus dispensator fuisti, illos non congregasti, sed dispersisti, non perdidisti diuitibus largiendo & inutiliter consumendo, sed mercedem recepisti pauperibus indigentibus erogando. Tu cratem ferream candentem non expauisti: sed corpus tuum sanctum, super cratem ipsam expansum, prunis ardentibus subtus positis assatum est. *Iam versa, & manduca*, tortori dixisti, magnam patientiam ostendisti, & Deum non denegasti, sed benedixisti.

2. O sanctissime Leuita, quomodo sum confusione plenus dum in corde meo recolo miserabilem vitam meam tibi omninò dissimilem. Timui enim mundum, & eius sequaces plusquàm Deum, furorem mundanum expaui plusquàm furorem diuinum, thesaurum mihi traditum non dispensaui vti-

liter in vſus pauperum, ſed ipſum aut vitioſè retinui, aut inutiliter conſumpſi. Hoc non fuit ſimplicitas, non ignorantia, ſed potiùs nequitia & malitia mea. Sciebam enim quòd bona Eccleſiæ mihi tradita, vtiliter, & in bonos vſus diſpenſare debebam, quæ tamen inutiliter & in malos vſus conſumpſi.

3. O beatiſſime diſpenſator iam quæritur quis inter diſpenſatores fidelis inueniatur. Verè tu ille es, ſed non ego, quia in carcere poſitus ſum, in quo viſum interiorum oculorum mentis meæ perdidi. Ora pro me, athleta Chriſti digniſſime, extende ſuper me miſero & cæco gratiam tibi datam. Illumina mentem meam in carcere hîc poſitam tuis ſanctiſſimis precibus, ſicut Lucillo in carcere poſito viſum corporalem reſtituiſti, & lumen veræ fidei dediſti. Deprecare omnium bonorum largitorem, vt mihi diſpenſatori prodigo, qui conſumpſi ſubſtantiam mihi datam, perperam & iniquè, indulgere & remittere dignetur offenſam, & me poſitum in crate ferrea tribulationis aduerſitatum huius mundi, ſubtus poſitis prunis ardentibus variarum tentationum, reſpiciat miſericorditer: nec me permittat tentari vltra id quod poſſum ſuſtinere, ſed faciat cum tentatione prouentum, ac veram patientiam mihi donet, illum non negem neque blaſphemem, ſed laudem & benedicam tuis precibus & meritis intercedentibus, per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

CAPVT VI.

Ad beatum Nicolaum Epiſcopum.

1. BEatiſſime Nicolae, qui magna miſericordia & compaſſione plenus fuiſti in hac peregrinatione, & longè plus in patria, ad te mentem meam dirigo, miſericordia tua & compaſſione multipliciter indigentem. Tu enim ab vberibus matris tuæ corpuſculum tuum per iejunia domuiſti, & Deo ſeruire incepiſti. Tu puellas virgines à peccato & infamia, ac earum progenitorem ab opprobrio & inopia præſeruaſti. Tu tres innocentes iuuenes, à morte liberaſti. Tu pauperibus in ſuis neceſſitatibus ſubueniſti, oppreſſos releuaſti, & in periculo conſtitutis adjutorium præſtitiſti. Tantæ enim compaſſionis, charitatis & miſericordiæ fuiſti, vt ſuper cunctos afflictos pia viſcera geſtando, nulli tuum auxilium denegares, dum viueres in humanis: nec nunc denegas in cæleſti gloria collocatus: quin te humiliter deprecantibus, & tuum auxilium in ſuis neceſſitatibus poſtulantibus, ſubuenis apud Deum.

2. Ex tumba tua ſacratiſſimum corpus tuum oleum manat, quo multi cæci lumen recipiunt oculorum, ſurdis auditus redditur, omnéſque debiles ac languidi, pia ſubuentione curantur. O pie Pater miſericordiæ, & pietatis, compaſſionis & charitatis, ſi omnibus indigentiam patientibus ſubuenis, digneris mihi plus cæteris indigenti, pietate compaſſiua ſubuenire. Pauper ſum, in laboribus à juuentute mea, & vſque ad ſenium deueni, ſemper infirmitate crucior, hoc eſt, peccato, & peccatis multiplicatis. Et hæc infir-

mitas est ad mortem æternam assequendam. Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum, sana me, Domine, tuis deprecationibus, quoniam conturbata sunt ossa mea.

3. Tu qui aliis medicamentum præparasti, & præparas omni die, non deneges mihi succurrere, nec abhorreas fœtorem & putrefactionem tantæ infirmitatis antiquæ in me; sed sicut plus indigeo, ita plus & velociùs digneris tuis sanctissimis precibus occurrere, & remedium mihi sauciato & debilitato misericorditer adhibere. Et si indignus sum, (sicut veraciter cognosco me indignum,) tuo sanctissimo adjutorio, tuæ merita charitatis & compassio, superabundent: & etiam merita illius sacratissimæ passionis Domini nostri Iesu Christi, Redemptoris nostri, qui non solùm te, sed etiam me redemit, non tuis, neque meis meritis, sed solùm immensa & nimia charitate sua. Et quia in iis gratias illi refero, qui tibi hanc gratiam donauit, vt illi gratus fieres, exora assiduis precibus ipsum, vt de me ingrato faciat tibi gratum, nec cesset in hoc tua miseratio, nec oleum tuæ misericordiæ, quia quod per me impetrare non possum, nec audiri debeo propter iniquitates meas, saltem tuis precibus & meritis sanctissimis obtineam, vt ab hac infirmitate spirituali, qua languet misera anima mea, curetur & sanetur, te deprecante & adjuuante, & Dei clementia operante, qui tecum viuit in gloria, per infinita sæcula sæculorum. Amen.

CAPVT VII.

Ad Sanctum Martinum.

1. SAncte Martine & verè sancte, tu par Apostolis, tu gemma Præsulum, tu pater & dispensator pauperum, tu suscitator mortuorum, tu medela languentium, tu expugnator hostium antiquorum, tu virtuosus debellator criminum, tu seminator virtutum, tu norma pœnitentiæ, vt splendor Ecclesiæ, tu regula benè viuendi, tu exemplar bonum faciendi, tu innocentia plenus, tu charitate non vacuus, tu director animarum, tu fiducia miserorum, tu speculum religionis, tu via deuotionis, tu contemptor terrenorum, tu zelator supernorum, tu solatium deuotorum, tu conciuis beatorum. Hæc & multa alia tibi concessit misericordia Dei nostri, ad tantam gratiam recipiendam teipsum ordinasti & disposuisti.

2. O beatissime Confessor Christi, qui propter amorem ipsius & proximi tui, viuere non recusasti, neque mori timuisti, quanta amoris dulcedine te Saluator mundi honorauit, quando Spiritum sanctum in specie globi ignei super te descendere fecit, & torques aureos ad cooperiendum sacra brachia tua nuda, per Angelum transmisit, & vnguentum pretiosissimum per Sanctos Apostolos suos Petrum & Paulum tibi de cœlo transmisit ad languorem tuum curandum. O sanctissima anima, quam possidet Paradisus, quæ vitro purior & lacte candidior, etiam carne circundata fuisti, quæ in hoc mundo tantùm eleuata fuisti, vt terram videre renueres, & cœlum assiduè aspiceres,

O vir ſancte, virtutibus pollens, quis ſimilis tibi in profunda & perfecta oratione, qui oculos & manus ad cœlum eleuando, inuictum ſpiritum ab oratione non relaxabas. O ſanctiſſima perſona, in qua inimicus peccatum non potuit inuenire, ſed de ipſo virtuosè triumphaſti.

3. Intende in me piiſſime Pater, ac tuis meritis & deprecationibus adiuua me miſerum, vitiis plenum, ſubjectum inimicis; qui non ad cœlum, ſed ad terram, mentis oculos tenui depreſſos, & vagationi, non orationi vacaui, propter quod non gloria, ſed pœna æterna mihi debetur. Ora pro me miſerabili peccatore, benigniſſime Pater. Non conſideres prauitatem & iniquitatem meam maximam, in qua poſitus ſum ex defectu meo. Multiplica in me miſero tuam mirabilem charitatem & compaſſionem, quam in hoc mundo habuiſti, & nunc longè ampliorem poſſides coram illo qui ipſa charitas eſt, & qui in eo manet, in charitate manet. Fac me in eo manere tuis ſanctiſſimis precibus, hîc per contemptum mundi & orationem continuam eleuatam ad Deum, & in futuro per gloriam ſempiternam. Amen.

CAPVT VIII.

Ad Sanctum Auguſtinum.

1. SAnctiſſime Auguſtine, pater & gubernator & fundator Religionis, quam ego indignus profeſſus ſum, ad te tanquam ad refugium meum confugio. Tu namque ſcientia tua & doctrina mundum illuminaſti, errores confudiſti, veritatem oſtendiſti, ſacram Scripturam elucidaſti, vitia & peccata viciſti, virtutes prædicaſti, ad earum exercitium homines informaſti. Inſuper ſpiritualia ordinando vitam regularem more Apoſtolico inſtituiſti, ſub qua profeſſi Saluatori noſtro liberiori famulatu ſeruirent; huius ſanctiſſimæ regulæ primus Pater fuiſti, non ſolùm ordinando, & inſtituendo, ſed etiam affectualiter obſeruando. Per ipſam enim ſpiritualiter hominem contra inimicos armaſti, & de terreno cœleſtem feciſti abdicando terrena ab eo, niſi in quantum neceſſariò indigebat; angelicæ vitæ ipſum coæquaſti, quia caſtè ipſum viuere præcepiſti, & Ieſu Chriſto ſimilem feciſti in obedientiæ obſeruatione, qui Patri ſuo obediens fuit vſque ad mortem. Sub tuo ſalutifero vexillo me poſui, & arma militaria tuæ Religionis me portaturum per profeſſionem corde & opere me obligaui, vt quæ volebas, & fieri præcipiebas, adimplerem.

2. Sed, beatiſſime Pater, ſub tuo virtuoſò ducatu, & habitu viuendo, & eum extrinſecùs poſſidendo, diſſolutam vitam duxi; me Religioſum habitu oſtendendo, ſed non exiſtendo. Imò nec interdum apparendo, quia etiam diſſolutus fui in habitu, aut occultando, aut inhoneſtum portando. Tuam regulam vilipendi & contempſi, & illa ad quæ aſtringebar, non impleui. Superioribus meis non obediui, & ſi quandóq; obediui, fictè hoc feci, non propter Deum, ſed propter mundum; non amore, ſed timore. Iracundiam contra eos habui; & ſi ad factum non proceſſi, verbo tamen maledico & detractorio proceſſi, proprium poſſedi, quandoque facto, animo tamen ſemper, quia

terrena concupiui contra professionem meam; oculos habui impudicos, & pudicitiam non seruaui; communem vitam Fratrum despexi, & singularem amaui; carnem iejuniis ad quæ astrictus eram, & aliis abstinentiis non domaui, sed voluptuosè nutriui, exempla nequissima fratribus ostendi, & in scandalum illis fui; silentium & alias obseruationes præteriui,& in murmurationes varias & noxias linguam frequenter laxaui; correctiones & debitas reprehensiones cum humilitate & patientia non suscepi, sed peccata mea & defectus meos occulta & impunita esse volui, & manifesta defendi, etiam contra veritatem; horis indebitis, & non necessariis cibum & potum sumpsi; defectus aliorum quandoque occultaui, & quandoque defendi in Dei injuriam, & fratrum læsionem; ad Ecclesiam coactus accessi, ibique Officium in partem aut in totum dimisi negligentia, aut dormitione, aut locutione, aut mentis euagatione, aut oculorum improuida aspectione, & illud quod dixi, ore protuli, & non corde. Hæc multa & alia ego miser contra regulam commisi, quæ verbo aut scriptura proferre non possum, nec corde etiam cogitare.

3. Ecce, Pater mi, ecce filium tuum, quem Iesu Christo genuisti: sed mihi, non tibi imputandum, quòd degeneraui. Dulcissime Domine, ecce famulum tuum negligentem perterritum, quia talentum à te ei traditú suscipiendo, non augmentauit, sed ad nihilum redegit. O miles inuictissime, ecce subditum tuum, quem tibi ad militandum sociasti: projecit enim arma tua, & in bello voluntariè corruit. O director veritatis, ecce discipulum tuum, scholam & doctrinam tuam salutiferam despicientem, & à suis condiscipulis se totaliter separantem. O Pastor gregis dominici, ecce ouem morbidam, & lupi morsibus vulneratam & laceratam, quia à sancto tuo grege seipsam miserabiliter segregauit.

4. Ora pro me misero, piissime Pater, & adjuua me tuis sanctissimis deprecationibus. Non despicicias me sic elisum, & in tantis calamitatibus constitutum. Et quia tibi aut tuis præceptis ex mea iniqua malitia nolui obedire, reatum meum cognosco, & veniam humiliter peto. Non abhorreas seruum tuum peccatorem, quia scis, quòd misericordia Dei indiget peccator, sine qua saluari non potest. Expertus es in te, quia etiam peccator fuisti, sed tuæ sanctæ matris precibus, misericordiam & remissionem peccatorum tuorum à Deo obtinuisti. Ora etiam tu pro me impiissimo peccatore, vt sicut tibi fieri voluisti, sic & mihi fiat tuis precibus & meritis: vt indulgentiam consequar omnium delictorum meorum, & tecum viuam in cœlesti gloria, per infinita sæcula sæculorum. Amen.

CAPVT IV.

Ad Mariam Magdalenam.

1. O Gloriosissima & sanctissima Magdalena, confisus de tua immensa charitate, corde lacrymabili venio ad te: peccator ad iustissimã; peregrinus in valle miseriæ, ad ciuem ciuitatis supernæ; plenus vitiis ad abundantem

dantem gratiis, pauper ad diuitem, superbus ad humilem, imperfectus ad perfectam, desolatus ad consolatam, nequam ad bonam; impœnitens ad exemplar omnis pœnitentiæ, instabilis ad firmatam, ruinosus ad reparatam, in periculis constitutus ad liberam & securam ab omni periculo, immundus ad mundatam, impius ad piam, odiosus ad dilectam, plenus odio ad dilectricem, mortuus ad immortalem, dignus supplicio ad plenam gratiæ, miser ad fœlicem, priuatus æterna gloria, ad habitantem in cœlesti curia, prouocans sibi ex demeritis iram Dei, ad mitigantem suis precibus indignationes Dei, imbecillis ad fortem, cupidus terrenorum, ad amplexantem cœlestia, amator carnalium, ad diligentem spiritualia, inquietus ad mitem: ingratus ad laudes & gratias referentem, contemptor Dei ad obedientem ipsi, inclinatus ad malum, ad eleuatam ad bonum, lugens ad lætantem, inimicis consentiens, ad vincentem inimicos, peccata sua tegens ad detegentem vitia sua.

2. O Beatissima, titulos prauitatis vitæ meæ in præmissis contestando, timeo, timendo deficio. Ne despicias me, Domina pia: nec abhorreas me peccatorem iniquum, sed considera, quia hunc mundum cum peccato intrasti, sicut ego: nauigasti per mundum, & naufragium pertulisti, sicut ego: misericordia Saluatoris Domini nostri Iesu Christi indiguisti, sicut ego: misericordiam inuenisti & obtinuisti, vtinam ego miser sic obtineam. Vitam tuam magnifico, Domina, non retracto in tui opprobrium, sed in laudem misericordiæ diuinæ, quoniam peccatoribus subuenit, & in exemplum omnium peccantium te liberauit: esto mihi propitia, quia periculum euasisti, in quo totus positus sum, partem optimam suscepisti, qua me indignum esse fateor. Ora pro me illum, ad cuius pedes misericordes peccatorum tuorum veniam inuenisti, vt mihi faciat, sicut & tibi fecit. Et quamuis tanta gratia non sim dignus, tamen non est eius gratia diminuta, quam mihi misericorditer largiri dignetur per sanctas orationes tuas, & per meritum suæ sacratissimæ passionis, per infinita sæcula sæculorum. Amen.

CAPVT X.

Ad Beatam Catharinam.

1. CLarissima Virgo, sanctissima Catharina, Domini nostri Iesu Christi sponsa electa, sacra scientia illuminata, defensatrix fuisti fidei Christianæ; indoctos docuisti salutaria documenta; gentiles ab idolis reuocasti, & ad Deum conuertisti; virginitatem Deo gratam in annis iuuenilibus, & corpore specioso integram conseruasti, templum Deo in tuo habitaculo præparasti, terrena despexisti, & tua pauperibus misericorditer erogasti, regale fastigium contempsisti, & humilitatem effectualiter dilexisti, peccata odio habuisti, & virtutes toto corde amasti, pro fide Christi graues martyrij pœnas in corpore sustinuisti, & in sexu fragili virili victoria

de inimicis triumphasti. O Sanctissima Virgo, & deuotissima Deo, quantæ virginitatis & integritatis fueris, tuum sacratissimum martyrium demonstrauit, in quo de tuo corpore virgineo, lac pro sanguine emanauit. Quanto dilectionis amore Sponsus tuus benedictus Iesus Christus te honorauerit, in tua sepultura ostendit, quia per sanctos Angelos suos ad montem Sinai te portari iussit, & ibidem per eosdem sepeliri fecit. Quantæ charitatis & compassionis fueris, sacra membra tui corporis manifestant, de quibus, non infectio, neque sordes, sed purissimus liquor manat, quo peruncti deuotè, sanitatem recipiunt de infirmitatibus suis.

2. O splendor mulierum, gemma pretiosa Virginum, non tædeat te, quia ego peccator te audeo nominare, pollutis labiis, & corde infecto. Non auertas aures tuæ pietatis à me, licèt sim horribilis peccator; non despicias me creaturam miseram, & tanta miseria plenam, qua me ipsam per peccata deformaui; non spernas me recedentem, & fugientem à Deo, & eius inimicis adhærentem, quia ad te confusus rubore vitæ meæ confugio, ad te venio cum tremore, tibi insinuo facta mea, quæ talia sunt, quòd solùm ea nominare, abominabile est, illa cogitare detestabile est, & illa perpetrare mors. O dulcissima Virgo, nihil displicibile est Deo, quin hoc egerim, aut corde, aut opere. In hoc studuj, in hoc perseueraui, in hoc operam dedi. Sic vixi, sic tempus meum expendi, sic inutiliter consumpsi; Deum contra me prouocaui, ipsum irritaui; cœlestes ciues, inimicos meos constitui, nullum amicum mihi retinui, omnes à meo auxilio eieci, ipsos vilipendi, gloriam æternam mihi abstuli, damnationem perpetuam acquisiui. Illa mihi debetur, illam meruerunt facta mea, vita mea horribilis in hoc fuit, vix aliud egi. Istum statum tenui, istum seruaui, ab isto non declinaui, nec in iuuentute, nec in senectute, nec in aliis ætatibus meis.

3. O dulcissima Dei amica, animarum languentium fœlicissima adiutrix & defensatrix, digneris me reconciliare benedicto Sponso tuo Domino Iesu Cristo, quem ex magna malitia mea grauissimè offendi. Intercede pro me, vt ad misericordiam recipiat me, peccata mea benignè mihi remittat; vulnera animæ meæ sanet, & tuis intercessionibus intercedentibus, ac sanctissimis precibus & meritis tuis, regnum æternum mihi misericorditer tribuat, per infinita sæcula sæculorum. Amen.

CAPVT XI.

Ad omnes Sanctos.

1. Constanter ac confidenter aperio cor meum vobis omnibus, Sancti Dei, qui in hac valle miseriæ & lacrymarum, in qua nunc sum, fuistis, charitate ad Deum, & proximum repleti. Diuina bonitas, de angustia & periculis huius maris fluctuantis, vos eripuit, peccata remisit, & ad cœli gaudia vos perduxit. Nunc estis in lætitia, ego in mœrore: vos

à peccatis mundati, ego iniquitatibus plenus: vos ſine intermiſſione Deum laudatis, ego in cogitationibus, dictis, & operibus, irrito illum: vos corruptam carnis ſarcinam depoſuiſtis, ego illam circumferre compellor: vos Deo placetis, ego propter miſeriam meam illi diſpliceo: vos mortis paſſum cum fœlicitate pertranſiſtis, ego infœlix illum paſſum cum tremore expecto: vos tentationes euaſiſtis, ego illis conturbor vos pœnas infernales de cætero non timetis, ego illas meritò pertimeſco: vos nulli pœnalitati ſubditi eſtis, ego cum pœnalitate patior vos: in quiete perpetua eſtis, ego in labore & ærumna: vos bonum quod poſſidetis, non poteſtis amittere, ego illud perdere poſſum, imò ſi illud habuero, hoc ignoro. Charitas veſtra multiplicata eſt in vobis, in me autem non charitas, ſed malitia multiplicata eſt: vos Deum facie ad faciem videtis, & ſimili modo videre ipſum, non eſt meum. Nihil eſt in vobis niſi bonum & gloria, in me autem nihil eſt niſi malum: perfecta eſt vita veſtra, mea verò imperfecta: illa à vobis non poteſt auferri, mea autem aufertur à me. Nulla anxietas aut perplexitas eſt in vobis, ſed tribulationes & anguſtiæ inuenerunt me: vos quidquid petitis, obtinetis; ego quod deſidero, non obtineo.

2. Miſeremini mei, ſaltem vos: fratres mei, miſeremini qui hanc miſerabilem viam, in qua nunc poſitus ſum, aliquando probaſtis, & ipſius pericula experti fuiſtis, nec illa euaſiſtis ſine gratia Saluatoris noſtri, qui non ſolùm ex operibus iuſtitiæ, quæ feciſtis, ſed per ſuam miſericordiam vos ſaluos fecit, mortem crudeliſſimam ſuſtinendo pro vobis, imò etiam pro me miſerabili creatura ſua. Compatiamini mihi igitur fratri veſtro, & cohæredi, ſicut vobis compati voluiſtis Redemptorem noſtrum, vt per merita ſuæ beatiſſimæ paſſionis, ſicut fecit vobis miſericordiam, ſic & faciat mihi, in hac via impedita, vt onere carnis depoſito coniungar veſtro beatiſſimo collegio, per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.



QVINTA PARS HVIVS TRACTATVS, SIVE CONTEMPLATIONES DE VTILI ET salubri confidentia peccatoris.

CAPVT I.

Ad primos parentes, Adam, & Euam.

1. IN FOELIX ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius! vtinam gratia tua, sicut spero, piissime Domine Iesu Christe, per quam solam hîc viuo, & sustentor. Corpus namque meu miserabile, & corruptibile animam meam impleuit illusionibus vt vim mihi faciant, qui quærunt, illã ad perdendum, quibus ipsum corpus assistit, & non resistit, obedit & non contradicit: vitam meam corrumpit, non abluit: vulnerat, & non sanat: mortificat & non viuificat: prosternit & non eleuat, deducit ad inferos, sed non reducit ad cœlos.

2. O Adam & Eua, progenitores mediati mei, per vestram genealogiam ipsum corpus à vobis suscepi, quod per vestrum peccatum corruptum est; ex qua corruptione peccati, misera anima mea nunc illud agit quòd non vult, nec sibi expedit, & illud non agit quod vellet, & sibi expediret. Peccatum vestrum me separauit à Deo, hæreditate æterna me priuauit, dominium rerũ viuificatarum, & aliarum, mihi à te, Domine Iesu Christe, benignè datum, abstulit: cum labore & sudore, victum mihi acquirere facit: fructus terræ in spinas & tribulos frequenter conuertit: infirmitates varias mihi donat: tribulationes mittit multiplices & diuersas, charitatem adimit, innocentiam tollit, peccata multa in anima mea introducit, & finaliter corpori & animæ infert mortem. Hæc omnia mala & aduersa propter peccatum vestrum habeo, patior, & sustineo, à quibus omnibus liberatus fuissem, si peccatum non commisissetis. Victum namque sine labore terra mihi dedisset, innocentiã obseruassem, absque peccato vixissem, omnibus animantibus in hoc mundo imperassem, & omnia mihi obedissent, ab omni infirmitate alienus fuissem omnia quæ in mundo sunt ad seruitium meum habuissem, & ego soli Deo seruitium impendissem: & finaliter quando Deo placuisset, absque aliquo genere mortis ad suam æternã gloriam in corpore & anima me per-

petuò eleuaſſet, vbi eum laudaſſem cum Angelis ac Sanctis omnibus ſine fine.

3. Peccatum igitur veſtrum, non ſolùm damnum pœnalitatum mihi intulit, ſed & gloriam abſtulit ſempiternam. Et niſi miſericordia diuina ſubueniſſet, melius mihi fuiſſet, ſi natus non fuiſſem. Hæc immenſa miſericordia vos redemit, à pœnis infernalibus vos eripuit, & ad cœleſtem gloriam vos vocauit, vbi Deum laudatis & laudabitis ſine fine. Ad vos igitur intrepidus & mente ſecura accedo, cùm parentes mei ſitis, & cùm parentes filios diligant naturaliter, & amore intimo diligere debeant, cùm ſemper amor deſcendat, & non ſit amor qui vincat paternum. Veſtrum auxilium cum magna fiducia imploro, confidens de veſtris ſanctis orationibus, vt ſicut fuiſtis cauſa meæ damnationis, ſic etiam ſitis diuina miſericordia adjuuante & ordinante, per veſtras orationes continuas, cauſa meæ ſaluationis. Probaſtis namque effectualiter quàm malum & amarum ſit relinquere dominum per peccatum, & quanta pœna dignus ſit peccator ſuum Creatorem offendens. Sicut illa probaſtis, ſic etiam illa hîc probo, & in futurum probabo, ſi iuſtitia mihi fiat.

4. Intercedite igitur pro me miſerrimo peccatore, & compatimini mihi filio veſtro magnam neceſſitatem & indigentiam patienti, ne propter occaſionem veſtram, & factum meum peruerſum inde ſecutum, damnum patiar ſempiternum, ſed ſicut Dei exuberans miſericordia vos ſaluauit, ſic mihi miſero ſubueniat eadem miſericordia, veſtris ſanctiſſimis & aſſiduis deprecationibus. Vt hîc carne peccatis mortua, anima viuat per bona opera, & in futurum vobiſcum poſſideam gloriam ſempiternam. Amen.

CAPVT II.

Ad benignum Dominum Ieſum Chriſtum fratrem noſtrum.

1. IN te, Domine Ieſu Chriſte, ſpiritali fiducia confido, quia ſecundùm humanitatem frater tuus ſum. Et ideò confido, quia nemo carnem ſuam odio habuit. Ex eiſdem parentibus originem traximus per lineam aſcendentem, ſed diuerſimode, quia tu ſine peccato, ego cum peccato, quia in peccatis concepit me mater mea; Tu miraculosè, ego ſecundùm naturam; Tu ex matre Virgine, ego ex matre corrupta; Tu operante Spiritu ſancto, ego operante virili amplexu; Tu omnia ſciens, ego omnia ignorans; Tu ſine Matris dolore, ego cum matris triſtitia, quia mulier, cùm parit, triſtitiam habet, Tu ad me redimendum, ego ad tibi ſeruiendum. Via tua in hoc mundo fuit diſſimilis vitæ meæ, quia tu ſine peccatis, mea cum peccatis; Tua ſine ignorantia, mea cum ignorantia; Tua cum operatione virtutum, mea cum operatione vitiorum; Tua cum Dei Patris obedientia, mea ſine tua obedientia; Tua cum paupertate rerum temporalium, mea cum cupiditate ipſarum rerum; Tua cum humilitate, mea cum ſuperbia; Tua cum tribulationibus & pœnalitatibus aliis, mea etiam cum tribulationibus & pœnalitatibus, non tamen ſimilibus; quia tuæ majores & acriores fuerunt, meæ autem minores

& leuiores; Tu iniustè illas passus es, ego verò iustè & dignè illas passus fui & patior; Tua vita tota cum patientia, & mea sine patientia; Tua viam vitæ demonstrauit, mea viam mortis; Tu vitam tuam finuisti me redimendo, ego vitam meam finio tibi dignè non seruiendo; Tu fecisti & adimpleuisti omnia, propter quæ veneras, ego non adimpleo omnia propter quæ natus sum; Finem vitæ tuæ mihi notum fecisti, sed finis vitæ tuæ mihi ignotus est; finis vitæ tuæ mihi vtilis fuit, sed qualis erit finis vitæ meæ, hoc ignoro; post finem vitæ tuæ resurrexisti cum corpore glorificato, & ad cœlum gloriosè ascendisti, at quòd post finem vitæ meæ, corpus meum ad cœlum ascendat, à tua magna misericordia dependet.

2. Adiuua me, gloriosissime: exaudiat misericordia fratris, necessitatem & indigentiam fratris: non abhorreat felicitas magna iusti fratris, infelicitatem miseri fratris Subleuet potentia pij fratris, debilitatem impij fratris: abluat clemẽtia summi fratris, sordes nequissimi fratris: remittat benignissima misericordia fratris, iniurias & peccata nequissimi fratris: emendet boni fratris pietas animam maculatam nefandissimi fratris. Non contemnat benignitas sanctissimi fratris, animam immundam nefandissimi fratris: trahat ad se amor dulcissimi fratris, animam sordidissimi fratris fugitiuam: compatiatur charitas purissimi fratris, animæ impudici fratris sine charitate.

3. O bone Iesu, clementissime frater, non molestè feras, quia fratrem te nomino lingua impia & impudica, nec præsumptioni adscribas. Sed mihi misero, tua benigna & misericors fraternitas dignetur misereri; digneris etiam in meis maximis necessitatibus subuenire, vitam meam emendando, & me disponendo ad implendum illa propter quæ natus sum: vt hîc tibi placitè seruiendo, vitam tuam cœlestem adipiscar, & possideam per infinita sæcula sæculorum. Amen.

CAPVT III.

Ad benignißimum Dominum nostrum Iesum Christum Redemptorem nostrum.

1. REdemptor & Saluator meus, piissime Domine Iesu Christe, scio quòd nihil mihi profuisset nasci in hoc mundo, nisi me misericorditer redemisses. Ita benignissima & salutifera redemptio, securum me reddit de reconciliatione mea, cùm filius essem iræ, & spem mihi confert de saluatione mea, cùm damnari debuissem. Et licèt peccator sim maximus, & omni nequitia plenus, tamen merita huius sanctissimæ redemptionis, flagitia mea nefandissima excedunt, & pretium tantæ redemptionis dilectionem tuam ostendit. Cur namque, benignissime Domine Iesu Christe, pro redemptione mea tantum pretium exposuisti, cùm sola modica gutta tui Sanguinis pretiosissimi suffecisset, non solùm pro redemptione mea, sed etiam pro redemptione totius generi humani? In hoc tuam charitatem superabundantis

& interminabilem ostendisti, hæc tua sanctissima redemptio, magna fiducia cor meum firmat, quia per ipsam hostes humani generis debellasti, & vicisti, eorum potentiam debilitasti, & me ac cæteros fideles virtutibus roborasti, & cœlum nobis aperuisti, vt mediante ipsa beatissima redemptione securi simus, si voluerimus de saluatione nostra. Sciò namque quòd neminem vis perdere, quantum in te est, & in tuo beneplacito est rem tanto pretio emptam saluare. Sed, dulcissime Redemptor meus, quamuis in prædictis, fiduciam meam geram, tamen duo meæ fiduciæ contradicunt: scilicet maxima mea ingratitudo, & multorum vitiorum perpetratio. Ingratus enim fui, & sum, de tanto beneficio redemptionis; gratias tibi non retuli, sed animum dedicaui ad committendum & perpetrandum multa & diuersa vitia & peccata. Et nisi tua immensa misericordia mihi vilissimo peccatori indulgentiam præstitisset, tua sanctissima redemptio mihi non proficeret ad saluationem, sed meam augmentaret damnationem.

2. O misericordissime Domine Iesu Christe emptus sum pretio magno, rem pretiosam mihi misericorditer dedisti, scilicet animam meam. Sed longè plus pretiosior est effecta, quia tanto & tam incomparabili pretio est redempta. Conserua eam, bone & piissime Domine Iesu Christe, conserua eam, ne tuum pretium in ea perdas. Non dissoluas vinculum tanti amoris in ipsius redemptione ostensi, non relaxes contra eam manus hostis, cuius potentiam per ipsam benignissimam redemptionem debilitasti, ne vlteriùs lædere possit eam. Clemens Redemptor meus, non frustrer spe ipsius redemptionis; sed in me ipsius confidentia augeatur. Auferatur à me ingratitudo, vt gratias tibi referam de tanto beneficio tantæ redemptionis; deleantur mea peccata per merita ipsius beatissimæ redemptionis; vt sic viuam in præsenti, quòd meritis ipsius salutiferæ redemptionis, saluationem consequar sempiternam. Amen.

CAPVT IV.

Ad benignum Dominum Aduocatum nostrum.

1. LIs mortalis mota est contra animam meam, clementissime Domine Iesu Christe, per inimicos meos, qui quærunt ipsam, vt auferant eam. Et tanta est eorum perniciosa subtilitas, tanta versutia falsitatis, tam importuna persecutio, tã fraudulenta accusatio, & tam iniqua sophisticatio, quòd miseram animam meam nunc blandis suggestionibus mulcent, nunc falsis persuasionibus mouent, nunc peruersis tentationibus inclinant, nunc venenatis delectationibus peruertunt, nunc prauis cogitationibus incitant, nunc fallaci interpretatione malum bonum & bonum malum asserunt, ita quòd ad quãcumque partem se vertat, ipsam animam captiuant, trahunt ad se, & deducunt ad deuia & interitum sempiternum; quia laqueos continuè parant, in cibo, in potu, in vigilia, in somno, in cogitatione, in loquela, in factis, in statu, in prosperitate, in aduersitate, in tempore, in ætate, in bono,

in malo, in vita, in morte, in securitate, in abiectione, & in omnibus aliis, quæ etiam humana fragilitas cogitare non valet.

2. O mitissime Domine Iesu Christe, quis in hac miserabili peregrinatione est tam prudens, vt versutias hostium valeat præuidere? Quis tam fortis, vt laqueos ipsorum possit rumpere? quis tam ingeniosus, vt ipsorum astutias possit cogitare? quis tam potens, vt ipsorum malitiis possit obuiare? quis tam sapiens & prudens, vt contra ipsos inlite huiusmodi, valeat obtinere? Non ego, bone Iesu, non ego, qui litem sustineo indefensam, nec curo meipsum defendere, sed succumbo. Quid igitur faciam ego miser, qui ad iudicium sum vocatus? Causa ardua mota est contra me, & ego fragilis. Ipsi sunt diligentes & vigilant, ego sum negligens & dormio. Ipsi sunt scientifici, & ego sum ignarus: ipsi sunt subtilissimi, & ego grossus ingenio. Necessitas mihi incumbit, vt in lite succumbam & condemner, aut aduocatum habeam, qui me velit, & sciat defendere & iuuare, & litem dicere, ne succumbam, nec condemner in ea. Et quis erit iste aduocatus volens & sciens dicere istam causam, in quo possim confidere, & magna fiducia sperare, quia non vacillabit, nec cum meis aduersariis concordabit? Tu es ille peritissimus aduocatus benignissime Domine Iesu Christe, dicente Scriptura, *Aduocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum Iustum.* 1. Ioan. 2.

3. Exurge igitur, misericordissime Iesu Domine, & defende causam meam, quia potens es. Adiutor meus esto, ne derelinquas me, neque despicias me opus manuum tuarum. Domine virtus salutis meæ, in adiutorium meum intende, quia in te est tota fiducia mea. Te ductore nullus poterit aduersùm me præualere. Te patrocinante, nullus poterit aliqua contra me obiicere, nec contradicere. Exerce igitur, Domine Iesu Christe, misericorditer tuum aduocationis officium pro me misero, vt te defendente in causa contra me mota per aduersarios ius meum, victoriosum reportem de ipsis in fine triumphum, & gloriam consequar sempiternam. Amen.

CAPVT V.

Ad Benignissimum Dominum Jesum Christum Iudicem nostrum.

1. O Misericordissime Domine Iesu Christe, laudo, benedico, & glorifico nomen tuum benedictum, quia cum magna fiducia spero misericordiam obtinere. Sed si solummodò peccata mea multa & enormia considerarem, & alia non cogitarem, desperatione frangerer, & morti me possem iustè tradere præ dolore: quia tot sunt peccata mea, & talia, & tam innumerabilia, horribilia, & nefandissima, quòd omnia elementa deberent mihi deficere, & infernus iustissimè me viuum in carne & anima deglutire deberet. Sed tua infinita misericordia me sustentat. Illa sola causa est,

est, quia non sum perditus & consumptus. Tota vita mea semper fuit corrupta, & totum tempus meum ferè consumpsi & perdidi in peccatis. Vix aliud cogitaui, vix aliud egi, in istis fuit tota inclinatio mea, in istis fuit tota delectatio mea, in istis fuit tota consolatio mea. Ista, iuuentus mea augmentauit & multiplicauit, & senectus non minorauit: & si quandoque minorauit, non virtus, sed inopia fuit causa; non amor tuus, sed timor mundanus; non vtilitas animæ, sed honor personæ. Non consideraui quòd ex vita ista miserabili oportebat me iudicium subire, sententiam expectare, & pœnas debitas sustinere, quæ licèt ad tempus retardarentur, tamen ex necessitate erat vt venirent.

2. Sed quis erit iudex meus, Domine Iesu Christe? quis audiet causam meam, & me iudicabit? Numquid iste iudex erit mihi suspectus? Num crudelis & austerus erit mihi? Numquid partem faciet contra me? Numquid extraneus erit mihi & ignotus? Nonne prosequetur me odio capitali? Numquid per meos aduersarios corrumpetur? Numquid contra me sententiam iniquam feret, odio vel amore? Certè, benignissime & piissime Domine Iesu Christe, cum magna securitate viuo, quia cum magna confidentia contemplor, cum magna fiducia cogito, & verè scio, quod tu es & eris iudex meus, quia Deus pater te constituit iudicem viuorum & mortuorum. Tu duplicem curiam tibi statuisti, vnam misericordiæ in præsenti, alteram iustitiæ in fine sæculi. Non es mihi suspectus, neque extraneus aut ignotus, neque partem contra me facies, quia frater tuus sum. Non es, neque eris mihi crudelis, aut austerus, neque prosequeris me odio capitali, quia misericors es Non te corrumpent aduersarij mei, nec fauore, aut odio contra me sententiam feres, quia iustus es, & iustitiam diligis.

3. Ad curiam igitur misericordiæ nunc venio, & ibi compareo, quia sum delatus de multis criminibus & peccatis. Non peto, nec requiro, vt mihi iustitiam facias, sed vt pro tuæ pietatis immensitate serues modum & stylum istius curiæ, quæ nunc tua curia dicitur & est. Fac igitur mihi secundùm magnam misericordiam tuam, qua summè nunc indigeo. Ipsam deprecor, & exoro humiliter, & contrito corde, mihi fieri; vt cum securitate & fiducia postea ad curiam iustitiæ veniendo, ad dexteram partem collocatus, sententiam reportare valeam perpetuam electorum. Amen.

CAPVT VI.

Ad benignissimum Dominum Iesum Christum largitorem gratiarum.

1. O Misericors & miserator Domine Iesu Christe, defensor & gubernator meus, largitor & dator omnium gratiarum, & saluator omnium in te fideliter sperantium, quis intrauit altitudinem bonitatis tuæ? Quis nouit profundum pietatis tuæ? quis nouit latitudinem charitatis tuæ? Tua

namque bonitas respicit peccatorem, compatitur peccatori, attrahit peccatorem, excitat peccatorem, & iustificat peccatorem. Tua pietas recipit peccatorem, indulget peccatori, dirigit peccatorem, sustinet peccatorem, & viuificat peccatorem. Tua charitas inducit peccatorem, diligit peccatorem, aspirat peccatorem, bonum ministrat peccatori, & eleuat peccatorem. Tu, benignissime Domine Iesu Christe, propter peccatores in mundum venisti, cum peccatoribus conuersatus fuisti, peccatores vocare venisti, quia te teste, non iustos, sed peccatores, ad pœnitentiam vocare venisti.

2. O mira & stupenda amoris immensitas! ô inæstimabilis salutis prouidentia! Bone Iesu, bonorum operum merita, non malorum operum pœnas, nobis adinuicem communicasti, & communicas omni die. Decreuisti enim, vt pœna peccati solùm teneat suum actorem, quia filius non portabit iniquitatem patris, neque pater iniquitatem filij. Sed bonorum operum, aut virtutum merita; vt non solùm in suos actores conuerterentur, ordinasti; sed etiam quòd in omnes fideles in statu gratiæ constitutos extenderentur; quia quidquid fidelis virtuosè cogitat, quidquid virtuosè loquitur, quidquid boni agit, in his omnibus cuncti fideles participes efficiuntur, nec excludi possunt, nisi per peccatum.

3. O grandis fiducia, summa securitas, magna confidentia peccatoris, cùm videt se partem habere in omnibus bonis, quæ dicuntur, & fiunt per vniuersos fideles. Et quis potest diffidere de saluatione sua, pro qua tot habet adiutores, & suffragia ministrantes? Certè, dulcissime Domine Iesu Christe, ego sum ille miser & pessimus peccator. Ego sum ille, qui diffidere debeo potiùs quàm confidere, si vitam meam miserabilem & iniquam respicio oculo cordiali. Vita namque mea, ferè tota fuit assiduis vitiis & peccatis plena, & maculata. Et sic à prædictis bonis fidelium separati; in quibus, in mortali peccato constitutus, non percipit partem quantum ad saluationem suam habendam.

4. O piissime Iesu, quantum perdidi? quantum defeci? quantum negligenter, & malitiosè me habui erga meipsum, qui non solùm neglexi bonum facere peccatis iniquis resistendo, sed etiam bona vniuersorum fidelium perdidi, quia ad recipiendum ipsa, meipsum non disposui? Succurre mihi vacuo ipsis bonis mitissime Domine Iesu Christe, succurre mihi in tanta necessitate constituto, exterendo, & delendo peccata mea; & da mihi indigenti gratiam tuam misericorditer: vt opera meritoria agam, & aliorum operibus bonis & meritoriis particeps efficiar, per quæ tua clementia suffragante, gloriam percipiam sempiternam. Amen.

CAPVT VII.

Ad Dominum Iesum Christum bonorum operum remuneratorem.

1. MAnus clementiæ tuæ, Domine Iesu Christe piissime non cessat operatione continua, mihi prauissimo peccatori, gratiam ministrare, quamuis à peccatis, & iniquitatibus non desistam. O peruersa nequitia mea! Tu, benignissime Domine, vocas me, & ego fugio; clamas post me, & audire te non curo; trahis me, & renuo te sequi; compellis me venire ad te, & contra te moueor & irascor; tuis & meis aduersariis per peccatum me committo, & tua misericordia non me relinquit. Pecco assiduè, & tu me sustines, & expectas quotidie, vt ad te reuertar. Salutem animæ meæ desideras, ego illa dimissa, salutem corporis procuro. Quotidie deficio, & iniquè ago, & te ad iracundiam prouoco, & tu quotidiè reficis, & gratias plurimas largiter mihi donas. Tu es Creator meus, ego creatura tua: Tu Dominus meus, ego seruus tuus: Tu Pater meus, ego filius tuus: Tuum est mihi præcipere, meum est tibi obedire: Tuum est dominari mihi, meum est tibi famulari: Tuum est mercedem & præmia mihi dare, meum est tibi humiliter & debitè seruire. Non est hora aut momentum temporis, quo gratia tua caream, nec hora aut momentum temporis debet esse, quo tibi seruitium non impendam.

2. O insania mea maxima! ceruix durissima! superbia incomparabilis! ingratitudo indicibilis! quia tibi, Domine Iesu Christe, non seruio, & mercedem seruitij quotidie mihi tribuis. Imò etiam mihi seruitia facis. Quidquid indigeo, aut plus, mihi requiro, & peto à te, nec tu denegas mihi petenti, qui semper gratiam largiris: sed quod tibi placet, & requiris à me, non adimpleo, sed audire contemno, quamuis interdum ipsa gratia largiente, aliqua bona opera agam.

3. Sed quid mihi prosunt ista bona, Domine Iesu Christe, cùm in criminalibus peccatis persistam, & sic extra charitatem maneam? Certè, dulcissime Domine Iesu Christe, tanta est misericordia tua, tanta est immensa clementia tua, tanta est infinita benignitas tua, tanta est summa bonitas tua, & tanta est suprema tua ad nos miseros peccatores prouidentia, quòd nullum bonũ, factum per nos peccatores, te iuuante, irremuneratum relinquis. Imò etiam remuneras vltra condignum. Et si propter iniquam dispositionem peccatoris prædicta bona facientis, ad saluationem ipsa bona non prosunt, saltem ex operatione ipsorum illustras cor peccatoris, vt ad te per pœnitentiam reuertatur. Reprimis potentias hostium, ne tantùm peccatori noceant quàm vellent. Bona temporalia peccatori auges. Disponis ipsum ad assuefactionem bonorum operum, & si in peccatis pertinax fuerit in morte, in pœna grauius supplicium patietur.

4. O Saluator misericordissime, quanta fiducia, quanta securitas, quanta spes, quanta confidentia de tua misericordia debet esse in homine, quem non solùm diligis in gratia existentem, sed etiam in peccatis constitutum, gratiam multiplicem largiendo. Hoc enim operatus es in me, cui iniquè viuenti plurimas gratias indigno, misericorditer tribuisti. Exabundet igitur, & superabundet in me misero, bone Iesu, tua assueta misericordia, quia abundauit, & abundat in me iniquissimo magna malitia. Reduc me ad charitatem per peccatorum meorum condignam satisfactionem; Et da clementer mihi creaturæ tuæ, quam tuo pretiosissimo sanguine redemisti, vt meritorios actus agam, per quos tibi placeam, & in futurum obtineam misericorditer tuam gloriam sempiternam. Amen.

CAPVT VIII.

Ad Dominum Iesum Christum peccata remittentem.

1. MIsericordia tua, Domine Iesu Christe, misericordia ab æterno vsque in æternum super timentes te. Sed quid fiet illis piissime Domine, qui te non timent, sed blasphemant, & irritant nomen tuum, qualis ego sum? Imò principalem in eis, ac maiorem aliis me esse cognosco, quia dum mentem meam segrego à mundanis, & recludo in meipso, tamquam in libro coram oculis meis aperto, non diuertendo ad alia; studeo, lego, discurro, ratiocinor & contemplor miserabilem vitam meam; nihil timoris tui, nihil amoris tui, & nihil honoris tui reperio in meipso. Sed comparari possum iumentis insipientibus, & similis factus sum illis, quamuis in honore hominis me posuisses. Quem honorem intellexi, sed eo vti nolui, quia tota cura mea fuit more iumentorum in delectatione corporali, velut si animam meam non nouissem, quam mihi misericorditer donasti, vt corpori dominaretur, & per ipsam virtuosa opera & meritoria, ac tibi placentia, exerceret; per quæ vitam obtineret æternam. Et ideò si in eos qui te timent, facis misericordiam, restat vt mihi te non timenti, non misericordia, sed iustitia ministretur; quæ me consideratis & ponderatis delictis meis non saluabit, sed potiùs æternaliter me damnabit.

2. Diffidam ergo, Domine Iesu Christe, de tua misericordia, aut quale remedium recipiam, vt iustitia mihi debita in misericordiam conuertatur, damnatio perpetua euitetur? Absit à me Domine Iesu Christe benignissime, quòd de tua misericordia aliqualiter diffidam, quia licèt te non timuerim, sed te innumerabilibus peccatis offenderim, per peccatorum nefandissimorum multiplicationem, tamen non diffidam de tua misericordia, sed confidam in ipsa. Confido igitur in ea. Fiducia animæ meæ tota est in ipsa, & tota spes mea, & securitas mentis meæ in ipsa consistit. Ab illa non recedo, neque recedam te miserante: in illa firmissimo corde perseuero, & perseuerabo te iuuante, & ab illa numquam separabor te suffragante.

3. Sed vnde hoc mihi, piiſſime Domine Ieſu Chriſte, vt mala perpetrando, & te ad iracundiam contra me prouocando, de tua miſericordia ſic confidam, cùm potiùs conſiderare deberem me terribilem ſententiam recepturum ſecundùm facinora quæ commiſi? Certè, miſericordiſſime Domine Ieſu Chriſte, ſcio, & notum mihi feciſti, quòd proprium eſt tibi miſereri ſemper & parcere, tanta eſt miſericordia tua, tanta eſt clementia tua, tanta eſt bonitas tua, tanta eſt pietas tua, tanta eſt benignitas tua, & tanta eſt compaſſio tua ad miſeros peccatores, & tanta eſt beneuola inclinatio tui piiſſimi cordis ad ſaluationem ipſorum; quæ quantumcumque fuerit aliquis maximus peccator, quantacumque peccata perpetrauit, qualiacumque quotienſcumque, & vbicumque illa commiſerit, ſi ad te humiliter redierit, veniam petendo de ipſis, & debitè conterendo, omnia ipſi donas, omnia remittis, veniam præbes, & indulgẽtiam mox concedis. Hoc non differs, non prorogas, non procraſtinas, ſed quocumque tempore, quacumque hora, aut quocumque momentò, peccator corde contrito & humiliato ad te reuertitur, & veniam petit, manu miſericordiæ tuæ eius peccata remittis, gratiam largiris & ſalutem æternam promittis. In hac igitur miſericordia, tota confidentia mea eſt, tota ſpes & fiducia mea.

4. Sed abſit à me, bone Ieſu, vt propter ſpem tantæ miſericordiæ tuæ, incliner actualiter ampliùs ad committendum peccata: ſed de commiſſis doleam, & alia non committam, dignéque ſatisfaciam, vt tuam miſericordiam merear obtinere, ac in tua gratia viuens in futurum tuam gloriam miſericorditer poſſideam, per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

CAPVT IX.

Ad Benigniſsimum Dominum Ieſum Chriſtum gubernatorem noſtrum.

1. IN te, Domine, ſperaui, non confundar in æternum: ſed ſicut hactenus me miſericorditer gubernaſti, ſic in perpetuum tua immenſa miſericordia me gubernet. Scio, pie Domine, & verè ſcio, quamdiu eſt quod anima mea in inferno habitaſſet, niſi quia tu me, piiſſime & benigniſſime, gubernaſti. Quidquid boni cogitaui, dixi, aut feci, aut faciendum aliis exemplum verbo & opere præbui, & oſtendi, hoc non à me, ſed à tua gubernatione proceſſit. Quidquid mali omiſi cogitare, dicere, aut facere, tua gubernatio, cauſa fuit. Quidquid potentiæ virtualis in me fuit reſiſtendi prauis & iniquis cogitationibus, locutionibus, & actibus, mihi tua gubernatio miniſtrauit.

2. Cùm aliorum peccata cum charitate argui, & reprehendi, & à peccando retraxi, tua gubernatio me induxit. Cum te & proximum dilexi, & peccata non peccatores odio habui, hoc mihi tua gubernatio demonſtrauit. Cum iniurias & animæ rancores propter te remiſi, & de inimicis vindictam

non quæsiui, & pro ipsis tuam misericordiam imploraui, hoc in me tua gubernatio ordinauit. Cùm negotia mea salubriter processerunt, & ad effectum peruenerunt optatum, non mea prudentia, neque peritia causa fuit, sed gubernatio tua pia. Cùm de prosperitate, quæ mihi frequenter successit, ad votum non superbiui, nec de meipso præsumpsi, sed in conspectu tuo me humiliaui, gratias tibi reddidi, & à te, nō à me omnia habere cognoui, hoc à tua gubernatione prouenit. Cùm aduersitas aduersū me irruit, mediis variis & diuersis, & tribulationes se ingesserunt, & in quacumque parte me percusserunt, & ex his meus animus non fuit prouocatus ad iram, nec ad blasphemiam contra te fuit motus, sed omnia sustinuit & libenter subiacuit incommodo, & se dignum existimauit ista pati, hoc tua gubernatio ipsi demonstrauit. Cùm astutias fallaces & iniquas callidi hostis agnoui, & eis non consensi, sed contradixi; tuámque misericordiam, vt mihi propitiaretur, imploraui; hoc mihi contulit gubernatio tua sancta.

3. O piissima gubernatio, non sæuiens, sed demulcens: non acerba, sed benigna: non puniens, sed piè corrigens: non damnans, sed saluans: nondum cognoueram te: sed ex mea malitiosa superbia, & ingratitudine maxima ignorare volebam. Bona quæ agebam, & prospera quæ habebam, non tibi, sed mihi: non tuæ gubernationi, sed meæ prouidentiæ attribuebam: & aduersa quæ patiebar, non peccatis meis iniquissimis, non ignorantiæ meæ, non miseriæ meæ, non imprudentiæ meæ, sed potiùs malæ fortunæ, seu alteri imputabam.

4. O benignissime gubernator meus, sentiam misericorditer dilectionem & charitatem tuam. Guberner per te, quia numquam tua gubernatione destituis, quos in soliditate tuæ dilectionis instituis. In tua gubernatione confido, in ipsa spero, & de ipsa fiduciam gero. Respiciat igitur me miserum, ipsa misericors gubernatio tua, quæ corpus, & animam, cogitationes, & omnes actus meos gubernet. Non me dimittas meæ impiæ gubernationi, quæ prodigaliter me exposuit meis inimicis, & eorū ditioni, miserabiliter subiugauit. Sed sic me seruum tuum gubernare digneris, vt tibi non resistam, sed obediam; & obediendo, tibi placeam, & placendo tuam gratiam hîc obtineam & in futuro gloriam sempiternam. Amen,

CAPVT X.

Ad benignissimum Dominum nostrum Jesum Christum, prope peccatores existentem.

1. PRopè es, amantissime Domine Iesu Christe, *omnibus inuocantibus te in veritate*, & voluntatem timentium te imples, & omnes te diligentes, custodis. Ista sciui, & scio, & per sacram Scripturam tuam me largissimè de his informasti, & ad ista peragenda me misericorditer induxisti.

2. O desidia & pigritia cordis mei negligentis! ad meum ostium pulsabas, benignissime Saluator, & tibi non aperiebam. Monebas me, & requirebas

vt peterem, quia mihi petenti donare volebas; quærerem & inuenirem, pulsarem, & mihi illicò aperires: Ad meum adiutorium semper paratus fuisti, numquam te abscondisti, neque tuum auxilium denegasti, sed teipsum obtulisti & me ad recipiendum tua dona continuè inuitasti, imò mihi non petenti plurima contulisti: & ampliora contulisses, si peccata mea non impediuissent, & tibi gratiosum me exibuissem. Non stetit per te, nec in tua misericordia remansit, quominus vita mea existeret virtuosa, & animam meam ab omni cogitatione peccati immaculatam seruarem.

3. O clementissime Domine, quanta est bonitas tua, vigilans ad saluationem meam! Et quanta est iniquitas mea, vigilans ad perditionem meam! Tu vigilas pro me, & ego vigilo contra me. Tu venis ad me, & ego te fugio: tu offers mihi bona tua, & illa renuo recipere. Non vendis ea, sed donas, non ex debito, sed ex gratia; non pauca, sed magna; non parcè, sed affluenter; non tardè, sed continuò; non improperando, sed miserando. O misericordissime Domine Iesu Christe, vnde mihi tanta miseria, tanta dementia, & tanta cordis duritia, quòd te venientem ad me miserum non recipiam, propè existentem te fugiam, tua dona non recipiam, sed recusem? Non consideres, Domine piissime, miseram & iniquam negligentiam meam, & duritiem maximam cordis mei circa obliuionem clementiæ tuæ, & saluationis meæ: nec cessent tua dona propter ingratitudinem meam, quam si respicere volebas cum iustitia, non bona, sed mala mihi dares: non saluationem, sed damnationem; non tuam misericordiam, sed indignationem.

3. Adueniat, obsecro, & propè sit, tua infinita misericordia, quæ me inuocantem exaudiat. Timeā te, vt voluntatem meam adimpleat. Diligam te toto corde meo, vt me custodiat. In ipsa namque confido, & spero, & magnam fiduciam in ipsam habeo. Hanc humiliter deprecor, suppliciter imploro, corde contrito flagito, & exoro, vt ex immensitate suæ bonitatis meam ingratitudinem & peccata auferat indulgendo: bona ad salutem animeæ meæ conferat miserando: vt hîc in tua gratia viuendo, futuram gloriam misericorditer percipiam, per infinita sæcula sæculorum. Amen.

CAPVT XI.

Ad benignissimum Dominum Iesum Christum remunerantem peccatorem vltra condignum, & punientem citra condignum.

1. NOn potest humanis mentibus comprehendi, nec memorando contemplari, Domine Iesu Christe, immensitas bonitatis tuæ potentiæ. Tua namque potentia humiliat & subleuat, viuificat & mortificat, deducit ad inferos, & reducit ad cœlos, percutit & sanat, dirigit & retrahit, liberat & condemnat, sustentat & prosternit, minatur & demulcet, saluat & damnat, ditat, & pauperat, diligit & irascitur, prouehit & dimittit, pro-

rogat & abbreuiat, auget & minuit, manifestat & abscondit, custodit & derelinquit, tribuit & confortat, allicit & pungit, ignoscit & punit, blanditur & terret, suscipit & respuit, exaudit & contemnit. Et cur ista sic agat, inquirere nemo audeat, quia inuestigabilia sunt apud mentem humanam. Omnia namque vniuersaliter quæ sunt in cœlo, & sub cœlo, manu sua concludit. Dum hanc potentiam cogito, expauesco, quia quo fine concludat, ignoro. Ipsam fugere non valeo, & propinquare timeo propter horribilem vitam meam, in qua pauca bona egi, & multa mala commisi. Vnde si mercedem debitam pro bonis meis considero, reperio illam exiguam valdè esse debere. Si verò malorum meorum punitionem respicio, iustè inuenio illam magnam. Hæc me terrent, timorem incutiunt, dolorem inferunt, mentem perturbant, confidentiam auferunt, & me quasi in desperationem inducunt.

2. Sed, misericordissime Domine Iesu Christe, dum in libra debitæ considerationis mentis meæ, hanc potentiam contemplor, in ipsa reperio tantam bonitatem & misericordiam, tantam clementiam & bonitatem, pietatem tantam, benignitatémque & charitatem erga miseros peccatores, quòd semper in dexteram tuæ infinitæ dilectionis declinando, assidua compassione bona remunerans vltra condignum, & mala puniens citra condignum, mercedem auges, & pœnam minuis; mercedem augmentas, & pœnam mitigas; non compensas facta peccatoris cum magna iustitia, sed cum immensa misericordia: quia bonorum eius retributionem multiplicas, & delictorum eius vltionem debitam & condignam diminuis miserando.

3. O benignissime Domine Iesu Christe, magna est, & esse debet confidentia mea. Magna spes, & magna plenitudo fiduciæ in tua suprema misericordia; de qua scio & firmiter spero, quòd ex modicis bonis meis non condignam solum, sed planè magnam retributionem mihi dabis, & de meis maximis & nefandissimis criminibus non condignam, sed misericordem vltionem mihi dabis clementer. Sed absit à me, misericordissime Domine Iesu Christe, absit à me, quòd huiusmodi vltio sit perpetua. Respice me oculo tuæ immensæ pietatis, & dele omnes iniquitates meas. Præsta mihi misericorditer roboris firmitatem, vt peccatis resistendo, si non temporalem, saltem perpetuam vltionem euadam. Tuam clementissimā bonitatem humili corde exoro, vt non facias mihi secundùm peccata mea, neque vindictam sumas de peccatis meis. Etsi punitionem, sicut etiam dignum & iustum est, fieri ordinasti de ipsis, clementiam tuam humiliter imploro, corde compuncto deprecor, & totis viribus mentis meæ flagito, vt puniar misericorditer. Quia hîc peccaui, non differas vltionem post mortem: sed anima mea purificetur in præsenti, tua misericordia operante, vt separata à corpore miserabili & corrupto, gloriam percipiat sempiternam. Amen.

Finis tractatus quinquepartiti deplorationum miserabilis cursus vitæ præsentis

LAMENTABILIS CONTEMPLATIO innocentiæ perditæ & iniquitatis admissæ, diuisa in septem partes, vt lector deuotus singulis diebus septimanæ, vnam partem contempletur, ne frequens lectio aut prolixitas ipsius, fastidium generet. Morosè legantur verba singula, meditando prout Deus deuotionem, & gratiam ministrabit. Et supplico Lectori, ex debito charitatis, vt inter compunctionem cordis sui, memor sit mei nequissimi peccatoris.

CAPVT I.

Excitatio animæ post innocentiam perditam.

1. O Anima sceleratissima, non vita, sed morte perpetua ex tuis actibus digna: redi ad te, quæ longè fuisti à te: excita teipsam de somno mortis: surge à lecto, in quo vulneribus sauciata diutiùs iacuisti, require medicum te valentem & volentem curare: labora vt illi placeas fugiendo curas & occupationes labiles, quas hactenus eius præcepta, doctrinam & consilium spernendo, tota mentis intentione amplexata es. Surge de arida terra & sterili delectationis carnis & mundi. Respice illa quæ diu possidere non potes: abhorre ea quæ te præparant ad interitum: appete cum affectu illa quæ perpetuò possidere vales: & felicem te facere possunt. Intra secretum cubiculum mentis tuæ, vt ipsam valeas cognoscere: ibi paululum requiesce: & exclude cætera præter Deum & te.

2. Excute torporem, discute conscientiam tuam, & diligenter examina odiosam Deo & horribilem vitam tuam. Scias te esse coram illo cui nihil est incognitum, nihílque impunitum remanet. Considera, quid es, & quid fuisti. Fuisti namque, sola Dei misericordia, ex nihilo creata, ad eius imaginem facta, sacri fontis lauacro regenita, virtutibus & gratiis adornata, Dei filia, Iesu Christo desponsata, eius fide decorata, sancti Spiritus amica, rationis capax, contra aduersarios tuos armatura inexpugnabili armata, socia Angelorum, particeps hereditatis æternæ, templum æterni Regis, habens ad tuam custodiam Angelum delegatum. Tantíque pretij fuisti, vt totus mundus tibi comparari non posset: & vt tuo Creatori, à quo facta es, & per quem facta es, ac ad quem facta es, seruires, effecta fuisti: & ideò cuncta tibi subiecit, vt tibi seruirent. Adde quòd pretium tuum, quo redempta es, & à morte perpetua liberata, non fuit aurum & argentum, sed Sanguis & mors Iesu Christi Filij Dei, donum sine pretio, gratia sine merito.

3. Ad tuum præsidium, sororem & sodalem tibi misericorditer concessit; scilicet innocentiam: per quam in periculis tuta fuisti, vbique secura, vbique libera, sancti Spiritus inspiratione ducta, Dei coniuncta consortio, à malis omnibus aliena, & à terrenis actibus separata, charitate Dei & proximi illuminata. Per hanc sororem Deo placuisti, amititias cum eo contraxisti, & ei gratum seruitium exhibuisti. Ipse verò ex vnione amoris tecum assiduè mansit, te custodiuit, exaudiuit, donis spiritualibus dotauit, tibi opportuna & necessaria ministrauit, & ab omni re sinistra & aduersa te illæsam præseruauit. O anima ingratitudine plena: argue temetipsam coram Deo, eo quòd hucusque de cunctis eius beneficiis ingrata fuisti, & eius misericordias quamplurimas agnoscere renuisti.

CAPVT II.

Quanta mala innocentia perdita afferat.

1. O Anima mea, anima infelix, peccatis innumerabilibus inquinata: considera nunc statum tuum. Abiecisti innocentiam sororem tuam fidelem, à præsidio mentis tuæ, & locum eius occupari fecisti, introducendo inimicam eius, scilicet iniquitatem, per quam Creatorem & benefactorem tuum à te miserabiliter proiecisti, & Diabolum intromisisti: cuius imago per ipsam innocentiæ inimicam facta es periura Deo, adultera Christo, inimica Spiritui sancto, virtutibus & gratiis spoliata, fide mortua, promissione Dei priuata.

2. Armatura spirituali sponte derelicta, tuis hostibus voluntariè te subiugasti, & particeps effecta es damnationis æternæ. Per iniquitatem, bonum incommutabile respuisti, & in cœno peccatorum te prouoluisti: cõtempsisti benignum, & adhæsisti maligno: cælum ad quod possidendum electa fueras, vilipendendo amisisti, & regnum tenebrarum acquisisti. O perditam & miseram acquisitionem! Consolationem renuisti, & desolationem inuenisti: noluisti benedictionem datam recipere, & elongabitur à te: induisti iniquitatem sicut vestimentum: ideò perdidisti id quod facta eras: plena enim eras, & vacua facta es: videbas lucem, & cæcitatem incurristi: videbas spiritu, quem (quantum in te est) sponte oppressisti. Exul facta es à patria quam perdidisti nequitia tua, amplectendo cum delectatione temporalia: spiritualia contempsisti, mundum amasti, & timuisti plus quàm Deum. Bona voluisti prædicari, & apparere: sed non existere. Amicam huius sæculi te fecisti, & inimicam Dei te constituisti. Deum & omnia in tui vltionem prouocasti, nec tibi aliquod remedium procurasti.

3. O anima misera, considera qualem te Deus fecerat, & qualem tu te fecisti: de filia iræ, filiam gratiæ te fecerat: & tamquam sacrilega, filiam Diaboli te fecisti. Hæc & multa alia tibi cum iniquitate pariter aduenerunt: adeò enim miserè corruisti, quòd per teipsam surgere non possis; sic vulnerata es, quòd per te sanari non queas; sic maculata, quòd per te mundari non

valeas. Erige ergo totam mentem tuam corde compuncto, ad illum qui erigit elisos, accede ad illum qui sanat contritos corde, adiunge te illi, qui omnium sordium est mundator; vt te misericorditer subleuet, sanet, & ab omni iniquitate emundet.

CAPVT III.

Quanta bona innocentiam comitentur

1. O Anima mea, perquàm miserabilis, dic mihi in quo te læsit innocentia, per quam tot bona & gratias recepisti? Dic mihi, quæso, in quo te læsit, vt eam àte nequissimè proiiceres, & in locum eius iniquitatem, quæ illi inimicatur, subrogares? Nonne innocentia soror tua, tecum nata est, & tecum ad nuptias Christi venit, quando ipsum in sacro Baptismate in sponsum recepisti, & thalamum eius gratiis & virtutibus ornatum introisti? Feliciter tecum nutrita est: siue vigilares, siue dormires, tecum semper erat, tecum fidem vouit, te dilexit, tibi in omnibus operibus tuis comes fidelis fuit, & salutem tuam procurauit. Numquam per se, aut ex factis suis à tuo consortio declinauit: nisi quando ex magua ingratitudine tua eam à te malignè eiecisti, & iniquitatem in thalamum tuum (proh pudor!) excepisti.

2. O nefandam commutationem, crudelem casum, lamentabilem lapsum, intolerabilem dolorem, importabilem cruciatum! Cecidisti, ô anima nequam, per huiusmodi commutationem, de sublimi in profundum, de gratia in peccatum, de virtute in vitium, de gloria in pœnam, de cælo in infernũ, de vita in mortem, de salute in infirmitatem, de bono in malum, de gaudio in mœrorem, de consolatione in desolationem, de securitate in timorem, de felicitate in miseriam, de libertate iu seruitutem, Dominum à quo bona cuncta procedunt deserendo, eius inimicis, imò etiam hostibus propriis, à quibus omnia mala prodeunt, adhæsisti. O perfida anima, quid egisti? non est hæc mutatio dexteræ Excelsi, abominabilis es Deo, odiosa Angelis, horribilis Sanctis, fœtida omnibus, intolerabilis tibiipsi. Melius tibi fuisset, si creata non fuisses: quàm sic Creatorem tuum contemnendo, & in te sæuiendo, temetipsum peremisse. Dic lacrymabiliter; dic: Hei mihi quia cecidi, quia peccaui, Deum & Sanctos contra me prouocaui. Iram tremendi iudicis in me concitaui. Væ mihi, quia sic perperam egi, sic inconsultè feci.

3. Quis eruet me de manu potenti, & brachio extento contra me? Quis præseruabit me à ventura ira, à morte æterna, à laqueis infernalibus, à rugientibus præparatis ad escam, nisi tu, misericors Saluator & Redemptor meus? Tibi namque proprium est, misereri & parcere; qui omnipotentiam tuam parcendo semper & miserando manifestas. Inclina ergo aures tuæ pietatis ad me, ne desperem de te: sed respirem in te cum fiducia, & remaneam de tua misericordia per teipsum & propter teipsum perpetuo consolata.

CAPVT IV.

Ad Deum confugiendum esse, & in eo sperandum.

1. O Anima mea desperatione circundata, mentem tuam erige, & eleua ad Deum, spera in eo cum fiducia, surge & sta, produc de corde gemitus, clama die noctuque. O innocentia soror mea, vbi es? quò tetendisti? qua arte, quóve ingenio me dereliquisti? quò tandem loci deuenisti? Sed væ mihi animæ peccatrici: quia corde maculato & pollutis labiis, hanc sororem meam audeo nominare, quam offendi, quam violaui, imò, quod execrabilius est, quam sic penitus à meipsa pepuli, sic abieci, quòd eam recuperare non valeo. Extranea & peregrina facta est ipsa mihi: imò præ iniquitate mea ego illi: & quamuis tot bona mihi præpararit, ego tamen ingrata, cum iniquitate amicitiam contraxi.

2. O iniquitas, quare me illudendo circumuenisti? quare innocentiam sororem & amicam meam à me eiecisti, quæ me gratam fecerat Saluatori meo? Quare me cepisti, colligasti, & subiugasti? & mihi Deum, Angelos, & Sanctos abstulisti, eósque mihi inimicos constituisti? Quare me bonis & gratiis omnibus crudeliter spoliasti: & inermem solámque in conflictu & inter aduersarios me reliquisti? Nihil enim lucri ex eis consequi poteras; quæ sic me, (nescio qua de causa) prostituisti. Quid tibi malefeceram, vt me sic tractares? Quis te docuit, vt ad talia me prouocares, informares, & perpetrare faceres? Quæ ratio te mouit? Nihil enim mihi tecum. Non noueram te, non quærebam, non curabam, à te elongata eram: debitrix tibi vlla in re non eram. Cur me morti perpetuæ & damnationi æternæ obligasti? & sine consolatione, imò cum desolatione, seu desperatione reliquisti? Abstulisti enim à me amicos & protectores meos, vt cum iniustitia tua me perderes. Meum quoque Pastorem, qui mihi alimoniam præbere solebat, & sub quo vitam ducebam, abire fecisti: vt sic egens & inops facta, fame perirem. Sed & lupum rapacem ad me introduxisti: à quo sustentatione negata vulnerata sum, imò interfecta & enecata.

3. O Pastor Pastorum, ouem errantem require, & repertam impone super sacros humeros tuos, reduc eam ad caulas gregis tui, sana infirmam, pasce famelicam, imò iam fame morientem: vigila super eam, ne amplius lupus rapax inuadat, rapiat, & enecet eam.

CAPVT V.

Quòd nulla necessitate, sed sponte, perditur innocentia.

1. O Nullius valoris homuncio, vermis inutilis. Dum præmissa considero, datus sum in reprobum sensum, & in obliuionem. Mihi ipsi excæcatus sum, rationabile iudicium perdidi, in magnam dementiam incidi, quia imputo alteri factum, quod sponte perfeci, scilicet innocentiam expellendo, & iniquitatem introducendo. Sciebam & verè cognoscebam, quòd ante oculos meos erat vita & mors, bonum & malum, gloria & pœna: & cùm liberum arbitrium haberem eligendi alterum ex his, elegi tamquam fatuus & iniquus, mortem, malum, & pœnam. Et licèt prædictæ electionis cogitatio, & primi motus non essent in mea potestate: tamen morosa delectatio, consensus, & operis consummatio à mea voluntate pendebant; nec cogi ab aliquo poteram, nisi voluntariè consensissem, id quod ego feci. Imò, quod perniciosius mihi est, frequenter tentationes præueni, ita vt iam non possem dixi patiens, sed agens.

2. Inimicis meis adhæsi: & suggestioni eorum consensum præbui. Primitias iuuentutis meæ Deo debitas, ad eorum voluntatem expendi. Nullum peccantem, quamuis à peccatis retrahere possem, retrahere volui; imò ad peccandum verbis & factis impuli, aut saltem ad facinora perpetranda exẽplum dedi. Deum qui me genuit, dereliqui: & oblitus sum Domini Creatoris mei. Ex actibus meis, dignus sum odio, non gratia. Quantò diutiùs misericorditer me Deus sustinuit, & ad pœnitentiam expectauit; tantò durior corde fui, & contra eum ac eius præcepta ceruicosè insurrexi. Fides in me propter bonorum operum defectum mortua fuit. Dei inspirationes longè à me proieci, & quæ meæ saluti contraria erant, libenter suscepi. Labores corporales, ad salutem animæ meæ promouentes, vitaui. Antiquis & vsitatis peccatis non contentus, noua & insolita adinueni, & opere consummaui. Semel ac iterum & sæpiùs ad vomitum redij. Nulla facinora reperiuntur, quibus non fuerim vel mente, vel opere contaminatus. Et quantò magis ad finem vitæ accelero, tantò magis peccatis inuoluor.

3. Ecce, bone Iesu, qualiter tempus à diebus originis meæ expendi: ecce in quibus studium meum consumpsi, in quibus laboraui, cum quibus amicitiam contraxi, quæ dilexi, quibus parui, & quibus (te spreto) obediui. Non habeo quid dicam, quid respondeam, qualitérve me excusem, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Sed tu, Domine Iesu Christe, à cuius misericordia spes & salus mea dependet, quíque tempus viuendi mihi tribuisti; tempus pœnitendi & emendandi mihi misero & indigno misericorditer concedere digneris. Tu namq; Creator meus es: ego verò non possum non esse creatura tua: fiat tamen de me, qui solus parcere & iustificare potes, voluntas tua.

CAPVT VI.

Quod posteà miseria propria cognoscitur, per solam Dei misericordiam reuelanda.

1. O Creator & reformator meus, Domine Iesu Christe, qui neminem vis perire, nec lætaris in perditione animarum, audi me nefandissimum peccatorem. In vespera vitæ meæ positus sum, plenus vitiis & peccatis, non paucis, sed innumerabilibus; non modicis, sed maximis: cor meum à conscientia pulsatur: fallax mundus, in quo dormio, deficit: corpus ruinam minatur: vita breuis est, finis dubius, exitus horribilis. Mors me vndique expectat: mihi Diabolus insidiatur. Tempus transit, iudicium tuum appropinquat Te, & omnia alia contra me prouocaui: quia nihil mihi inoffensum reseruaui, imò te vocantem me ad vitam, fugi; & hostem, me ad mortem persequentem suscepi.

2. Torquet me conscientia mea, terret me futura damnatio, quam merui: & quam ex actibus meis euitare non valebo. Si me considero, horror sum mihi intolerabilis: si me non respicio, mors mihi est ineuitabilis. Fugere non possum, comparere non audeo: quia tot accusatores habeo, quot peccata. Tu es iustus accusator meus: tu es verax testis actuum meorum, tu es rectus Iudex meus. Tui coniudices me accusant, tui & mei inimici, cum quibus amicitiam inij, mei sunt accusatores importuni. Nemo pro me loquitur, aut loqui audet. Qui me iuuare poterant, ignominiosè abieci, & meos impugnatores in sinum meum recepi. Nunc solus prostratus iaceo, omni auxilio destitutus, & à quolibet confusus & derisus.

3. In proximo est dies tui tremendíque iudicij, in quo omnia facta mea vsque ad minimam cogitationem discutientur: reuelabitur ignominia mea, & videbitur opprobrium meum, quia arbor sterilis & infructuosa fui. In ignem æternum proiectus ardebo, & ab eis quibus me sociaui, cruciabor, qui data sententia damnationis æternæ, rapient me; & sine interuallo & absque fine, crudeliter tormenta ministrabunt, à quibus in æternum non cessabunt, nec vlla amplius misericordiæ via mihi patebit.

4. Nihil mihi nunc superest, nisi exuberans misericordia tua. In illa & per illam respiro, quia benignus & misericors es, nec vis mortem peccatoris. Memor esto, quòd Creator meus es tu: & ego creatura tua: ne perdas opus tuum, propter peccata mea. Tu es Redemptor meus, & Saluator. Salua igitur me peccatorem per gratiam tuam, quem damnare potes per iustitiam: cito misericors erga miserum: da pœnitenti veniam, & noli secundum mea merita ferre sententiam. Sed sicut tua misericordia principium vitæ meæ præuenit, sic finem eiusdem concludat, & mecum perpetuò maneat.

CAPVT VII.

Deploratio ad veniam obtinendam.

1. O Misericors & miserator Deus, quis miserebitur mihi, quis auxiliabitur mihi, aut quis consolari me valebit, nisi latitudo charitatis tuæ, altitudo potentiæ tuæ, longitudo meritorum passionis tuæ? Nam dum cogitata perpendo, & perpetrata mente reuoluo, hebetudine cordis deficio. Obtenebratur mihi animus, quia in stuporem vertitur, & dolore conficitur: quia veste innocentiæ, qua tua gratia indutus fueram, penitus reiecta, veste iniquitatis à bonis despecta, me à planta pedis vsque ad verticem capitis cooperui impudenter, qua me formatum deformaui, quia similis tibi eram, & factus sum tibi dissimilis. Prostratus sum & elisus, & non possum me erigere, nec respicere sursum. Villicus sum iniquitatis, apud te multipliciter diffamatus, quia dissipaui bona naturæ, gratiæ, & fortunæ: pauper & spoliatus sum, viuendo iniquè. Hîc fame pereo, & egestate laboro.

2. Surgo igitur & venio ad tuam misericordiam: & dico corde lacrymanti & pœnitenti: Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, peccaui in cœlum & coram te: & substantiam naturæ, gratiæ, & fortunæ, tanquam prodigus expendi, viuendo iniquè: non sum dignus vocari filius tuus; fac me sicut vnum de mercenariis tuis: recipiat me misericordia tua ad osculum: da mihi vitulum saginatum: scilicet tuam gratiam, qua anima mea impinguetur: da mihi lacrymas tibi placentes, & ad te habentes liberum ingressum, quæ longè recesserunt à me. Ne obliuiscaris me, nec auertas faciem tuam à me. Illumina oculos meos, & ostende mihi faciem tuam. Veni ad me; quia longè recessi à te. Doce me venire ad te. Ad te enim venire non possum, nisi tu doceas me; quia tu es via. Procul fac à me omnem errorem; quia tu es veritas. Libera me à morte repentina & æterna; quia tu es vita.

3. Tu qui es misericors, nō permittas me à tua misericordia fieri alienum: & qui expectas ad pœnitentiam peccatorem, benignè suscipe ad te reuertentem. Veniat super me misericordia tua, ignosce mihi per clementiam tuam: ne vltionem tuam in perpetuum sentiam. Non te ostendas mihi durum, qui me inæstimabili pretio redemisti. Audi me clamantem, & aperi ostium pulsanti. Non abiicias creaturam tuam, quam misericorditer creasti. Si ex malitia mea recessi à te, fac, vt benignitas tua reuocet me ad te: vt per pœnitentiæ dolorem, consequar à misericordia tua, quod per Baptismum mihi elementer concessisti: vt cùm dies exitus vitæ meæ aduenerit, tu pius iudex & propitius defensor sis: vt qui tibi in hoc mundo fui seruus inutilis, in tua beatitudine & felicitate perpetua, ineffabiles laudes tuas concinam, & facie ad faciem te intuens, tibi vtiliter seruiam, te laudem, honorem, & glorificem, per infinita sæculorum sæcula. Amen.

BREVIS DOCTRINA PER CONTEMPLATIONES super conuersionem Religiosi, seu alterius peccatoris ad Deum:

Diuisa per duodecim menses anni spiritualis, producentes duodecim fructus Spiritus.



LOquar ad te, Domine Iesu Christe benignissime, quamuis sim puluis & cinis, nulla gratia, sed omni miseria, peccatis meis exigentibus, dignus. In tua namque misericordia, spem & fidem posui & pono, quia me creasti sola pietate tua, & tuo pretiosissimo Sanguine redemisti, vt ad tuam ineffabilem gloriam peruenirem. Tu, clementissime Domine Iesu Christe, decursum vitæ præsentis per annum spiritualem, duodecim menses continentem, homini statuisti: vt si secundùm tua mandata feliciter se gubernaret, duodecim fructus Spiritus, per menses illos, exinde ad cumulum suæ saluationis reportaret.

Contemplatio primi mensis spiritualis.

1. PRimus mensis, est amara compunctio pro peccatis, quæ vocatur Ianuarius, quia contritio est ianua, per quam intratur ad vitæ sanitatem. Et sicut Ianuarius est bifrons, si consideretur prout est finis anni præteriti, & initium futuri, sic vera contritio bifrons est, quia debet plangere flagitia præterita, & proponere alia non committere in futurum plangenda. Et tunc talis producere debet fructum primum Spiritus, qui est charitas: quia contritio non esset accepta tibi, neque esset pars veræ pœnitentiæ, nisi formaretur vera charitate. Quia sine charitate nihil prodest, imò quamuis omni venustate virtutum quis fulgeat, tamen sine charitate nec meritum quis habet, nec præmium.

2. O misericordissime Domine Iesu Christe, quid faciam ego nequissimus peccator, qui licèt infinita & enormia peccata commiserim, & in illis longissimis temporibus perseuerauerim, nondum tamen hunc mensem Ianuarium perfectè intraui; hoc est ad veram contritionem de meis peccatis nondum perueni. Inclina, Domine Iesu Christe, aures tuæ pietatis ad me, & qui sanas contritos corde, sana contritiones cordis mei, vt recogitem tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Perfice in me, vt plangam paululum dolorem meum antequam vadam ad terram tenebrosam & opertam mortis caligine: & inde producam fructum qui est charitas. Fructus enim

enim est honoris & honestatis, quo obtinetur fructus gloriæ sempiternæ, qui numquam marcessit, nec minuitur, sed semper præparatur illis, qui te in veritate diligunt, Domine Iesu Christe: tibi sit gloria, tibi honor, per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Contemplatio secundi mensis spiritualis.

1. ABundantia lacrymarum quæ emittitur pro peccatis, benignissime Domine Iesu Christe, potest dici Februarius, qui est mensis aquosus & pluuiosus, in cuius principio Sol est in Aquario. Vnde sicut in anno vsuali post Ianuarium sequitur Februarius, sic post amaram compunctionem cordis, quæ fit propter peccata commissa, debet sequi abundantia lacrymarum. Cùm enim, Domine Iesu Christe, anima diligenter recogitat quæ miserabiliter commisit, ex illa diligenti consideratione eleuatur in suo hemisphærio quidam vapor verecundiæ, qui condensatur in quadam nube confusionis, quæ postmodum doloris vehementia resoluitur in pluuiam lacrymarum. Et tunc tu, clementissime Domine Iesu Christe, qui es Sol iustitiæ, es in Aquario. Das enim tali peccatori, potum in lacrymis, in mensura, vt videlicet eius mens tantas pœnitendo compunctionis suæ fundat lacrymas, quantas lapsus est antè per culpas. Lacrymæ enim, Domine, tollunt maculam internam, lauant culpam, animam consolantur, corroborant sensus, placant tuam offensam. Omnino namque quod culpa infecit, lacryma tergit.

2. O humilis lacryma, tuum est regnum, tua est potentia. Ante aspectum iudicis intras, quidquid petis obtines, accusantibus inimicis silentium imponis. Imò, quod fortius est, vincis inuincibilem, & ligas omnipotentem. Vbi enim abundas, cogitationes sordidæ non approximant. Ex huiusmodi lacrymarum abundantia, procedit secundus fructus Spiritus, scilicet gaudium; quia vir pœnitens pro peccatis suis lacrymando, simul dolet, quia peccauit, & gaudet, quia confidit dimissam sibi diuina benignitate iniquitatem. Iste fructus est propriè illius ligni quod est plantatum secus decursus aquarum, & flumen lacrymarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. Fructus quidem est, quia gaudium spirituale est, & datur in tempore suo, id est tempore lacrymarum. Nam post lacrymationem, imò simul in illa lacrymatione, gaudium & exultatio effunditur.

3. O misericordissime Domine Iesu Christe, produc de corde meo fontem lacrymarum, riga stratum cordis mei. Lacrymis plorans, plorem in nocte huius mundi caliginosi, & lacrymæ meæ in maxillis meis. Fiant mihi lacrymæ mæ panes die ac nocte, vt fructum veri gaudij consequar, quem nemo à me auferre possit, sed ipsum percipiam in æternum. Amen.

Contemplatio tertij mensis spiritualis.

1. SIcut in anno vsuali, clementissime Domine Iesu Christe, post Ianuarium & Februariũ sequitur Martius, in quo aperiuntur pori, ascendunt & descendunt humores, à vitibus & aliis arboribus superflua amputantur. Sic in anno spirituali, post contritionem & lacrymationem, debet sequi aperta oris confessio, per quam aperiantur labia ad secretorum reuelationem, & amputentur superflua per sacramentalem absolutionem. Nam humiliter confitenti tu remittis peccatum, & Diabolus amittit principatum, quem in corde peccatoris exercuit. Confessio enim est ornamentum animæ, quæ peccatorem purgat, & iustum reddit. Confessio sanat, confessio iustificat, confessio veniam dat peccati: omnis spes in confessione consistit, in confessione locus est misericordiæ.

2. O Domine Iesu Christe, nunc tempus est gratiæ tuæ diuinæ, nunc plenitudo temporis, nunc plena est curia tua, Domine, dulcedine & misericordia, quia ibi reo ostendenti factum suum creditur, nec testes contra eum producuntur, nec alius qui dicat contrà, auditur, & dum clarè crimina per eum perpetrata manifestantur, non condemnatur, sed citiùs absoluitur, & gloria ei æterna promittitur, (si mandatis Ecclesiæ stare voluerit,) & amicus tuus constituitur.

3. O fœlix humilitas pœnitentium, optata spes confitentium, quàm potens es apud omnipotentem, quàm facilè vincis inuincibilem, quàm citò tremendum iudicem conuertis in piissimum patrem! Ex eo namque oritur & producitur tertius fructus Spiritus, scilicet pax. Quia quamuis per contritionem & lacrymationem peccator reconcilietur Domino, & secum faciat pacem, adhuc tamen non habet pacem cum Ecclesia, sed mysticò tertio mense, qui est aperta confessio peccatorum, reconciliatur Ecclesiæ, & perfectè pacificatur cum ea. Adiuuare me digneris, Domine Iesu Christe dulcissime, & aperire cor meum & linguam meam ad confessionem puram, veram, & integram, vt tibi reconciliari valeam, & fructum pacis recipere per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Contemplatio quarti mensis spiritualis.

1. APrilis, Domine Iesu Christe, quasi aperilis, quia omnia aperiuntur in eo, & omnia gramina & flores de terra & arboribus egrediuntur. Tunc enim est Sol in Tauro; tunc terra est aperta agriculturæ & seminationi. Sic etiam debet esse, Domine Iesu Christe, in homine, qui tibi desiderat placere, & animam suam perducere ad tuam gloriam sempiternam. Nam post lamentum veræ pœnitentiæ talis debet pura intentione cordis seminare terram cordis sui per boni propositi conceptionem, & rectam intentionem, & germinare per boni operis executionem, & producere

folia virentia, & flores per honestam conuersationem & exemplorum ædificationem. Sic enim probatur pœnitentia fuisse vera, & cum charitate; quia charitas numquam est otiosa.

2. Hoc est sacrificium, Domine Iesu Christe, quod super omnes hostias quæris & diligis, vt per misericordiæ & iustitiæ opera, nomen tuum vbique laudetur, & Deus verus seruorum tuorum esse, verissimè comproberis. Non enim ex foliis & floribus, sed ex fructu arbor bona cognoscitur, quia opera non vera discernunt inter filios tuos Domine, & filios diffidentiæ: & nisi quis fructum boni operis faciat, exscidetur, & in ignem mittetur æternum. Ideò semper operandum est, quia nec opus, id est, tempus operandi, nec ratio excusandi, nec sapientia allegandi, nec scientia defendendi erunt apud inferos, neque valebunt post mortem, sed tantùm antè. Operari igitur quis debet, dum viuit, quia veniet nox, id est mors, quando nemo poterit operari. Tempus enim seminandi est nunc, Domine, vt in futurum quis colligere valeat.

3. Sed, Domine Iesu Christe, in his operibus necessarius est quartus fructus Spiritus, scilicet patientia, quia sicut agricola, statim ac seminauerit, non percipit terrenos fructus, sed cum patientia expectat: sic agricola spiritualis, cùm seminauerit bona opera & exempla, statim non percipit fructum optatum, imò detractiones multorum. Quia qui piè volunt viuere in te, Domine, persecutiones patiuntur. Ideò patientia est eis fructuosa in præsenti: & fructum æternum percipient tuæ gloriæ, si patientiam perfectè habeant, vt præcepisti.

4. O clementissime Domine Iesu Christe, ego miserrimus peccator parcè seminaui bona opera & exempla. Ideò dubito, quòd paucos fructus colligam in futurum, nisi tua misericordia me iuuare dignetur & meos supplere defectus. Sic spero & confido. Concede igitur mihi gratiam benè operandi, & patientiam constantem, vt sanctum percipiam fructum (te miserante & concedente) gloriæ sempiternæ. Amen.

Contemplatio quinti mensis spiritualis.

1. MAius, Domine Iesu Christe, te ordinante, mensis est alacritatis & amorum, in quo aues maximè gaudent, garriunt & vociferantur, & est tunc Sol in Geminis: quia propter temperiem aëris, & amœnitatem temporis, iucunditas in hominibus geminatur. Sic etiam, Domine Iesu Christe, est Maius aliquis spiritualis. Quia postmẽses spirituales qui pertinent ad peccatorum punitionem & virtutum seminationem, in quibus anima extollitur & fœcundatur, sequitur Maius, scilicet mentis exultatio, gratiarum actio & exhibitio laudis, vt vitium ingratitudinis euitetur. Debet igitur in hoc mense iucunditatis, iucunditas geminari, vt sit in corde lætitia, & in ore gratiarum actio, & vox laudis.

2. Tu, Domine Iesu Christe, semper laudandus es, siue blandiaris in prosperis, siue castiges in aduersis. Laudari namque debes bonis operibus, assiduis

orationibus, & cogitationibus sanctis. Nihil enim tam statum cœlestis habitationis repræsentat, sicut alacritas iucundantium in te. Igitur qui ad tuum, Domine, consortium peruenire cupit, studeat cum affectu te laudare & amare. Non debet etiam tardus esse aut piger in referendo tibi, Domine, gratias, sed debet addiscere ad singula tua dona gratias referre, vt sic nulla dona tua, debita gratiarum actione frustrentur. Colligenda enim sunt fragmenta non solùm maiora, sed etiam mediocria, sed etiam pusilla, ne pereant; id est quòd etiam minora beneficia tua non sunt danda obliuioni.

3. Ex his, Domine Iesu Christe dulcissime, producitur quintus fructus, qui est lõganimitas. Nihil enim, Domine, in ista vita sic facit expectare longanimiter absque afflictione spiritus, illud quod homo vehementer desiderat, sicut spirituale gaudium & iucunda vita. Iste est fructus oris laudantis & benedicentis te, Domine. Tu namque, Domine, moues illum, qui istum mensem ad tuum beneplacitum obseruat, dicens ei: *Expecta Dominum, &*
Psal. 26. *viriliter age*. Tu enim, Domine, non fraudas debitores te expectantes, quia vniuersi, qui te expectant, non confundentur. Et si tardiùs quis auditur, non propter hoc credendum est, quòd à te, Domine, negligatur.

4. Sed, misericordissime Domine Iesu Christe, quomodo possum ego iniquissimus peccator, & tibi ingratus, producere aut habere istum fructum, qui non habui mentis exultationem, nec gratiarum actionem, neque laudis exhibitionem, sed habui ingratitudinem, multa peccata deliberatè perpetrando? Succurre mihi, Domine, misericordia tua, quæ peccata mea deleat, & ad gratiarum actionem cor meum prouocet per bonorum operum effectionem, vt expectatum hîc placitum inueniam in futurum. Amen.

Contemplatio sexti mensis spiritualis.

1. SIcut, benignissime Domine Iesu Christe, in Iunio qui immediatè sequitur Maium, humores desiccantur in radicibus, fœna secantur, & omnia ad maturitatem tendunt, & Sol est in signo Cancri. Sic in Iunio spirituali post strenuitatem operationum, post alacritatem gratiarum actionum, humores corrupti & nociui desiccantur per illicitorum motuum repressionem, desiccantur fœna per carnis macerationem, quia omnis caro fœnum. Sic in concupiscentia carnis vltrà non procedit homo, sed facit retrogradationem: sicut Sol materialis, quando est in Cancro, facit retrogradationem. Sic etiam omnia seminata, vel concepta, tendunt ad perfectam maturationem, aliter non debet expectari fructus, nisi fructus mortis, dicente
Rom. 8. Apostolo: *Si secundum carnem vixeritis, moriemini*. Caro namque infert bellum animæ, & illam pro posse demergit in foueam infernalem, quia suggerit vanas voluntates, sollicitudinibus onerat, contumelias suggerit, præceps est ad odium, & prona est ad omne malum. Ideò mortificari debet, & domari.

2. Et tunc producit homo sextum fructum Spiritus, qui est bonitas, id est dulcedo animi. Cùm enim amaricatur caro, anima dulciter requiescit.

Pretiosus est iste fructus: quia non solùm est dulcis, sed ipsa dulcedo. Et tanta dulcedo, Domine Iesu Christe, homini, quòd totum mare huius mundi dulcorat. Iste namque fructus, propriam corruptionem hominis sanat, quia scriptum est. *Dulce animæ sanitatis est officium.* Iste insuper fructus ab igne tribulationis hominem sanat, gratiam in corripiendo tribuit. *Verbum namque dulce multiplicat amicos.* Prou. 16. Ecclesiastici. 6.

3. O clementissime Domine Iesu Christe, ego prauissimus peccator carnem miseram non mortificaui per illicitorum motuum repressionem, & sic humores nociuos & corruptos in anima non desiccaui, sed amplius quotidiè pullulare permisi. Nec fit in me ex magna malitia mea retrogradatio vitiorum, sed potiùs augmentatio & accumulatio ipsorum. Respicere me digneris, misericordissime Domine Iesu Christe, oculo pietatis & misericordiæ tuæ, vt non secundùm peccata mea facias mihi, sed clementer indulgere mihi digneris peccata remittendo. Concede mihi gratiam, vt carnem mortificando, & subiugando animæ, fructum immensæ tuæ beatitudinis percipiam, per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Contemplatio septimi mensis spiritualis.

1. CReator & dispensator omnium rerum, Domine Iesu Christe, Iulius est mensis calidissimus, tam ex Sole, quàm ex signo calidissimo Leonis, quod tunc Sol subintrat, ac etiam ex sidere calidissimo, scilicet Canicula, quæ tunc oritur. Sic in Iulio spirituali, postquam culpæ sunt deploratæ, virtutes sunt seminatæ, post laudis exhibitionem & carnis macerationem sub sidere calidissimo charitatis calidioris quàm sit Canicula, & fortioris quàm sit Leo, quia fortis est vt mors dilectio, excitatur ardor dilectionis, per quem homo depuratur, eleuatur, transformatur, & sufficienter disponitur ad percipiendum suauitatem cœlestium pigmentorum. Quàm dulcis es & suauis charitas, quæ fessos alleuias, debiles roboras, mœstos lætificas, & iugum suaue facis, & onus leue vitæ humanæ. Sine dolo mulcet, patienter nouit irasci, & humiliter indignari. Et sicut sine via, nullus potest peruenire quò tendit: ita sine hoc sidere charitatis, homo non potest rectè ambulare, sed errare.

2. Ex hoc, Domine, producitur septimus fructus qui est benignitas, & donandi largitas. Cùm enim anima sic ardet dilectionis igne, tunc est ad erogandum largissima. Tunc etiam dat se tibi per adhæsionem veram, sibi ipsi per carnis subiectionem, & proximo per compassionem. Tu, Domine, dabis benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum. Hæc autem benignitas, Domine, est virtus lenis, blanda, tranquilla, omnium donorum aperta consortio, inuitans ad sui familiaritatem, dulci alloquio, & moribus temperata.

3. O benignissime Domine Iesu Christe, hunc fructum benignitatis non potest producere cor meum, quia sub sidere calidissimo charitatis non vixi, sed sub sidere frigidissimo odij, & rancorum, & aliorum diuersorum vi-

tiorum. Vnde ad tuam misericordiam recurro, Domine Iesu Christe, indulgentiam de peccatis meis humiliter implorando; vt digneris mihi misericorditer indulgere, vt sub sidere veræ charitatis viuendo, fructum tuæ benignitatis percipiam in æternum. Amen.

Contemplatio octaui mensis spiritualis.

1. GVbernator temporum es, Domine Iesu Christe, qui prout placet, vbi illa ordinas & disponis, omnia obedire tibi tenentur. In Augusto, Domine, fruges colliguntur, & in horrea reconduntur. Tunc enim Sol est in Virgine, quoniam sicut virgo videtur sterilis & infœcunda, quia suis fructibus est orbata; & sicut Augustus sequitur immediatè Iulium; sic in anno spirituali, post magnam inflammationem mentis, sequitur perfectio humilitatis, per quam colliguntur merita, ac reconduntur, & absconduntur aduersariis, & per hoc optimè custodiuntur, quia deprædari desiderat, qui thesaurum in via publicè portat. Quamuis enim charitas aperiat oculos mentis; respectu tui, Domine, respectu etiam proximi, & respectu defectus proprij, claudit tamen eos respectu profectus & virtutis propriæ. Vnde post magnam mentis inflammationem, est, Domine Iesu Christe, in anima veri iusti, signum Virginis. Tunc enim anima videtur sibi sterilis & infœcunda, sicut virgo, & bonorum operum fructibus spoliata. Et quamuis sic sibi appareat in conspectu tuo; tamen, Domine, est augusta, & in Augusto; id est ab augendo dicta, quia scriptum est, *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* 1. Pet. 5.

2. Et tunc, Domine, nascitur & producitur octauus fructus Spiritus, qui dicitur mansuetudo. Et certè, Domine Iesu Christe, nihil mansuetius, nec fructuosius humilitate. Nam anima humilis breuis est in propria reputatione, & tamen initium dulcoris habet fructus eius, quia sine humilitate, nullum spirituale est dulce; imò totum dispergitur. Quia qui sine humilitate virtutes conquirit, quasi iumentum paleas portat. Mansuetus igitur, Domine, nec irritat malum, nec irritatur à malo, nec aduersùs eum præualet causa peccati, nec aduersùs alterum aliquando nascitur causa peccandi; sed magis contentus est iniuriam pati, quàm facere.

3. O amantissime Domine Iesu Christe, ego nefandissimus peccator sterilis sum & infœcundus, ac fructibus bonis orbatus, sed fœcundus sum in perpetrandis vitiis & peccatis, nullam in me mansuetudinem habens. Propter malitiam meam, Domine ad istam infertilitatem perueni quia tu plures aspirationes bonas, ad benè operandum mihi clementer concessisti, quibus vti recusaui, sed ad peccata mea effectualiter inclinaui. Succurre mihi, Domine Iesu Christe, per tuam magnam misericordiam. Dele iniquitates meas, & da mihi mansuetudinem, & veniam in præsenti: vt te mansuetum & beneuolum inueniam in æternum. Amen.

Contemplatio noni mensis spiritualis.

1. SIcut in Septembri, Domine Iesu Christe, vindemia est matura, & racemi colliguntur in cartallo, qui quidem September immediatè sequitur Augustum; sic in anno spirituali, Domine, post mentis inflammationem & humilitatem, distillat in anima suauitas tuæ spirationis. Ministratur namque ei vinum cœleste lætificans cor hominis; introducitur in cellam vinariam sponsi sui; id est, tui, qui es eius sponsus, vbi inebriatur ab vbertate domus tuæ. Datur autem iste potus cœlestis patriæ, qui quasi est infinitus; vnde in Septembri Sol est in signo Libræ: ad designandum, Domine, quia omnia dona tua, in hac vita sunt mensurata & librata. At respectu donorum æternæ patriæ non est mensura. Hîc donum mixtum est cum dolore, quia quandoque dulcia, quandoque amara præparas peccatoribus, vt ad te conuertantur. Sed ibi erit donum consolationis sine commixtione tristitiæ, quia scriptum est: *Gaudium & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus.* Isa. 35.

2. O dulcissime Domine Iesu Christe, veniat mihi tui saporis misericordia, & inenarrabilis fragrantia, quæ semper malas in me exsiccet concupiscentias, & in corde meo producat venas aquæ salientis in vitam æternam. Dulcescat mihi, Domine, dulcedo non fallax, dulcedo felix & secura, recolligens me à dispositione iniqua. Frustrà dimissus sum, dum à te, imò aduersum te, in multa euanui. Suauissima igitur, Domine, est dulcedo tua & perfecti saporis, non palato carnis, sed palato mentis.

3. Ex hoc, Domine Iesu Christe, nascitur & producitur nonus fructus Spiritus, qui dicitur fides. Cùm autem in hac vita gustat vir iustus aliquam scintillam cœlestis dulcedinis, iam habet certitudinem. In cœlo vnde scintillæ fluunt spiritualis dulcedinis, consolatio semper plena est. Fides namque inuisibilium est certitudo. Vnde aliter fides pro virtute, & aliter hîc pro fructu Spiritus. Et ideò anima sic lætificata potest dicere cum Psalte: *Dedisti lætitiam in corde meo, à fructu frumenti, vini, & olei tui, multiplicati sunt. In pace in idipsum dormiam, & requiescam,* Psal. 4.

4. Sed, clementissime Domine Iesu Christe, ego miserrimus peccator præmissa cum veritate dicere non valeo, quia delectationes meæ fuerunt mundanæ, & in rebus transitoriis & peccatis diuersis, quæ nullius fælicitatis sunt, nullius gloriæ, nulliúsque beatitudinis, Auxiliari mihi digneris, Domine Iesu Christe, peccata misericorditer remittendo, consolationem mundanam à me misero penitùs auferendo, & delectationes spirituales clementer concedendo: vt ad tuam interminabilem delectationem, tua pietate donante, valeam peruenire. Amen.

Contemplatio decimi mensis spiritualis.

1. OCtober, piissime Domine Iesu Christe, est mensis qui in principio sui est calidus, & in fine frigore captus pungit, vnde in medio Octobris Sol subintrat signum Scorpionis, qui est vermis facie blandiens, & cauda pungens. Sic est, Domine Iesu Christe, te miserante in Octobri spirituali: quia post dignam peccatorum compunctionem, post deuotam mandatorum tuorum impletionem, & iucundam diuinorum mysteriorum gustationem, immediatè sequitur iste October spiritualis, qui est in principio calidus & in fine frigidus, facie vngit, & cauda pungit, In quo si homo considerat peccata, quæ commisit, & beneficia quæ recepit, præmia Sanctis debita, & supplicia peccatoribus designata & parata, ista consideratio priùs calefacit & vngit, considerando beneficia & præmia; secundò autem infrigidat & pungit, considerando peccata & supplicia.

2. O Domine Iesu Christe, nulla sunt mea merita comparatione donorum tuorum. Considero, Domine, misericordiam tuam, & beneficia tua, & considero quæ merui. Cùm beneficiis cœlestibus facta mea perpendo; cùm diuinis muneribus, actus meos meditor, & cùm intelligo, memoror, iudico, quid sum, quid fecerim, calefaciunt & vngunt tua beneficia cor meum. Sed excludi, Domine Iesu Christe, à bonis propter peccata, & alienum effici ab iis quæ præparata sunt Sanctis tuis, tantum hæc ingerunt cruciatum, tantùmque dolorem, vt etiam si nulla extrinsecus pœna torqueret, hæc sola sufficeret. Quemuis enim gehennæ exuperat cruciatum, carere propter peccata bonis, quibus potestatem quis habuerit perfrui. Vnde ista considerando infrigidari debet cor meum miserum.

3. Et ideò vir iustus ex his producit decimum fructum spiritus, qui est modestia, id est, moditenentia. Ista enim, Domine, consideratio facit semper in dictis & in factis tenere modum, & excedere nunquam. Iste est fructus floridus, & honorabilis, fructus honoris & honestatis.

2. O clementissime Domine Iesu Christe, ego miserabilis peccator, istam considerationem habui in memoria, sed viuendo secundùm carnem, multa crimina perpetraui, & diuersis voluptatum illecebris animum meum dedi. Succurre mihi, Saluator meus, non perdas pretium tui pretiosissimi Sanguinis in me, sed dele misericorditer peccata mea, exuberante clementia tua, qua me perducas ad vitam æternam. Amen.

Contemplatio

Contemplatio vndecimi mensis spiritualis.

1. PIissime Domine Iesu Christe, in mense Nouembri Sol subintrat in signo Sagittarij, quia nunc emittit sagittas pluuiæ, sagittas niuis, & sagittas grandinis, sic etiam in Nouembri spirituali, vir spiritualis & iustus debet esse, Domine, in Sagittario, vt sagittet peccatores. Primò sagittis pluuiæ, promittendo suauitatem tuæ misericordiæ diuinæ. Secundò sagittis niuis, reuocando ad memoriam frigiditatem mortis vicinæ. Tertiò sagittis grandinis, intorquendo terrorem extremæ sententiæ, vt sic Octobri spiritualis considerationis interueniente, succedat Nouember spiritualis, per eruditionem doctrinæ. Non enim talis debet esse mollis, sed resolutus, fortis, & per cuncta robustus; nec debet quisquam attingere præclari muneris functionem, nisi paratus sit animam suam millesies tradere in discrimen, atque mortem. Meticulosi namque in lege repelluntur.

2. Ex hac igitur emissione sagittarum, Domine Iesu Christe, producitur & nascitur vndecimus fructus Spiritus, qui dicitur continentia. Vir namque iustus, vt possit meliùs sagittare peccatores, debet continere se, non solùm ab illicitis, verùm etiam à multis licitis. Sic autem vitam prolongat, tam spiritualem, quàm corporalem, quia qui abstinens est, adiiciet vitam quietam. Nam quieta est, Domine Iesu Christe, continentiæ vita: quam non inquietat vxorum suspicio, non sollicitat ancillarum sumptus, non conturbat filiorum peruersitas, quæ munditiæ gignit florem, puritatis parit fructum, & bonæ conscientiæ præfert odorem.

3. O misericordissime Domine Iesu Christe, ego impiissimus peccator tanta mentis frigiditate constrictus sum, & sic à vera charitate tui & proximi separatus ex mea mera malitia, quod huiusmodi eruditionem doctrinæ à meipso expuli, & aspirationes salutares, quas super hoc frequenter dedisti, præsumptuosè abieci; & ad peccata committenda animum inclinaui; & illa ad effectum miserabiliter perduxi. Et sic fui, cùm cor continentiæ non addixi, sed ad incontinentiam cor miserum & immundum laxaui.

4. Adiuua me, Domine Iesu Christe clementissime, in tanta miseria constitutum, ne sic miserabiliter finiam dies meos; sed indulgere misericorditer mihi digneris, vt continenter viuendo, charitatem perfectam ad te, & proximum habeam in æternum. Amen.

Contemplatio duodecimi mensis spiritualis.

1. DVlcissime Domine Iesu Christe, in Decembri vsuali, est solstitium. Tunc enim tantum est Sol à nobis remotus, quòd non potest à nobis plus elongari; & tunc est Sol in signo Capricorni. Caper enim suis cornibus petit superiora; sic Sol cùm est in illa parte Zodiaci, incipit ascendere versus arietem & cancrum. Sic est, benignissime Domine Iesu Christe, te miserante & adiuuante in Decembri spirituali. Nam post condignam peccatorum compunctionem, post deuotam mandatorum impletionem, ac iucundam diuinorum mysteriorum prægustationem, homo perfectus sic est à mundo separatus, & à vita carnali iam mortuus, quod plus non possit elongari. Et tunc existentem in spirituali Capricorno, ipsum tædet viuere. Fastidiosum est ipsi quidquid in hac vita placet, & mentis suæ cornibus, intellectu & affectu, superiora quærit: cupiens cum Paulo dissolui, & esse tecum in gloria, in qua vna est omnibus inseparabilis singulorum voluntas, ab omni malo libera, & omni bono impleta, indefectualiter fruens æternorum iucunditate gaudiorum, abluta à culpis oblitáque pœnarum, nec tamen ita suæ liberationis oblita, vt tibi, Domine, qui es liberator eius, sit ingrata.

2. Ex his namque vir iustus & perfectus, profert & producit duodecimum fructum spiritus, qui dicitur castitas. Tunc enim anima tamquam sponsa castissima, abhorrens fornicari à te, de suo cubiculo amplexus tuos castissimos desiderat; & suis cornibus pulsat ad ostium, vt introducatur per te misericorditer, in tuum æternum cubiculum, vbi de ipsa dicatur, *hæc quæ nesciuit thorum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum.*

3. O misericordissime Domine Iesu Christe, confiteor me fuisse elongatum à tanta perfectione ex magna iniquitate mea; quia à mundo non me separaui & tibi adhæsi, sed viuere cum eo volui: intellectum & affectum ad cœlestia non direxi, neque fructum continentiæ exinde produxi. Adiutor clementissime, dignare adiuuare me; digneris misericorditer parcere peccatis meis. Tolle miserrimum animum meum ab istis transitoriis & caducis. Eleua illum ad te, vt tibi obediam & placeam, gratias incessanter referam, beneficia tua humiliter recognoscam; In fine, te misericorditer donante, ad tuam sempiternam gloriam perueniam. Amen.

CONTEMPLATIO DEPRECATORIA de conflictu assiduo inter animam & carnem.

CAPVT I.

De conflictu diuitiarum & paupertatis.

1.  MNIPOTENS & misericors Deus, inclina aures tuæ pietatis & misericordiæ ad me fragilem & miserum peccatorem, in bellis continuis & periculosissimis constitutum, magnámque vim & violentiam assiduè patientem, quæ euadere nullo modo valeo per meipsum nisi immensa clementia tua adiuuare me digneris. Te namque misericorditer inspirante, anima mea mundi diuitias vilipendit, sciens quoniam diuitiæ pungunt eam, lacerant, & affligunt, quoniam inducunt eam in tentationes, prouocant ad peccandum, auferunt charitatem, tollunt quietem, sunt momentaneæ, & sine labore mentis & corporis non acquiruntur, sine timore non possidentur, absque dolore non amittuntur.

2. Et ideò beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum; quia tales, nec intrinsecùs per auaritiam vtuntur; nec extrinsecùs per controuersiam læduntur, sed sursum per desiderium eriguntur, & eligunt abiecti esse in domo tua Domine, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Sed misericordissime Domine Deus meus, caro mea misera, stimulante mundo labili, contra animam dimicat, natura ei repugnat, & consuetudo resistit, vt vincant animam & superent, & de ipsa triumphent. Abhorret namque caro misera & infirma, paupertatem, & diuitias amplexatur, quia paupertas est ei dura, & diuitiæ suaues, & ita nimia importunitate & violentia, nititur animam subiugare.

3. O munde immunde, hæc pugna à te procedit, bellum ingeris, & sensualitatem fatuam prouocas in tui adiutorium. Sed quare sic impugnas animam meam tuis momentaneis diuitiis, cum quibus peribis tu, & concupiscentia tua? Tu enim multa promittis, & pauca reddis: imò sic fallax es & defectuosus, vt quos hîc tuis diuitiis extollis, in fine nudos dimittas. Nihil in te amator tuus habet, nisi dolorem & lacrymationem, laborem & fatigationem, horrorem & confusionem, transitum & corruptionem, fraudulentiam & deceptionem. Et licet videaris nutritor corporum, tamen carcer es animarum. O durum bellum, fortis vis, grauis difficultas, magna violentia: quæ sic infeliciter animam meam trahitis ad infernum.

4. O Domine Deus omnipotens, qui dixisti & facta sunt, mandasti & creata sunt, qui cuncta fecisti & nosti antequam fierent, tibi sunt futura præterita, vel potiùs tibi sunt præsentia omnia tam præterita quàm futura. Qui vocas stellas: & dicunt, Assumus: qui facis angelos tuos spiritus, & ministros tuos flammam ignis. Tuæ voluntati nihil omnino resistit. Tibi nullum verbum est impossibile. Tibi venti & mare obediunt, & tibi flectitur omne genu, cælestium, terrestrium, & infernorum.

5. Fac mecum misericordiam tuam, vt in isto conflictu grauissimo non desperem. Tu enim non solum recipis pœnitentes, verùmetiam trahis ad te peccatores. Tu patiens es, & misericors, & præstabilis super malitiam, suauis, ac mitis, & copiosus in misericordia omnibus inuocantibus te. Te igitur humillimè toto corde inuoco: da robur & fortitudinem spiritui meo, vt mundum labilem vincat, & carni miseræ viriliter dominetur, ac illas diuitias solummodò diligat, quas fures non effodiunt nec furantur, téque solum vitæ æternæ thesaurum, inueniat & perenniter diligat. Amen.

CAPVT II.

De conflictu gulæ & abstinentiæ, luxuriæ & continentiæ.

1. ADhuc Domine Deus meus, grauissimam & assiduam pugnam patior. Cùm enim prima inhibitio quæ facta fuit homini, de ciborum extiterit abstinentia, quam dum ipse custodiuit, feliciter perstitit; ad abstinentiam & ieiunium frequenter spiritus meus se disponit, vt sic possit iram tuam placare, abs te veniam impetrare, pœnam vitare, nequitiam extirpare, munditiam retinere, & gratiam obtinere. Ista enim omnia ieiunium operatur. Sed misera caro se illi ex aduerso opponens, auiditatem edendi commouet, gulam incitat, appetitum prouocat, voluptates ingerit, diuersitatem ciborum exquirit, varietatem saporum affectat, contemnit sufficientiam, & superfluitatem desiderat, & non solùm in variis ferculis & lautis cibariis desiderium suum ponit, sed etiam horam præuenit ex appetitu inordinato. Nam voluptas sub necessitate latitans, dum necessitas solui debitum sibi quærit, suum expleri desiderium appetit, tantóque facilius illam gula in præceps rapit, quantò honestiore nomine necessitatis se contegit.

2. Verùm Domine Deus meus, quia frenum abstinentiæ non restringo, grauior pugna insurgit. Cingulo namque castitatis laxato, venerem amplectitur misera caro cogitationibus importunis. Familiaris autem nimium est iste hostis; & ideò difficilius potest euitari. Habitat namque non procul, sed propè, non extra, sed intra. Nam virtus eius in lumbis eius, & fortitudo illius in vmbilico ventris eius.

3. O misera caro, quid te mouet vt meam animam velis spoliare virtutibus, & deiicere in infernum? Tu namque cunctis virtutibus denudata es; ideóque diceris caro à carendo, quia cares omni bono. Tu es illa terra Adam, quæ fuit à Deo maledicta. *Maledicta* (inquit) *terra in opere tuo: non*

dabit fructus suos: sed spinas & tribulos germinabit tibi. Idest desideria mala, & delectationes, in te germinabunt. Tu misera caro, cares status firmitate. Quia modò es sana, modò ægra, modò tristis, modò læta, modò turpis, modò pulchra, modò viuens, modò mortua; & quasi flos transis, & velut vmbra fugis, & numquam in eodem statu permanes. Tu cares mentis puritate, & quicquid tangis, aut tibi sociatur, maculas. Tu cares morum honestate, nisi stimulis coarcteris. Et quid tibi caro misera proderit, si animam meam præcipitaueris in gehennam; cùm tibi quoque cum ea, pœna gehennæ post tremendum iudicium præparetur, si in hoc tuæ ditioni subiugaueris ipsam?

4. O Domine Deus meus, scrutans corda & renes, qui pluuiæ guttas, & arenas maris dinumeras. Deus scientiarum Dominus, qui omnia scis, omnia penetras, perspicax occultorum omnium explorator, tu non vis mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat, qui non venisti vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam, qui venisti quærere & saluare quod perierat, qui dixisti: *Non egent qui sani sunt medico, sed male habentes.* Effunde igitur super me misericordiam tuam, ne tantam vim patiar quæ animam meam sic miserabiliter captiuet, sed comprime hostium vires, & carnem miseram animæ meæ subiugare cum effectu dignare: vt de ipsis victoriam obtinens, te laudem liberatorem meum in perpetuas æternitates. Amen.

CAPVT III.

De conflictu humilitatis & inanis gloriæ.

1. QVid amplius faciam Domine Deus meus? vexat enim me multipliciter aliud luctæ genus, scilicet inanis gloria: quia mundani fauoris aura me miserabiliter demulcet, laudum præconia mihi applaudunt, & adulationis lingua blanditur, & sic caput meum nequissimi peccatoris, tale oleum impinguat. Rapior in altum, attollor ad summum, erigor in excelsum, inferiorem me non reputo, humiliorem præsertim corde non exhibeo, nec minorem me ostendo. Sicut autem præconia me exhilarant & extollunt, sic opprobria me deiiciunt & contristant. Et licet quandoque laudem humanam non appetam, oblatam tamen cum delectatione suscipio.

2. O humani generis inimice, inuentor mortis, superbiæ institutor, radix malitiæ, scelerum caput, princeps omnium vitiorum, & omnium voluptatum persuasor, quare sic vexas animam meam? quid te ad hoc inducit? quid tibi prodest hæc importuna vexatio, cùm potiùs scias hoc tibi nocere, quia quantò magis me ad peccandum inducis, tantò amplius tua pœna augescit?

3. O Domine Deus meus qui es iudex iustus, fortis & longanimis, & metuendus super omnes deos, requirénsque tua vsque ad nouissimum qua-

drantem, qui nec prece, nec pretio, nec amore, nec odio, declinas à semita rectitudinis, sed via regia semper incedis: nullum malum deseris impunitum, nullum bonum irremuneratum relinquis. Quis ergo stabit ante conspectum tuum, cùm horrendum sit incidere in manus tuas? Quòd si iustus vix saluabitur, ego impius & peccator vbi parebo? Sed absit Domine Deus meus, vt de tua misericordia desperem: quoniam miserationes tuæ super omnia opera tua. Non enim ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos: sed secundùm tuam misericordiam saluos nos fecisti.

4. Multum Domine peccauit Cain quando interfecit Abel: sed magis peccauit cùm ait: *Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear.* Absit enim
Eccl. 24. Domine, vt maior sit iniquitas mea, quàm misericordia tua: cùm defectus à bono, qui est iniquitas, summo bono comparari non possit, quæ est misericordia tua, Deus. Ne autem hac elatione extollar ampliùs, compesce Domine vires inimici, & da mihi misericorditer veram humilitatem, quæ in me violentum motum elationis cohibeat, & prudenter excessum arrogantiæ moderetur: vt in humilitate tibi placeam, tibíque humiliter seruiam in sæcula sæculorum. Amen.

CAPVT IV.

De conflictu diligentium & non diligentium inimicos.

1. TVam maiestatem latere non potest sempiterne Deus meus, quòd vim nimiam patior, quia dum spiritus meus inclinatur iuxta præceptum tuum, ad diligendum inimicos, ad orandum pro persequentibus & calumniantibus, ad remittendas iniurias illatas, & ad benefaciendum iis qui odio me habent, vt inde anima mea efficiatur filia tua, necnon ad ferenda omnia aduersa patienter; caro mea miserrima, cum suis adiutoribus pro virili repugnat, iniuriam reuocat ad animum, accenditur ad iram, rapitur in furorem, præ magna impatientia vindictam perquirit, damnum inimici procurat, in verba contumeliosa prorumpit, murmurat, & detrahit, & sic animæ meæ reluctatur, eámque nititur captiuare.

2. Quare ô tu, qui es verus Dauid manu fortis, qui vicisti vrsum, superasti leonem, prostrasti Philistæum: adiuua me in hoc periculoso duello. Confido namque de tua magna misericordia, non solum me veniam adepturum, sed etiam gloriam obtenturum. Pono enim Domine Deus meus, ante oculos meos, mulierem quę erat in ciuitate peccatrix, quæ multa, te testante, peccata habuit. Pono ante oculos meos, mulierem deprehensam in adulterio. Pono ante oculos meos latronem: qui propter homicidium & seditionem missus fuerat in carcerem, & deinde suspensus in cruce. Pono ante oculos meos Dauid, priùs adulterum & homicidam, posteà factum prophetam. Qui omnes Domine, materiam confidentiæ mihi præbent de tua infinita misericordia.

3. Sed quia ſcripturæ, in hoc mundo promittunt tribulationes & anguſtias, preſſuras & augmenta dolorum, abundantiámque tentationum, tu miſericors Domine, dignare me præparare ad patientiam, ne deficiam imparatus. Compelle igitur Domine rebellem carnem meam, vt ſubiiciatur ſpiritui, nec ei vltra dominetur: vt poſſim animam meam in patientia poſſidere, & ad tuum ſeruitium ad quod eam creaſti, conſeruare in ſempiternum. Amen.

CAPVT V.

De conflictu malarum & bonarum cogitationum.

1. IMportunè vexor, & magnam violentiam patior Domine Deus meus: quia variæ & noxiæ cogitationes diſſipant cor meum, & ſeparant ac diuellunt animam meam à te. Iſta eſt mihi Domine pugna domeſtica, quæ quanto eſt familiarior, tanto grauior eſt, & periculoſior. Sed quis Domine Deus, creator & redemptor meus, malarum cogitationum inſultum vitare poſſit?

2. Scio vtique Domine, quòd non eſt in hominis poteſtate, facere, ne ſurgant. Vtinam ſit in eius virtute, facere ne creſcant: quia paruulæ me vehementer affligunt; adultæ perimunt violenter. Primos quippe motus, Domine, non poſſum non ſentire, quamuis illis poſſim non conſentire. Iſta pugna, Domine, mihi aſſidua eſt, nec me dimittit: ſiue vigilem, ſiue dormiam, aut quippiam boni cogitem, dicam, aut faciam; ſemper enim & vbique me inuadit: nec importunitate grauatur, nec continuatione laſſeſcit, nec tempore perit, ſed per vſum vetus eſt, & per augmentum quotidie renouatur. Iſta ſunt iacula quæ præmittit inſidiator antiquus. Iſti ſunt præcurſores, proximum aduentum inimici generis humani denunciantes.

3. O benigniſſime Domine Deus meus, adiuua me in hac pugna, quia tu es creator & redemptor meus: hominem namque creaſti & redemiſti. Magnum quidem eſt quòd creaſti: ſed maius eſt quòd redemiſti, nam creando, factus eſt homo ad imaginem & ſimilitudinem tuam: ſed redimendo, factus fuiſti, Domine, totius bonitatis & clementiæ, ad imaginem & ſimilitudinem hominis. Quia temetipſum exinaniuiſti, formam ſerui accipiens. Magnum autem eſt habere ſimilitudinem tuam: ſed maius eſt quòd tu aſſumpſeris imaginem & ſimilitudinem noſtram, maius inquam ratione dignitatis & etiam vtilitatis.

4. Quis ergo diffidere poſſit, Domine Deus meus, quin miſerearis illius quem feciſti ad imaginem & ſimilitudinem tuam? Nemo certè. Sed multò quoque minus dubitare valeat Domine, quin tu miſerearis illius propter quem exinaniuiſti temetipſum formam ſerui accipiens. Miſerere igitur mei Domine per meritum ſacratiſſimæ incarnationis & paſſionis tuæ, & pugna pro me in hoc quotidiano prælio, vt non vincar, ſed vincam per cogitationes bonas & operationes ſtudioſas, & triumphem de ipſo inimico, ac cum ſanctis tuis tibi ſeruiam in ſæculorum ſæcula. Amen.

CAPVT VI.

De conflictu malarum consuetudinum.

1. AD fortificandum, Domine Deus meus, prædicta certamina contra animam meam, inualuit consuetudo inueterata, quæ adiuuat carnem miseram ac defendit. Durum namque est illi apprehendere disciplinam: & proinde conatur spiritum restinguere, ne transeam de dulcibus ad amara, de placidis ad molesta, de prosperis ad aduersa, de epulis ad ieiunia, de voluptate ad pœnitentiam, de fabulis ad silentium, de somnolentia ad vigilias, de simultate ad dilectionem, de vanis cogitationibus ad sanctam contemplationem, de inani gloria ad humilitatem, de lubricitate ad continentiam, de diuitiis transitoriis ad paupertatem, & de libertate carnis ad seruitutem Dei.

2. O Domine Deus meus, durum est istud bellum, magna est ista violentia; imò tanta, quòd sine potentissimo adiutorio tuo, vincere non valeam. Adiuuare igitur me digneris misericorditer, tu Domine, qui tantùm dilexisti mundum, vt Filium tuum vnigenitum dares pro mundo; cuius sanguis clamat pro nobis ad te; qui exauditur in omnibus pro sua reuerentia. Aduocatum enim habemus apud te, Iesum Christum iustum, qui semper interpellat pro nobis, signa passionis ostendens, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Redempti enim sumus, non corruptibilibus auro vel argento, sed pretiosissimo sanguine agni immaculati.

3. Tibi Domine Deus meus attribuitur, quicquid pertinet ad potentiam. Diuinam autem potentiam euidentiùs nihil manifestat, quàm iustificare impium, nam hoc est trahere peccatorem iuxta quod legitur: *Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maxime & miserando manifestas.* Melius enim est iustificare, quàm creare: cum creando detur natura, iustificando verò & auferatur culpa, & conferatur gratia. Ostende igitur Domine omnipotentiam tuam in me miserabili peccatore: vt quamdiu in præsenti sæculo militabo, victoriam de inimicis meis te adiuuante obtineam, quia non est alius qui pugnet pro me, nisi tu Deus meus, cui seruire, quem laudare cupio in sempiternum. Cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

CONTEMPLATIONES DE SEPTEM donis Spiritus ſancti contra ſeptem peccata mortalia.

CAPVT I.

Prima contemplatio de dono timoris, contra peccatum ſuperbiæ.

1. VENI ſancte Spiritus in animam meam peccatis diuerſis miſerabiliter tenebreſcentem. Nam hoſtis iniquus vt faciliter de peccato in peccatum ipſam præcipitaret, excæcauit in ea oculum rationis, vt ſic capta per exteriora vagando, in ſuperbiam, quæ eſt principium omnis peccati erigeretur, & virtutes deſtrueret ac eneruaret, & ſeipſam opponeret ſuo Creatori. Veni igirur ſancte Spiritus, & emitte cœlitus in animam meam, donum timoris, quod eſt fundamentum omnis boni ſpiritualis, per quod ad cognitionem ſui anima illuſtretur. Nam illuminata ex cogitatione & conſideratione ſuæ fragilitatis, & culpæ ac vilitatis, ac diuinæ iuſtitiæ & ſeueritatis, humiliter, ſicut decet, timens, parenti caput ſubmittit & humiliat, ne lædatur. Mitte ergo ſancte Spiritus in eam donum timoris, fundamentum omnis boni ſpiritualis, vt ſic expellatur & euaneſcat ſuperbia, principium omnis mali. Nam nihil æquè efficax eſt ad gratiam promerendam & retinendam, quàm ſi in omni tempore coram Deo inueniatur anima non altum ſapere, ſed timere, quia ſcriptum eſt: *Timenti Deum non occurrent mala, ſed in tentatione Deus illum conſer uabit, & liberabit eum à malo.* Eccl. 33.

2. Veni ſancte Spiritus, & emitte donum timoris in animam meam, quia ſi praua mens mea, priùs per timorem, non auertitur ab aſſuetis vitiis, non emendabor. Timor namque Domini expellit peccatum, & incipit operari omnium virtutum plenitudinem, dum per iuſtitiam defert maiori, per prudentiam non credit ſe ſibi, per temperantiam refugit diſcernere, & per fortitudinem, totum ſe obedientem ſubdit, non ad diſcernendum, ſed ad implendum. Timor Domini nubes carnalium delectationum & affectionum fugat, & mentem ſerenat. Riuos concupiſcentiarum reſtringit; reptilia vitiorum de terra corporis humani exterminat; Mare mundi congelando conſolidat, vt per illum ambulare quis poſſit, nec admittit ſuperbiam repletus timore Domini.

3. Veni Sancte Spiritus, mitte in me timorem qui est fons vitæ indeficiens, hominem glorificans, quia humilem spiritum suscipiet gloria, quia dum à vana & peruersa delectatione hominem cohibet, veram & æternam delectationem meretur; quam obtinere valeam, Sancte Spiritus, tua clementia operante, per infinita sæcula sæculorum. Amen.

CAPVT II.

De Dono pietatis, contra peccatum inuidiæ.

1. VEni Sancte Spiritus in animam meam peccatis afflictam, quia serpens antiquus qui bonis omnibus inuidet, & vult omnes esse socios suæ miseriæ, illam voluit sibi miserabiliter sociare, infundendo venenum inuidiæ, per quam mors intrauit in orbem terrarum, & quæ Cain armauit contra Abel, & filios Iacob contra Ioseph, & Iudæos contra Christum. Veni Sancte Spiritus, quia hac peste perfidus insidiator animam meam percussit, vt in malis alienis consolationem reciperem, vt in bonis alienis contristarer, nec ea possem directè respicere: & vnde bonus proficiebat, ego miser ex inuidia tabescerem.

2. Adiuua me Sancte Spiritus consolator, mitte in animam meam donum pietatis, quæ malis alienis condolet, bonis verò alienis atque perfectionibus gaudet, & sic à tua affluenti gratia, per pietatem, ab anima mea expellatur misera inuidia. Mitte igitur, Sancte Spiritus, in animam meam donum pietatis, vt cogitem cum affectu de necessitatibus pauperum, de anxietatibus oppressorum, de perturbationibus tristium, de culpis delinquentium, & de omnibus ærumnis quorumcumque miserorum, etiamsi fuerint inimici. Pietas namque hominem amabilem Deo facit, & diabolo displicibilem. Quia licet diabolus in multis respectu hominis excellat, in hoc tamen quod pietatem non habet, homo eum excellit.

3. Veni ergo Sancte Spiritus, confer mihi misericorditer pietatem quæ Deum placat, à seruitute diaboli liberat, à morte spirituali suscitat, gratiam conseruat, hostem impugnat, quæ à Deo petuntur impetrat, amicos & adiutores homini multiplicat, in bono hominem roborat, Filium etiam Dei in mundum fecit descendere, & homines facit ad cœlum ascendere. Veni Sancte Spiritus, da mihi ex tua clementia pietatem, vt per ipsam inuidia à me peccatore miserabili expellatur. Da mihi oleum pietatis in affectu, & effectu, sine quo non potest haberi ignis charitatis. O sancte Spiritus, scio quòd si eam mihi dederis, aliorum onera portabo, & tanto melius curram: quia ad beatitudinem perpetuam festinantiùs tendam, quam mihi concedere dignetur tua immensa bonitas per infinita sæcula sæculorum. Amen.

CAPVT III.

De Dono scientiæ contra peccatum iræ.

1. VEni Sancte Spiritus in animam meam quam hostis humani generis ex sua malignitate & calliditate, malignissimè transfodit gladio iræ & furoris. Accendit namque suos stimulis iræ ad vindictam faciendam. Hæc ira frequenter cor meum miserum inflammauit, totum corpus meum tremere ex nimio furore fecit, linguam impediuit, faciem ignoscere fecit, & mentem meam miserabilem ad multorum malorum perpetrationem induxit, ideo à Deo elongatus fui, qui Deus pacis dicitur, non Deus iræ, non attendens quod sicut vnumquodque fugit suum contrarium, sic Deus qui est vera pax, fugit iram, & cor turbidum & iracundum. Ex hac ira, proximis meis fui inimicus, lædens eos non solùm in rebus aut corporibus, sed etiam in fama, imò etiam primò meipsum læsi.

2. Veni ergo Sancte Spiritus, & imprime in animam meam iracundia plenam donum scientiæ per quod addiscam, & veraciter sciam qualiter, valeat conseruari in quiete mentis & tranquillitate pacis. In medio nationis prauæ & peruersæ, amicabiliter & gratiosè me in omnibus, & cum omnibus placabilem reddam, in omnibus me irreprehensibilem exhibeam, & inter alios conuersando iram & furorem totaliter sciam & valeam euitare. Veni sancte Spiritus, confer mihi donum scientiæ, vt cognoscam infirmitates spirituales, & sciam discernere inter vitam veram & non veram. Vera vita est coniunctio mystica cum Deo, vel per gratiam, vel per gloriam.

3. Veni Sancte Spiritus dona mihi scientiam vt agnoscam vanitatem præsentis vitæ, quæ est vapor ad modicum parens; cognoscam amaritudinem & pericula ipsius; sciam spiritualem passionem præferendam esse corporali, & priùs occurrendum esse damnis & molestiis spiritualibus, quàm corporalibus. Veni Sancte Spiritus, tribue mihi donum scientiæ; vt veraciter cognoscam deceptiones carnis, mundi, & diaboli quas faciunt amatoribus suis. Et sic iram mitigare in præsenti, vt indignationem æternam, te auxiliante, valeam euitare. Amen.

CAPVT IV.

De Dono fortitudinis contra peccatum Acediæ.

1. VEni Sancte Spiritus in animam meam torpore & acedia plenam. Sic namque captiuat me malignus spiritus, quod ad exercitium bonorum operum surgere, quantum in eo est, non permittit: cui misera caro consentiens, animam meam languere facit: vt si libeat legere & orare, non delectet: neque aliqua bona meditari, nec inchoare, imò inchoata fastidit perficere. Et licèt bonum propositum concipiam, tamen ad modicum ten-

tionis impulsum, acedia quadam langueo, & à bono incœpto per somnolentiam in indeuotionem & tepiditatem desisto: non considerans quòd pigros & otiosos, Dominus increpat, dicens: *quid hîc statis tota die otiosi*? Et quod seruus qui abscondit pecuniam domini sui, condemnatus fuit. Vnde scriptum est, *per agrum hominis otiosi transiui, & per vineam stulti, & ecce totum repleuerant spinæ*. idest prauæ cogitationes, & praua opera. Et ideò sequitur *quod desidia pigrum occidit*, id est praua cogitatio.

2. Veni igitur sancte Spiritus clementer ad animam meam, & concede donum fortitudinis quod me confortet in bonis incœptis consummandis: ne terra mentis meæ, inculta remaneat, & germinet spinas & tribulos, sed dono fortitudinis sic eam cultiuare digneris, ne actus proferat vitiosos. Veni sancte Spiritus, quia in campo certaminis huius mundi positus sum. Dona fortitudinem, vt malis resistendo viriliter, bona valeam operari, quia nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia erunt apud inferos quò ego propero. Expelle à me acediam & torporem, & da fortitudinem, sine qua necesse habeo tamquam infirmus incidere inter manus crudeles hostium antiquorum. Veni Sancte Spiritus, quia anima mea egestate laborat, quia carne putrida obstante, renuit operari; scriptum est enim, *egestatem operata*
Prou. 10. *est manus remissa, manus autem fortium diuitias parat*.

3. Tribue igitur mihi ex abundantia tuæ bonitatis donum fortitudinis, quod regnum cœlorum violenter ingreditur, sicut scriptum est, *regnum cœ-*
Matth. 11. *lorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*, hanc violentiam mihi concedere digneris, vt requiem habeam sempiternam. Amen.

CAPVT V.

De dono consilij contra peccatum auaritiæ.

1. VEni sancte Spiritus in animam meam miserabilem, quæ decepta per perfidos hostes suos, cogitur oculos & affectus declinare in terram, idest terrenorum amorem, cum continua miseria & labore diuitias congregando, cum continua inquam miseria & dolore: quia scio quòd veniet tempus dimittendi omnia congregata, & sic cum thesauro pecuniæ thesaurum iræ Dei, pariter cumulari. Vnde cùm peccatum reddat hominem promptum ad malum, & difficilem ad bonum, suo pondere inclinat semper ad terram, id est, ad terrenorum amorem. Quod expresè significatur in illa muliere de
Luc. 13. qua dicitur, *Ecce mulier quæ habebat spiritum infirmitatis, & erat inclinata, nec poterat omnino sursum respicere*. id est, se ad desiderium cœleste erigere. Veni ergo Sancte Spiritus, & corrobora animam meam morbo auaritiæ languentem, dono consilij, quod est, *si vis perfectus esse, vade, & vende om-*
Matth. 19. *nia quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me, & habebis thesaurum in cœlo*. Vade ergo & *vende omnia quæ habes, & da pauperibus*, in quo notatur terrenorum contemptus: *Et veni*, in quo notatur supernorum appetitus: *Et habebis thesaurum in cœlo*: in quo notatur fructus & præmium consilij,

2. O Sancte Spiritus quàm nobile, quàm salubre, quàm vtile est consilium tuum, per quod thesaurus in terra corruptibilis facillimè deperditur, & thesaurus in cœlo acquiritur vbi, fures non effodiunt, nec furantur, per quod transitoria in sempiternalia, temporalia in spiritualia commutantur. Veni igitur Sancte Spiritus, reple cor meum tuo dono consilij, quia sine te nemo bonus, neque potest aliquid supra naturam, nisi à te adiutus operari. Tu quidem das magnifica consilia, & recta. Talia fuerunt consilia quæ attulit in mundum istum sapientia Dei Patris Iesus Christus benedictus, de quo scribitur, *Vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius.* Istud est consilium pacis quod attulit rex pacificus de quo scribitur, *Qui sequuntur pacis* Prou. 12. *consilia, sequetur eos gaudium.* Consilium igitur pacis, est abrenuntiatio diuitiarum. Veni ergo Sancte Spiritus, & mitte in me donum consilij, vt contemnam terrena, & superna toto corde appetam, vt in fine vitæ meæ, gaudium obtineam sempiternum. Amen.

CAPVT VI.

De dono intellectus contra peccatum luxuriæ.

1. Veni sancte Spiritus in animam meam, quam carnalis delectatio luxuriæ inficit, & inquinat, intellectum deprimit & obnubilat, vt videre claritatem veri luminis non valeat; sed vnde fortiùs delectatur, inde ad superna caliginem patiatur. Sensum hebetat, & maculat voluntatem. Sicut enim caro nihil per se intelligit, vel potest intelligere, quia potiùs habet cogitationem animæ impedire, quia corpus quod corrumpitur aggrauat animam; sic ego miser cùm sim totus caro, per peccatum carnalitatis, non valeo ad perscrutandum cœlestia, mentem eleuare.

2. O quàm detestabile vitium, per quod homo perdit sensum, & sicut vinum & ebrietas, eum qui nimiùm bibit, mentis suæ inopem facit; ita fornicatio & voluptas peruertit sensum animi, quem debilitat, & de rationali homine, animal brutum facit; sicut scribitur, *Homo cùm in honore esset, non* Psal. 48. *intellexit comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis,* de quibus dicitur. *Putruerunt iumenta in stercore suo.* Quia quemadmodum putredo Iob 1. solet fœtorem emittere, sic caro corrupta putredine luxuriæ, fœtorem euaporat infamiæ. Hunc fœtorem non valens Deus sustinere, decreuit omnem carnem diluuij aquis perdere dicens. *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est.* Quæ tunc maximè fœtebat, quia omnis caro cor- Gen. 6. ruperat viam suam super terram. Ad corruptionem ergo & fœtorem abluendum & remouendum, Dominus diluuium transmisit, luxuriosos subuertit, quinque ciuitates igne & sulfure combussit.

3. Veni ergo Sancte Spiritus in animam meam per donum intellectus, quod circa æterna & spiritualia versatur, vt per inuestigationem, & per contemplationem eorum, spiritualis creatura iuuetur, & surgat quodcumque possibile est in contemplationem, & cogitationem ipsius munditiæ.

Oculus animæ meæ lapsus est, propt er peccatum carnis, nec potest claras, & nobiles creaturas cernere spirituales, & multominùs possit creatorem cognoscere. Veni Sancte Spiritus purifica & clarifica oculum animæ meæ, vt possit intelligere mirabilia cœlestis curiæ, quantùm est fas dicere, & sicut verus pullus aquilæ, possit respicere Solem iustitiæ in rota sua; id est in æternitate sua quæmadmodum rotæ carent principio & fine. Munda igitur me Sancte Spiritus dono intellectus, ne per corpus miserum, anima corrumpatur, sed viuat fœliciter in æternum. Amen.

CAPVT VII.

De Dono sapientiæ contra peccatum gulæ.

1. Veni Sancte Spiritus in animam meam, oppressam per gulam quæ facit vt mihi dulcescát terrestria, & amarescant cœlestia, quia palato non bene sano, bona & bene sapida non benè sapiunt. Gula supra modum venatrix est deliciarũ quas licere putat & expedire. Quidquid illud sit quod eam delectare possit, voluptati seruire semper desiderat. Aër, mare, & terra, vix ei sufficiunt. Propter hoc contigit interdum pauperes spoliari, & rapinas fieri, vt fames pauperum transeat in delitias diuitum. Nam regnum Dei non est esca neque potus, non purpura, neque byssus, quia diues ille vtroque circumfluens, in puncto ad inferna descendit. Sicut enim ignis & aqua simul esse non possunt, sic spirituales & carnales delitiæ in eodem se non patiuntur. Et vbi curiosa ciborum diuersitas pascit ventrem, cœlestium ieiuna desidet mens. Et sic dulcedinem cœlestem non sentit neque per amorem & dulcedinem degustat, quia multam dulcedinem, & multam suauitatem in rebus humanis inuenit. In ipsis quoque plurimùm se delectat. Dulce namque est esse in rebus humanis. Ideoque de cœlestibus gaudia nulla gustabit, quia quanto minus æterna intelligit, tanto delectabilius in temporalibus requiescit.

2. Veni sancte Spiritus in animam meam per donum sapientiæ, prout sapientia dicitur à *Sapore*, vt sit sapientia *Sapida scientia*, nam mentis visio est intelligentia, & gustus sapientia. Illa contemplatur, & ista delectatur. Veni Sancte Spiritus, & mitte donum sapientiæ in me, vt prioris vitæ defleam peccata, huius miserabilis vitæ desideria, & delectabilia transitoria paruipendam, & æternam beatitudinem toto desiderio concupiscam, & sic istam sapientiam super me clementer effundas, vt prædictorum singula prout sunt mihi sapiant, te iuuante: vt tota die, corde, & mente humiliter & deuotè clamem ad Dominum, & dicam, *O quàm bonus & quàm suauis est spiritus in nobis Domine*. Qui respõdens dicat, *Spiritus meus super me dulcis, & hæreditas mea super mel & fauum.*

3. Veni ergo Sancte Spiritus per donum sapientiæ, vt anima mea sentiat aliquam scintillam prædictæ dulcedinis, ferueátque desiderio: vt quod ei dederis ex tua benignitate ac bonitate aliqualiter degustandum in via, pleniùs & copiosiùs possideat in patria cœlesti. Amen.

CONTEMPLATIONES QVOD Spiritus Sanctus adiutor est animæ.

CAPVT I.

Quod Sanctus Spiritus soluit peccati vincula & agendi vigorem præbet.

1. VENI Sancte Spiritus in animam meam impotentem ad aliquid boni operandum. Nam frequenter ligatur ab hoste antiquo, multiplici vinculo peccatorum, & ab ipso trahitur, nunc fune peccati consensionis, nunc fune peccati verbalis, nunc fune peccati operationis, & quia *Funiculus triplex difficilè rumpitur,* Eccl. 4.
Istum funiculum vel potiùs istos tres funes misera anima mea disrumpere aut euadere per se non potest, nisi tuo auxilio, Sancte Spiritus, adiuuetur, & tu in ipsam descendens, huiusmodi peccatorum funes dissoluas.

2. Veni igitur Sancte Spiritus qui *Donum Dei altissimi*, nuncuparis. Donum in quo omnia dona donantur, Donum inquam, non temporale, sed æternum, non commutabile sed perpetuum, non paruum aut limitatum, sed immensum; nihil isto dono sublimius, nihil nobilius, nihil melius, quia est in Patre & in Filio consubstantiale, & coæternum & coæquale, sicut fides catholica confitetur. Istud donum pete fiducialiter, & require ô anima mea: ipsum dilige totis affectibus, ipsum affecta totis præcordiis, vt tua impotentia eius fortitudine roboretur, tua indecentia sua pulchritudine decoretur, & ignorantia sui sensus magnitudine illustretur.

3. Veni Sancte Spiritus, dissipa, & consume funes, & ligamina quibus ligata est anima mea misera, & sicut ad ardorem ignis materialis fila stupea de facili comburuntur, & in cineres rediguntur, sic ad ardorem tuum, Sancte Spiritus, qui in specie ignis in Apostolos descendisti, vt ipsorum corda ad tui dilectionem inflammares omnia peccatorum meorum vincula citissimè destruantur, & consumantur, nec patiaris animam meam esse ampliùs otiosam; sed potius manum tuam, hoc est gratiam, ei infundendo, suam impotentiam adiuuare digneris, & ipsam instigare & stimulare ad operandum strenuè. Quantò manum tuam laxabis ampliùs, id est gratiam tuam abundantiùs infundes, tantò facies animam ipsam abundantiùs operari.

4. Veni Sancte Spiritus in me clementer, qui remissionem peccatorum operaris, qui facis sollicitum ambulare cum Deo, qui scrutaris profunda peccatorum meorum, qui discretus cogitationum indagator, cordis scrutator es, qui nec minimam paleam intra cordis quod possides habitaculum permittis: munda & adiuua cor meum, vt tibi seruiat in æternum. Amen.

CAPVT II.

Quod Spiritus Sanctus iuuat in debellandis animæ hostibus.

1. VEni Sancte Spiritus in animam meam, ab hostibus malignis diuersimodè obsessam, imò non solùm obsessam, sed etiam oppugnatam, & miserabiliter captiuatam; scilicet à carne, mundo, & diabolo. Isti tres inimici, magnæ sunt potestatis, & magnæ dolositatis. Sunt fortissimi, & tantæ fortitudinis, quod de fortitudine cuiuslibet eorum potest intelligi quod
Iob. 41. scribitur, *non est potestas super terram, quæ possit ei comparari.* Sunt etiam malitiosissimi, & dolositate & fraudulētia semper vtuntur: in expugnatione animæ meæ miseræ Gladiis armantur venenatis, & statim dum cutis fuerit aliqualiter perforata, anima mea misera læditur, vulneratur. Caro impudica impugnat animam meam acuto veneno carnalitatis & immunditiæ; mundus percutit animam iaculo venenato cupiditatis, & auaritiæ. Et diabolus inuadit eam iaculo venenato vanitatis & superbiæ.

2. Ecce ergo ô Sancte Spiritus quot gladij venenati sunt, & quàm citò cutis mea ab ipsis perforatur; id est cùm peccatis per malitiosam suggestionem supradictorum inimicorum, progreditur; tam citò vulnus mortiferum animæ meæ datur. Scio quod eorum potentiæ, & fraudulentiæ resistere non possum, nisi tuo auxilio sim fulcitus, vnde scribitur, *Spiritus Domini*
Iud. 14. *irruit in Sansonem, & dilacerauit leonem,* qui est animal fætidissimum, rapacissimum, & ferocissimum. Per leonis namque fœditatem designatur luxuria, & tamen dicitur Sanson virtute Spiritus Domini leonem lacerasse. Intelligitur fidelis anima in virtute tua, Sancte Spiritus, suos aduersarios fortissimos & fraudulentissimos superasse.

3. Veni igitur Sancte Spiritus, qui ex immensitate bonitatis tuæ in anima in qua tibi habitaculum elegisti, stare non pateris nimiam rubiginem peccati, quin eam statim igne subtilissimæ circunspectionis exuras, qui ex dulcedine & suauitate tui amoris, nostram voluntatem erigis, dirigis, & trahis ad tuam, vt eam veraciter intelligere, & feruenter implere possimus, sicut scribitur, *Hæc autem omnia operatur vnus & idem spiritus*, digneris clemen-
1. Cor. 12. ter auxiliari mihi in bello assiduo existenti, & aduersariis resistere per me non valenti, vt hostibus te miserante, deuictis, regnum consequar sempiternum. Amen.

CAPVT III.

Quod Spiritus Sanctus varia omninò operatur adiuuans animam.

1. VEni, Sancte Spiritus, in animam meam, quia cùm sis admirabilis, in omnibus mirabiliter operaris; nam de nihilo creas, de perdito recreas, de destructo reformas. Ideò de te scribitur, *Spiritus Domini omnium est artifex, omnem habens virtutem, omnia perficiens*, immutans ad perfectam conuersationem peccatores, & iniustos ipsos mirabiliter conuertens, sicut patet in Petro, Paulo, Dauide, & similibus qui per te conuersi, subitò in aliud sunt mutati. Sap. 4. 3.

2. Tu Sancte Spiritus, habes virtutem eleuatiuam, eleuas namque ad contemplanda & desideranda cœlestia, sicut scribitur, *Eleuauit me Spiritus, introduxit me in portam orientalem.* Tu Sancte Spiritus habes virtutem contemplatiuam, contemplaris enim diuersas sectas ad veritatem Dei perducendo, & diuersa corda ad vnitatem amoris inducendo, sicut præcipitur, *Solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis.* Tu Sancte Spiritus habes virtutem conseruatiuam, quia conseruas in bono perseuerare faciendo, & ab hostiũ tentationibus defendendo, sicut scribitur, *Numquid abbreuiatus est spiritus Domini vt saluare non possit?* Tu Sancte Spiritus habes virtutem illuminatiuam. Illuminas enim mentes gratiis tuis, ipsas inspirando sicut scribitur, *Spiritus veritatis, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia & suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.* Et breuiter, tu Spiritus Sancte es sic admirabilis, & habes tot effectus & tot virtutes, quod etiam mortuos, id est obstinatos peccatores, ad vitam gratiæ suscitas, & in bono stabili confortas. Ezech. 11. Ephes. 4. Mich. 2. Ioa. 14.

3. Veni ergo Sancte Spiritus misericorditer in animam meam, quam inuitare digneris ad perfectam conuersionem; eleua ipsam per æternorum affectionem, copula ipsam per amoris vnitatem; conserua eam per bonorum perseuerantiam; renoua eam per virtutum redolentiam; illumina eam per gratiarum & donorum tuorum gratuitam largitionem, & cùm misera caro superata fuerit, ad regnum ipsam perduc æternum. Amen.

CAPVT IV.

Quod Sanctus Spiritus est ductor, doctor, tutor, rector, corrector, pastor & consolator animæ.

1. VEni Sancte Spiritus in animam meam tuo auxilio indigentem, sine quo viuere non valet, quia tu es ductor ad gubernandum, doctor ad informandum, tutor ad protegendum, rector ad corrigendum, pastor ad nutriendum, consolator ad mitigandum, mediator ad concordandum, roborator ad solidandum.

2. Tu Sancte Spiritus admirabilis es, & in rebus mirabiliter operaris. Habes namque officium ductorum: quia sicut ventus ducit naues ad portum, sic tu ex immensa clementia tua ducis animas ad paradisum, quia de te scriptum est, *Spiritus tuus bonus deducet me in viam rectam.* Tu Sancte Spiritus habes officium doctorum, quia ex immensitate tuæ bonitatis, doces & instruis in veritate animas: sicut scribitur, *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.* Tu Sancte Spiritus habes officium tutoris & defensoris: idcirco eas adiuuas ne ex tanta infirmitate corruant in æternum. Tu Sancte Spiritus officium rectoris habes & correctoris. Corrigis namque aduersarios animarum nostrarum, ne ipsas deiiciant, aut prosternant. Ideo scriptum est, *Dominus Iesus Christus Antichristum interficiet spiritu oris sui.* Tu Sancte Spiritus habes officium pastoris & nutritoris, quia nutris & pascis animas nostras famelicas. Ideò scribitur *Spiritus meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel & fauum.* Tu Sancte Spiritus officium habes consolatoris, quia nominaris Paraclitus, qui interpretatur consolator, ideo cantat Ecclesia, *Consolator optime, dulcis hospes animæ, dulce refrigerium.*

Ps. 142. *Ioan. 16.* *Eccl. 24.* *Sap. 12.*

3. *O quam bonus est Domine Spiritus tuus in nobis!* Tu Sancte Spiritus habes officium ordinatoris; qua scriptum est, *à modo iam dicit Spiritus vt requiescant à laboribus suis, opera enim illorum sequuntur illos.* Veni ergo Sancte Spiritus in animam meam in qua exercere digneris misericorditer, tua officia, quibus mediantibus, viuat in præsenti anima mea per gratiam, & in futuro te auxiliante, gloriam percipiat sempiternam. Amen.

Apocal. 14.

CAPVT V.

Quod Spiritus Sanctus est Spiritus inspirans, aspirans, vegetans, & perflans animam.

1. VEni Sancte Spiritus in animam meam, spira in eam, quia tu spiras vbi vis, cui vis, quantum vis, tempore quo vis, sicut enim ventus, ita es subtilis, & penetratiuæ naturæ, quæ vbicumq; inuenit foramen apertum

quamquam sit modicum intrat, & spiritus etiam corporis, per occultas venas, & arterias corporis se diffundit, & vbique sensum & motum facit, & infundit, sic tu ô Sancte Spiritus, ita labilis es, & penetratiuæ naturæ, quod vbicumque foramen cordis tibi per affectum aliquantulum aperitur, statim subintras, & te mentibus hominum præsentas, & eis sensum contritionis, & motum bonæ operationis ministras. Spiritus namque dicitur à spirando, spirare autem nihil aliud est, quàm flatum ab ore emittere. Et ideò, tu Sancte Spiritus, es flatus ab ore Patris & Filij procedens, qui nobis insufflans & inspirans, doces & instruis, & reuelas illa quæ pertinent ad salutem, quia de te scribitur, *Spiritus vbi vult spirat, & vocem eius audis.* Ioan. 3.

2. Tu Sancte Spiritus, es legatus à sede Patris & Filij quotidie veniens, & vocem tuam nobis insinuans, ac in illis quæ ad salutem pertinent nos informans, quod benè ostendisti in Apostolis qui per perceptionem tuam, omnium genera linguarum sciuerunt, & donum prophetiæ acceperunt, & variis linguis Dei magnalia retulerunt, vnde scribitur. *Cęperunt loqui variis linguis Apostoli prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.* Et, *aliis datur per Spiritum sermo scientiæ secundùm eundem spiritum.* Et, *diuisiones sunt gratiarum, vnus autem Deus, hæc autem omnia facit vnus atque idem spiritus diuidens singulis prout vult.* Act. 2. 1. Cor. 12.

3. Tu Sancte Spiritus per gratiæ distributionèm, habes vegetare & viuificare, quia sicut Spiritus corporis, corpus vegetat, atque viuificat, & admodum disponit & ædificat: sic tu Sancte Spiritus animam cui per gratiam te infundis, spiritualiter viuificas, & ad motum bonorum operum dispo-nis & aptas. Ideo scribitur, *dabo vobis spiritum, & viuetis.* O Sancte Spiritus, homo spiritualiter viuere non potest, neque bonorum operum motum exercere sine te. Veni igitur Sancte Spiritus in animam meam. Inspira in eam ex magnitudine tuæ clementiæ, spiraculum vitæ; vt viuat spiritualiter perfla eam misericorditer; igne tui amoris continuè accendatur, per quem ipsa meritoria exercendo, ad gloriam perueniat sempiternam. Amen. Ezech. 37.

CAPVT VI.

Quod Sanctus Spiritus animam erigit & stabilit.

1. VEni Sancte Spiritus in animam meam collapsam, tu qui es verus releuator & sustentator animarum. Sicut enim Spiritus corporis facit stare, durare, ac perseuerare, quod patet, quia corpus sine spiritu non potest stare, imò necesse habet cadere vel iacere; durare etiam non potest, quia citò habet corrumpi & putrefieri, & fœtere; sic vere tu Sancte Spiritus facis homines stantes & perseueranres, fortes, durabiles, & constantes. Quemadmodum ignis vasa fictilia & lutea decoquendo, stabilia facit atque dura Illud apparuit in Apostolis qui ante tuum aduentum erant lutei, timidi atque fragiles: sed postquam igne tuo, Sancte Spiritus, fuerunt afflati, facti sunt stabiles & audaces.

2. O Sancte Spiritus, anima sine te non potest stare, imò habet cadere & corrumpi, per peccatum, & fœtere horribiliter in conspectu diuinæ ma-
Ezech. 3. iestatis. Tu igitur causa es stabilitatis ipsius; sicut scribitur *ingressus est in me spiritus, & statuit me supra pedes meos.* Tu Sancte Spiritus per contemplationem habes subleuare, quia cùm ex benignitate tua habitas in homine, non permittis eum inferius in terrenis commorari. Imò facis eum sursum ad contemplandum cœlestia subleuari. Ignis namque fauillas, & ventus paleas eleuant. Sic etiam ille, qui igne & flatu tuo Sancte Spiritus, motus
Ezech. 43. fuerit, statim & ad contemplandum cœlestia subleuatur, sicut scribitur, *leuauit me Spiritus, & assumpsit me.*

3. Tu Sancte Spiritus habes tot effectus mirabiles & stupendos, qui non possunt ab homine declarari, ideò de te scribitur quod *tu es Spiritus intelli-*
Sap. 7. *gentiæ, Spiritus multiplex, vnicus, subtilis, modestus, discretus, mobilis, incoinquinatus, castus, amans bonum, humanus, benignus, stabilis, securus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens.* Veni ergo sancte Spiritus in animam meam, fœtentem propter diuersa peccata. Munda eam flatu & igne tui amoris, fac eam stare ne cadat, sed sit stabilis, & constans, eleua eam flatu tuæ dulcedinis ad contemplandum cœlestia, ne ampliùs in terrenis moretur, sed tecum maneat in æternum. Amen.

CAPVT VII.

Quod Sanctus Spiritus non ad credendum tantùm, sed etiam ad agendum iuuat animam.

1. VEni Sancte Spiritus in animam meam tepidam circa agenda: tu namque, Sancte Spiritus, sciens non sufficere homini, si habeat lumen sufficiens ad intelligenda & credenda, nisi etiam habeat ad agenda, quia non pretiabitur quis plus alio propter maiorem notitiam occultorum, vel etiam credendorum, nisi si possit, habeat maiorem numerum operum sanctorum, loquendo de parte exteriori vel interiori, quia scribitur, *Opera enim illorum sequuntur illos.* Quod non dicitur de scientia, vel fide nudata operibus: quia talis est mortua; ideò tu Sancte Spiritus, consolator piissimus, & amator intimus, non solùm illuminas hominem & dirigis in intelligen-
Ioan. 16. dis, & credendis; verum etiam in agendis, idcirco scribitur de te, *Cùm venerit ille docebit vos omnem veritatem:* omnem scilicet, quoad intelligenda, credenda, & agenda.

2. Quæ quidem agenda vtilia sunt, quando eliguntur secundùm rationem, non secundùm sensualitatem, quando etiam moderantur secundùm discretionem: vt scilicet non minus vel plus quàm oportet aliquis operetur: & quando ordinantur per intentionem, vt scilicet non operetur quis propter inanem gloriam, sed propter Deum, & propter bonum exemplum proximo dandum, plurimi enim salui facti sunt aliorum exemplo quia pro-

pter exempla aliorum moti fuerunt ad pœnitentiam faciendam, & ad exercitium bonorum operum; propterea dicebat Christus, *Exemplum dedi* Ioan.13.
vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. Vel etiam per studium deuotæ orationis, sicut enim abundantes in temporalibus, debent per eleemosynas subuenire pauperibus; sic etiam homo abundans in gratiis, & illuminationibus tuis, Sancte Spiritus, debet peccatoribus subuenire suis orationibus. Tales enim Dominus consueuit exaudire, sicut scribitur. *Orationes* Prou.15.
iustorum exaudiet Dominus.

3. Veni igitur Sancte Spiritus in animam meam, negligentem aliqua bona operari, illumina eam, vt non solùm intelligenda & credenda intelligat, sed etiam ne ad agenda tepescat: excita eam & robora virtute tua, Sancte Spiritus, vt viriliter & assiduè, virtuosa, & meritoria, ac tibi placita operetur: vt in præsenti ad honorem & gloriam tuam viuendo, in futuro regnum consequar æternum. Amen.

CAPVT VIII.

Quod Spiritus Sanctus replet animam sanctitate & veritate.

1. VEni Sancte Spiritus, in animam meam tua gratia vacuam, replere eam digneris tu qui reples orbem terrarum. Tu Sancte Spiritus reples cœlum & orbem terræ maiestate, sicut de te scribitur, *Cœlum & terram* Ieremiæ
ego impleo. Cœlum namque imples, hoc est deitatem quantùm ad personarum numerum, quia in diebus non est perfectus numerus, qui debet habere 23.
medium, primum & postremum. Et sic est in tribus personis, in quibus sunt primitas, medianitas, & postremitas.

2. Tu Sancte Spiritus terram reples, quia sicut humanus spiritus præsens est omnibus membris corporis; sic tu Sancte Spiritus præsens es omnibus mundi partibus, sicut scribitur, *Si ascendero in cœlum tu illic es, si descen-* Psa.138.
dero in infernum ades. Tu Sancte Spiritus orbem terræ reples sanctitate videlicet quosdam sanctificatione sufficienti. Et sic sanctificas peccatorem, cum culpam sibi remittis; de qua sanctificatione scribitur, *In sanctitate &* Luc.1.
iustitia coram ipso omnibus diebus nostris. Tu Sancte Spiritus quosdam sanctificas sanctitate abundanti, sic sanctifices iustum cum gratiam sibi auges. Sanctificas etiam sanctitate excellenti, & sic iustificatus est Christus, de qua sanctificatione scribitur, *Impleatur visio & prophetia & vngatur sanctus* Dan.9.
sanctorum. Dicitur enim Christus, *Sanctus Sanctorum*, quia excellit omnes in sanctitate & gratia, sicut scribitur, *Non enim ad mensuram dedit Spiritum*
Deus Filio. Tu Sancte Spiritus reples orbem terræ veritate, quæ triplex est. Ioan.3.
Reples namque veritate cognitionis, dum nos illuminas contra ignorantiam, de qua scribitur; *Veritatem meditabitur guttur meum.* Tu Sancte Spiritus reples veritate loquutionis, cum nos regulas contra fraudulentiam Prou.8.
vnde scribitur, *Et non auferas de ore meo verbum veritatis vsquequaque.* Reples etiam veritate fruitionis, dum nos glorificas contra miseriam sicut Psa.118.

Ioan. 8. ſcribitur, *Cognoſcetis veritatem & veritas liberabit vos*, ſcilicet veritas æterna, quæ viſa, cognita liberat à præſenti miſeria, & ſatiat in gloria, quia *hæc eſt vita æterna vt cognoſcant te, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.*

Ioan. 17. 3. Veni igitur Sancte Spiritus in animam meam, & replere eam digneris ſanctitate ſufficienti, & abundanti veritate cognitionis & loquutionis, vt in futurum te miſerante repleatur veritate fruitionis diuinæ. Amen.

CAPVT IX.

Quod Sanctus Spiritus eſt ignis altaris noſtri.

1. VEni ſancte Spiritus in animam meam, vt corde humiliato & deuoto dicere poſſim, *Ignis in altari meo ardebit, quem mittet ſacerdos ligna* Leuit. 6. *ſubmittens manè per ſingulos dies.* Tu Sancte Spiritus es iſte ignis: qui es perpetuus, quia numquam deficis quantum in te eſt in altari. Altare iſtud eſt anima mea, cor noſtrum, ſpiritus noſter rationalis. O altare digniſſimum, quia in honore Trinitatis increatæ eſt conſecratum à ſummo Pōtifice. Nam *creauit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam*, quantum ad ani- Gen. 1. mam, in qua ſecundùm ſuarum trinitatem potentiarum, trinitatem expreſſit perſonarum. O altare ſanctiſſimum, ô altare cum omni diligentia mundiſſimè ſeruandum, & ideò cor tuum puræ conſcientiæ eſt inuoluendum, ne cogitatione ſordida, fœtida, conſenſu vitioſo, opere nefario polluatur. In hoc altari debemus offerre ſacrificium iuſtitiæ, oblationes miſericordiæ, holocauſta orationis, vitulos mortificationis carnis. In ſanctiſſimo atque digniſſimo altari debet ignis accendi.

2. Sed tu, Sancte Spiritus, facis per gratiam, vt cum Propheta quiſque di- Pſal. 38. cat, *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcet ignis.* Sic igitur Sancte Spiritus, cùm cor accenſum fuerit, mittendus es. Idcirco ſe- Leuit. 6. quitur, *Quem mittet ſacerdos ſubiiciens ligna.* Ignis fomentum quærit & ardet, & ſicut fomentum ignis materialis, eſt ſuppoſitio lignorum; ſic fomentum tuum Sancte Spiritus, eſt rememoratio diuinorum beneficiorum. Ad te igitur Sancte Spiritus intuendum eſt. Primò debet anima cogitare beneficium creationis, quòd producta fuit de nihilo, & diuina imagine inſignita. Secundò recogitare debet beneficium dominationis, quod accepit rerum omnium obſequia, in ſuo multiplici iuuamine. Tertiò recogitare debet beneficium recreationis: quòd fuit Dei pretioſo ſanguine redempta, hoc ſuper omnia tibi Sancte Spiritus, tribuit in anima nutrimentum. Recogitet etiam alia infinita beneficia, quæ præ multitudine numerari non poſſunt. Et hoc facit *manè*, id eſt ante omnia *& per ſingulos dies*, id eſt ſine obliuione, & ſecundùm quod plura cogitabit, ſecundùm hoc te, Sancte Spiritus, Eccl. 28. ampliùs confouebit, quia ſcriptum eſt, *Secundùm ligna ſyluarum exardeſcet ignis.*

3. Veni igitur Sancte Spiritus ad hoc altare, id eſt animam meam, &

concede mihi ex tua clementia gratiam, vt intus te tenere valeam per prædictorum beneficiorum recordationem continuam, vt gloriam obtineam sempiternam. Amen.

CAPVT X.

Quod Sanctus Spiritus dat sensum, loquelam & motum animæ.

1. VEni Sancte Spiritus in animam meam, tu qui es dulcissimus conseruator. Vnde sicut Spiritus creatus corpori confert sensum, quia sine spiritu corpus non sentit; dat verbum, quia sine spiritu non loquitur; dat etiam motum, quia sine spiritu non mouetur; dat etiam statum, quia sine spiritu non potest stare. Ita sine te Sancte Spiritus, homo spiritualiter non sentit, nec loquitur, nec mouetur, nec stare potest. Vnde tu Sancte Spiritus animabus das sensum charitatis, non carnalitatis; verbum veritatis, non vanitatis; motum sanctitatis non confusionis, statum firmitatis, non leuitatis. Das etiam castitatem in corpore, veritatem in ore, motum in bono opere, & perseuerantiam in continuatione. Et sic facis amare feruenter, loqui veraciter, operari innocenter, & continuare perseueranter.

2. Facis enim tu, Sancte Spiritus, amare feruenter, sicut patet; quia omne agens siue naturale, siue artificiale, intendit semper imprimere similitudinem suam in his quæ agit. Ignis enim calidus est in forma sua, & ideò in illud in quod agit,, calorem suum imprimit. Ita in artificialibus quoque Carpentarius similitudinem suam, quam habet in mente, siue in imaginatione, imprimit in arca, siue in alia materia in qua operatur. Tu verò Sancte Spiritus, amor es Patris & Filij Ergo in illos in quos agis, vel in quibus habitas, habes imprimere similitudiné tui amoris, vt homo per amorem efficiatur Deiformis. Facis igitur tu Sancte Spiritus amare feruenter. Et ex hoc aufers ardoris oppositum, quod est peccatum: quia tu adueniens in animam tollis peccatum ab ea Sicut enim ardor ignis aufert rubiginem de argento, item ardor solis aufert lutositatem de terra, aqua fontis aufert fœtorem corporalem; Ita tu, Sancte Spiritus, aufers sordes peccati, & ideò dicitur, *Ioannes baptizauit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto,* scilicet qui aufert peccatum. *Ador. 1.*

3. Veni ergo sancte Spiritus in animam meam, quæ sine te non sentit, sine te non loquitur, sine te non mouetur, sine te stare non potest. Aufer ab ea peccatum, & da ei sensum caritatis, vt amet feruenter verbum veritatis, vt loquatur veraciter motum bonæ operationis, vt operetur innocenter statum firmitatis, vt tibi seruiat in æternum. Amen.

CAPVT XI.

Quod Sanctus Spiritus dat medicinam, tutelam, & cautelam contra peccata.

1. VEni Sancte Spiritus, in animam meam graui infirmitate oppressam, tu qui es medicus animarum potentissimus. Das enim pœnitendi medicinam contra peccata præterita, sicut scribitur, *lex Spiritus vitæ, liberauit me à lege peccati & mortis.* Tu Sancte Spiritus, das medicinam & intelligentiam contra peccata pręsentia, vt non veniant in nobis. Nam sine te Sancte Spiritus, vix potest diu esse homo qui non cadat in peccatum, quia peccatum quod per pœnitentiam non diluitur, mox suo pôdere ad aliud trahit. Et quamdiu est in peccato homo, seruus est diaboli atque peccati, & trahit ipsum peccatum. Sed tu Sancte Spiritus, liberum facis hominem ne cadat in peccatum, & ideò scribitur, *vbi Spiritus Domini, ibi libertas.* Tu Sancte Spiritus das medicinam, & cautelam contra peccata futura, quia sicut prudentia carnis mors est, ita spiritus est vita; & ideò dicit scriptura, *Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis*, peccata mortalia perpetrando.

Rom. 8.

2. Cor. 3.

Gal. 5.

2. Tecum ergo, Sancte spiritus, ambulare debemus, ne peccatum perpetremus: quia *Spiritus concupiscit aduersus carnem, & caro aduersus Spiritum, & hæc sibi adinuicem aduersantur, vt non quæcumque volumus faciamus.* Habemus namque, Sancte Spiritus, hostem domesticum, scilicet carnem miseram quæ semper aduersatur, & contrariatur animæ, ex quo vniuntur in vna persona. Et hæc contrarietas prouenit, quia caro est naturæ terrestris, spiritus autem est naturæ cælestis, & quilibet trahit ad suam nationem. Vnde caro trahit inferiùs, & spiritus trahit superiùs. Et ideo fortis est pugna, vt non quæcumque volumus, faciamus; quia si facimus mala, spiriitus non vult. Et si facimus bona, caro non vult.

Ibid.

3. O Sancte Spiritus, tu qui es deffensor animarum doctissimus, adiuua animas nostras in ista pugna periculosissima, vt contra omnes hostes animarum nostrarum pugnemus fortiùs, vincamus securiùs; perseueremus firmiùs, videamus clariùs, eleuemur altiùs, amemus ardentiùs, proficiamus ampliùs, armemur virtuosiùs, & obediamus perfectiùs.

4. Veni igitur, Sancte Spiritus, in animam meam, custodi eam ab hostibus suis, ne ei nocere possint; da ei medicinam pœnitentiæ contra peccata præterita, tutelam contra peccata futura, vt ad gloriam perueniam sempiternam. Amen.

CAPVT

CAPVT XII.

Quod Spiritus S. calefacit & habitum vestimenve dat animæ.

1. VEni Sancte Spiritus in animam meam tu qui es ardor calefaciens animas. Sicut enim corpora superiora, sicut Sol cuius lumina irradiant corpora inferiora mediante luce generat in iis calorem, vt vbi plus est de luce, ibi plus sit de calore, & ideo in æstate quærimus vmbram, quia ibi est minus lucis, & per consequens minus caloris. Ita tu Sancte Spiritus illuminans in aduentu tuo, generas calorem charitatis in animabus sicut scribitur, *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum Sanctum* Rom. 5. *qui datus est nobis.*

2. Deinde quemadmodum habitus corporalis, ad tria accipitur à nobis, scilicet ad ornamentum formositatis, ad vsum necessitatis, & ad signum discretionis; sic in religiosis similiter habitus charitatis qui à te Sancte Spiritus nobis datur, ad tria spiritualiter valet, nobis ad ornamentum formositatis, quia Charitas est forma virtutum, & quicquid est in anima siue potentiæ, siue virtutis, siue opera, quæ procedunt ab anima, nisi formentur habitu charitatis, infirma sunt nec habent meritum vitæ æternæ. Et ideò scribitur, *Spiritus Domini ornauit cœlos*, id est, viros cœlestes: cœlum enim Iob 26. habens puritatem in materia, speciositatem in forma, sublimitatem in situ, & vtilitatem in effectu: Ita viri cœlestes, & Deum timentes, habent puritatem in affectione, speciositatem in conuersatione, sublimitatem in contemplatione, & vtilitatem in aliorum ædificatione. Secundò valet nobis habitus charitatis ad vsum necessitatis: quia quantumcumque sint opera bona sine charitate, non sunt meritoria vitæ æternæ, siue sint iejunia, siue orationes, siue eleemosynæ; quia regnum Dei non est esca, neque potus, sed iustitia, pax, & gaudium in Spiritu Sancto. Tertiò habitus charitatis valet nobis ad signum distinctionis quia sicut per habitus varios distinguuntur homines; ita per habitum charitatis distinguuntur Filij Dei, à filiis diaboli. Vnde scribitur. *Sic nos existimet homo, sicut ministros Christi, in multa patien-* 1. Cor. *tia, in ieiuniis multis, in Spiritu Sancto, in charitate non ficta.* 14.

3. Veni igitur Sancte Spiritus in animam meam, à qua auferre digneris ex immensitate bonitatis tuæ, amoris oppositum, & conferre digneris amoris habitum; vt tuo amore fruatur in æternum. Amen.

CAPVT XIII.

Quod Spiritus est pignum æternæ hæreditatis.

1. VEni Sancte Spiritus in animam, & da ei præmium amoris tui, scilicet hæreditatem æternam, quia tu Sancte Spiritus es pignus hæreditatis æternæ, & tantum est pignus quanta hæreditas. Veni ergo Sancte

Eph.1. Spiritus in animam meam, quia sic certus ero de hæreditate habenda, vnde de te scribitur, *credentes signatis estis promissione Spiritus Sancti, qui est pignus hæreditatis.* Et, *ipse Spiritus reddit testimonium Spiritui nostro, quia sumus Filij Dei, & hæredes.*
1.Ioa.5.

2. Tu Sancte Spiritus ex magnitudine clementiæ tuæ, procura nobis hanc hæreditatem tuam, in qua est vita sine morte, dies sine nocte, gaudium sine mœrore, iucunditas sine dolore, tranquillitas sine labore, fortitudo sine debilitate, rectitudo sine peruersitate, pulchritudo sine deformitate, veritas sine falsitate, charitas sine inuidia, fœlicitas sine miseria. Tu Sancte Spiritus ad hoc vt homo tantam hæreditatem percipiat facis eum loqui in confessione vt pacificetur, quia sicut ventus pacificat aëra, ita confessio pacificat corda. Vnde scribitur, *à quatuor ventis veni Spiritus, & suffla supra interfectos istos.* Quatuor venti sunt quatuor affectiones animæ, videlicet dolor, gaudium, timor, & spes. Dolor est de culpa, gaudium est de venia, timor de iustitia, & spes de misericordia. Tu Sancte Spiritus virtute tua nociua purgas, sicut scribitur, *spiritus purgauit peccata illius.* Quia facit loqui veraciter in confessione. Vnde Iob dicebat, *Memento mei Domine quia ventus est vita mea*; & post sequitur, *quapropter non peream, ore loquar in tribulatione spiritus mei, consolabor in amaritudine animæ meæ.* Tu Sancte Spiritus facis nos loqui in oratione, vt humilians & diuinæ maiestati subiiciens. Et ideò scribitur. *Os suum aperuit, & impleuit illud Dominus Spiritu sapientiæ, & intellectus.* Tu Sancte Spiritus facis nos flere, ostendendo nobis peccata commissa, vnde scribitur. *Flabit spiritus eius & fluent aquæ*, &, *exitus aquarum deduxerunt oculi mei.*
Ezec. 9. 37. Eccl.47 c.7. Eccl.15. Ps. 147.

3. Veni igitur Sancte Spiritus in animam meam & m[illegible]da eam à labe peccati, vt hæreditatem percipiam sempiternam. Amen.

CAPVT XIV.

Quod S. Spiritus dat bona scire, velle, & posse.

1. VEni sancte Spiritus in animam meam desidia & negligentia plenam, excute ab ea torporem, & da ei motum bonæ operationis, quia sicut ventus agitat scintillas, sic tu Sancte Spiritus agitas animas quæ per se non mouentur. Vnde scribitur, *vbi erat impetus Spiritus, illuc gradiebantur.* Ad motum autem bonæ operationis, requiruntur tria, scilicet posse, scire, & velle, siue potentia, scientia, & voluntas. Ista autem tria das tu Sancte Spiritus.
Ezec. 15.1.

2. Das enim sapientiam regentem in opere, sicut scribitur, *Spiritus Paraclitus quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia.* Tu Sancte Spiritus das potentiam ad exequendum opus. Sicut enim superiora corpora dant inferioribus virtutem germinandi, & fructificandi, ita tu S. Spiritus illis in quibus habitas das virtutem benè operandi, ideò scribitur. *Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eo-*
Ioa. 14. Psal. 32.

rum. Tu S. Spiritus das voluntatem ad opus applicantem. Quia sicut ratio inclinat voluntatem ad bonum eligendum, ita tu sancte Spiritus inclinas rationem ad hoc quod arguat peccatum, sicut scribitur, *cum venerit Paraclitus ille arguet mundum de peccato*, quod commiserunt, *de iustitia* quam amiserunt, *& de iudicio* scilicet quod non timuerunt. Tu Sancte Spiritus ostendis nobis beneficia præstita, & facis nos gratias agere, sicut de Zacharia dicitur, qui repletus tua gratia dicebat, *Benedictus Deus Israel quia visitauit & fecit redemptionem plebis suæ, & erexit cornu salutis nobis in domo Dauid pueri sui.* *Ioan. 6.* *Luc. 1.*

3. Veni igitur sancte Spiritus, cuius sapientia est inenarrabilis, prouidentia infallibilis, cuius veritas est interminabilis, cuius clementia est admirabilis, cuius bonitas est inexplicabilis. Veni, inquam, in animam meam Spiritus sancte, quia sine te surgere non valet. Excita eam à somno pigritiæ & acediæ, da ei scientiam, potentiam, & voluntatem bene operandi, & de beneficiis sibi misericorditer concessis, humiles & assiduas gratias referendi, & hîc in præsenti te donante viuat, & vitam in futurum consequatur æternum. Amen.

CAPVT XV.

Quod S. Spiritus firmitatem confert in bono.

1. VEni sancte Spiritus in animam meam mutabilem & inconstantem, quæ velut arundo ad impulsum cuiusque tentationis, agitatur & circumfertur hinc inde. Sed tu sancte Spiritus das perseuerantiam in bonis operibus exercendis, ex redundantia tuæ clementiæ. Sicut enim corpus humanum sine spiritu humano cadit deorsum; ita sine te anima cadit in culpam, in peccati consuetudinem & in gehennæ pœnam. Ideo de te scribitur. *Ingressus est spiritus in me & statuit super pedes*, videlicet conferendo firmitatem in opere bono. *Ezec. 3.*

2. Tu sancte Spiritus confers & das istam firmitatem tripliciter. Primò in statu pœnæ consolando. Ideò nominaris Paraclitus, id est consolator. Vnde cantat Ecclesia *Consolator optime, dulcis hospes animæ, dulce refrigerium.* Tu sancte Spiritus das firmitatem in bono opere, dando victoriam in pugna, quia tu Sancte Spiritus virtus es, & etiam charitas, quæ potest resistere tentationi. Sed si potest hoc facere charitas creata, multo plus potes hoc facere, tu sancte Spiritus, qui es charitas increata. Vnde scribitur de Samsone, *quoniam insiluit in eum Spiritus Domini, & debellauit leonem.* 3. Tu sancte Spiritus das firmitatem in bono opere, in statum bonum reducendo sicut scribitur. *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam:* scilicet vitæ æternæ, ad quam allicis nos tu sancte Spiritus, vt ad illam animum eleuemus continuè. Ibi namque iuuentus nunquam senescit, amor nunquam tepescit, sanitas nunquam marcescit, dolor nullus sentitur, gemitus nullus auditur, lætitia semper habetur, malum nullum timetur, quoniam omne bonum ibi possidetur. *Indic. 6.* *Ps. 142.*

3. Veni igitur Sancte Spiritus misericorditer in animam meam, & da e robur & fortitudinem aduersus hostium tentamenta; & da ei firmitatem & perseuerantiam in bonis operibus exercendis. Da ei constantiam vt non declinet ad dexteram prosperitatis, neque ad sinistram aduersitatis, sed via directa & tibi placita in præsenti semper intendens, ad regnum te adjuuante perueniat sempiternum. Amen.

CAPVT VIX.

Quod Sanctus Spiritus est donum igneum.

1. Veni Sancte Spiritus in animam meam. Tu namque es primum donum quod Christus de cœlo transmisit, & licet sint etiam dantes Pater & Filius, tamen specialiter Christus dedit te nobis, sicut scribitur. *Mittam vobis Spiritum qui à Patre procedit.* Tu Sancte Spirirus es donum nobile, quia es æqualis Patri & Filio: non tantùm diuisim, sed etiam conjunctim, quia non est major nobilitas in duabus personis, quàm in vna, nec etiam in tribus simul. Tu Sancte Spiritus datus es nobis ad hoc vt facias nos charos. Ideò summè te diligere debemus quia Deo nos facis charos. Vnde
Rom. 5. dicitur, *charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis.* Tu Sancte Spiritus, es donum ita copiosum, & perfectum, & tam magnum, quod tecum omnia dona nobis donantur. Donum namque es diuini amoris, quia tu comples cor charitate & dilectione. Ideò petimus & cantamus, *reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende.*

2. Tu Sancte Spiritus ad modum ignis materialis purgas & reddis animam mundam ab omni carnalitate. Animus enim infectus carnalibus cogitationibus & affectionibus non habet te; sed animus purus & mundus,
Psal. 50. idcirco petimus *cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis.* Tu Sancte Spiritus, subtilias, & alleuias, & reddis animum liberum ab omni cupiditate. Cupiditas enim terrenorũ aggrauat animum, & trahit ad amandum, nec permittit eum ascendere in cœlum. Sed paupertas voluntaria, habet cor liberum ad desiderandum cœlestia, quia scri-
2. Cor. 3. ptum est, *Vbi spiritus Domini, ibi libertas.* Tu Sancte Spiritus tranquillas animum cum proximo ab omni animositate. Vbi enim animositas est, ibi Sancte Spiritus manere non potes, sed vbi est pax & tranquillitas cum proximo, ibi Sancte Spiritu es, venis & manes.

3. Veni igitur tu sancte Spiritus in animam meam infectam carnalibus cogitationibus & affectionibus, à quibus digneris ex immensitate amoris tui eam purgare & mundare. Alleua eam ad æterna, & fac eam liberam ab omni cupiditate, vt cœlestia semper contempletur. Concede ei misericorditer veram tranquillitatem & pacem cum omnibus, vitia repellendo: vt te miserante & iuuante, hîc viuat per gratiam, & in futuro per gloriam sempiternam. Amen.

CAPVT XVII.

Quod Sanctus Spiritus ad triplicem amorem inflammat, tenet hominem, hostem repellit longiùs.

1. VEni Sancte Spiritus in animam meam ex defectu amoris multipliciter desolatam. Tu namque Sancte Spiritus inflammas hominem ad amandum seipsum, quia sine te non potest homo diligere. Et quia pro modica dilectione carnis non timet pœnam mereri æternam, prodiitiis modicis temporalibus, non timet diuitias perdere æternas, sed te veniente inflammas hominem ad sui dilectionem. Tu Sancte Spiritus, inflammas hominem ad amorem proximi quem sine te nescit diligere, siue sit amicus, siue sit inimicus: Tu autem Sancte Spiritus superueniens doces hominem vt amicum diligat in Deo, & inimicum propter Deum. Tu Sancte Spiritus inflammas hominem ad dilectionem Dei, quia sine te homo frigidus est & tepidus in Dei amore. Sed tu Sancte Spiritus hominem inflammas: quia si est extinctus, ipsum viuificas, si est remissus, ipsum fortificas, si est infectus ipsum perficis, vt sit fortis in quibusuis passionibus, ita quod non auellatur minis nec carceribus, nec verberibus, nec morte, quia scriptum est, *fortis est* Cant. 8.
vt mors dilectio, quare etiam sit firmus in tentationibus vt à Deo nulla tentatione separetur.

2. Tu Sancte Spiritus tenes hominem ne defluat, hostem repellendo, sicut à te frequenter petendo dicimus, *hostem repellas longiùs*. Hostis enim noster in tantum est malitiosus & importunus, quod vix quis se ab ipso defendat si habeat eum præsentem. Et ideò tu Sancte Spiritus in mentibus nostris existens facis eum esse remotum, & sic in tua gratia conseruatur. Tu Sancte Spiritus tenes hominem ne cadat per concupiscentiam, eam minuendo, tendit enim concupiscentia nostra ad malum, & adeò inclinatur vt vix valeat quis se retinere. Sed tu Sancte Spiritus adueniens, concupiscentiam ipsam refrigeras & sic in tua gratia conseruas hominem. Tu sancte Spiritus tenes hominemlabatur: scilicet gratiam augmentãdo. Gratia enim magna, multò plus potest conseruari quàm parua. Et ideò tu Sancte Spiritus venis in hominem, venis cumplenitudine gratiæ, & sic gratia confortata ne meliùs conseruatur, de qua scribitur, *dabit capiti tuo augmeuta gratiarum.* Rom. 4.

3. Veni igitur Sancte Spiritus in animam meam, inflammando eam ad dilectionem Dei & proximi & sui, hostem longiùs repellendo, concupiscentiam minuendo, & gratiam augmentando, vt relictis vitiis quibuscumque, de virtute in virtutem ambulet, quousque perueniat ad gloriam sempiternam. Amen.

CAPVT XVIII.

Quod Sanctus Spiritus purgat, mollificat, & salubriter contundit.

1. VEni Sancte Spiritus in animam meam peccati rubigine deformatam digneris eam purgare igne tuæ dilectionis, vt emolliatur per contritionem, quia si quis vult purgari, necessarium est sibi quod virtute tua, sancte Spiritus, emolliatur. Hæc enim emolitio siue contritio, est medicina contra peccatum, & contra morbum spiritualem, id est contra peccatum veniale, ac etiam ressuscitat à morte spirituali, id est à mortalibus peccatis. In hoc Sancte Spiritus, hæc medicina excellit medicinas corporales, quæ aliquando curant hominem ab infirmitatibus, numquam tamen à morte.

2. O Sancte Spiritus, si quis purgari desiderat, non solùm necessarium est sibi, vt igne tui amoris emolliatur, sed expedit etiam sibi vt post emollitionẽ per te contundatur; sicut ferreum post emollitionem contunditur. Homo enim Sancte Spiritus, est ægrotus spiritualiter, eo quod sit promptissimus ad cadendum. Et ideò non tantùm indiget medicina curatiua spirituali quæ est contritio, sed etiam præseruatiua: qualis est pœnitentialis afflictio. Quæ non solùm est vtilis ad peccati punitionem, sed etiam ad præseruationem. Cùm enim corpus suum quis affligit & quodammodo contundit ieiuniis, vigiliis, & verberibus, non tantam habet ad peccandum inclinationem. Quia caro tunc non est potens ad rebellandum in ipsum. Ideò Apostolus
1. Cor. 9. dicebat, *Castigo corpus meum & in seruitutem redigo.* Tunc tu Sancte Spiritus homini sic contrito in anima, & sic afflicto in corpore, das ex infinita bonitate tua spiritualem consolationem. Hic enim Sancte Spiritus, est ordo debitus, vt videlicet post contritionem in anima, & afflictionem in corpore sequatur spiritualis consolatio, etiam in hac vita; sicut consueuerunt sancti viri sentire, qui carnem suam crucifixerunt & afflixerunt aliquando: & po-
Psal. 33. stea quadam spirituali dulcedine sunt refecti, de qua scribitur, *Gustate & videte quoniam suauis est Dominus.*

3. Veni igitur Sancte Spiritus misericorditer in animam meam, & vt dignè à peccatis purgetur, mollifica eam per veram contritionem. Contere cor meum, vt miserabile corpus meum affligatur, ieiuniis, vigiliis & disciplinis, vt spiritus, te iuuante, corpori dominando, gloriam consequatur sempiternam. Amen.

CAPVT XIX.

Quod Sanctus Spiritus est virtus potentiarum.

1. VEni Sancte Spiritus in animam meam, infunde in eam gratiam vt sit Deo similis. Nam gratia est quidam habitus Deo assimilans ipsam animam. Itaque anima ex gratia tua, non solùm est ad Dei imaginem, sed

etiam ad Dei similationem. Per hunc habitum das tu Sancte Spiritus animæ virtutem in potentiis. Potentiæ enim animæ, maximè post peccatum, sunt debilitatæ. Itaque intellectus non potest conuenienter Deum intelligere, nec voluntas diligere, nec memoria reminisci. Et ideò necessarius es tu sancte Spiritus, qui virtute tua roboras potentias animæ. Ille enim intellectus qui de sua natura non erat sufficiens ad cogitandum sublimia, & diuina, assumpto habitu fidei & sapientiæ roboratur & confortatur, in tantum vt possit conuenienter intelligere & credere prout conuenit in hac vita. Illa etiam voluntas quę non sufficit ad amandum Deum super omnia quantùm est de se, confortata per charitatem fit potens; sic etiam de memoria fortificata per habitum spei, vel alios quos affers tecum. Vnde scriptum est: *Sensum tuum quis sciet nisi tu dederis sapientiam*, & miseris Spiritum tuum sanctum de altissimis. Sap. 9.

2. Tu Sancte Spiritus, das animæ efficaciam in opera. Opera enim hominis in gratia tua non existentis, non sunt efficacia ad vitam æternam propter sui indignitatem; sed fortè ad aliqua præmia temporalia. Vt cum existens in peccato mortali in quo etiam moritur, facit aliqua bona opera, vt cùm audit missas & sermones, facitque eleemosynas. Sed hæc eadem opera si faciant iusti viri, sunt meritoria vitæ æternæ. Non enim possent sufficienter præmiari extra vitam æternam, propter gratiam tuam, Sancte Spiritus quæ opera illa sanctificat. Et ideò aiebat Dauid, *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam*, id est ad gloriam tuam, vbi omnia sunt rectè. Ps. 142 Et mea quidem opera; vilia nimis, & miserabilia sunt: sed tu Domine mittes Spiritum tuum, qui donis suæ gratiæ, opera mea dignificabit, vt tantis præmiis fiant digna.

3. Veni igitur Sancte Spiritus in animam meam, in qua reuocare & roborare digneris eius potentias: scilicet intellectum, voluntatem & memoriam propter peccatorum infirmitatem debilitatas: vt opera mea tibi placeant, & per ipsa te iuuante perueniam ad tuam gloriam sempiternam. Amen.

CAPVT XX.

Quòd Sanctus Spiritus est lumen animæ.

1. VEni Sancte Spiritus in animam meam peccatorum tenebris inuolutam, & illumina eam, ea vitute illuminatiua de qua scribitur; *deduxit eos in illuminatione ignis.* Tu namque sanctè Spiritus ex dulcedine tuæ bonitatis, illuminas hominem quoad intelligenda altissima, vt sunt multa in scriptura sancta, quæ etsi multi valent legere, nullus tamen potest ea intelligere absque illuminatione tua. Sicut ostenditur in scriptura, vbi dicitur quòd Spiritus ingressus est Ezechielem, qui Spiritus expandit librum qui priùs erat inuolutus, & erat scriptus intus & foris. Iste namque liber inuolutus, est liber sacræ scripturæ, quæ propter sui obscuritatem est inuoluta homini non habenti te Spiritum sanctum. Post ingressum autem

tuum expanditur & apparet scriptura interior & exterior, quia ex tunc fit parens scriptura sacra, non tantùm quantùm ad sensum naturalem seu litteralem, sed etiam quantùm ad sensum spiritualem qui est sensus interior.

2. Tu sancte Spiritus illuminas hominem quoad intelligenda futura. Nulli enim creaturæ concessum est ex natura sua, posse futura contingentia præuidere. Et tamen tu sancte Spiritus, adueniens, das aliquando intelligentiam seu præuidentiam futurorum. Propter quod scribitur, quod *aliis*
1. Cor. 19 *datur sermo sapientiæ, aliis prophetiæ in eodem Spiritu.* Tu item sancte Spiritus illuminas hominem quoad credenda. Articuli enim fidei ita sunt alti, & supra vires intellectus nostri, quod intellectus suo tantùm naturali lumine non posset eis vllatenus assentire. Quis enim videat Virginem peperisse, Deum incarnatum, & in modica specie panis, totum Christum? Et ideò tu sancte Spiritus intellectum illuminas donec ea credat, ad quæ infidelis non potest aliquatenus peruenire. Illuminas autem sic tu sancte Spiritus, quia licet articuli fidei arduissimi, creduntur tamen faciliter à subtilibus, à rudibus, & à mediis. Vnde scribitur. *Spiritus Domini repleuit orbem*
Sap. 1. *terrarum.* Reples enim tu sancte Spiritus vt dictum est, lumine tuo ad credendum, tam rudes, quàm subtiles, ac etiam medios.

3. Veni igitur sancte Spiritus in animam meam, & sic eam illuminare digneris, vt frui valeat indeficiente lumine in æternum. Amen.

CAPVT XXI.

Quod Sanctus Spiritus pellit in anima ignorantiam.

1. VEni sancte Spiritus in animam meam ignorantem: Digneris eam erudire, id est extra ruditatem ponere; quia reuera natura humana, rudis est sine te & indigesta nimis; sed te adueniente extra omnis ignorantiæ ruditatem ponitur, & Euangelica lege imbuitur & informatur. Ideò
Ps. 93. scribitur. *Beatus quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum.* Tu S. Spiritus qui es ignis spiritualis, illustras in nobis intellectum veritatis splendore. Duos namque defectus ante tuum aduentum patitur; humanam scilicet firmitatem carnis, & cœcitatem mentis. Sed tu sancte Spiritus prædictis effectibus remedia tribuis. Nam contra infirmitatem carnis, expan-
Psal. 63. dis nubem consolationis in protectionem, vt dicere quis tibi possit, *protexisti me à conuentu malignantium*: contra autem cœcitatem mentis, das ignem & lumen tuum. Ideò cantat Ecclesia, *De patris ergo lumine, decorus ignis almus est, qui fida Christi pectora, calore verbi compleat.* Hæc est lux & veritas sancte Spiritus quam petebat Dauid. *Emitte lucem tuam & verita-*
Ps. 42. *tem tuam.*

2. O sancte Spiritus quantum regratiandum est tibi propter veritatem istam, sine qua nihil valuissent beneficia diuina. Quid enim nobis profuisset cœli & terræ creatio, quid Filij Dei incarnatio, nisi de his adesset nobis

bis à te Sancte Spiritus eruditio debita qua bonis diuinitus paratis vti possemus? A te verò ea eruditio multifariè multísque modis est allata. Ideò ille Zacharias, cæcitatem mentis suæ volens extirpare, dicebat: *illuminare his qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.* Luc. 1.

3. Veni igitur sancte Spiritus in animam meam, quia licet sim cæcus ac multiplici cæcitate plenus, nihilominus tamen lumen istud purissimæ ac clarissimæ veritatis in tantum neglexi, quod inter illos numerari possum de quibus scribitur, *dilexerunt magis tenebras quàm lucem.* Veni Sancte Spiritus, per immensam clementiam tuam, expelle à me vitia & peccata quæ mentem meam excæcarunt, & illustra me lumine tuæ veritatis: vt ignorantia & cæcitate exclusis, quæ agenda sunt videam, & opere compleam, & vitam consequar sempiternam. Amen. Ioan. 3.

CAPVT XXII.

Quod Sanctus Spiritus dat saporem spiritualem, & fastidium carnalium ingenerat.

1. VEni sancte Spiritus in animam meam gratiis spiritualibus vacuam. Tu enim ex vbertate clementiæ tuæ, reples hominem charitate, quum das homini amorem. Sine charitate namque Deum diligere non possumus. Ideò per oppositum qui non diligit, non est in charitate. Hæc charitas quam tu das Sancte Spiritus, dat saporem homini. Sine charitate enim Deus non sapit homini, sed ipsa charitas dat saporem, tollendo omnem corruptionem à nostro corde, quæ impediret saporem de Deo, ideò scribitur, *qui in carne sunt, secundùm carnem sunt, & sapiunt, qui autem secundùm Christum sunt, ea quæ secundùm Christum sunt sapiunt.* Hæc charitas Sancte Spiritus dat vigorem. Qui enim charitatem non habet, frigidus est & piger ad omne opus bonum. Vnde scribitur. *Accipietis virtutem sancti Spiritus superuenientis in vos.* Rom. 8. Act. 1.

2. Qui autem sancte Spiritus, gustauerit hanc charitatem tuam, faciliter spernit & horret carnales voluptates. Nec mirum, quia minor voluptas faciliter spernitur pro maiori: quia voluptas tuæ charitatis maior est quàm sit carnis, pro eo quod est nobilioris naturæ, ideo carnalis amor faciliter spernitur ab eo qui aliquando fuit charitate tua satiatus. Aliter autem Sancte Spiritus, nisi homo maiorem dulcedinem inueniat in charitate tua quàm in mundana, cum maxima difficultate potest resistere affectionibus carnalibus. Vincimur namq; nisi diuinitùs adiuuemur. Itaque dilectio charitatis vincit in nobis earum rerum delectationes, quas vel habere cupiendo vel amittere metuendo peccamus. Qui item Sancte Spiritus, degustauit hanc charitatem tuam, faciliter tolerat aduersitates temporales. Nam in tua charitate, plena dulcedine roboratur spiritus. Et propterea scriptum

Cant. 8. est; *fortis vt mors dilectio.* Quia ille qui benè Deum diligit, etiam vsque ad mortem pro Deo pati est paratus; quia tu Sancte Spiritus semper das consolationem, quia consolator nominaris.

3. Veni igitur Sancte Spiritus in animam meam, imple eam misericorditer tua charitate, vt à te in perpetuum separari non possit. Amen.

CAPVT XXIII.

Quod Sanctus Spiritus renouat faciem terræ.

1. VEni Sancte Spiritus in animam meam diuersis peccatis maculatam. Veni & noli tardare, & renouabis faciem terræ, id est animam peccatricem quæ terra merito appellatur, quia est elementum obscurum, vnde minus habet de luce: & sicut ad extinctionem candelæ domus manet tenebrosa, ita & terra sine extrinseco lumine solis & syderum per quod illustratur. Vnde scribitur. Gen. 1. *Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi.* Sic ergo peccator, nisi tu, Sancte Spiritus, ei lumen affundas, est totus tenebrosus, & obscurus, & nescit quò vadat, palpans in meridie. Terra est elementum immundum, quia fœx elementorum est, & recipit omnes immunditias. Ita peccator assuetus in peccatis, est immundus in corde per sordidam affectionem seu cogitationem; in ore per immundam locutionem: in opere per inhonestam exteriùs conuersationem; Terra est elementum infimum. Sic peccator qui stabat in alto gratiæ, cadit in infimum gehennæ, quia scriptum est. *Impij non habitabunt super terram.*

Prou. 2. 2. Sed per te, Sancte Spiritus, omnia renouãtur, vnde omnia obscura fiunt clara, & immunda fiunt munda, & infima fiunt alta. Tu Sancte Spiritus es ignis diuinus, & quod facit ignis materialis circa ferrum, hoc tu facis Sancte Spiritus circa cor ferreum & durum. Per ipsum namque ignem materialem, ferrum frigiditatem, & duritiem deponit. Ita etiam per te sancte Spiritus, totus animus ardescit pariter & liquescit in amorem Dei, quousque anima à corpore sit separata, & gloriam percipiat sempiternam, in qua potentiæ animæ, quod magis desiderabunt, habebunt. Intellectus namque erit in plenitudine siue claritate lucis. Sicut enim oculus corporalis, nihil tantùm desiderat, sicut lucem, nec de vllo tantum lætatur; sic oculus noster mentalis, super omnia desiderat lucem Dei, & in ipsa magis reficitur: sicut scribitur. *Valdè delectabile est oculis videre Solem, scilicet æternum.* Eccl. 11. Voluntas erit in suauitate dulcedinis. Sicut enim gustus corporalis delectatur in dulci, sic gustus noster spiritualis in spirituali dulcedine, & potissimè in Deo. Cant. 2. Vnde scribitur, *Fructus eius dulcis gutturi meo.* Memoria erit in certitudine vel æternitate pacis. Sicut enim virtus nostra hic totum suum conatum facit pro pace, & eam appetit, ac in illa libenter consistit; sic virtus nostra spiritualis, & pacem appetit, & in pace quiescit.

3. Veni igitur Sancte Spiritus in animam meam, & renoua eam, vt de obscura fiat clara, de immunda munda, de infima alta, & te Sancte Spiritus iuuante, pacem consequatur æternam. Amen.

CONTEMPLATIONES DE OCTO beatitudinibus.

CAPVT I.

De duplici Beatitudine.

1. DVPLEX est, Domine Iesu Christe, benignissime beatitudo, scilicet quædam perfecta, & quædam imperfecta. Perfecta namque est illa, Domine, quæ est finis & quies omnium desideriorum, & præmium omnium meritorum, quæ consistit in clara visione tua, & in perfecta tui fruitione, & omnis boni firmissima tentione, de qua scribitur. *Beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus.* Ista beatitudo, Domine Iesu Christe, non potest cum mortalitate corporis simul stare.

2. Beatitudo autem imperfecta, est quædam virtus nobilissima transcendens alias, quæ heroica vocatur, cuius actum spiritualis homo exequitur, non modò humano, nec superhumano, sed quasi inhumano: & tanquam non existens homo, nec curans de esse suo, sed potiùs dolens de prolongatione præsentis miseriæ præ desiderio futuræ vitæ, quia cupit dissolui & esse tecum. Propter quod talis homo fatuus & insensatus reputatur à carnalibus hominibus; iuxta illud quod dicent damnati in inferno, *ij sunt quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improprij, non insensati vitam illorum æstimabamus insaniam!* Sap. 5. Ista beatitudo, Domine Iesu Christe, quæ non est solùm vna sed multiplex, quia multæ sunt tales virtutes quæ dicuntur beatitudines, haberi potest in hac vita: non quidem beatitudine perfecta, nisi solùm in spe, sed beatitudine imperfecta, id est virtute omnem aliam transcendente. Per istas autem beatitudines acquisiuerunt ciues cœlestis patriæ, id est homines qui iam secundùm animas sunt beati, illam perfectam beatitudinem per quam sancta mater Ecclesia ipsos honorat, & de ipsis celebrat festa.

3. O misericordissime Domine Iesu Christe, respicere digneris oculo pietatis tuæ & misericordiæ, me iniquissimum peccatorem, multis & grauibus peccatis inuolutum. Absterge illa misericorditer ab anima mea per veram contritionem, confessionem & dignam satisfactionem. Da mihi, immensitate clementiæ tuæ, istam imperfectam multiplicem beatitudinem in hac vita, cuius actum te mediante & largiente spiritualiter exequar, contemnendo istam miserabilem vitam, & desiderando futuram; vt finita ista miserabili vita, ad illam perfectam peruenire merear, te iuuante. Amen.

CAPVT II.

De dulcedine sermonis Christi.

1. ELoquium tuum dulce est, clementissime Domine Iesu Christe, quia in principio tuæ sanctissimæ prædicationis, dum peccatores vocare venisti, viam qua conuerti & saluari poterant, dulciter ostendisti, non præcipiendo, non prohibendo, non comminando, non terrendo, sed suauiter demulcendo more piissimi patris, mellifluis verbis, & exhortationibus docens, qualiter regnum acquirere & possidere poterant sempiternum, vt difficultas laboris eos non retraheret à mercede inæstimabili quam recepturi erant, si tuæ beatissimæ prædicationi acquiescerent.

2. O dulcissime Domine Iesu Christe, quanta & qualis fuit doctrina tuæ sanctissimæ prædicationis quam in montem ascendendo docuisti. Diffusa namque gratia erat in labiis tuis, quia regulas viuendi tradidisti, vt eas obseruantes, æternam fœlicitatem mererentur. Et licet lex promitteret suis obseruatoribus benedictionem temporalis prosperitatis, & suis transgressoribus comminaretur maledictionem temporalis aduersitatis; Tu tamen benignissime Domine Iesu Christe, in hac tua nouæ legis sanctissima prædicatione beatificas, & beatos esse prædicas, & doces, obseruatores ipsius. *Attingit* ergo hæc tua sacratissima doctrina *à fine vsque ad finem*, & interiora hominis penetrans, suauitatem effectualiter ostendis. Si benè obseruetur ipsa animam ad bonum ordinat, perfectè purgat mentem, infirmitatem expellit, peccati sollicitudinem, & amorem sæculi aufert à cordibus hominum, & perturbationes excutit ab iis qui ipsam satagunt obseruare.

Sap. 8.

3. O doctrina salutifera, salubris cogitatio, prædicatio salutaris, exhortatio dulcorosa, quis tam negligens qui te non audiat? quis tam durus qui te non intelligat? quis tam insanus qui te obliuiscatur? quis tam immemor suæ salutis, qui te cum affectu non obseruet? aut quis tam proteruus qui te firma dilectione non diligat, vt à corde suo etiam modicum tui non effluat? Ego sum ille piissime Domine Iesu Christe; Ego sum ille impiissimus peccator, negligens, durus, insanus, immemor meæ salutis, & proteruus, qui tuam sanctissimam doctrinam neglexi & contempsi. Indulgere mihi digneris misericorditer, Domine Iesu Christe, mihi miserrimo gratiam tribuendo, vt tuam doctrinam obseruem, & beatitudinem consequar sempiternam. Amen.

CAPVT III.

De prima Beatitudine.

1. PRima Beatitudo tuæ sacratissimæ prædicationis, misericordissime Domine Iesu Christe, quam magister veritatis ostendisti, est *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Tu Domine Iesu Christe, volens radicitus euellere superbiam, quæ radix fuit & fons malitiæ vniuersæ, incepisti à beatitudine humilitatis. Hanc igitur posuisti contra superbiam velut quoddam stabile fundamentum, super quo stabiliter alia superædificantur. Sed eo despecto pereunt quæcunque homo cogitauerit bona. Sicut ergo præsumptio spiritus superbiam & audaciam significat: ita paupertas spiritus, humilitatem. Beati ergo pauperes spiritu, id est, humiles & continentes te, Domine, & qui non habent inflantem spiritum, sed qui seipsos voluntariè humiliant, non vt necessitate coacti, qui non sunt digni laude, nec tales tu Domine beatificas: beati enim pauperes spiritu, id est spirituali voluntate, spirituali intentione, desiderio spirituali, propter solùm beneplacitum tuum Domine & animarum salutem. Paupertas etiam spiritus non solum consistit in humilitate, sed etiam in rerum temporalium abdicatione & voluntate, qua fiunt pauperes rebus mundi. Pares igitur spiritu sunt contemptores mundi. Hunc enim tenent sub pedibus, & sunt supra mundum. Matt. 5.

2. Hanc paupertatem, tu Domine Iesu Christe, non solum docuisti, sed etiam in hoc mundo plusquam triginta annis tenuisti. Te docente cognouimus, quòd terrena substantia, æternæ fœlicitati comparata pondus est non subsidium. Per paupertatem non mouentur lites, paupertas non timet fures, nec latrones, non timet aëris passiones. Donum tuum Domine est à paucis cognitum, quia scriptum est, *Pauperies & honestas à Deo sunt.* Paupertas vitiis materiam subtrahit, quia non habet vnde suum pascat amorem. Beati ergo sunt, Domine Iesu Christe, pauperes spiritu, & humiles, & diuitiarum mundanarum contemptores, quoniam ipsorum est regnum cœlorum, propter quod sunt beati beatitudine perfecta in spe & in re. Eccl. 11.

3. O Benignissime, Domine Iesu Christe, negligens discipulus fui, in obseruatione tuæ doctrinæ, quia non fui pauper spiritu, id est verus humilis, sed diuitias temporales concupiui & amaui. Parce mihi Domine, & da mihi spiritum humilem & spernentem mundana, vt regnum consequar sempiternum. Amen.

CAPVT IV.

De secunda Beatitudine.

1. MIsericorditer nos docuisti dulcissime, Domine Iesu Christe, qui es magister veritatis, dum dixisti, *Beati humiles quoniam ipsi possidebunt terram.* Mites Domine Iesu Christe cedunt improbitatibus & non re- Matt. 5.

sistunt in malo, sed vincunt in bono malum: mitigant affectum proprium vt non irascantur, aut ne irati peccent, quia scriptum est. *Irascimini & nolite* Psal. 4. *peccare.* Quia est quædam ira per vitium, & quædam ira per zelum. Præclarum enim est, Domine, motum temperare consilio, nec minoris virtutis dicitur cohibere iracundiam, quàm omnino non irasci. Istam beatitudinem habuit excellenter Moyses, de quo scribitur, *Quod erat mitissimus super om-* Nu. 12. *nes homines qui habitabant in terra.*

2. Beati igitur mites, quoniam ipsi possidebunt terram, de qua euelli non poterunt, illam inquam terram de qua scriptum est: *Portio mea Domine sit* Psa. 141. *in terra viuentium.* Significat enim, Domine, quandam stabilitatem hæreditatis æternæ, vbi anima per bonum affectum tanquam in loco suo quiescit, sicut corpus in terra, & vnde suo cibo alitur sicut corpus de terra. Mites igitur Dñe possidebunt terram viuentium, de qua scribitur. *Mansueti au-* Psal. 36. *tem hæreditabunt terram.* Id est corpora sua quibus dominantur, & etiam malis motibus. Possident terrena, Domine, in quibus non turbatur, sed illa perdunt, quia non diligunt, sed ab eis animas elongant. In præsenti enim seipsos possident, vt in futuro hæreditate tua non priuentur. Mitis, Domine Iesu Christe malitiam vincit, nulli malum infert, mala in bonum conuertit, & non irritat neque irritatur, non nocet, neque nocere cogitat, sed omnia æquanimiter sustinet, subesse vult, nec superiori resistit. Et quia in pace viuit, iustum est, vt terram pacis possideat.

3. O clementissime Domine Iesu Christe, hac beatitudine vacuum me sentio propter iniquitates meas. Iracundus fui, ad vindictam paratus, impatiens in omnibus aduersitatibus, & tribulationibus fui; malum reddens pro bono. Auxiliari mihi digneris, Domine Iesu Christe, tu qui mitis es, & humilis corde, mihi misericorditer indulgendo. Da mihi clementer istam beatitudinem, vt mitis & patiens sim in præsenti, & in futuro, te adiuuante, terram viuentium valeam possidere. Amen.

CAPVT V.

De Tertia Beatitudine.

1. O Doctor veritatis, benignissime Domine Iesu Christe, qui doctrina tua salutifera, nos ad beatissimam tuam consolationem misericorditer inuitasti: Tu docuisti nos sic lugere, vt perpetuò consolari possemus; & Matt. 5. dixisti, *beati qui lugent quoniam ipsi consolabuntur*, Non tamen lugentes contumelias eis illatas, seu damna temporalia sustinentes; sed peccata sua flentes, sed de malis quæ occurrunt, vel de bonis quæ deficiunt vehementer dolentes. Tales enim dicis beatos, & eis promittis consolationem, quia beati qui lugent pro miseriis huius mundi, & pro desiderio cœlestium. Istum autem luctum, Domine Iesu Christe, habent pauperes spiritu & mites, qui cùm mundum non diligant, recognoscunt quia est miser, & ideò te solùm concupiscunt. Conuenienter autem Domine, lugentibus promittis con-

solationem, vt qui tristati sunt in præsenti, gaudeant & consolentur in futuro.

2. Domine Iesu Christe, tanta est & tam immensa misericordia tua, quod semper das laborantibus maiores distributiones. Nam regnum cœlorum Domine, rapi vult nostris fletibus, quod nostris meritis non debetur, nihil enim Domine conglutinat tantopere tibi, vt illæ lacrymæ quas peccati dolor & amor virtutis effundit. Et sicut post vehementes pluuias, aër mundus & purus efficitur, ita etiam post lacrymarum pluuias, serenitas sequitur atque tranquillitas: omnísque peccatorum offusa caligo dissoluitur. Beati igitur Domine qui lugent, luctu scilicet compunctionis & mœroris, interim dum considerant suas conscientias virtutibus denudatas, criminibus maculatas, & suis affectionibus deturpatas. Beati Domine qui lugent luctu compassionis & doloris fraterni, propter eorum peccata, tormenta, & infortunia. Beati Domine qui lugent luctu dilationis superni splendoris. Dilatio namque supernæ gloriæ, reddit hominem gemebundum de qua scribitur *gaudete in ea vniuersi qui lugebatis super eam* Nam tu Domine, sic lugentibus, æternum præmium promittis: quia beati qui lugent quoniam ipsi consolabuntur. *Isai. 66.*

3. Sed piissime Domine, Iesu Christe, lugere non valeo nequam peccator, quia cor durum & impium habeo, terrena diligo in quibus meipsum occupo. Indulgere mihi digneris Domine, & sic lugere tribue, vt perpetuò valeam consolari. Amen.

CAPVT VI.

De quarta beatitudine.

1. SVauitate dulcissua redolet dulcissime, Domine Iesu Christe, tua sanctissima prædicatio quam docuisti ad iustitiæ obseruationem, dum dixisti, *beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam quoniam ipsi saturabuntur.* Non enim sufficit nobis velle iustitiam, nisi patiamur iustitiæ famem, & sub hoc exemplo doces ne putemus vnquam nos satis iustos, sed semper esurienda iustitiæ opera intelligamus. Ille, autem benignissime Domine, esurit iustitiam, qui secundùm iustitiam desiderat conuersari; & ille sitit iustitiam, qui scientiam tuam cupit acquirere. *Matt. 5.*

2. Quia tu Domine dicturus eras de misericordia, ideò priùs monstras qualiter misereri oporteat, quia non ex rapina, non ex auaritia, quia esset contra iustitiam. Vnde illud quod est auaritiæ proprium, scilicet esurire, & sitire, nunc iustitiæ & iusto viro attribuis, Domine. Esurientibus autem & sitientibus promittis ipsorum auiditatem perfectam in cœlo satiare, & replere. Vnde sequitur, *quoniam ipsi saturabuntur,* scilicet largitate tui remunerantis, quoniam maiora, erunt Domine, tua præmia quàm sanctorum merita; Vel *saturabuntur* in præsenti illo cibo de quo tu dicis, Domine,

Ioan. 4. *meus cibus est vt faciam voluntatem Patris mei*, quod est iustitia. *Et illa aqua de qua quicunque biberit fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Opera namque bona cibus sunt animæ; virtutes etiam quæ sunt quasi quædam membra animæ sustentantur & reficiuntur, propriis operibus: & sine illis deficerent. Ideò rectè dicitur esuries esse iustitiæ. Esuries enim est respectu nutrimenti & refectionis.

3. Qui igitur Domine Iesu Christe, esuriunt & sitiunt iustitiam, id est, vitæ rectitudinem vel bonitatem, & in se, & in aliis beati sunt, quia saturabuntur in futuro, adepto eo quod desiderant, quia totaliter viuent tibi, &
Prou. 31. bona eorum opera tunc pascent eos. Ideò scribitur. *Date illi de fructu manuum suarum*, bonorum scilicet operum suorum. Sed clementissime Domine Iesu, hac beatitudine meipsum priuaui propter peccata plurima quæ commisi. Digneris illa delere ex tua immensa clementia: fac vt esuriam & sitiam iustitiam, & saturari valeam in æternum. Amen.

CAPVT VII.

De quinta Beatitudine.

1. IVstitia & misericordia, piissime Domine Iesu Christe, conjunctæ sunt, & altera ab altera temperatur. Iustitia sine misericordia, crudelis est; & misericordia sine iustitia dissolutio est. Ideò Domine, postquam doctrinam de iustitia nobis clementer ostendisti, nunc de misericordia humiliter
Matt. 5. nos informas, dicendo: *Beati misericordes quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Misericors Domine est, quasi cor miserum habens, quia alterius miseriam quasi suam reputat, de alterius damno quasi de suo dolet. Nec solùm Domine ista misericordia intelligitur in eleemosynis corporalibus, sed etiam in omni eo quod est necessarium proximo, siue sit spirituale, siue corporale, vt sic alter alterius onera portemus.

2. Beati igitur sunt, Domine, qui subueniunt miseris, quoniam eis ita rependetur vt de miseria liberentur, prout ibi sequitur, *quoniam ipsi misericordiam consequentur.* In tantum enim tu Domine delectaris in nostro beneuolentiæ affectu, vt solis misericordibus sis misericordiam præstiturus, sed non erit æqualis Domine, quia maior per infinitum est tua misericordia, quàm humana. Beati ergo sunt Domine misericordes. Et quid est, dulcissime Domine Iesu Christe, misericordia nostra, nisi miseriæ alienæ quędam compassio in corde, qua vbi possumus subuenire compellimur? Seruit autem iste motus rationi quando ita præbetur misericordia vt iustitia conseruetur, siue cùm indigenti tribuitur, siue cùm ignoscit pœnitenti. Bonus est igitur homo, Domine, qui dum aliis subuenit, sibi consulit, & in alieno remedio vulnera sua curat. Cognoscit se hominem qui nouit ignoscere, & ire per vias tuas Domine, qui carne suscepta maluisti in hunc mundum venire redemptor, quàm iudex.

3. O misericotdia quæ peccato obsistis, tu spatium pœnitentiæ homini-
bus

bus impetras: temporalia multiplicas, Dominum placas, à morte spirituali hominem suscitari facis, gratiam conseruas, & hostem impugnas. Qui igitur perfectè misericors est, beatus repræsentatur quoad spem, tandem futurus beatus in re. *Beati* igitur *misericordes quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Matt. 5. Respicere me digneris misericors Deus, & fac mecum misericordiam tuam, vt te auxiliante in præsenti sic misericorditer viuam, quod misericordiam consequar sempiternam. Amen.

CAPVT VIII.

De sexta Beatitudine.

1. CONuienter, Domine Iesu Christe benignissime, sexto loco posuisti cordis munditiē, quia sexto die fuit homo cōditus ad imaginem Dei, quæ fuit deformata per culpam: sed in mundis corde reformatur per gratiam. Vnde das doctrinam salutarem illis qui te videre desiderant, dicendo: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Illos Domine vocas mundos corde, qui vniuersalem virtutem possident, & nullius malitiæ sibi Matt. 5. conscij sunt: vel qui in temperantia consistunt, quæ maximè est necessaria ad videndum te Domine; iuxta illud quod scribitur, *Pacem sequimini & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.* Heb. 12. quoniam sunt multi qui miserentur proximis, sed impudica agunt. Ostendis igitur Domine quia primum, scilicet misereri non sufficit sine secundo, id est, sine munditia cordis, ideò post misericordiam apposuisti de munditia cordis.

2. Et quia tu Domine mundus es, & à mundis corde vis conspici, ideò scribitur, *quoniam ipsi Deum videbunt.* Ista autem visio, merces est fidei, cui quidem mercedi, per fidem corda mundantur. Et secundum quod mundantur, secundùm hoc magis aut minus videris ab hominibus, Domine. In hac quidem vita imperfectè, quia in speculo, & ænigmate; in sæculo autem futuro, videris facie ad faciem, à mundis corde. Non enim potes videri sicuti es facie ad faciem in tua diuinitate, nisi quis funditus moriatur: siue anima exeat à corpore, siue ita alienetur à carnalibus sensibus, vt meritò, sicut ait Apostolus, *in corpore vel extra corpus nescio.* In illa non subiacetur vitio. Mundum est igitur cor ab omni sorde peccati, mundus enim rex, mundum vult habere populum, mundus homo, mundum lectum.

3. Vnde, mundissime Domine Iesu, cùm tu sis mundus rex, mundus Dominus, mundus homo, & in cordibus humanis, cogitationibus & affectionibus tibi elegeris domum ad quiescendum, ad habitandum, & ad imperandum, summè necesse est quod hæc omnia sint munda & ab omni peccato penitùs aliena. Sed væ mihi iniquissimo peccatori, clementissime Domine Iesu Christe, ob immunditiam cordis mei, qua impediente, necdum mereor ad illam beatissimam visionem tuam admitti. Sed ad tuam infinitam bonitatem recurro, vt digneris ex immensitate tuæ bonitatis, seu pietatis, cor meum mundare, & mundum creare, vt liberatus ergastulo huius vitæ, facie ad faciem te videam in æternum. Amen.

CAPVT IX.

De septima Beatitudine.

1. TV misericordissime Domine Iesu Christe, qui es rex pacificus, humili doctrina prædicasti, pacificos esse beatos, dum dixisti: *Beati pacifici, quoniam Filij Dei vocabuntur.* Pacifici namq; Domine Iesu, sunt qui primò in corde suo, deinde inter fratres dissidentes, faciunt pacem. Pacifici, Domine, sunt illi, qui in semetipsis, sui animi motibus compositis, & rationi subditis ac carnalibus concupiscentiis edomitis, faciunt regnum tuum. In talibus enim hominibus, illud quod est in eis præcipuum & excellens, imperat cæteris reluctantibus; quæ sunt nobis cum bestiis communia, atque id ipsum quod in eis excellit, id est mens, eis non subiicitur. Et hæc est pax quæ datur in terra hominibus bonæ voluntatis; non tamen potest esse in aliquo quin nec vita nec lex repugnans legi mentis non sit omnino in membris: Sed hæc regunt pacifici, domando concupiscentias carnis, donec ad pacem plenissimam quæ erit in patria, veniatur.

Matt. 5.

2. Beati ergo sunt homines pacifici qui pace gaudent intra se, & extra se, etiam erga inimicos. Qantùm est ad se, pacem habent ad omnes. Illa est pax beata, quæ in corde posita est, non tantùm in verbis. Quia autem qui pacem diligunt filij sunt pacis, & Beatitudo pacificorum, adoptionis est merces, ideò subditur, *Quoniam Filij Dei vocabuntur.* In præsenti meritò vocantur Filij Dei, qui exercent officium illud quod tu Domine Iesu Christe habuisti in hoc mũdo, in quo bella pacificasti; sicut de te scribitur. *Confregit potentias arcuum, scutum, gladium, & bellum.* In tuo namque aduentu, impletum fuit quod scribitur. *Conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces.* Tu Domine *es pax nostra*; tu sedasti litem quæ erat inter nos & Deum Patrem, quoniam fecisti iudicium, & causam meam. Tu Domine finis es, ideò in te quiescendum, & in te pax habenda est, non in via, sed in fine viæ.

Psal. 75. Isaie. 2.

3. O benignissime Domine Iesu Christe, ego miser peccator non sum pacificus interiùs propter plurima & varia peccata quæ commisi, & quotidie committere non desino; neque exteriùs cum proximis, quia multipliciter eos offendi, & quotidie offendo, verbo, consensu, aut opere. Parce igitur mihi Domine; da mihi pacem in diebus meis, Domine per tuam immensam misericordiam, vt hæreditatem filiorum consequar in æternum. Amen.

CAPVT X.

De octaua Beatitudine.

1. CLementissime Domine Iesu Christe, beatos doces & prædicas persecutionem patientes propter iustitiam, dicendo. *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorũ.* Propter

Matt. 5.

iuſtitiam, inquam, id eſt propter veritatem, propter pietatem, propter defenſionem aliorum: & generaliter propter quamcumque virtutem. Iuſtitia enim pro omni virtute poni conſueuit Domine. Vnde Domine, ſignanter dixiſti, *propter iuſtitiam.* Multi namque propter peccata ſua patiuntur paſſiones & perſecutiones, & non ſunt iuſti, ac per hoc nec beati. Ideò ſcribitur, *Si quid patimini propter iuſtitiam, beati eſtis.* Non enim aſpiciendum eſt ad perſonas perſequentes, ſed ſolummodò ad cauſam propter quam infertur perſecutio. 1. Pet. 3.

2. Iſta octaua Beatitudo, Domine Ieſu Chriſte piiſſime, eſt quædam firmitas aliarum beatitudinum, quia ex hoc apparet, Domine, de illo, quoniam eſt firmatus in paupertate, in nuditate, in luctu prædicto, in eſurie iuſtitiæ, in amore miſericordiæ, in munditia cordis, & in tranquillitate pacis; quoniam propter nullam perſecutionem à quocumque illatam propter iuſtitiam, deſerit aliquod iſtorum, nec paupertatem, nec nuditatem, nec aliquod aliorum. Ideò iſti beatitudini octauæ, omnium Beatitudinum debentur præmia. Vnde tu, Domine Ieſu Chriſte, in aſſignando eius præmium, redis ad caput, dicens, de perſecutionem patientibus. *Propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Matt. 5. Primum igitur (Domine) præmium, ſcilicet regnum cœlorum, quod aſſignaſti pauperibus ſpiritu, aſſignaſti etiam iſtis, vt ex hoc intelligeremus, quod etiam omnia alia prima, videlicet terræ poſſeſsio, plena conſolatio, ſaturatio, miſericordia, Dei viſio, ac etiam eiuſdem filiatio debentur iſtis. Regnum igitur cœlorum, Domine Ieſu Chriſte dulciſſime, pauperibus & martyribus promittitur, quia paupertate quidem emitur; ſed in paſſione pro te, ſine omni dilatione percipitur. Et ſic emitur dolore gaudium, labore requies, vilitate gloria, & morte vita.

3. O miſericordiſſime Domine Ieſu Chriſte, iniquiſſimus peccator ſum: Et ſi perſecutiones paſſus ſum, hoc eſt propter peccata quæ innumerabilia commiſi, adiuuare me digneris Domine, miſericorditer indulgendo, vt te donante & miſerante, ad regnum perueniam ſempiternum. Amen.

CAPVT XI.

Cur beatitudines donis Spiritus ſancti adaptantur.

1. TImor Domini, Domine Ieſu Chriſte, congruit humilibus, de quibus dicitur. *Beati pauperes Spiritu*, id eſt non alta ſapientes ſed timentes; Matt. 5. timor namque humilitatem introducit, ſicut qui ſolet ſe inclinare timore gladij ſupra ſe eleuati, ideò ſcribitur, *Humiliamini ſub potenti manu Dei*, Domine Ieſu Chriſte piiſſime, mitibus conuenit pietatis donum, quia per pietatem, quis compatitur membris Chriſti, & non affectat nocere proximo, quoſt eſt mitem fieri. Dulciſſime Domine Ieſu Chriſte lugentibus conuenit ſcientia, qui cùm fuerint ſcientia illuſtrati, ſciunt quibus malis inuoluantur, vt dolere & lugere oporteat, Sic ſcribitur, *Qui addit ſcientiam addit laborem.* Non enim poteſt aliter homo ſcire in quibus bonis vel malis ſit in 1. Pet. 5. Eccl. 1.

præſenti vita. Manſuetiſſime Domine Ieſu, fortitudinis donum conuenit eſurientibus & ſitientibus iuſtitiam: ne in via laſſeſcant. Et ſicut de fortitudine bellica prouenit eſuries certantium, ſic de dono fortitudinis prouenit eſuries iuſtitiæ in præſenti vita, quæ certamen habet, vt ſcribitur: *Militia eſt vita hominis ſuper terram.* *Iob. 7.*

2. Miſericordiſſime Domine Ieſu Chriſte, miſericordibus conuenit donum conſilij, quia omne remedium & conſilium vt poſſis de tantis malis erui, eſt dimittere aliis, & dare: quod eſt hominis miſericordis. Eget namque miſericordia ſpiritu conſilij, ſine quo nemo æterno ſpectaculo inferetur. Mundiſſime Domine Ieſu Chriſte, mundis corde congruit intellectus, qui eſt oculus mentis, vt purgato oculo intellectuali videre poſſint, quod oculus non vidit. Sapientia increata, Fili Dei benedicti, donum ſapientiæ conuenit pacificis, in quibus nullus motus eſt rebellis, ſed omnia obtemperant ſpiritui. Et ſi Domine præparant tibi locum quietis; vt dicas, *In pace dormiam & requieſcam.* *Pſal. 4.* Octauæ beatitudini, Domine, non adaptatur ſpecialiter donum Spiritus Sancti, quia illa eſt confirmatio & manifeſtatio omnium præcedentium. Et omnia præmia quæ debentur aliis ſeptem, debentur iſti octauæ. Et ita intelligendum eſt de aliis præmiis, ſicut de poſſeſſione terræ, de conſolatione, & aliis.

3. Adiuua me, clementiſſime Domine Ieſu Chriſte, per tuam immenſam bonitatem, vt ſic viuam gratia tua in præſenti, quod merear obtinere præmium gloriæ ſempiternæ. Amen.

CAPVT XII.

Quare aliud præmium aſſignatur Beatitudinibus *quàm regnum cœlorum.*

1. AMantiſſime Domine Ieſu Chriſte humanæ ſalutis amator, tu pauperibus ſpiritu & perſecutionem patientibus propter iuſtitiam, regnum cœlorum promiſiſti, in quo omnia bona continentur. Quare piiſſime Domine Ieſu Chriſte, aliis beatitudinibus, ipſum regnum non promiſiſti? Certè Domine Ieſu Chriſte piiſſime, præmia aliarum beatitudinum nihil aliud ſunt quàm regnum cœlorum, quod eſt vita æterna, & ipſa beatitudo perfecta intelligitur. Verùm quia ipſam beatitudinem æternam, humanus intellectus non capit; ideò ex immenſitate clementiæ tuæ, illam per diuerſa bona nobis nota deſcripſiſti, attribuendo ipſis beatitudinibus ipſa præmia quæ prædictis beatitudinibus attribuuntur, & in vita futura conſummabuntur.

2. Interim autem in hac vita quodammodò inchoantur, quia iſtæ beatitudines ſunt quædam inchoationes beatitudinis æternæ. Regnum enim cœlorum quod eſt præmium primæ beatitudinis poteſt intelligi, Domine Ieſu Chriſte, perfectæ Sapientiæ initium, per quam tu Domine regnas in

homine, vnde scribitur, *Initium sapientiæ, timor Domini.* Possessio autem terræ quæ debetur mitibus, significat effectum bonum animæ quiescentis in stabilitate hæreditatis perpetuæ, quæ per terram designatur. Vlterius consolantur, Domine, sancti viri in hac vita percipiẽdo Spiritum Sanctum, qui Paraclitus dicitur, id est consolator. Saturantur etiam in hac vita cibo, de quo tu dixisti, *Meus cibus est vt faciam voluntatem Patris mei.* In hac etiam vita fit purgatio oculi per donum intellectus, quo quodammodò potes videri, Domine. Similiter etiam, Domine, in hac vita qui motus suos pacificãt, ad similitudinem Dei accedentes Filij Dei nominantur. *Ioan. 4.*

3. Hæc igitur præmia, Domine Iesu Christe piissime, imperfectè & inchoatiuè habentur in hac vita; numquam tamen perfectè, sed præmia quæ post hanc vitam promittis, Domine, nullis verbis exprimi possunt. O misericordissime Domine Iesu Christe, respice me iniquissimum peccatorem, oculo tuæ pietatis immensæ, & remitte mihi clementer flagitia, quæ iniquè commisi, & concede mihi istas beatitudines in præsenti, & in futuro beatitudinem sempiternam. Amen.

CAPVT XIII.

Quare beatitudines sunt hic præparatiuæ beatitudinis æternæ.

1. SVnt istæ beatitudines, Domine Iesu Christe, quædã inchoationes beatitudinis æternæ, & ad ipsam quædam præparationes. Quædam enim de ipsis sic disponunt ad æternam beatitudinem, te iuuante, quòd amouent illa quæ impediunt; quædam autem sic disponunt, quòd ponunt illa quæ omnino expediunt.

2. Inter cætera, Domine Iesu Christe dulcissime, tria sunt quæ impediunt. Primum est affluentia bonorum externorum: siue sint diuitiæ, siue sint honores, & ab iis retrahitur homo per primam beatitudinem, qua dicitur, *Beati pauperes spiritu.* Quod referri potest ad contemptum honorum vel diuitiarum. Secundum quod ab æterna beatitudine impedit, est sequi passiones irascibiles quæ mouent homines ad litigandum & ad turbandum proximos: & ab isto retrahitur homo per secundam, qua dicitur, *Beati mites.* Tertium impedimentum, Domine, est sequi passiones concupiscibiles, quæ mouent hominem ad vana gaudia, & ad lætitiam ineptam: à quibus retrahitur homo per tertiam, qua dicitur, *Beati qui lugent.* Inter alia, piissime Domine Iesu Christe, quæ expediunt ad acquirendam æternam beatitudinem; quædam sunt quæ ordinant hominem respectu proximi, & sunt duo; vnum sub ratione debiti, & hoc, Domine, pertinet ad feruens desiderium iustitiæ, de quo dicitur. *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam.* Aliud est sub ratione spontanei beneficij, & hoc pertinet ad misericordiam. *Beati* inquit, *misericordes.* Illa verò Domine quæ ordinant hominem respectu sui, sunt duo; vnũ *Matt. 5.*

de munditia cordis, vt ſcilicet paſſionibus non inquinetur; & de hoc dicitur, *Beati mundo corde.* Secundum eſt tranquillitas mentis, per quam homo accedens ad Dei ſimilitudinem, Dei filius nominatur. Et de hoc dicitur, *Beati pacifici.* Octaua autem beatitudo, Domine Ieſu Chriſte, pertinet ad ſeptem præcedentes ſcilicet. *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam.* Qui enim piè viuunt, multa patiuntur, ſicut ſcriptum eſt. *Omnes qui volunt piè viuere in Chriſto perſecutionem patiuntur.* Numquàm enim Domine, fuit aliquis adultus piè viuens in te, quin perſecutiones paſſus fuerit propter iuſtitiam, & hoc à carne ſua concupiſcente aduerſus ſpiritum, à dæmone, vel ab homine malo, Iudæo vel Pagano, vel Hæretico, vel falſo Chriſtiano deſertore iuſtitiæ.

3. O Benigniſſime Domine Ieſu Chriſte, diſpone me per tuam infinitam miſericordiam ad obſeruantiam iſtarum beatitudinum, vt te donante conſequar beatitudinem. Amen.

CAPVT XIV.

Quare Beatitudo æterna redditur per iuſtitiam.

1. BEatitudinem hæc obſeruantibus & tenentibus, Domine Ieſu Chriſte, benigniſſimè promittis, & das mercedem æternam, dicendo eis, *gaudete & exultate quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis.* Vnde beatitudo perennis, propter quam gaudent beati ineffabiliter, redditur à te, Domine, per iuſtitiam. Et idcirco dicitur *merces.* Merces enim ſecundùm humanam loquutionem dicitur illud, quod redditur operanti, ſicut ſcribitur. *Cum ſerò eſſet factum, vineæ Dominus,* per quem intelligi potes Domine, *dixit procuratori ſuo, voca operarios, & redde illis mercedem.*

Matt. 5. *Matth. 20.*

2. Serò igitur quod eſt mors cuiuſlibet, vel ipſe finis mundi, tu Domine reddis & reddes cuilibet fideli operario mercedem, id eſt beatitudinem æternam tanquam ſibi debitam, & ideo ſcribitur, *Ei autem qui operatur,* id eſt qui facit iuſta opera & bona, *merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum,* ſcilicet ſuæ operationis. Id eſt, in hoc quod ſibi redditur iſta merces, non tantum fiet ſibi gratia ſed debitum, quia, vt ſcribitur, *dignus eſt mercenarius mercede ſua.* Non igitur fiet tantùm ſibi gratia, ſed etiam debitum, gratia enim fit, eo quòd principium & forma omnis operationis bonæ, venit à gratia gratis data, & non ex meritis. Et ideò merces illa imputatur etiam principaliter ipſi gratiæ, imputatur etiam non ſolùm ipſi gratiæ, ſed etiam merito bonæ operationis, tanquam debita. Et ideò quantùm ad hoc, merces, quæ eſt beatitudo æterna redditur, per iuſtitiam, vnde Apoſtolus ſcribit, *repoſita eſt* (inquit) *corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die,* ſcilicet extrema iudicij, vel in die cœleſtis patriæ, vbi erit ſolùm dies, cui nox non ſuccedet.

Rom. 4. *1. Tim. 5.* *2. Tim. 4.*

3. Reddes igitur tu, Domine, qui es iuſtus iudex, retribuéſque bona iuſtè pro bonis, ſed non ſine miſericordia, vt dictum eſt. Et quod tu Domine, qui

es iustus iudex, vocas mercedem, Apostolus *coronam iustitiæ*: ergo beatitudo redditur per iustitiam. Da mihi clementissime Domine Iesu Christe, per tuam clementiam, gratiam per quam bona opera agam, vt gratia & iustitia tua beatitudinem consequar sempiternam. Amen.

CAPVT XV.

Quod Beatitudo æterna augetur per clementiam.

1. TAnta est clementia tua, Domine Iesu Christe, ad tuos electos, quòd beatitudinem eis auges per tuam infinitam clementiam, idcirco dicis eis: *merces vestra copiosa est*. Et benè est Domine copiosa, quia longè maiorem beatitudinem das cuilibet beato, quam meruit; vnde beatus quilibet beatificatur à te vltra condignum. In omni namque opere tuo, semper sunt simul iustitia & misericordia, nec possunt ab inuicem separari, vnde & in punitione reproborum non solùm est iustitia, sed misericordia etiam: quia puniuntur citra condignum. Et sic in beatificatione electorum, non solùm est iustitia, sed etiam misericordia, quia vltra condignum: & ideo dicitur, *merces copiosa* & alibi, *merces multa*. Illud autem piissime Domine Iesu Christe, quod est ex quadam excellentia, omnem transcendit mensuram & numerum, indeterminatè dicitur *magnum* vel multum. Ideò scribitur de te quia *multus es ad ignoscendum*, & quòd *patiens es, & multæ misericordiæ*. Ita etiam merces gloriæ tuæ, indeterminatè dicitur multa, quia omnem mensuram & numerum ac etiam meritum excedit.

Matt. 5. *Luc. 6.* *Isai. 55.*

2. Et idcirco dulcissime Domine, non solùm tradis eam ex iustitia, sed etiam auges ex misericordia. Ita merces multa & copiosa, es, tu-met, misericordissime Domine Iesu Christe qui es beatitudo increata & infinita. Igitur merces tua dici potest copiosa, & magna nimis, & indeterminatè multa: quia excedit omnem mensuram. Non tantùm simpliciter & absolutè sicut bonum increatum excedit creatum, sed etiam quia excedit mensuram omnis mentis. *Est enim status omnium bonorum aggregatione perfectus*. Quamuis autem tres diuinæ personæ sint vna merces, & vna beatitudo omnium electorum, tamen scriptura specialiter dicit de te Domine, *Cùm dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini*, id est beatitudo cœlestis patriæ, scilicet offertur eis. Quod autem eris illa hæreditas, declarat cùm subdit, *Filij merces fructus ventris*, id est fructus ventris virginalis, de quo scribitur *Benedictus fructus ventris tui*, iste quidem fructus, erit merces filij tui adoptiui, id est cuiuslibet electi.

Ps. 126.

3. Hanc mercedem concedere & augere mihi digneris per tuam misericordiam, vt tecum maneam in æternum. Amen.

CAPVT XVI.

Quòd beatitudo æterna firmatur in æternum per potentiam.

1. PEr tuampotentiã, misericordissime Domine Iesu Christe, æterna beatitudo in beatis tuis electis firmatur & continuatur sine fine, quia scriptum est *iusti autem in perpetuum viuent, & apud Dominum est*, id est æternaliter, *merces eorum*, quod esse non posset sine tuæ virtutis influentia & assistentia; ista autem continuatio perennis est, quia dicitur *merces copiosa est in cœlis*, quod enim est, perstat neq; transit. Ideò tu piissime Domine Iesu Christe, das nobis salutiferam doctrinam, dicendo. *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, vbi nec ærugo nec tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt nec furantur.* Id est, vbi nihil transit, sed bonum quod est ibi semper permanet. Ideò alibi scribitur: *vendite quæ possidetis, & date eleemosynam, facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum indeficientem in cœlis.*

Sap. 8. Matt. 6. Luc. 12.

2. Thesaurus iste qui semper manet in cœlis, & numquam potest deficere, es tu Domine, qui es ipsa beatitudo merces obiectiua omnium electorum, ipsiúsque visio & perfecta cognitio, erit merces formalis sicut scribitur. *Hæc est vita æterna.* Tu dicis Domine Iesu Christe Deo Patri tuo, *vt cognoscãt te Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* Et si hæ diuinæ tres personæ sint omnium bonorum vna merces, vnúmque obiectum beatificum, tamen tibi attribuitur, Domine Iesu Christe, quia licet tu vnà, cum Patre & Spiritu Sancto beatificetis principaliter secundùm diuinitatem; quodammodò tu, Domine Iesu Christe, beatificas omnes electos homines, & forsan Angelos secundùm humanitatem. Ergo merces illa, est merces copiosa, quia *apud te est misericordia & copiosa redemptio.* Ista est mensura bona & conferta & coagitata & supereffluens, quam das tuis electis, propter quam gaudent & exultant ineffabiliter.

Ioan. 17. Ps. 129.

3. Hanc mercedem paratam habes, Domine, ex tua misericordia, dare tuis electis secundùm opera eorum, sicut scribitur de te, *Ecce venio cito, & merces mea mecum est, dare vnicuique secundùm opera sua.* Hanc mercedem non merui ex operibus meis, Domine Iesu Christe, quia iniquus peccator sum. Sed iustificare me digneris per tuam immensam pietatem, vt te donante, mercedem obtineam sempiternam. Amen.

Apocal. 12.

CAPVT XVII.

De Beatitudinibus peccatorum, delectantium se in mundanis.

1. HOmines lasciui, Domine Iesu Christe, beatitudinem & finem boni, ponunt in deliciis carnis, & superbi altitudinem quærunt dignitatum & honoris eminentis. Auari autem ipsam quærunt in diuitiis, ignorantes, aut frequenter non considerantes ex malitia, quòd *beatitudo est status om-*

omnium bonorum aggregatione perfectus. Vnde, Domine Iesu Christe piissime, vbi bonum aliquod deest, beatitudo esse non potest. Nam pereunt deliciæ, diuitiæ, & honores, deficiunt dignitates. Deliciæ, Domine Iesu Christe dulcissime, beatum aliquem non faciunt, qui sponte fastidiuntur, aut in ventre putrescunt, & sæpè ægritudinum causa, & mortis existunt. Lasciuiæ, Domine, beatum non faciunt, quia tristitiam inducunt, vires corporis minuunt, & ad mortem disponunt. Honores autem Domine, beatum non faciunt, quia quantùm hominem ad altiora subuehunt, tantùm ei præcipitium ingerunt, quantùm gradus est altior. Vnde ascendere nihil aliud est quàm sibi præcipitium præparare.

2. Falsa igitur est, mitissime Iesu Christe, & vana beatitudo quæ haberi potest, à malis in mundo. Hanc autem beatitudinem describit Propheta, sed eam esse beatitudinem, non asserit, dicens. *Erue me, Domine, de manu filiorum alienorum, quorum os loquutum est vanitatem, & dextera eorum dextera iniquitatis*, & ista est, Domine, oris & operis iniquitas; sed addit de prosperitate mundana quoad fœlicitatem, dicens. *Quorum filij sicut nouellæ plantationes, in iuuentute sua, filiæ eorum compositæ circum ornatæ vt similitudo templi.* Addit Domine de diuitiis, quia *promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud. Oues eorum fœtosæ.* Addit, Domine, de corporum sanitate quia *non est ruina maceriæ, neque clamor in plateis eorum; & beatum dixerunt populum cui hæc sunt.* Sed tales non asserit homines, Domine Iesu Christe, propheta beatos; sed dicit *beatus populus cuius est Dominus Deus eius.* Non enim possunt dici beati, Domine, propter bona supradicta quæ citissimè transeunt, nec ducunt ad vitam, sed ad damnationem æternam. Ps. 143.

3. O misericordissime Domine Iesu Christe, miser factus sum & fui, istas transitorias beatitudines amplexando & diligendo, potiùs quàm beatitudinem sempiternam. Adiuua me Domine per tuam immensam pietatem, & aufer à me istas damnosas beatitudines, vt in beatitudinibus quas docuisti, operando, te donante, ad beatitudinem perueniam sempiternam. Amen.

CAPVT XVIII.

De Beatitudinibus hominum vigilantium in mandatis diuinis.

BEatus est ille seruus, sicut scribitur, Domine Iesu Christe piisime, *quem cum venerit Dominus, inuenerit vigilantem. Amen dico vobis quòd super omnia bona sua constituet eum.* Si igitur beatisime Domine Iesu Christe, beati esse volumus hac beatitudine, necesse est vt vigilemus specialiter in duobus, scilicet vt mala sollicitè declinemus, & bona sollicitè faciamus. Nam malum dimittere, & bonum facere sunt duæ partes iustitiæ, quibus peruenimus te iuuante ad beatitudinem, non solùm viæ, sed & patriæ. Vnde dicit propheta. *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit.* Et sic est Domine, mali dimisio *sed in lege Domini, vo-* Mat. 25. Psal. 1.

luntas eius. Et sic est, Domine, boni operatio. In desertione autem mali, ponit, Domine, propheta, tria, scilicet *abijt, stetit, & sedit*; Plus enim est *stare* quàm *abire*, & plus *sedere* quàm *stare*. Nam benignissime Domine Iesu Christe, *abire* est citò transire, sed *stare* est quadam stabilitate manere, sed *sedere* est perfectè quiescere.

2. Abire igitur, est malis consiliis modicum consentire; stare, est malis operibus operam dare; sed sedere, est peccatum in consuetudinem trahere. Primum ergo scilicet consentire, est malum: secundum, id est malis operibus operam malam dare, est maius malum; sed in malo perseuerare, quod est ipsum in consuetudinem trahere, est pessimum. Sed prima, Domine, duo malorum genera, facilè sunt corrigibilia; sed tertium est quasi in naturam versum, nec absque magna difficultate relinquendum. Ideò non sine tua pietate Domine, curationis est susceptiuum. Est enim consuetudo Domine, quasi altera natura, quia naturale fit, quod diuitùs impleuit.

3. Igitur Domine Iesu Christe clementissime, si beatitudinem vitæ æternæ obtinere cupimus, ante omnia à malo nos retrahere debemus, nec stemus, nec ambulemus in consilio impiorum, sed in lege tua Domine meditari debemus in die ac nocte; Vt per legem discamus quid corde credendum, quid sperandum, quid amandum, quid meditandum, quid ore loquendum, quid orandum, quid aliis consulendum, quid opere sit agendum, quid fugiendum, quid de Deo, quid de proximo sit appetendum, vnde scribitur.
Psal.118. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*, quantùm ad recessum à malo, & quantùm ad promotionem in bono.

4. O misericordissime Domine Iesu Christe, parce mihi per tuam clementiam, quia non reliqui malum, nec bona egi vt deberem. Concede mihi posse & velle bonum facere, vt fruar beatitudine sempiterna. Amen.

CAPVT XIX.

De Beatitudinibus hominum fruentium bonis æternis.

1. NOn est vana neque transitoria, Domine Iesu Christe clementissime, illa beatitudo hominum fruentium bonis summis, pacificis & æternis & delitiis infinitis. Ista sola est perfecta, quia ab omni malo prorsus remota, & omnibus bonis plena, quia serena, & iocunda, secura, & pacifica, & æterna. In illa summa beatitudine, piissime Domine Iesu Christe, videtur lumen æternum, id est, tu Domine videris, sicuti es; quod erit summè delectabile; quia te viso, videntur omnia, sequuntur omnia, sciuntur omnia, cognoscuntur omnia, quæ beatitudini humanæ sunt necessaria. Et sicut obiecta omnia resultant in speculo, sic etiam ibi omnia resultant in te speculo
Luc.10. æterno, vnde scribitur, *Beati oculi qui vident quæ vos videtis.*

2. Huiusmodi visio, Domine Iesu Christe benignissime, tam iucunda est, quòd si quis in inferno existeret & te videret, nullum dolorem sentiret, quia dolorem magnum maior delectatio absorberet. Nam Domine, in hac vita

multi fuerunt sancti, qui propter delectationem incommutabilis boni, ita à sensibus omnibus pro tunc fuerunt abstracti, quòd nihil exteriùs sentiebant. Illa etiam beatitudo, suauissime Domine Iesu Christe, consistit in audiendo te summum magistrum. Multùm namque delectat & demulcet auditum, harmonia instrumentorum. At longè incomparabiliter Domine delectant & demulcent auditum, melodia cœlorum, & melodia innumerabilium Angelorum, & melodia sanctorum, & insuper melodia æternarum personarum.

4. O Dulcissime Iesu Christe, si delectare sic potuit audientes musica Platonis, eloquentia dulcis Liuij, & rhetorica Ciceronis, sapientia Salomonis, quod à finibus terræ homines ad se traxit, sine comparatione Domine amplius, imò in infinitum plus delectat & demulcet auditum, audire te, sapientiam diuinam, qui sapientiam omnibus confers. Si enim Domine, tam dulce est in hac vita te audire, sicut attestatur propheta dicens, *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo!* Quid erit tunc Domine, quid erit? Certè nihil est nec erit delectabilius, quàm videre te lumen æternum; nihil suauius, quàm te summum magistrum audire, nihil dulcius, quàm gustare te, panem mellifluum & cœlestem. *Psal.1.8.*

4. O misericordissime Domine Iesu Christe, indulgere mihi digneris per tuam bonitatem, & misericordiam, remittendo mihi iniquitates & peccata: & disponere me digneris, vt te miserante, te donante, ad beatitudinem perueniam sempiternam. Amen.

CONTEMPLATIONES IDIOTÆ de Amore.

CAPVT I.

Quid sit amor.

1. AMor, dulcissime Domine Iesu Christe, fons veri amoris, est affectio vehemens cordis & animæ, ac mentis applicatio ad aliquid diligendum. Inclinat enim amor amantem. Neque in hoc laborat, licet labor non amantibus grauis sit. Amor namque difficultatem non nouit; sed impatiens est, nisi inueniat quod desiderat: nec aliud cogitat, quàm quòd diligit, nec accipit de dilatione solatium. Lucerna fulgoris, est verus amor; ardens in mente per desideriũ, & splendens in facie per exemplum. Et hic amor, iam nudus non est & purè naturalis, sed indutus fontani amoris radio: iam infusus, iam purgatus, iam illuminatus & eleuatus supra naturæ potentiam, iam

patiens, iam formatus. Qui spiritus forma est, purè naturalis & per se agens, informis est, impotēs & depressus. Amor naturalis, fulgor oculi in tenebris: amor infusus, fulgor oculi in lumine; vel veriùs, lumen efficax in fulgore.

2. Amor cæteros affectus in se ducit & captiuat. Viget namque ipse amor, cùm præsto est quod amatur, & languet, cùm abest. Quod nihil aliud est Domine Deus meus, quàm tædium quoddam impatientis desiderij, quo necesse est affici mentem vehementer amantis, absente eo quem amat. Natura quippe amoris est semper amare, proprium postponere, & commune præferre, diuersa corde vnire, extraneum domesticum facere, corda iracundia ignita extinguere, pacem semper procurare. Amor confracta solidat, depressa subleuat, nutantem animum constantem reddit. Amor docet & addiscit, & inimicum nescit. Amor laudat; amor reprehendit; amor praua suspicione caret. Vbi amor defuerit, nihil valet quicquid agitur. Contrà, omnia valent, quæ cum amore aguntur, Amor, hominem lætificat, & à terrenis subleuat. Amor, numquam est otiosus, sed semper aliquid operatur, semper crescit & augetur. Amor vita est animæ, & qui non amat, mortuus est.

3. Verus amor non requirit præmium, etsi mereatur. Sine amore, nec eleemosynæ largitio, nec martyrij susceptio, nec aliquorum bonorum operatio, proficere ad habendum salutem potest. Amor hominem perficit, omnia sustinet, omnia patienter portat. Amor facilis res est, omnibus se exhibet, nulli se negat. Capit eum bonus & malus, iuuenis & senex, vir & mulier, sanus & infimus, diues & pauper, summus & infirmus, liber & seruus, secularis & religiosus, debilis & fortis: nec est qui se valeat excusare, quin in eum dirigat radios puri amoris.

4. O amantissime Domine Iesu Christe, vnde omnis defluit amor, ego sceleratissimus peccator, semper frigidus fui, & ab amore multipliciter elongatus. Singularis fui & sequestratus, ac sine amore & dilectione degens; adeò quod frequenter etiam vixi cum odio & simultate. Adiuuare ergo me digneris per tuum dulcissimum amorem, & accendere cor meum ad amorem tibi placitum: vt amem & diligam quæ amare & diligere debeo, vt vitam amoris, in te amando, consequar sempiternam. Amen.

CAPVT II.

Vnde oriatur amor.

1. ORitur amor, dulcissime Domine Iesu Christe fons veri amoris, velut lacrymæ quæ ab oculis in pectus cadunt, quia ab intellectu amor oritur & cadit in cor per fidem. *Sic sancti per fidem vicerunt regna.* Fides enim sanctissimum bonum est humani pectoris, quæ nulla necessitate ad fallendum cogitur, nec vllo corrumpitur præmio, sed est firmamentum stabilitatis & constantiæ in animo. Oritur amor à gratia Dei patris, sicut tu Domine Iesu Christe, amantium vita dixisti: *Nemo potest venire ad me, nisi*

Hebr. 11. *Ioan. 6.*

Pater meus traxerit illum, ſcilicet per gratiam ad mei amorem. Intrat verò amor mentem hominum, per auditum aurium. Quia dum de aliquo bona aliqua audiuntur, ex ipſo auditu concipitur amor in corde audientis, ad diligendum illum. Oritur amor, per locutionem bonam, quia principium amicitiæ, eſt benè loqui: Malè verò dicere exordium inimicitiarum. Oritur amor per bona obſequia præſtita inuicem & recepta. Nam qui obſequium præſtare neſcit, iniuſtè petit, imò etiam in odium cadit.

2. O miſericordiſſime Domine Ieſu Chriſte, qui omnia diligis, ſi iſta in corde meo continua meditatione cogitarem, ſuper omnia diligere te deberem, videlicet per fidem, quæ ſic tibi placet, quòd per ipſam omnes ſanas & ſaluas. Quia dicis: *Fides tuã te ſaluũ fecit, Et ſine illa nemo tibi placere poteſt.* *Luc. 8.* Oritur etiam amor ad te amandum, per auditum, quia de ſcriptum eſt: *Hebr. 11.* *Qui audit me, non confundetur.* Sed beati ſunt qui audiunt, & qui te vero *Eccl. 24.* amore diligunt. Oritur etiam amor ad te diligendum, per beneficia à te multipliciter nobis collata. Quia quicquid boni habemus, à te habemus, & vltra multa dona, teipſum nobis dediſti, cùm de cœlo propter nos deſcendiſti, teipſum exinaniens & formam ſerui accipiens, minoratus paulominùs à Deo: cum etiam propter nos conuitia, flagella, opprobria, contumelias, ſputa, & tandem mortem turpiſſimam, crudeliſſimámque ſuſtinuiſti. Sed ego ingratiſſimus peccator, licet tanta & tam magnifica dona tua cognouerim, & originem tanti amoris viderim; tibi tamen pauca aut nulla dona rependere curaui: ſed totus ingratitudine plenus, tanquam quoddammodo inimicus, aduerſum te me poſui: tibi contraria & diſplicentia, corde, voce, & opere exercendo.

3. Adiuuet igitur me clementiſſime Domine Ieſu Chriſte amor tuus, remittendo quæ iniquè egi, & inflammet ad amorem tuum dulciſſimum; vt te timendo, & efficaciter diligendo, tibi placita agam feliciter & adimpleam: iniqua autem toto corde & opere reſpuam, vt ad tegnum perpetuò te amantium perueniam ſempiternum. Amen.

CAPVT III.

Qualiter Deus nos dilexit.

1. Dilexiſti & amaſti nos dulciter, benigniſſime Domine Ieſu Chriſte, fons veri amoris, dum carnem noſtram mortalem humiliter induiſti, ſola dilectione & amore inductus. Dilexiſti nos ſapienter, ô amantium, vita, Domine Ieſu Chriſte, quia carnem noſtram mortalem induendo, omni peccato caruiſti. Dilexiſti nos fortiter, quia mortem turpiſſimam & crudeliſſimam, pro nobis miſeris voluntariè ſuſtinuiſti. Et licet nos in carne viſitaueris, non tamen carnaliter amaſti, ſed in prudentia ſpiritus. Itaque quos in carne quæſiuiſti, dilexiſti in ſpiritu, & redemiſti in virtute. In carnis autem aſſumptione, accommodaſti te nobis: in culpæ viſitatione conſuluiſti tibi: & in mortis ſuſceptione ſatisfeciſti Deo Patri.

2. Et sic Domine Iesu Christe, vita nostra, amicus dulcis, consiliarius prudens, & adiutor fortis fuisti. Et nisi amasses nos dulciter, non requisisses in carcere. Sed adiunxisti affectioni, & dilectioni sapientiam, quia tyrannum decepisti. Adiunxisti etiam patientiam, qua offensum Deum patrem placasti. Et sicut ad operandum salutem in medio terræ, ex nimia dilectione semel venisti in carne visibilis: ita quotidie propter maximam dilectionem quam habes ad animas nostras, venis inuisibilis ad saluandas eas, mentes nostras tua potentia inuisibili illustrando. O clementissime Domine Iesu Christe, indeficiens amor, si tuam infinitam dilectionem considerarem, non oporteret me transfretare maria, penetrare nubes, montes transire: quia non grandis mihi restat via ad te amandum: solùm enim opus, est, vt curram ad meipsum: scilicet ad compunctionem & confessionem: vt sic exeam de sterquilinio miserrimæ conscientiæ, vt illuc intrare valeas per gratiam & amorem.

3. O misericordissime Domine Iesu Christe, ego iniquissimus peccator, dignus sum, & dignum me sentio, odio, non amore tuo, pœna non gloria. Quia licet cognouerim ex tua immensa pietate tuam exuberantem dilectionem & amorem dulcissimum; tamen his obliuioni quodammodò traditis, gratias tibi non rependi, nec me ipsum disposui, vt tuam dilectionem in me ampliori gratia augeres. Sed te potiùs ad iracundiam & vindictam prouocaui ob miserabilem vitam meam, quam diuersis vitiis & peccatis contaminaui. Succurre mihi Domine Iesu Christe per tuum sanctum amorem; & sic me misericorditer dispone, vt amor tuus dulcissimus reformetur in me, per quem hîc viuendo in gratia tua; in fine, amore tuo perfruar sempiterno. Amen.

CAPVT IV.

Qualis est amor Dei.

1. O Amor præceps, amor flagrans, amor vehemens, amor te intra te cohibere non valens, qui præter te aliud cogitare non finis, fastidis cætera, contemnis omnia præter te, dulciter capis, strenuè stringis, sapienter erudis, gloriosè illaqueas, oneras delectabiliter, feliciter vris, indicto expectaris, nec consilio temperaris, nec pudore refrenaris, neque rationi subiiceris: affectu es desiderabilis, experientia dulcis, iucunditate plenus, fruitione æternus, satians & reficiens, numquam fastidium generans. Nihil, Domine Iesu Christe, fons veri amoris, amore tuo suauius, nihil dulcius, nihil vtilius, nihílque iucundius.

2. Amor tuus, Domine, non molestat; sed cum exultatione & gaudio stringitur, & cum securitate desideratur. Vbi tuus amor est, Domine, labor non est, sed sapor seipso contentus est, confundit ordines, dissimulat risum, ignorat modum, totúmque quod opportunitatis, quod rationis, quod pudoris, & quod consilij iudiciive esse videtur, triumphat in seipso, & redigit

in captiuitatem. Amor tuus, Domine, libertatem donat, timorem pellit, laborem non sentit, meritum non respicit, præmium non requirit, fessos alleuiat, debiles roborat, mœstos lætificat, esurientes reficit, & deficientes iucundos reddit. Amor tuus, Domine Iesu Christe, qui es fons amoris, imò amor ipse, dissimulat, & expectat, & sustinet delinquentem, eúmque benignè trahit, adducit, & conuerti facit ab errore viæ eius. Amor tuus, Domine Iesu Christe, fons vitæ est: nec viuere anima potest, quæ non hauserit ex illo: neque haurire potest, nisi præsens fuerit ipsi fonti, scilicet tibi qui es fons totius amoris.

3. O fons veri amoris & immensæ dulcedinis, qui numquam deficis, sed semper reficis: ego miserabilis peccator, oneratus magno pondere peccatorum, magnam sitim amoris patior, quia à te fonte viuo, sum nimiùm elongatus. Respicere ergo me digneris misericorditer, & deducere me ad te fontem amoris & dilectionis, vt hauriam aquam tanti amoris tui: illam bibam, illa recreer, illius suauitatem & saporem degustem; ex illa lauetur & mundetur anima mea ab omni macula peccati: vt mundata ab omni inquinamento, tibi placeat, & tibi seruiat, ac tecum viuat per amorem, in infinita sæculorum sæcula.

CAPVT V.

De violentia amoris Dei.

1. O Violentia diuini amoris, qua summus omnium, omnium infimus factus est. Hoc namque fecit verus amor, dignitatis nescius, dignatione diues, affectu potens, suasu efficax. Nihil enim Domine Iesu Christe, fons, imò abysse amoris, violentiùs triumphat de te, quàm amor: propter quem temetipsum exinanisti, vt sciremus plenitudinem effusam esse, altitudinem adæquatam, & singularitatem associatam. Atque violentia tui amoris nos fœdos & deformes amauit: non sic tamen vt nos tales dimitteres, sed vt ex fœdis pulchros, & ex deformibus formosos faceres. Amasti enim nos Domine Iesu Christe abyssalis amor, ex abysso amoris, & fecisti te propter nos hominem. Subiecisti te, & suscepisti nos. Inclinasti te, vt nos erigeres. Exinanisti te maiestate, vt impleres nos diuinitate. Descendisti vsque ad nos, vt ascenderemus ad te. Non enim est pater, non mater, non amicus, non alius quisquam qui nos tantùm dilexerit, quantùm tu Domine qui fecisti nos.

2. Absorbeat igitur, quæso, amantissime Domine, mentem meam ab omnibus quæ sub cœlo sunt, ignita & melliflua vis tui amoris: vt totus tibi inhæream, soláque suauitatis tuæ dulcedine pascar, delecter, ac inebrier. O Domine Iesu Christe, quàm felix bonum est & quàm desiderabile, violentiam tui amoris sentire, quæ pectora nostra radiis tanti amoris quotidie illustrat, pestes mentis sanat, secreta cordis illuminat, mentem fouendo saginat, & animam exhilarando corroborat. O quàm dulcis est mi-

sericordia & suauitas amoris tui Domine Iesu Christe largitor amoris, qua perfruuntur illi qui præter te nihil diligunt, nihil quærunt, nihil etiam cogitare concupiscunt? Ad amorem tuum præueniendo nos inuitas, præripis, & pertrahis; tanta est violentia tui amoris. Nulla enim est maior inuitatio, præreptio & pertractio ad amorem, quam præuenire amando; quia animus qui priùs torpebat, cum se præamari sentit, excitatur. Quòd si iam feruebat, cùm se amari & præamari didicit, magis accenditur.

3. O amantissime Domine Iesu Christe, licet me indicibiliter amaueris, ego tamen impiissimus peccator, cor lapideum & ferreum gerens, amorem tuum ignitum in pectore meo frigido non recognoui. Et licet tuam dilectionem quam vltrò impendebas, desiderarem mihi impendi, nolui tamen vice versa dilectionem tibi rependere. Auxiliari igitur mihi dignare piissime Domine Iesu Christe, qui non potes non amare: & per violentiam tui dulcissimi amoris, compelle rebellem animum meum ad te amandum; vt tibi placidè seruiam, & vitam obtineam in amore sempiternam. Amen.

CAPVT VI.

Quomodo cognoscit anima se diligi à Deo.

1. Scio benignissime Domine Iesu Christe, amor & amantium vita, quòd qui vehementer diligit te, etiam à te infinities vehementiùs diligi non ambigit. Quódque sua singulari intentione, solicitudine, cura, opera, diligentia, ac studio, quo incessanter & ardenter inuigilat quo pacto placeat tibi, multomagis omnia hæc in te indubitanter agnoscit. Amor enim tuus amorem animæ parit; & tua præcurrens intentio intentam animam facit, sollicitudóque sollicitam. Qualem igitur se præparauit anima tibi, talis & tu eminenter per tuam infinitam misericordiam appares ei, quia scriptum
Psal. 17. est. *Cùm sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris.* Quare & cum amante amans, cum vacante vacans, cum intento intentus, & cum solicito solicitus.

2. Tanta est Domine Iesu Christe, amantium summe, benignitas & misericordia tua erga animas nostras, quòd si anima ad te vigilat, multò priùs vigilas & tu. Si anima consurgit in nocte in principio vigiliarum, & accelerat quantum potest; etiam ipsas longè anticipare vigilias inueniet te, nec poterit te præuenire. Semper enim in tali negotio, priùs aliquid tribuis gratiæ tuæ, & plus semper amas. Plus quoque extenditur & dilatatur amor tuus ad ipsam animam, & antè & post. Quæ omnia deuota & tibi grata anima considerans, & sic admirans tuam ineffabilem maiestatem, cætera non curat, sed tibi soli intendere gloriatur: & se tibi soli (te donante) postpositis curis omnibus, tota deuotione custodit.

3. O amor amorum, ô amantissime Domine Iesu Christe, qui tanta & tam inæstimabili bonitate refulges, quòd semper amando nos præuenis: quærentibus te exhibes & occurris, diligentes te diligis, imò tua immensa dilectio

dilectio vsque ad inimicos se extendit. Nulli te negas, nullum spernis, sed omnes manu amica vocas & recipis; nisi quantùm per peccatum à te inuito & nolente, contumaciter & inobedienter recedunt. Sed adhuc tam immensa & exuberans est tua dilectio, quòd in peccatis miserabiliter iacentes expectas ad pœnitentiam, & interdum rebelles redire compellis. Adiuuare igitur me digneris misericordissime Domine Iesu Christe, ignis & lux amoris; & accende & illumina cor meum durum, & rebelle ad amorem tuum: Quo adiuuante, de peccatis & malis meis propter te doleam, dignè per te satisfaciam, opera studiosa, & tibi placita, corde puro, humili, & amanti, exerceam. Vt tua gratia præueniente, assistente, & subsequente, sic in præsenti vita amore tuo viuam; vt illa finita, ad te gloriosè amandum, misericorditer vitam obtineam sempiternam. Amen.

CAPVT VII.

De operatione amoris Dei.

1. O Admiranda diuinæ propitiationis dilectio! Serui digni non sumus. Tu autem benignissime Domine Iesu Christe, plenitudo amoris, amorem tuum & dilectionem ostendendo & operando in indignis seruis tuis, & (vt de cæteris taceam) in me miserabili creatura tua, à multis variisque periculis me liberasti, quia me deuiantem reduxisti; ignotum docuisti; dum peccarem, ad pœnitentiam expectasti; prostratum erexisti; & ad te venientem largissima pietate tua suscepisti. Omne meritum meum, nihil omnino esse potest, in comparatione operationis amoris tui.

2. Amor tuus dulcissime & amantissime Iesu Christe operatur in me, sine spe recipiendi à me: quia *bonorum meorum non eges*: neque quicquam condignè amori tuo conferre possum; nec eum explicare sermone. Quia tantus est & tam immensus amor tuus, quòd dum peccabam, tu silebas: dum non continebam à vitiis, & peccatis, tu à verberibus abstinebas: dum perseuerabam in iniquitatibus multis & diuersis, tu vindictam differebas. Ad omnem tribulationem & necessitatem apertus mihi fuit dulcissimus amor tuus: & sinus tuæ infinitæ dilectionis expassus: nec considerauit indignum, sed necessitatibus meis omnibus subuenit.

3. O amoris inæstimabilis operatio! Sic enim Domine me visitasti, & cor meum durum mutasti, vt amara sentiam nunc illa, quæ anteà malè dulcia mihi erant: & qui lætabar tunc cum malè in rebus pessimis agebam, nunc incipiam *tibi recogitare annos meos, in amaritudine animæ meæ*. Quare, ô Domine Iesu Christe, amator bone, qui commoues terram cordis mei, & conturbas eam, sana, obsecro, contritiones eius, quia commota est. Non recedat operatio tui dulcissimi amoris à me creatura tua. Intret in animam meam, & mundet eam à fæcibus peccatorum. Illustret eam incendio veræ dilectionis. Excitet eam à tempore ignauiæ; Tollat ab ea ignorantiam, & doceat quæ agere & exercere debeam. *Isai. 38.*

4. O misericordissime Domine Iesu Christe, qui omnem amorem superas, cogitare non valeo, quanta dilectione me amasti, & quàm liberaliter & gratis: Quia licet te diuersis modis offenderem, nec à peccatis cessarem, tu tamen dissimulabas, nec ad puniendum me accelerabas, imò tanquam ouem errantem & pereuntem, vt sacris humeris tuis imponeres, requirebas, præ tuo incomprehensibili amore, quo cuncta quæ fecisti, amas. Gratias itaque tibi ago, & tuo immenso amori, tuæque immensæ pietati & clementiæ, & te humili corde ac simplici precor, vt tua dilectio me non deserat, sed mecum sit, me adiuuet, & me defendat ab omni periculo animæ & corporis, Vt hîc ad tuum placitum viuendo, tibi semper seruiam, te incessanter diligam, & tandem ad dilectionem tuam perueniam sempiternam. Amen.

CAPVT VIII.

De magnitudine amoris Dei.

1. Licet Domine Deus meus, mundus in maligno positus esset, & plenus miseria, tamen pro nobis in mundum, tuum benedictũ Filium misisti. Imò etiam ex abundantia tui amoris illum in infernum transmisisti, vt inde suos extraheret. Ad hoc enim misisti ipsum in mundum, vt venditus nos redimeret, occisus viuificaret, iniurias passus honoraret, & in filios adoptaret. Misisti igitur verbum tuum, misisti spiritum tuum, promittis vultum tuum, & ne quid in cælestibus vacet, ad opera nostra solicitanda, etiam illos beatos spiritus, propter nos mittis in ministerium, & insuper humanam naturam, in eadem persona, diuinæ naturæ associari voluisti.

2. Dilexisti nos Domine gratis, morti damnatos & vita indignos. Omnes enim ducebamur, tanquam latrones ad supplicium: quia ad infernum trahebamur. Sed filius tuus superbenedictus nobis subuenit, & pro nobis fideiussit. Quam fideiussionem semper in memoria habere debemus, sicut
Eccl. 29. scriptum est. *Gratiam fideiussoris ne obliuiscaris: dedit enim pro te animam suam.* Tu Domine Deus meus, præ magnitudine amoris tui, non pepercisti filio tuo vnigenito: sed pro nobis omnibus illum tradidisti; & ad te nos attraxisti, dum sororem nostram, scilicet humanam naturam, benedicto filio
Iere. 31. tuo inseparabiliter copulasti. Sic enim scibitur: *In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans.*

3. O Domine Deus meus, ignis amoris consumens, gloriosiùs non potuit nubere caro nostra. Vnde si matrimonium inter homines sic attrahit eos, vt de inimicis valdè amicos faciat, quantùm deberet homines id attrahere ad amandum te, quòd sororem nostram, scilicet humanam naturam, tuo benedicto filio inseparabiliter copulasti? Sed Domine Deus meus, ego sum ingratissimus ille & superbissimus peccator, qui tantam ingratitudinem amoris non considerans, & tam miserabilem copulam non contemplans, me ad amandum te, tuum Filium, & Spiritum Sanctum, vnum Deum & vnum Dominum, non disposui: sed ad amanda mala, noxia & iniqua fui

multipliciter inclinatus, & illa ad effectum frequenter perduxi. Adiuuare ergo me dignare, misericordissime Domine indultor amoris: & dirige me, vt te super omnia diligam, & tua infinita beneficia recognoscam, mente teneam, & pro ipsis gratias tibi agam; & in fine, vitam in amore mihi misericorditer concede sempiternam. Amen.

CAPVT IX.

De causa diligendi Deum.

1. O Misericordissime Domine Iesu Christe, causa diligendi te, tu ipse es. Et te diligendi modus, est sine modo: quia cum infinitè bonus sis, & omnis modus noster diligendi finitus, diligendus es supra omnem modum. Et ideò nihil te iustius, nihílque fructuosius diligi potest. In infinitum namque Domine Iesu Christe, verè amantium amor, meritus es de nobis, quia nobis immeritis temetipsum dedisti. Tu es causa efficiens & finalis amoris & dilectionis, vt occasionem habeas glorificandi nos. Quia tu occasionem das, tu affectionem creas, tu desiderium consummas. Tu enim fecisti hominem, imò factus es homo, vt te amemus. Tuus amor amorem nostrum præparat & remunerat, præcedit benigniùs, & expectatur suauiùs, & diues est in omnibus qui inuocant illum. Se dat in meritum, se seruat in præmium, se apponit in refectionem animarum sanctarum, & se distrahit in redemptionem captiuarum. Si tuum meritum quæritur, illud est præcipuum, quia tu prior dilexisti nos.

2. Et ideò dignum & iustum est vt te redamemus, præsertim si mente humili & deuota desiderare velimus tuam misericordiam, gratuitam dilectionem, inopinatam dignationem, inuictam mansuetudinem, & stupendã dulcedinem. Quid enim aliud ista faciunt benignissime, & superamabilis Domine Iesu Christe, diligenter considerata; nisi vt considerantis animum ad te visceraliter rapiant, vehementer afficiant, faciántque contemnere omnia præter te Domine? Verus amor tuus, clementissime Domine Iesu Christe, vacuus esse non potest: sed eius præmium, incipienti proponitur, amanti promittitur, & perseueranti redditur. Anima, te, Domine, veraciter amans, aliud præter te, sui amoris præmium non requirit: aut si aliud requirit, profectò te non diligit.

3. O mitissime Domine Iesu Christe, ego sum ille peruersissimus peccator, qui te posthabendo, in transitoriis & caducis amorem cordis mei posui, & illa quæ diu conseruare non poteram, tota mente dilexi. Adiuua me piissime Domine Iesu Christe, amator fortis; & dirige cor meum, vt te amem & diligam, & mundana contemnem, ea tanquam inutilia & noxia penitùs derelinquam, peccata odio habeam, de præteritis doleam, & condignè, virtute amoris, satisfaciam, & à futuris malis & peccatis præcaueam. Vt tibi amore syncero & assiduo seruiendo & placendo, tandem tuam dilectionem per infinita sæculorum sæcula adipiscar immortalem. Amen.

CAPVT X.

Qualiter Deus diligatur.

1. NOn mirum est, Domine Deus meus, si infidelis minùs diligit te; minùs enim te agnoscit. Sed quid est Domine, de miserabili creatura tua? Te enim per veram fidem agnosco, & te teneo vitæ meæ non solùm gratuitum largitorem, largissimum administratorem, pium consolatorem, sollicitum gubernatorem; sed insuper etiam copiosissimum redemptorem, æternum conseruatorem, datorem, & glorificatorem. Vrget namque ratio & iustitia naturalis, vt totum me per amorem tradam tibi, à quo me totum habeo, & si totum me debeo tibi, quia me fecisti, ad magis amandum sum tibi obligatus, quia me refecisti, nec tam facilè me refecisti, quàm fecisti. Nam semel dicendo, me fecisti; Sed reficiendo & dixisti multa, & gessisti mira, & pertulisti dura: Nec tantùm dura, sed & indigna.

2. O benignissime Domine Iesu Christe, amor meus; quid retribuam tibi, pro omnibus quæ retribuisti mihi? In primo enim opere, me mihi; in secundo verò, teipsum mihi dedisti, & tunc te mihi dando, me mihi reddidisti. Datus ergo & redditus, me pro me debeo, & bis quidem debeo. Quid ergo retribuam pro te? Nam etiam si me infinities rependere possem, nihil sum ego ad te. O Domine Iesu Christe, languentes animos amore reficiens; si intelligentia quam mihi dedisti, vti vellem sicut deberem, cernerem manifestè, quo modo, imò quàm sine modo à me creatura tua amari merueris: qui prior dilexisti me tantus & tantum, & gratis, tantillum & talem & ingratum. Scio Domine, quòd dilectio quæ tendit in te, tendit in immensum & in infinitum, quia tu immensus es & infinitus. Quæso igitur Domine, qualis finis debet esse mei vel modus amoris? Amor enim meus Domine, non est gratuitus, sed rependitur debitus.

3. O clementissime Domine Iesu Christe, amicos tuos viuificans amore, extende ad me peccatorem miserabilem, tuam exuberantem dilectionem, vt te diligam pro dono tuo, & modo meo: minùs quidem iusto; (nam etsi quantùm debeo non possum, non possum tamen vltra quàm possum: potero autem plus, cùm plus donare dignaberis:) numquàm tamen prout dignus haberis. Da igitur mihi tuum amantissimum amorem, quo te donante, te diligam & amem, tibi placeam, tibi seruiam, tua præcepta adimpleam, à te non separer in præsenti & in futuro, sed tecum maneam agglutinatus amore in sempiternum. Amen.

CAPVT XI.

De triplici modo diligendi Deum.

1. O Immensitas amoris, dulcissime Domine Iesu Christe, doce me quẽadmodum diligam te. Fac mecum tuam misericordiam, vt te amem dulciter, prudenter, fortiter. Dulciter, ne amaritudine auertar. Prudenter, ne decipiar. Fortiter ne opprimar, aut ab amore tuo vllo modo, siue mundi gloria, siue carnis illecebris aut voluptatibus abducar. Informes me Domine, tu qui sapientia es, ne seducar spiritu mendacij & erroris. Lucescas in me tu qui es veritas, ne aduersitatibus & scandalis offendar. Conforta me, tu qui es virtus, ne deficiam in tuo seruitio. Zelum meum inflammet charitas tua, tua scientia cognitionem meam dirigat, & constantia tua propositum bonum firmet: vt prædictis munitus, sim in tuo amore feruidus, circumspectus, & inuictus: ne teporem habeam, necaream discretione, & ne timidus efficiar; sed diligam te Dominum meum toto & pleno cordis affectu, diligam te tota rationis vigilantia & circumspectione, diligam te tota virtute, adeò vt nec mori pro tuo amore pertimescam.

2. Sis suauis & dulcis, Domine, affectui meo, contra fallaces & malè dulces vitæ carnalis illecebras; & vincat falsam dulcedinem, dulcedo tua vera, quemadmodum clauum clauus extrudit, & sis intellectui præuia lux, & dux rationi. Non solùm ad cauendas hæreticæ fraudis decipulas, & ab eorum versutiis fidei veritatem vindicandam; verùm etiam vt nimiam & indiscretam vehementiam in mea conuersatione deuitem. Tu namque Domine sapientia es; & vis amari non solùm dulciter, sed & sapienter. Alioqui, facillimè, zelo meo spiritus illudet erroris, si scientiam negligam. Scio namque, Domine, quòd non habet callidus hostis machinamentum vllum efficacius ad tollendam de corde dilectionem, quàm si efficere possit, vt in ea incautè & sine ratione ambulem.

3. Domine Iesu Christe, amantium fortitudo, robur & firmamentum, sim fortis & constans ad te amandum, non cedens terroribus, nec succumbens laboribus. Diligam te, Domine fortitudo mea; quia tu es firmamentum meum & refugium meum, liberator meus, Deus meus, adiutor meus, amor immensus, amor æternus, amor supereminens, amor cuius magnitudinis non est finis, amor cuius sapientiæ non est numerus, amor cuius pax exuperat omnem sensum; diligam te non verbo solùm ac lingua, sed opere & veritate; vt tua gratia in præsenti suffultus, in fine ad amantium gloriam, te misericorditer donante, perueniam sempiternam. Amen.

CAPVT XII.

Quid ſit diligere Deum ex toto corde.

1. TOto corde te diligere clemẽtiſſime Domine Ieſu Chriſte, immẽſitudo amoris, eſt non abduci blanditiis, non ſeduci fallaciis, non frangi iniuriis, ſed integrè te ſic diligere ex toto corde, vt ad nullius rei dilectionem cor magis inclinetur quàm ad te, nec delectetur in aliqua re magis, quàm in te. Minùs enim te amat, qui aliquid tecum amat, quod non propter te amat. Totum namque exigis, qui totum hominem feciſti. Diligi enim debes Domine ex toto corde, ratione & creationis & recreationis; Quia enim hominem feciſti, debet ſeipſum amori tuo; & quia eum redemiſti, debet ſe amori tuo. Et tantò magis debet ſe amori tuo, quàm ſibiipſi: quantò tu maior es ipſo, pro quo teipſum dediſti.

2. O benigniſſime Domine Ieſu Chriſte, amor immenſe, frange & mollifica cor meum duriſſimum: vt ſi altiùs non valeat eleuari, ſaltem ad purum amorem ſenſibilem flectatur, ſcilicet ad benedictam carnem tuam & ad illa quæ in carne geſſiſti vel iuſſiſti; vt omnia libenter audiam, ſtudioſè legam, frequenter recolam, ſuauiter mediter: Te annunciatum contempler deuotè; aut naſcentem, aut lactentem, aut docentem, aut ieiunantem, aut prædicantem, aut miracula facientem, aut morientem, aut reſurgentem, aut aſcendentem, aut ad iudicium venientem. Sic animus meus ſtringatur in amore tuo, vt carnis deuitet vitia, fugiat illecebras, deſideria maligna extirpet, & in te aſſiduè recreetur: atque tuo dulciſſimo amore paſcatur.

3. Scio Domine, quòd per amorem tuum vita carnalis excludetur, mundus contemnetur; & efficietur ac perficietur vita ſpiritualis: vt ipſa in omnibus quæ oportet ſentire, te ſentiat, & vera fide firmetur, puritas conſeruetur, diabolica circumuentio euitetur, augeatur exercitium virtutum, & amor tuus mihi dominetur, nec poſthac ſeparetur à me, ſed ſic in præſenti me gubernet, conſeruet, & viuere faciat, vt te adiuuante, & donante, amor in regno tuo, ſit mihi vita ſempiterna. Amen.

CAPVT XIII.

Quid ſit diligere Deum ex tota anima.

1. DIligendus es, Domine Ieſu Chriſte, totius amoris plenitudo, ex tota anima: ſcilicet fideliter, ſicut nos dilexiſti, qui maluiſti animam tuam ſeparari à corpore, quàm animas noſtras ſeparari à te. Qui enim diligit tota anima, non timet mortem: quia dilectio, eſt condimentum dulcorans; nam nihil dulcius aut delectabilius amore. Sine amore, omnia ſunt inſipida & amara. Quæ autem ſunt amara, quantumcumque ſint amara, fiunt dulcia amore. Sicut ſancti Patres in deſertis probauerunt, vtentes pro ali-

mento, herbis & arborum corticibus, ſicco pane & aqua frigida, terra pro lecto, lapide pro ceruicali, & cilicio pro veſtimento. In quibus omnibus, propter amorem tuum, ſaporem, delectationem, & dulcedinem magnam ſentiebant.

2. Omnia namque grauia & difficilia, verus amor facit facilia & quaſi nulla. Ideò ſancti Martyres, omnia tormentorum genera tanquam dulcia, non ſolùm patienter, ſed etiam hilariter præ ardenti amore ſuſtinebant. Labor namque non fatigat amorem: tormentum amorem non ſuperat: amor quiete fit inquietior. Quieſcit afflictio, quieſcit tentatio, ſed dilectio quieſcere neſcit. Irrequies enim eſt eius quietudo. Qui huius amoris guſtu inebriatus fuerit, ad omne opus bonum hilareſcit. Dolet, & non ſentit, laborat, & non laſſatur. Deridetur, nec aduertit. Amorem animæ, theſaurus nullus ſuperat. Neſcit enim homo pretium eius, quia omne aurum in comparatione amoris, arena eſt exigua. Sine amore diues pauper eſt, & cum illo pauper diues eſt. Quia qui Deum tota anima amat & diligit, iam habet quem amat, nec eum verè diligere poſſet, ſi eum quem diligeret, non haberet. Amorem tuum, Domine, alienus amor non occupat, nec ei commiſcetur, quia non poſſunt commiſceri vera vanis, æterna caducis, ſpiritualia corporalibus, ſumma imis.

3. O clementiſſime Domine Ieſu Chriſte, incomprehenſibilis dilectionis author & infuſor, ego miſerrimus peccator omni iniquitate plenus, te non dilexi ex tota anima mea: imò, quod damnabilius mihi eſt, tuo amore ſpreto & derelicto, amorem meum poſui in mundanis, vanis, & noxiis, damnabilibúſque rebus. Et ſic iſte miſerabilis amor, ducet me ad odium tuum perpetuum, niſi tua infinita miſericordia, infinitus amor tuus, adiuuare me dignetur. Augeatur igitur in me tuus glorioſus amor qui me trahat ad te, relicto iſto tranſitorio amore: vt in tua dilectione perpetuò valeam manere. Amen.

CAPVT XIV.

Quid ſit diligere Deum ex tota mente.

1. Pliſſime Domine Ieſu Chriſte, totius exaltatio amoris, diligere te debemus ex tota mente, ſcilicet memoranter, perpetim ac perſeueranter; vt omnes ſenſus hominis, ſcilicet voluntas, intellectus, memoria, & omnes eorum operationes tibi vacent. Quod ſi in aliorum dilectione occupetur, iam Prou. 17.
ex tota mente, qui ſic occupatur, te non diligit. Scriptum eſt enim: *Omni tempore diligit, qui amicus eſt.* Talis igitur dilectio totius mentis eſt ligamen, viſcum & glutinum, hominem tibi indiſſolubiliter vniens atque ligans: Quia amor, eſt quædam vis mutua, & virtus agglutinatiua: ſumma mouens ad infima; & nouiſſima, id eſt ſubiecta, ad meliorum, id eſt ſuprapoſitorum conformationem, vt anima hoc glutino glutinata, tibi Cant. 1.
dicat; *Dilectus meus mihi, & ego illi.*

2. Tantus est namque amor à tota mente procedens, quòd anima tibi vnita talis dilectionis glutino, nec pœna, nec tormento, nec igne, nec ferro, nec vllo alio supplicio potest dissolui, nisi adueniat peccati mortalis immunditia. Imò citius Domine Iesu Christe, amantium portus, manus à brachio, caput à collo solueretur & amoueretur, quam anima tali glutino amoris tibi vnita & coniuncta à te aliquo modo separaret. Res enim forti glutino glutinata, citiùs rumpitur & frangitur in aliis locis, quàm in ipsa coniunctura. Sic etiam est de anima, vt patet in sanctis martyribus, qui à tuo amore, nullis pœnis poterant auelli, vel quantulumcumque separari. Facilius enim pes separaretur à tibia, & caput à ceruice, quàm ipsi à te. O dilectio, quàm magnum est vinculum tuum, quo ligari potuit Deus?

3. O piissime Domine Iesu Christe opifex amoris, hoc vinculum te in cruce tenuit, quem omnes funes totius mundi nullatenus tenuissent. Amor, benignissime Domine, ex mente procedens est triplex funiculus qui difficile rumpitur: Quia te diligere debemus ex toto corde, id est intellectu sine errore; tota anima, id est voluntate sine contradictone; & tota mente & virtute, id est memoria sine obliuione. Concede mihi misericordissime Domine Iesu Christe, largitor amoris potentissime, gratiam te amandi toto corde, tota anima, & tota mente: vt à te numquam valeam separari, sed tecum perpetuò in perfecto amore permaneam. Amen.

CAPVT XV.

Quòd amor est fortis armatura animæ.

1. HOmo scuto & armatura munitus amoris tui, benignissime Domine Iesu Christe, amatorum victoriosissime, in tentationis prælio stat inconcussus, inuincibilis, atque firmissimus, non timens, etiam si cum eo tota acies dæmoniaca decertaret. Tu enim, piissime Domine Iesu, homini amorem habenti, bonus adiutor & fortis defensor assistis, quia tu amor es, & qui in tuo amore stat, tecum stat. Assistis etiam homini dilectionem habenti, vt verus & fidelis amicus qui libenter subuenit amico suo, & eum defendit, sicut scriptum est: *Custodit Dominus omnes diligentes se: & om-*
Ps. 144. *nes peccatores* (id est dæmones infernales, vel homines pestilentes, disperdet.

2. Sed Domine, non sic est de alia virtute, quia tu, si quis sine dilectione aliquid faciat, non sic præsto es ei, nec assistis ad adiuuandum. Dilectio vera in te, Domine Iesu Christe amator verissime, hominem inuincibilem reddit Eum enim ex omni parte protegit & defendit: quod nulla facit alia virtus, sed ex vna parte tantum. Nam abstinentia à gula tantùm defendit: pudicitia à luxuria, & ita de cæteris. Imò alia virtus sine dilectione, ex vna parte defendit, & ex altera succumbit; dum scilicet de eius actu & opere oritur iactantia, & nascitur vana gloria, vt patet in eleemosyna & ieiunio, quæ nihil valent, nisi tua dilectione directa sint & protecta. Et ideo diabolus,

hanc

hanc armaturam dilectionis inuadere summopere studet. Nam si castitas in nobis fuerit sine dilectione, non timet, quia ipse in carne non premitur, vt in luxuriam dissoluatur. Abstinentiam non timet, quia cibo non vtitur, qui necessitate corporis non vrgetur. Distributionem rerum terrenarum non timet, si dilectio desit; quia diuitiarum subsidiis non eget. Sed valdè timet in nobis dilectionem veram, qua te diligimus, & proximum, & semper concordiæ inuidet: quia dilectionem quam tenemus in terris, ipse tenere nolens, corruit è cœlis.

3. Dilectio tua, Domine Iesu Christe, ab omnibus diligi dignissimé debet omnem tentationem repellit, non alia virtus. Nam alia virtus cum peccato informis esse potest, vt etiam morales virtutes in Philosophis fuere. Ideóque, non ab omni peccato, nec ab omni tentatione defendunt. Sed dilectio tua omni peccato contrariatur, & omni tentationi resistit; imò nec morti, nec tormento succumbit. Vinci nequit, imò de morte obtinet victoriam & triumphum. Hanc veram dilectionem tribue mihi misericorditer Domine Iesu Christe tota vi tus & vigor amantium, vt tecum in amore maneam in sempiternum. Amen.

CAPVT XVI.

Quòd per amorem peccatum remittitur.

1. TAnta est vis amoris superamende Domine Iesu Christe, quòd per amorem peccata remittuntur. Non est enim peccatum, quod dilectione tua non remittatur. Non culpa, non noxa, noxa grauis vel enormis, quæ adueniente dilectione tua non expellatur. Non macula tam fœda, tenax, ac etiam inueterata, quæ non tua dilectione & amore dissoluatur, quia tua dilectio, omni culpæ mortali contrariatur, nec cum aliqua esse potest. Habet enim tua vera dilectio omnem culpam expellere, sicut calidum frigus expellit. Sed non est de alia quacumque virtute.

2. Et ita patet de beata illa Peccatrice, quæ tot peccata habuit: & tamen dilectionis virtute, omnia sunt ei dimissa, quia ab ore veritatis dictum est: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Licèt *Luc. 7.* enim abundanter fleuerit, pedes lachrymis lauerit, capillis terserit, pedes osculata fuerit & vnxerit, tamen istis non attribuitur remissio, sed soli dilectioni, quia sine dilectione parum valuissent, sed fuerunt signa quædam scintillæ ignis, à dilectione præparata, quæ eatenus tibi grata fuere, quatenus ab amore imperata. Dilexit namque te multùm, quia ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente. Quod euidenter patet in iis dilectionis signis quæ ostendit. Dilexit enim te super omnia, sed non nimis: quia tu Domine nimis diligi non potes, imò modus diligendi te, sine modo est. Et in hoc etiam patet nobilitas & valor dilectionis: quia in excessu non amittitur, nec augmentum eius in vitium vertitur, sed in commodum & profectum. Contrà tamen homo potest nimis ieiunare, eleemosynas dare,

orare, & ſperare. Virtutes quoque morales ſi tranſcendant modum vel medium, in vitium & malitiam conuertuntur.

3. O clementiſſime Domine Ieſu Chriſte, amator bone, ego malus & vitioſus peccator, iſta mente reuoluens, nec mente, nec opere ad effectum perduxi: ſed à vero amore & dilectione elongatus, & totus frigidus factus, in peccatis & vitiis innumerabilibus, tempus meum miſerebiliter conſumpſi. Adjuuare me digneris miſericordiſſime Domine Ieſu Chriſte, immenſe fons amoris, & vt peccata mea benignè remittas, dilectionem tuam mihi digneris infundere ſempiternam. Amen.

CAPVT XVII.

Quòd amor eſt via rectiſſima ad Deum.

1. Vera dilectio, benigniſſime Domine Ieſu Chriſte, qui es merces amoris, eſt via rectiſſima veniendi ad te: nec opus eſt aliqua alia virtute, in cuius exercitio poteſt eſſe via obliqua; ſed ſolùm amore & dilectione, quæ ad cœleſtem Patriam verè ducunt. Quia alia quæcumque virtus informis eſſe poteſt & cum peccato, & ex eius actu ſæpe oritur vana gloria, quæ vt ventus, impedit viatorem, imò impellit in chaos inferni. Nam peregrè pergens, carnis afflictionem aſſumens, eleemoſynas erogans, ſæpe vento vanæ gloriæ impetitur: & dum ad pœnitentiam ire credit, labitur in infernum. Non ergo, Domine Ieſu Chriſte, ſuſceptor amoris & largitor, ieiunium, oratio, eleemoſyna, eſt via recta omnino; ſed amor & dilectio tua, eſt via rectiſſima abſque deuio; via breuis abſque tædio: via plana abſque tumulo; via clara abſque nubilo; via ſecura abſque periculo; via iucunda cum bono ſocio, ſcilicet cum te, Domine, amantiſſimo duce, via veniendi ad æterna gaudia, quæ non permittit viatorem ad dexteram, quæ eſt proſperitatis, nec ad ſiniſtram, quæ aduerſitatis eſt, declinare.

2. Iſta via amoris, Domine Ieſu Chriſte, dux amantium æterne, eſt vera, non ficta, neque palliata: via cordialis, non verbalis: via fructuoſa, non otioſa: via non ſolùm ſermonis, ſed etiam operis; via cauta, non improuida: prudens, non fatua; ita quòd perſona ametur, & culpa refutetur: via magna, non modica; ita quòd animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis: via conſtans, non momentanea, ſicut tu Domine, in fine oſtendiſti, quia cùm dilexiſſes tuos, in finem dilexiſti eos. Si quis igitur Domine Ieſu Chriſte amator conſtantiſſime, ad patriam cœleſtem velit celeriter peruenire, per viam dilectionis & amoris ambulare debet. Quia qui amat ardentiùs, currit velociùs, & peruenit citiùs.

3. O miſericordiſſime Domine Ieſu Chriſte, qui ob nimium amorem etiam non amantium miſereris, iniqua & peruerſa atque falſa fuit dilectio mea, quia non fuit cordialis, ſed verbalis; non vera, ſed ficta: Meos amicos in ſuis ſceleribus & peccatis defendi; & ſic iniquos odio non habui. Amaui fortunam, & ea mutata, amorem mutaui. Parce mihi piiſſime Do-

mine Iesu Christe misericordissime amator; & veniam dare mihi dignare, & concede mihi misericorditer tantam ad te amandum gratiam, vt relicto vano amore tibi non placito, te super omnia amem & diligam assiduè, & sine alicuius temporis interpositione; nec à tua dilectione separer, sed cum ea permaneam per infinita sæculorum sæcula. Amen.

CAPVT XVIII.

Quòd amor obtinet quæ iustè petuntur à Deo.

1. AMor & dilectio, clementissime Domine Iesu Christe, qui es ipse amor, postulata à te, promptè & facilè obtinet: quia illum qui te veraciter diligit, libenter exaudis, & postulata ei concedis, quia scriptum est: *Dilexi quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ.* Tam exuberans Ps.114.
est amor tuus, dulcissime Domine Iesu Christe, spiritualis amator, quòd tu diligenti te, vnà cum spiritualibus bonis, bona etiam temporalia tribuis & concedis, sicut dictum est à te: *Si obediatis mandatis meis, vt diligatis* Deuter.
Dominum Deum vestrum, & seruiatis ei in toto corde vestro, anima, & 11.
mente vestra, dabò pluuiam temporaneam & serotinam, vt colligatis fructum vini & olei, & fœnum ex agris. Ostendis etiam, & extendis diligenti te misericordiam, sicut scriptum est: *Faciens misericordiam in millia millium, iis* Exo 20.
qui diligunt me. Infundis etiam sapientiam tuam diligenti te, sicut scriptum est: *Vnus est altissimus, & sapientiam suam* (id est datum suum) *præbet dili-* Eccl.1.
gentibus se. Tribuis etiam & liberaliter concedis diligenti te gaudium & lætitiam, sicut scriptum est: *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: pro-* Ps.44.
pterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ.

2. Diligentes igitur te, Domine Iesu Christe, amantium remunerator largissime, exaudis, & eisdem multa bona impartiris.. Sed non sic illis euenit, qui te non diligunt, nec diligere volunt; non enim eos exaudis: sed potiùs te prouocant ad iram, cùm aliqua à te petunt. Quia cùm indignus ad intercedendum mittitur; irati animus ad deteriora prouocatur.

3. O misericordissime Domine, quoties te prouocaui: quia indignissimus & nefandissimus peccator, multa à te petij, & nullo dignus eram: quia te non dilexi corde & opere, sed solùm verbo & lingua. Quare non amore, sed odiò dignus eram, pœna & non gloria. Sed in tuo indicibili amore confido, piissime Domine Iesu Christe fons inexhausibilis amoris, quem à me, obsecro, non retrahas, sed illud mihi clementer concedas, quo inflammare digneris cor meum frigidum, ad amandum & diligendum te, vt spreta dilectione transitoria & caduca huius miseræ vitæ, ad te eleuer per puram dilectionem in te manentem, per assiduam contemplationem, in sæcula sæculorum. Amen.

CAPVT XIX.

Quòd amor Dei defendit & liberat à malis.

1. FIdelis & verus amicus es Domine Iesu Christe amator vigilantissime, qui diligentem te custodis, liberas & defendis à malo & periculos sicut ostendisti in seruo tuo Daniele, te toto corde diligente: qui conjectus in lacum leonum, illæsus te protegente fuit extractus, & penitùs liberatus. Vnde dixit, *Recordatus es mei Domine, non dereliquisti me.* Liberas igitur Domine diligentem te à malo, & à leonis infernalis insultu, & illæsum eripis ab eodem: Et quia sicut fidelissimus amicus liberas à malo, protegis & defendis; clamat Propheta in persona cuiuslibet te amantis: *Diligat te Domine fortitudo mea: Dominus firmamentum meum & liberator meus, Deus meus adiutor meus: & sperabo in eum: Protector meus & cornu salutis meæ, & susceptor meus.*

Daniel. 14.

Psal. 17.

2. O misericordissime Domine Iesu Christe ineffabilis dulcedo amoris, inæstimabilis est dilectio tua, quæ semper adjuuat peccatorem & defendit. Peccat enim miserabilis peccator praua suggestione & cogitatione: sed tunc es diligenti te fortitudo, ne cogitatio possit introire. Quòd si peccator vltrà procedat, scilicet ad delectationem: tu es tunc ei firmamentum, ne possit delectatio inualescere. Cùm autem peccator ad consensum voluntati laxat habenas: tu Domine illi es refugium, vt consensui contradicat. Quando verò defendit peccatum: tu ei liberator es; vt ab audacia abhorreat. Si latenter peccare vult, tu illi es adjutor qui vbique præsens es, ne id faciat. Sed si patenter, tu es ipsius aduersùs nequitiam protector. Si autem inducatur in consuetudinem, tu es ei cornu salutis. Si verò falsò seducatur, vel desperatione aut induratione conficiatur; tu eius, ne desperet, néve induretur, susceptor es.

3. Fidelissimus igitur amicus es Domine, & tua vera amicitia omnem aliam excedit amicitiam. Tu semper diligis, in vita & morte. Tu diligis in prosperitate & aduersitate, & etiam magis felicem mortuum, quam infelicem viuum. Tu Domine plus in immensum amas quàm ameris: & etiam amas, licet non ameris. Tu propter patres amas filios: Imò propter vnum bonum in ciuitate vel societate, amas multos malos.

4. O amantissime Domine Iesu Christe: ego miserrimus & prauissimus peccator omni dilectione vacuus, sed malitia & iniquitate plenus, te vt debuissem non dilexi. Sed cor durum & vagum habendo, ad diligenda frequenter mihi damnosa & noxia, ipsum applicui. Quod erigere digneris Domine ad te amandum semper: vt vita mea & gloria mea, sit dilectio tua sempiterna. Amen.

CAPVT XX.

Quòd amor Dei reficit hominem.

1. NOn honor, non pecunia, neque aliqua terrena ſubſtantia, nec etiam virtus, nec ars aliqua vel ſcientia, benigniſſime Domine Ieſu Chriſte plenitudo amoris, poteſt implere animam, & ſatiare conſcientiam, ſed ſola & vera dilectio tua. Nam dilectio, aut eſt cum gratia, aut ſine. At ſine ea, non poteſt eſſe dilectio vera. Illud autem quod in via poteſt ſolùm reficere & quietate animas, eſt gratia; cum qua ſimiliter eſt & dilectio vera. Et quia qui diligit te Domine, habet te, ſicut ſcriptum eſt: *Si diligamus inuicem, Deus in nobis manet*: non poteſt eſſe pauper; quia Deum habet quem amat. 1. Ioa. 4. Et quomodo poſſet eſſe pauper, qui te, qui es omne bonum, habet in conſcientia? Qui habet aurum in arca, diues non eſt: ſed qui te habet in conſcientia, diues eſt. Vnde ſcribitur de te: *In me ſunt diuitiæ & gloria, vt ditem omnes diligentes me, & theſauros eorum repleam.* Prou. 8.

2. O miſericordiſſime Domine Ieſu Chriſte in amore ditiſſime, qui ditari cupit & ſatiari, dilectionem veram debet habere, quæ mentem reficit, perficit & eidem ſufficit. Nam qui vera dilectione caret, etiam ſi omnes diuitias mundi haberet, & inſuper ſapientiam, fortitudinem, ſimpliciiatem, pulchritudinem, omnes denique virtutes à Philoſophis conſcriptas, pauper tamen & miſerabilis eſſet, quia illis non contentus, alia ſemper appeteret. Ideò de quodam diligente terrena, ſcribitur: *Tu dicis quia diues ſum & locuples, & nullius egeo: & neſcis, quia tu es miſer & miſerabilis, pauper, nudus, & cæcus. Suadeo tibi emere aurum ignitum, vt locuples fias.* Apoc. 3.

3. O clementiſſime Domine Ieſu Chriſte, amor conſumens, quantam doctrinam nobis peccatoribus oſtendiſti pro ſaluatione noſtra, monendo vt emamus aurum ignitum, per quod intelligitur amor & dilectio: Quia ſicut aurum excellit omnia alia metalla, ſic dilectio omnes alias virtutes. Debet autem hoc auru m eſſe ignitum amore tuo, & dilectione tua ſummè inflammatum. Neque emitur nummo vel denario, ſed bona voluntate, bono deſiderio, bono affectu. Vnde hac dilectione nihil melius emitur; & nihil charius eſt, cum poſſidetur. O piiſſime Domine Ieſu Chriſte, locuples in amore, ego ſum miſer & miſerabilis, pauper, nudus & cæcus. Da mihi hoc aurum ignitum; hoc eſt dilectionem tuam, quo inflammetur mens mea, vt ea reficiatur & quietetur in te, & ipſe ditatus gratia & dilectione tua, ad regnum amoris perueniam ſempiternum. Amen.

CAPVT XXI.

Fructus amoris, & in via, & in patria.

1. Dilectio Virtus summa, quæ gloriam sempiternam nobis acquirit, à te hoc procedit, dulcissime Domine Iesu Christe; quam clementer dones nobis; nulla enim alia virtus obtinet regni tui gloriam, nisi sola dilectio; ista sola gloriam obtinet, & non alia virtus sine ipsa: Scriptum est,
Iacob. 2. *nonne elegit Dominus pauperes in hoc mundo, diuites in fide & hæredes regni, quod promisit Deus diligentibus se?* sola autem dilectio in gloria durat, & permanet; quo fortiùs & intensiùs ibi, Domine Iesu Christe, diligaris; & non sic de aliis virtutibus, quia aliquæ ex ipsis, etiam quantum ad habitus, non manent ibi, sicut fides & spes: aliæ autem quantùm ad actus, qui ita habentur, sicut fortitudo & patientia; sed vera dilectio numquam excidit. Imo beati sunt, qui te diligunt, Domine; quia summa beatitudo est in tua dilectione & fruitione.

2. Tu clementissime Domine Iesu Christe, gloriam tuam immensam sic mensuras & præbes. Non qui plus ieiunauerit, abstinuerit, orauerit, vel peregrinatus fuerit, maiorem gloriam habebit; sed solùm, qui plus dilexerit. Vnde dilectio nihil aliud est quàm gloria consummata; & ideò scribi-
Ps. 126. tur; *Cùm dederit dilectis suis somnum*, scilicet æternæ quietis, *ecce hæreditas Domini, filij, merces, fructus ventris.* Vera dilectio, Domine Iesu Christe, in viâ omnem culpam expellit, nec esse potest cum aliquo peccato mortali, sed ab ipsa omnis virtus perficitur, & ideò dicitur forma virtutum. Ipsa sola nullâ labe inficitur & inquinatur. In patria verò ipsa sola gloriam procurat, ipsa sola in æternum durat, & ipsa sola gloriam mensurat.

3. O amantissime Domine Iesu Christe, non permittas me sine ista dilectione viuere; à qua multis temporibus miserabiliter me subtraxi viuendo in vitiis & peccatis, & in delectatione miserrimi corporis, & in complacentia & voluptate hostium antiquorum. Succurrat, piissime Domine Iesu, Christe, tua infinita misericordia: non me dimittat tua inæstimabilis dilectio, sed me benigne suscipiat, protegat & defendat, & ad æternam gloriam me perducat, Amen.

CAPVT XXII.

Quod amori Dei est insistendum.

1. Insistendum est, clementissime Domine Iesu Christe, amator bone, dilectioni tuæ: quia dilectio non est nisi boni: & tu es fons totius bonitatis. Tu es pater, creatione & deitate. Tu es frater, redemptione & humanitate. Tu es Dominus naturalis, non extraneus. Quicquid habemus, à te habemus: & in fine à te expectamus præmium sempiternum. Et ideò conueniens est

vt te diligamus, & tuæ dilectioni continuè insistamus, sicut scribitur; *Audi* Deu.10.
Israel: quid nunc requirit Dominus, aut quid petit à te, nisi vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis eius, & diligas eum, & seruias ei in toto corde tuo, anima, & mente tua, custodiasque mandata Domini, vt bene sit tibi? Israël, est quilibet fidelis Christianus, per fidem te videns, qui ad diligendum te maximè est astrictus, quia à te magis dilectus. Nam dilexisti nos, & lauisti in sanguine tuo.

2. Tu consulis nobis, & mones dulciter, non acriter, quæ à nobis requiris, scilicet vt te timeamus, dum dicitur, *vt timeas Dominum Deum tuum.* Vnde in timore tui originem suam habet dilectio, quia scriptum est: *Timor Domini, initium dilectionis*: quæ vires accipit & augetur exercitio aliarum Eccl. 1.
virtutum à dilectione imperato. Et ideò dicitur: *Et ambules in viis eius*, id est in bonis operibus: vtpote eleemosyna, ieiunio, oratione, & cæteris. Ex his enim vegetior redditur dilectio, sicut ignis, lignorum appositione. Completur autem dilectio tui, Domine, ex affectu interioris amoris; Ideò dicitur; *Vt diligas Dominum Deum tuum.* Completur etiam ex actu exterioris honoris. Ideo dicitur; *Vt seruias ei in toto corde tuo, anima & mente tua.* Conseruatur denique mandatorum tuorum obseruatione; Ideò dicitur; *Custodiasque mandata Domini, vt bene sit tibi.*

3. O benignissime Domine Iesu Christe, quem iustissimum est amari, vtilem & salubrem regulam te diligendi nobis clementer dedisti. Nam summæ æquitatis est, vt te timeamus, summæ leuitatis, vt in viis tuis ambulemus; summæ bonitatis, vt te diligamus; summæ dignitatis, vt tibi seruiamus, summæ æquitatis & sanctitatis, vt mandata tua custodiamus. O piissime Domine Iesu Christe amator misericors & iuste, non ponderes peccata mea ad vindictam, sed misericorditer mihi ea condonare digneris, désque mihi gratiam tuam; vt per timorem tui oriatur in me vera dilectio; per affectum interioris amoris, & per actum exterioris honoris compleatur; & per obseruationem mandatorum tuorum conseruetur: vt mihi benè sit te amando, nunc & in perpetuum. Amen.

CAPVT XXIII.

Quod diligere Deum est summè leue.

1. VErba tua verissima sunt, misericordissime Domine Iesu Christe, exemplum & forma amoris, qui dixisti: *Iugum meum suaue est, & onus meum leue.* Hoc est Domine, te veraciter diligere & amare; quod summè Mat.11.
suaue est & leue, adeò quòd nullus habet, nec habere potest, causam aut excusationem aliquam te non diligendi. Vnde si alicui dicatur quòd ieiunet, dicere potest, corpus habeo fragile. Si dicatur ei quod det, potest dicere, pauper sum. Si dicatur ei vt oret, & limina Sanctorum visitet; potest dicere, infirmus sum. Sed cùm ei dicitur, dilige Deum & proximum, nullam habet excusationem.

2. Quare benignissime Domine Iesu Christe, dilector amoris: scio quod tam facile est te diligere, quod ex hoc corpus non affligitur, pes non pungitur, caput non dolet, venter non læditur, lingua non vexatur, crumena non euacuatur. Quia dilectio propriè consistit in anima. Et indè sequitur, quod qui amat non laborat. Non est dilectio supra facultatem hominis, ita quòd non possit eam perficere. Nec est dilectio longè ab eo, scilicet vltra cognitionem eius, ita quòd non possit eam apprehendere. Sed est iuxta hominem, scilicet in ore eius & in corde: vt adimpleat eam, & diligat te Domine qui es summè gloriosus, summè delectabilis, summè pretiosus. Amicitia namque est respectu boni, honesti, delectabilis, aut vtilis. Quæ omnia, sunt in te, Domine Iesu Christe, superamabilis & superbone.

3. Ex dilectione homo viuit vita gratiæ, & multiplicat bona opera, vt terram viuentium possideat. Facilis res est, Domine Iesu Christe, superamande, dilectio; à qua nullus cuiuscumque status, gradus aut conditionis existat, excusari potest. O miser & miserabilis peccator quid faciam: Oculata enim fide hoc video & cognosco, quod facere deberem, & non facio; scio clementissime Domine, nullo me modo aliter tibi placere posse, nisi per dilectionem. Ad illam meum animum non conuerto, illa vilipendo, ad illam habendam me non dispono: sed inclinationes meas ad vitia & peccata perficio, in illis permaneo, in illis delector, in illis ferè continuè prostratus miserabiliter iaceo.

4. Respicere ergo me dignare, piissime Domine Iesu Christe, animarum per amorem purgator, oculo tuæ pietatis & misericordiæ. Dele iniquitatem meam maximam, & inclina cor meum prauum & peruersum, ad te diligendum & amandum. Non recedam à te, neque à tua benignissima voluntate: sed quicquid præcipis, faciam: quicquid prohibes, euitabo totis viribus, cogitatione, locutione, & opere. Vt te donante, dilectionem tuam obtineam sempiternam. Amen.

CAPVT XXIV.

De vtilitate amoris Dei.

1. FRuctus & vtilitas, Domine Iesu Christe, totius dilectionis autor, quæ ex dilectione tua acquiritur, non solùm est æterna gloria, de qua dictum est, *Quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt quæ præparasti diligentibus te*, Sed etiam est vtilitas magna in hac vita. Quia diligens te, Domine castigatur à te, sicut à patre dilectus filius, si contingat eum deficere vel errare, dulciter corripitur & castigatur, qui de seruo extraneo non curat. Vnde magnum signum amoris tui est Domine, correptio & immissio flagelli. Sed homines despetatos & peruersos, quolibet ire permittis, & in præcipitium peccatorum incidere: quia quem diligis castigas, & flagellas omnem filium quem recipis.

1. Cor. 2. Ex Isai.

2. Diligens te Domine, pacificè conuersatur. Est enim in pace conscientiæ, &

& tranquillitatis iucunditate, non in ſimultate & odio. Diligens te Domine, diligenter per te à malo præſeruatur. Sicut enim homo pupillam oculi ſui ſedulò cuſtodit, & eam ſummè diligit, ſic tu Domine Ieſu Chriſte, amator bone, amicum & dilectum tuum protegis & defendis, & cuſtodis ne in peccatum labatur, néve à diabolo affligatur. Scriptum eſt enim: *Qui diligitis Dominum odite malum: cuſtodit Dominus animas Sanctorum ſuorum, de manu peccatoris liberabit eos.* Psal. 96. Cuſtodis animas, non cutem carnis ſplendidam, non poſſeſſiones & terras: quia talia, tibi chara non ſunt. Sed cuſtodis animas Sanctorum, ne in peccatum labantur: & de manu peccatoris liberas eas, ne à dæmone affligantur.

3. Diligens te Domine Ieſu Chriſte, amantium gloria, multùm honoratur. Quia actus diligendi, eſt actus tuus & Angelorum, non dæmonum. Tu enim diligis, quia ſcriptum eſt: *Ego diligentes me diligo.* In Angelis autem eſt vis & actus maximi amoris quoad te Domine, & quoad eos qui ſui ſunt conſortij, & quo ad nos. Diligunt enim adeò, quòd ordo ſupremus, ab ardore charitaris nominatur Seraphim. Diligentem te Domine ſuſcipis ad pœnitentiam, eidem remittis offenſam, & tua maxima pietate, inenarrabilíque benignitate, ac inæſtimabili largitate, gratiam miſericorditer donas & tribuis.

4. O miſericordiſſime Domine Ieſu Chriſte, ſemper amari plus quàm digniſſime, quanta miſeria ego nequiſſimus peccator plenus ſum, qui perſpecta tanta vtilitate tui amoris, te propter temetipſum diligere debebam? Quòd ſi propter teipſum te diligere nolebam; ſaltem propter meipſum & vtilitatem meam te diligere debebam: vt ex inordinato amore, tandem veniſſem ad verum amorem tuum, qui eſt diligere te non ob aliud, ſed propter teipſum ſolum. Mihi ergo digneris ſuccurrere benigniſſime, & creare in me cor mundum: vt ab iis quæ tibi diſplicent abhortendo, & ea penitus execrando, te diligam & amem, tibi ſeruiam, tibi obediam, præcepta tua adimpleam. Vt te verè, ordinatè, non ob aliud quàm ob teipſum, diligam per infinita ſæculorum ſæcula. Amen.

CAPVT XXV.

Quod amor eſt veſtis pretioſa animæ.

1. INuitatus ad tuas cœleſtes nuptias, dulciſſime Domine Ieſu Chriſte, amantiſſime cœleſtis ſponſæ, veſtem nuptialem deferre debet: ne ſi fortè intret ſine veſte nuptiali, eiiciatur iuſſu tuo extra, & proiiciatur in tenebras exteriores, vbi ſemper eſt & erit fletus, & ſtridor dentium. Iſta veſtis, ô benigniſsime Domine, eſt amor & dilectio, quæ excellit omnes alias virtutes. Iſta veſtis, ex pretioſis filis, ideſt, tuis beneficiis homini collatis, eſt contexta, & à te ſubtili magiſterio facta & decorata, quæ deſignatur per tuam tunicam inconſutilem: quæ nec ſciſſa fuit, nec diuiſa: quia amor, neque diuidi debet, neque ſcindi, Et qui eum diuidunt vel ſcindunt,

peiores videntur quàm milites te crucifigentes, qui tuam tunicam diuidere noluerunt.

2. Ista vestis nuptialis, Domine Iesu Christe, sponse amoris, summè potens, & efficax existit: quia defendit hominem à frigore cupiditatis, & ad tuum amorem hominem inflammat, ipsumque exornat plurimùm & venustat. Ista vestis nuptialis, sola distinguit filios regni & perditionis. Quia qui eam defert, regnum tuum intrabit vt conuiua tuus & filius charissimus. Qui verò ea caruerit, etiam si deferat omnes alias vestes, il est omnes alias virtutes, expelletur à regno tuo. Ista vestis, operit multitudinem peccatorum. Ista vestis, commendabilis est colore & valore. Est enim deaurata vel potiùs aurea, illud iuxta: *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato.* Et sic ista vestis ornat animam, quòd sine isto ornatu indigna est anima cœlum ingredi. Ista vestis nuptialis, munit hominem: *Quia fortis est vt mors, dilectio.* Eius etiam pretiositas, patet ex materia, quia si pretiosum sit quod trahitur ex metallis, gemmis & animalibus, longè pretiosius est quod ex te trahitur. Ista autem vestis nuptialis ex te venit, & à te procedit. Ex ea quoque tegimur, viuimus & ditamur: qui enim hanc vestem habet, nihil ei deest: & sine ista, nihil ei prodest.

3. O misericordissime Domine Iesu Christe, cœlestis sponse, ego miserabilis peccator nudus sum: & cùm hanc vestem nuptialem non habeam, non sum dignus vt intrem ad tuas cœlestes nuptias, sed vt proiiciar in tenebras exteriores. Succurre ergo mihi piissime Domine Iesu Christe, æterni nuptialis conuiuij dispensator largissime; & da mihi tua benignitate hanc vestem gloriosissimam, vt inuitatus & vocatus ad tuas sempiternas nuptias, illuc cum veste nuptiali intrem, ibique cum amicis tuis, amore tuo perpetuo fruar, te laudem, te admirer, te glorificem æternitatis regem, & gloriosissimum sponsum, viuentem & regnantem in sæcula sæculorum. Amen.

CAPVT XXVI.

Quòd amor à malis animam custodit.

1 VErus amor, Domine Iesu Christe amantium conseruator, custodit hominem à peccatis. Custodit namque ab æmulatione siue inuidia, quæ vehementer corrumpit animam. Inde enim prouenit vt anima in malis proximi delectetur, & in bonis contristetur. Sicut verus amor facit, vt in bonis proximi delectetur, & in malis contristetur. Quia sicut viror naturaliter delectat visum corporis, sic bona naturaliter delectant animam. Custodit, Domine, verus amor ab ambitione, quæ est cùm quis quærit sui exaltationem & proximi deiectionem, vt sic altior factus, à pluribus videri possit, & in admiratione haberi. Nam verus amor, sui exaltationem & proximi deiectionem non quærit. Custodit Domine verus amor ab amore nimio proprij boni, ex quo solet fieri vt homini nullo modo cura sit de

bonis proximi, imò cum scandalo sua repetat: quærit namque propria commoda, & negligit aliena. Verus autem amor, quæ sua sunt non quærit, sed quæ tua sunt Domine. Custodit etiam verus amor à maligna cogitatione super iniuriis vindicandis. Talis autem cogitatio, quasi ferrum in vulnere semper hæret, & ideò scribitur; *Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.* Isaiæ 1. Verus namque amor Domine, omnia remittit propter te: repellítque non solùm actum, sed etiam omnem cogitationem. Custodit Domine verus amor, ne gaudeat homo super iniquitate, quod est diabolicum, & signum magnæ corruptionis animæ & elongationis à te: cùm talis iniquitas summè tibi displiceat. Sed amor verus, Domine, semper gaudet super bono, & non malo.

2. O misericordissime Domine Iesu Christe, amantium custos fidelissime, dum præmissa omnia & singula mente reuoluo, sentio me à vero amore elongatum, quia inuidia plenus fui & sum. Meipsum exaltaui & proximum dejeci; me nimis dilexi; animum habui vindictæ cupidum; in malis gaudium concepi; & denique ad omne malum, propter amoris tui defectum, multipliciter pronus fui. Adjuua me piissime Domine Iesu Christe, largitor & conseruator amoris: & da mihi verum amorem indeficientémque, vt ab iis quæ tibi displicent abhorream; & quæ tibi placent recipiam, teneam, & adimpleam. Vt in fine tuam gloriam perenniter & sine fine diligam. Amen.

CAPVT XXVII.

Quod amor continet in se doctrinam veritatis.

1. PErfectus amor, clementissime Domine Iesu Christe, qui omnes perficis; amantes, docet veritatem: quia *in dilectione tota lex pendet & Prophetæ.* Mat. 22. Quicquid latet, & quicquid patet in diuinis sermonibus & in tota sacra Scriptura, dilectio ipsa comprehendit: quia scriptum est; *Plenitudo legis, est dilectio.* Nam tota lex, imò tota scriptura, aut præcipit & consulit ea quæ faciunt ad tuam & proximi dilectionem, sicut patet in præceptis affirmatiuis; aut inhibet & dissuadet illa quæ impediunt & dirimunt dilectionem, vt liquet in præceptis negatiuis. Quid ergo est quod scribitur: *Qui proximum diligit legem impleuit,* Rom. 13. nisi quod qui diligit proximum, diligit & te Deum? Quia eadem est virtus & dilectio, qua quis vtrumq; diligit: vt idem est radius quo quis solem & terram intuetur: Sed illum in imo tuæ dilectionis radio diligit: te autem in illius summo. Aliarum autem rerum dilectio, qualis est in mundo, ô Domine Iesu Christe, sol amoris, miserabilis profecto est & stulta & exprobrabilis insania, quòd scilicet relicto tuo amore, dilectioni aliarum rerum homo adhæreat.

2. Sed benignissime Domine Iesu Christe, ad verum amorem reductor, ego prauissimus peccator dando meipsum voluntariè quodammodò in reprobum sensum, tuam veram & animæ meæ contemnendo, dilexi vanam voluptatem, interdum fortunam & temporalem facultatem: non con-

siderans quòd qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis, dilexi fre-
Psal. 4. quenter mundanam vanitatem, contra consilium scripturæ dicentis: *Filij hominum, vt quid diligitis vanitatem?* Interdum dilexi irrationabiliter cognationem & propinquitatem meam plus quàm te; & sic non eram te dignus; *quia qui amat patrem aut matrem plus quàm te, non est te dignus.* Aliquoties dilexi munera & dona; sæpè etiam superstitiones & deliramenta. Frequenter contumelias, detractiones ac conuitia. Et ideò dignus eram vt maledictio mihi veniret, sicut scriptum est. *Dilexit maledictionem, & veniet ei.* Dilexi interdum vindictam & malitiam & iniquitatem, quas reprehendit scriptura dicens: *Dilexisti malitiam super benignitatem, iniquitatem magis, quàm loqui æquitatem.*

Matth. 15. 10. Ps. 108. Psal. 51.

3. Ista fuit, ô superamende Domine Iesu Christe, miserabilis & iniqua vita mea, non attendentis scripturam dicentem; *Nolite diligere mundum, nec ea quæ in mundo sunt.* Sed tu misericors & miserator Domine, ignoscere misericorditer mihi dignare: & illustra mentem meam, vt te perfectè diligam: vt sic informetur anima mea doctrina veritatis, vt tecum qui es amor & veritas, in amore & veritate viuam per infinita sæculorum sæcula. Amen.

1. Ioan. 2.

CAPVT XXVIII.

Collatio amoris cum arbore fructifera & thesauro.

1. ARbor est fructificans, Domine Iesu Christe, verus amor tuus, fructus imputribiles ferens. Nam *omne opus electum iustificabitur, & qui operatur illud, honorabitur in illo*; Ab hac namque arbore, non excidit folium, flos, neque fructus, quia sempiternus est, quia scriptum est, *folium eius non defluet*: in hac namque arbore amoris, pendent omnia vera bona, quia in dilectione tua & proximi tota lex pendet & Prophetæ.

Eccl. 14. Psal. 1.

2. O Domine Iesu Christe, scis quòd plus valet vnus flos huius arboris, scilicet vnum bonum propositum dilectionis, quàm infinita millia auri & argenti, de quo flore scribitur, *flores mei, fructus honoris, & honestatis.* Ex solis fructibus istius arboris Domine Iesu Christe benignissime, pasceris ab homine; ex illis solis viuitur in Paradiso: & qui hanc arborem dilectionis seruat, amittere te non potest: quia tu es arbor veræ dilectionis. Et qui manet in ipsa arbore dilectionis, manet in te, & hinc dilectio in morte non excidit, id est, non ex toto cadit, quia si moritur corpore, viuit spiritu; & licèt moriatur mundo, viuit tamen tibi; quia si te diligit, qui te non videt in præsenti; multò ampliùs diliget te in futuro, cùm te videbit.

Eccl. 24.

3. Vera dilectio, mitissime Domine Iesu Christe, est ille thesaurus in agro cordis absconditus pro quo vniuersa, quæ habet homo essent vendenda, si aliter haberi non posset; Istum thesaurum non potest auferre homini in fine mors, vel mundus; sed alios thesauros temporales bene

aufert. Iſte theſaurus, Domine, ita pretioſus eſt, quod nullum pœnitebit de comparatione ipſius, quando eius valorem cognoſcit perfectè, quantumcumque ſibi conſtiterit, etiamſi dederit omnem ſubſtantiam domus ſuæ, pro iſto theſauro. Habetur hic theſaurus tuus, ſine quo non proſunt theſauri huius mundi.

4. O dulciſſime Domine Ieſu Chriſte, quid faciam ego impiiſſimus peccator, qui ab iſta arbore me elongaui, & iſtum pretioſum theſaurum ſpreui, & contempſi. Parce mihi ex tua maxima miſericordia. Concede mihi fructum iſtius arboris deguſtare, & deguſtando eum in corde tenere, & hunc theſaurum in anima conſeruare, vt tecum permaneam in æternum. Amen.

CAPVT XXIX.

De amore quo Deus diligit hominem.

1. AMantiſſime Domine Ieſu Chriſte, tu diligis hominem qui ſeruat munditiæ puritatem. Simile enim, ſuum ſimile diligit: & quia tu purus es, & omnium maximè purus, ideò diligis puros, ſicut ſcriptum eſt: *Qui diligit cordis munditiam, habebit amicum regem.* Sic enim dilexiſti bea- *Pro. 22.*
tum Ioannem Euangeliſtam, de quo ſcribitur: *Hic eſt diſcipulus ille, quem* *Ioan. 21.*
diligebat Ieſus. Diligis etiam Domine hominem qui tenet ſapientiæ claritatem atque veritatem: quia ſcriptum eſt: *Neminem diligit Deus, niſi qui* *Eccl. 4.*
cum ſapientia eſt: quia non poteſt venire commodum, neque honor de amicitia ſtulti. Ideò Domine dilexiſti Salomonem, ſicut ſcribitur; *Vocauit Do-* *3. Reg. 10.*
minus Salomonem, & dilexit eum.

2. Diligis Domine Ieſu Chriſte, amator innocentiſſime, illum qui amat innocentiæ lenitatem, ſicut dicitur: *Scio Domine Deus* (ait Dauid) *quod pro-* *1. Par. 29.*
bas renes & corda; & ſimplicitatem, & non doloſitatem diligis. Diligis etiam Domine, amicitiam amicitiæ rependentem, & ſeruantem amicitiæ firmitatem, ſicut tu Domine dixiſti: *Ego diligentes me diligo.* Hoc namque iuſtum *Prou. 8.*
eſt, quòd qui diligitur, diligat. Sic enim Moyſen dilexiſti, ſicut ſcribitur: *Dilectus Deo & hominibus Moyſes.* Diligis Domine Ieſu Chriſte amantium *Eccl. 45.*
liberaliſſime, illum qui oſtendit effectu, beneficentiæ ſuæ largitatem: quia *hilarem datorem diligit Deus.* Largi enim & pij, diliguntur á te; ſicut patet etiam de Martha, cuius animus erat largitate & pietate fœcundus. Ideò *2. Cor. 9.*
ſcribitur; *Diligebat Martham Ieſus.* Diligis Domine illum, qui ſectatur iuſtitiam, & æquitatem: quia ſcriptum eſt: *Qui ſectatur iuſtitiam, diligitur à* *Ioan. 11.*
Domino. Sic enim dilexiſti Domine Samuelem æquitate ſolidum, ſicut ſcriptum eſt: *Dilectus à Deo Samuel propheta.*

3. O dulciſſime Domine Ieſu Chriſte, omnium perfecte amator, dum omnia prædicta in mentis meæ ſecreto conſidero, erubeſco; imò corde deficio præ timore, quia non ſentio in me miſerabili peccatore, aliquam ex cauſis prædictis, ob quam tu debeas me diligere, ſed potiùs ob oppoſita odio habere. Sed tamen ad tuam immenſam clementiam confidenter accedo, vt

parcere mihi digneris, & remittere misericorditer omnia peccata mea: & sic me disponere in cogitatione, locutione & opere, vt per inuocationem tibi placeam, & causam habeas me diligendi, vt te diligentem me, per infinita sæculorum sæcula vicissim rediligam. Amen.

CAPVT XXX.

Quòd amor est excellentissima virtus.

1. INter cæteras virtutes, benignissime Domine Iesu Christe, superamabilis excellentissime, vera dilectio est excellentissima, & ideò oleo comparatur: quia sicut oleum aliis liquoribus supernatat, sic vera dilectio alias virtutes vel gratias antecellit. Ista vera dilectio sic reddit tibi Domine hominem charum & pretiosum, vt filius tuus nominatur. Qui autem illam non habet, despectus est: & erit coram te sicut stilla situlæ. De quo & similibus
Isai. 40. scribitur: *Ecce gentes quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ sunt, & quasi puluis exiguus.*

2. Scio Domine Iesu Christe, operum virtutum æstimator iustissime, quód licet talis exerceat opera de genere bonorum; parui tamen valoris sunt, si dilectionem non habeat, nec ex ipsis operibus quantumcumque fuerint pretiosa, obtinere valebit regnum cœlorum, nisi ea faciat in dilectione & amore. Hæc enim vera dilectio, vnit hominem tibi tamquam capiti, & fidelibus tanquam membris. Ideò hæc vnio valdè chara debet esse homini. Sicut enim vnitas quæ est inter caput & corpus diligitur: sic etiam incomparabiliter diligi debet vnitas quæ est ex vera dilectione inter te & hominem; & abscissionem ac separationem tantæ vnitatis, summoperè cauere debet homo, & fugere plusquam proprij capitis abscissionem. Sine hac vera dilectione, nullum verum bonum adest homini. Imò in vanum & frustra habentur cætera bona, saltem quantùm ad salutem æternam obtinendam. Si autem homini adsit vera dilectio, habet omnia bona, vel in se, vel in aliis. Vera dilectio Domine, est scientia & sapientia, de qua scribitur:
Eccl. 1. *Dilectio Dei honorabilis sapientia.* Vnde non solùm scientia esse videtur, quia scientia in multis hominem regere non potest.

3. O misericordissime Domine Iesu Christe amantium rector & gubernator, quoties hanc vnionem veræ dilectionis ego miser & sceleratus diuisi & fregi, perpetratione multorum & diuersorum peccatorum; & proinde opera mea inutilia feci, & tempus mihi datum ad operandum bonum perdidi? Adiuua me piissime Domine, & dele iniquitates meas, & reforma in me veram dilectionem: qua mediante opera talia hîc adimpleam, quòd ad regnum amoris æternum tandem pertingere valeam. Amen.

CAPVT XXXI.

De amore Dei & proximi.

1. ORdinata dilectio, clementissime Domine Iesu Christe, qui omnia per amorem ordinas, est amor verus ad te & proximum. Nam hominis amor ordinatus ad te est, si te amet propter te & super omnia. Si autem amor quo quispiam te amat, est propter ista temporalia, non est amor ordinatus, sed tibi contumeliosus: quia qui te amat propter temporalia; plus amat temporalia, quàm te. Vnde cum tali amore præponatur creatura tibi creatori, non est hoc sine contumeliis & offensa tui. Non enim est amor ordinatus, nisi tu super omnia ameris, cùm tu in infinitum melior sis omni creatura.

2. Amor verò proximi ordinatus est, si ametur proximus propter te, æquè ad te ordinatè amandum creatus est. Si autem parentes aut propinqui plus quàm tu amentur, non est talis amor ordinatus: neque sic amans, est te dignus. Duo enim sunt præcepta à te nobis data; dilectio Dei, & proximi. Et licèt duo sint præcepta, tamen vnus est amor: quia alius amor non est, quo quis diligit proximum, & quo diligit te; alioqui non esset propter te. Nec potest te quisquam diligere, qui in proximi dilectione noscitur aberrare. Cogitatio namque hominis, Domine Iesu Christe veræ dilectionis ordinator, semper debet esse ad te diligendum, & proximum; Te quidem ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente, proximum autem sicut seipsum, vt scilicet caueat inferre proximo quæ sibi inferri nollet, & impendat ei beneficia, quæ sibi vellet impendi. Ista namque, benignissime, Domine semper sunt attendenda, semper cogitanda, semper retinenda, & semper totis viribus exercenda, & adimplenda. Per amorem autem proximi cognoscitur amor tuus, Domine, conseruari & nutriri. Nam qui verè te amare negligit, & diligere proximum nescit.

3. O misericordissime Domine Iesu Christe, qui solam amas ordinatam dilectionem; quid dicam aut quid faciam, ego durissimus peccator qui præ maxima duritia cordis mei, non te ordinatè dilexi; neque proximum propter te, sed frequenter propter vtilitatem propriam consequendam, aut damnum euitandum, & ita non fuit in me verus amor sed adulterinus? Auxiliari mihi digneris piissime Domine Iesu Christe, charitatis & pulchræ dilectionis ordinator, parcendo mihi peccatori, & misericorditer impartiendo immensam clementiam tuam; & cor meum lapideum sic mollificando, vt ad te tota mente conuertar, te diligam, & proximum propter te: vt tecum in ordinata charitate viuam in æternum. Amen.

CAPVT XXXII.

De amore inimicorum.

1. MAgnum eſt dulciſſime Domine Ieſu Chriſte quid nihil odis, ſi erga hominem qui nihil mali mihi fecit,ſum beneuolus & pacifi cus.Sed Domine illud multò maius eſt, & magnificentiſſimæ benignitati tuæ ſimilius, ſi meum diligam inimicum,& ei qui malum mihi intulit,& adhuc inferre vult ſi poſſit, bonum ſemper velim, & faciam ſi poſſim. A tua gratia & benignitate Domine hoc procedit.Nihil tibi in natura ſimilius eſt, quam homo qui maleuolis & inimicis, ſe lædentibus placabilis eſt. Qui enim diligit inimicum, imitatur te qui dilexiſti, nos cùm adhuc inimici eſſemus. Et non ſolùm dilexiſti, ſed & tunc pro nobis mori, morte turpiſſima voluiſti, & pro crucifixoribus rogaſti. Nobis quoque præcepiſti, vt inimicos diligeremus, ſicut ſcriptum eſt: *Diligite inimicos veſtros, & benefacite iis qui oderunt vos.* Et ſequitur præmium quod promittis, *Vt ſitis filij patris veſtri qui in cœlis eſt.* *Matt. 5.*

2. Vna namque eſt & ſumma, Domine Ieſu Chriſte cui proprium eſt miſereri & parcere, probatio dilectionis; ſi nos eum diligamus, qui nobis aduerſatur, & bona noſtra impedit. Probari etiam ſolet dilectio per ſolam odij aduerſitatem. Vnde ſicut homo vincitur humana felicitate: ſic diabolus vincitur inimici dilectione.O Domine IeſuChriſte in amore miſericordiſſime, & in miſericordia amantiſſime, ſcio quod ſeparatio à te mors eſt animæ. Et contra vnio per dilectionem tecum, vita. Sicut igitur quilibet naturaliter amat vitam corporalem, & mortem timet, ſic & amare debet veram dilectionem, & vitare odium: quia qui non diligit; manet in morte. In morte enim culpæ iam talis eſt, & debitor eſt mortis æternæ

3. O clementiſſime Domine Ieſu Chriſte, à quo exulare non poteſt amor,licet tibi non ſint occulta quæ ego nefandiſſimus peccator geſſi, tamen corde & ore confiteor me iniquè vixiſſe, & præ mea malitia & iniquitate, vera dilectione caruiſſe. Inter alia Domine quæ malè concepi & egi, eſt quòd inimicum odio habui: & licèt ſcirem ex mandato tuo quòd eum diligere deberem, vilipendi tamen, & ſpreui mandatum tuum. Simultatem contra multos concepi, & conceptam corde & animo compleui.Et ſi quandoque facto non compleuerim, ad detractiones tamen, & infamationes proceſſi. Succurre mihi piiſſime Domine Ieſu Chriſte per tuum benedictum & miſericordem amorem; veniam mihi concedendo, vt vitam meam miſerabilem emendem, & ſic te diligam & alios propter te, vt hic amor numquam deficiat, ſed in vitam perduret ſempiternam. Amen.

CAPVT XXXIII.

De amore sui.

1. QVis est, benignissime Domine Iesu Christe, per quem & cum quo æternus processit amor, qui se verè diligit? Credo & scio Domine, quod ille solus nouit se verè diligere, qui veraciter te amat, & sedulò agit, vt te qui es summum & verum bonum, amando fruatur. A te Domine manat vera amicitia, quam non temporalibus commodis, sed gratuito amore metiri conuenit. Nemo enim potest veraciter seipsum amare, qui te veraciter non amauerit. Nam te amando, seipsum amat. Te autem non diligendo, seipsum non diligit. Quia amor proprius & priuatus, oculum mentis vehementer claudit; & est omnium causa, radix, & fomes malorum.

2. O Domine Iesu Christe, sol vnde fluunt radij amoris, quanta insania plenus est ille qui solummodò seipsum amat? Nam talis peruersio amoris est fundamentum abiectæ charitatis, & crescit vsque ad contemptum tui. Duo namque amores ciuitates duas faciunt, scilicet Hierusalem, & Babylonem. Cælestem Hierusalem facit amor tui vsque ad contemptum sui, Sed infernalem Babylonem, facit amor sui vsque ad contemptum tui. O iniquum & peruersum amorem, qui sic me miserum peccatorem colligauit, & incitauit, vt verum amorem abiicerem, & contemnerem, & se toto corde amplecterer, se desiderarem, se tenerem, se vterer totis viribus, & se celando in occulto pectoris in culpam facilè praui cordis laberer & operis.

3. O misericordissime Domine Iesu Christe, qui solus amari dignissimus es, quid faciam ego iniquissimus peccator? Quem amatorem potero inuenire qui me diligat, cùm nullum dilexerim, nisi meipsum, & in peccatis innumerabilibus vixerim? Quis me liberabit à ventura ira? à rugientibus præparatis ad escam, & à laqueo infernali? Meipsum iuuare non possum, neque te requirere audeo, cum te non dilexerim. Imò quia neminem dilexi, neminem audeo in adiutorium meum inuocare. Sed ad tuam immensam pietatem recurro, ô amor, qui errantes reducis, qui misericors es & miserator, & neminem vis perire, sed saluas sperantes in te. Succurre ergo mihi, & da veniam de peccatis, & gratiam, vt numquam me respiciam, sed te, vel me in te: Vt diligam te toto corde, nec à tua dilectione vnquam recedere valeam, sed ipsam conseruem, nunc, & in vitam sempiternam. Amen.

CAPVT XXXIV.

De amore mundi.

1. SCio & expertus sum, ego ingratissimus peccator, clementissime Domine Iesu Christe supercælestis amator, quòd amor mundi animas

quas ingreditur, quietas esse non patitur. Semper enim suspicionibus vanisque terroribus solicitat eas. Talis namque amor mundanus premit semper amatores suos, & non adducit eos ad bonum. Sed qui tali amore vtitur, à tuo amore, Domine, excluditur. Talis amor mundanus, cum tuo amore non iungitur, nec ei congruit. Neque ad societatem filiorum tuorum peruenit, qui se à carnali generatione non diuidit.

2. Amor mundi Domine, sese cum suis consolationibus, ne dicam desolationibus, vndique ingerit. Per auditum namque quasi per fenestras irruit & mente suorum amatorum vehementer occupat, animam polluit, charitatem violat, proximum lædit, te Dominum spernit, amorem tuum repellit, totum hominem capit, ac eundem decipit, cum labente labitur, & cùm eum tenere quispiam credit, de facili euanescit. Non consolatur, sed contristat; non permanet, sed fugit. Eius dulcedo in amaritudinem vertitur. Eius pulchritudo in horrorem mutatur. Eius desiderium in pœnam conuertitur. Qui huiusmodi amorem amplectitur, decipitur, & præcludit sibi ipsi ingressum tui amoris. Quia vbi amor mundi inhabitat, non ingreditur amor tuus.

3. O benignissime Domine Iesu Christe amor increate, væ mihi impiissimo peccatori, qui creaturam amando, te creatorem deserui. Propter condita conditorem reliqui. Transitoria dilexi, & sempiterna spreui. Desolationes pro consolationibus suscepi. Pœnam pro gloria, mortem pro vita, peccatum pro virtute, & mendacium pro veritate. O misericordissime Domine, respicere me dignare oculo pietatis & misericordiæ, & mihi misericorditer ignoscere. Aufer à me amorem sæculi, & da mihi gratiam vt te amem & diligam corde & opere, nec ab amore tuo separer, sed in ipso permaneam in perpetuum. Amen.

CAPVT XXXIV.

De amore diuitiarum.

1. CErta experientia didici benignissime Domine Iesu Christe, sine mensura diues in amore, quòd nihil laboriosius est in hoc mundo quàm terrenis æstuare desideriis. Nam terrenarum diuitiarum amor insatiabilis est: & longè amplius desiderio torquet animam, quam refrigeret vsu suo. Talium quoque diuitiarum acquisitio magni laboris est: Possessio, magni timoris: & amissio, magni doloris. Qui illas amat, te Dominum amare non potest, sed cum ipsis labentibus labitur in perditionem. Et qui eis innititur per amorem, cum ipsis defluit in mœrorem. Qui enim eas inuenit, requiem perdit. Et cùm vigilat, augmentum cogitat. Cùm dormit, fures somniat. In die afflictus, & in nocte pauidus: Semper autem mendicus.

2. O clementissime Domine Iesu Christe, cuius amor nullum fallit, video per effectū, quòd laqueus est in auro, viscum in argento, & pedica in

prædio. Quia qui aurum petit, ſtrangulatur : qui argentum, viſco hæret : & qui prædia, alligatur. Qui manè quærit lucrum, veſperi reperit animæ detrimentum, & ſic deperit quicquid agitur. Ad tuum Domine extremum iudicium, ſine vlla temporis intercapedine, & continuè, volens nolens properat, & amat quod neceſſario relinquit : id verò negligit, ad quod neceſſariò peruenit. Amat namque illa, quæ poſſeſſa onerant, amata inquinant, & amiſſa cruciant, quæque arctiùs parta, quàm concupita conſtringunt.

3. O miſericotdiſſime Domine Ieſu Chriſte, qui ſolus verè amandus es, ego nefandiſſimus peccator, quæ ſcripſi & ſcribo, ſciui & veraciter ſcio talia eſſe. Sed tanta eſt malitia mea & iniquitas, ingratitudo & ſuperbia : quòd omnia tibi placita, conſilia & præcepta tua proteruo animo contempſi & ſpreui & ad miſeras diuitias mundi cor meum penitùs inflexi, illas concupiui & deſideraui, & vt eas requirerem laboraui, & ad hoc ipſum vigilaui, & quaſcumque vias adinuenire valui, adinueni. O piiſſime Domine adiuuare me digneris, & delere, tua maxima miſericordia, omnia peccata mea ; ſegregare mentem meam à deſideriis terrenis, eleuare illam ad diuitiarum cœleſtium deſiderium, quæ in tuo ſolo conſiſtunt amore : vt eas auxilio tuo conſecutus, te perpetuò diligam, & tuo amore fruar in ſæcula ſæculorum. Amen.

CAPVT XXXVI.

De amore peruerſo mulierum.

1. AMor carnalis, benigniſſime Domine Ieſu Chriſte, ſpiritualis amator, & verè in ſpiritu & ſpiritualiter amande, inſatiabilis eſt : quia extinctus, reaccenditur ; & poſt copiam, rurſus inops fit, animúmque virilem effœminat : & præter paſſionem quam ſuſtinet, nihil ſinit aliud cogitare, quia rationis obliuio eſt, & inſaniæ eſt proximus. Talis peruerſus amor turbat conſilia, altos & generoſos ſpiritus frangit, à magnis, & altiſſimis cogitationibus ad paruas & humillimas attrahit, iracundos & temerarios facit. Inſuper, qui tali amori coniungitur, tentationibus continuis ſubiacet.

2. Talis amor, eſt laqueus animæ, diſcrimen vitæ, mors ſuauis, blanda percuſſio, interfectio leniens, mel felleum, pernicies delicata, dulce venenum, malum ſpontaneum, ſapida iugulatio, & omnium rerum calamitas. Nam Adam & Euam, de Paradiſi deliciis eiecit ; cœleſtes, terrenos fecit : humanum genus in infernum demerſit ; vitam abſtulit mundo ; laborem, preſſuram inuenit, & malum quod ad mortem perducit. Fœdat pueritiam, perdit iuuentutem, & incitat ac inquietat emortuam carnem & ſenectutem. Talis amor, Domine Ieſu Chriſte, ſanctitatis, munditiæ & puritatis amator, eſt veræ amicitiæ inimicus, ineffugabilis pœna, noxium malum, naturalis tentatio, deſiderabilis calamitas, domeſticum periculum, mali natura boni colore depicta, cõtinua ſolicitudo, indeſinens pugna, quotidia-

mun danum; domus tempestatis, solitudinis & orationis impedimentum, continentis viri naufragium, adulterij vas, perniciosum prælium, & pondus grauissimum.

3. O misericordissime Domine Iesu Christe casti conditor amoris, qui me de nihilo creasti, & tuo pretiosissimo sanguine redemisti, tuam misericordiam supplex imploro, corde & ore efflagito, vt cor meum fragile longè facias à tali amore. Erue me à tanto periculo; defende me à tam miserabili casu; protege me à tanta circumuentione inimici Libera me misericordissime Domine à tanto laqueo perditionis: Da mihi fortitudinem resistendi; concede mihi veniam peccatorum. Eleua mentem & cor meum, vt te amem & timeam; tibi placeam & seruiam; te verum Deum corde, ore, & opere confitear & agnoscam, & à tua infinita misericordia me non repellas. Fac me perseuerare in bonis & tibi acceptis operibus: vt in præsenti sic viuam, & semper ad vlteriora procedam, vt in fine huius transitoriæ vitæ meæ, vitam inueniam in amore tuo sempiternam. Amen.

CONTEMPLATIONES IDIOTÆ de vera Patientia.

CAPVT I.

De tribulationibus & aduersitatibus.

1. Mnipotens sempiterne Deus, misericordiam tuam nobis miseris tribuis incessanter, dum tribulationes & aduersitates super nos multiplicas, quæ non ex odio procedunt, sed potiùs ex amore. Nam super benedictum filium tuum, coæternum & connaturalem, quem dilexisti & diligis sicut scribitur: *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi benè complacui*: tribulationes multas & diuersas propter nos miseros peccatores sustinere voluisti. Vnde filiis adoptatis sufficere debent, si sic à te misericorditer diligantur, sicut diligis filium tuum proprium. Quòd si superbenedictus filius tuus nos diuersis flagellationibus flagellat; non ex hoc se nobis ostendit inimicum, sed potiùs verum amicum, sicut ipse suis discipulis dicebat: *Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos.* &, *Quos amo, arguo & castigo.*

Mat. 17. Ioan. 15. Apoc. 3.

2. Vnde quamuis omnis fortuna sit timenda, tamen magis timenda est prospera, quàm aduersa, quia hæc quidem, sæuiendo erudit: illa autem blandiendo seducit. Hæc illuminat hominem; illa excæcat. Ista, mentis oculos aperit: illa claudit. O Deus meus, vehementer peccatori irasceris, dum permittis cuncta ei ad votum succedere, & postea eum supplicia tolerare. Non

enim est Christianæ dignitatis, his temporalibus exaltari, sed potiùs deprimi: cùm mali nihil habeant in cælo, & boni nihil in mundo. Flagellas namque filium quem diligis, das disciplinam, vt non auferas misericordiam cædis contumacem, vt reddas ei promissam hæreditatem. Nec mirum si hîc flagellas paruulos, quos exinde grandes quæris hæredes. Flagellas igitur & erudis & custodis: & illis ad tempus parcis, quos in æternum damnabis.

3. O vniuersorum creator & gubernator: multas & diuersas tribulationes & aduersitates mihi miserabili peccatori misericorditer dedisti, non ex odio sed ex amore; vt me retraheres ab iniquitatibus meis, & cor meum prostratum ad te eleuares, & vt mala relinquerem, & te quærendo humiliter bona, & mihi profutura opera exercerem. Sed tribulationes & aduersitates mihi misericorditer datas, impatienter tuli. Nulla virtus patientiæ mihi comes affuit, quamuis scirem me tantis tribulationibus dignum propter nefandissima scelera quæ commisi. Adiuua me misericordissime Domine Deus meus, ne peream in hac vita, præsta mihi patientiam in aduersis; per quam hîc disponar, vt purges peccata mea præterita; & præsentia, & à futuris caueam: & sic opera tibi grata hîc adimpleam: vt in fine vitæ meæ, grata sint tibi seruitia mea in vitam sempiternam. Amen.

CAPVT II.

De miseria mortalis vitæ.

1. VIta præsens, Domine Deus meus, laboribus & tribulationibus plena est. Nam cum luctu agitur, & cum lacrimis amittitur. Tanta igitur est tribulatio huius miseræ vitæ, vt nec vita sit dicenda, sed potiùs mors, vel quippiam aliud morte deterius, cùm vix aliquis pertranseat sine tribulatione vel vnicum diem. Causa verò seu occasio præcipua huius tribulationis, fuit peccatum primorum parentum. Nam cum duæ sint partes hominis, scilicet corpus & anima: Tu Domine Deus meus, vtrique parti locum delectabilem præparaueras: corpori quidem paradisum voluptatis in terris; animæ verò cœlum splendidum in supernis, vbi modò sunt animæ sanctorum, & angelorum chori. Non enim bonitas tua, Domine Deus meus, homini tribulationem attulit, sed peccatum.

2. Vnde nobiscum egisti non solùm iustissimè, sed etiam misericordissimè, & maximè si respiciamus ad damnationem angelorum irreuocabilem. Cùm enim tolerabilior sit superbia in diuite quàm in paupere, & angelum illum sideribus clariùs micantem, irreuocabiliter damnaueris propter suam superbiam: constat, Domine Deus meus, te misericordissimè egisse cum vermiculo qui contra te superbiuit, præceptum tuum transgrediendo. Nam huius tribulatio, temporalis est; illius verò, perpetua. Vnde sicut exaltantur cæli à terra; sic exaltatæ sunt viæ tuæ, scilicet misericordia & iustitia tua.

3. Quòd si propter peccatum primorum parentum tribulamur, quantò magis tribulationes in nobis peccatoribus augendæ sunt, qui quotidie peccamus, & innumerabilibus peccatis inuoluimur & delictis? Ideò magis misericorditer nobiscum agis, piissime Domine, tribulationes immittendo: quàm terrenas consolationes. Quia qui exceptus est à passione & tribulatione flagellorum, exceptus etiam erit à consortio electorum filiorum, quia

Luc. 6. scriptum est: *Væ vobis qui habetis hic consolationem vestram.* At de tribulatis patientiam habentibus, scribitur: *Beati qui lugetis, quoniam consolabimini,*

Matt. 5. &, *Beati eritis, cùm vos oderint homines.* quod est magna tribulatio in hoc mundo. Patienter igitur tolerandæ sunt tribulationes, quæ adducunt tribulatum patientem ad consolationem perpetuam.

4. Sed ego miserrimus, quid dicam, aut quid faciam? quia impatientissimus fui, & sum in tribulationibus meis: quas iustissimè sustineo, non solùm propter peccatum primorum parentum, sed etiam propter multitudinem peccatorum meorum quæ hactenus commisi, & adhuc quotidie per malitiam meam committo. Succurre igitur mihi Domine Deus meus. Tolle ingratitudinem meam. Aufer iniquitates meas, concede mihi veram & firmam patientiam, in præsentibus tribulationibus meis, & in futurum in tuam laudem perpetuam, consolationem æternam.

CAPVT III.

Quòd patienter ferenda est tribulatio, & in ea gloriandum.

1. V*Irtus in infirmitate*, id est tribulatione, *perficitur*, misericordissime

2. Cor. 12. Domine Deus meus, quia hostem nostrum, scilicet corpus debilitat, quod concupiscit semper aduersus spiritum, quem fortiorem reddit. Ex quo occasio datur Domine Deus meus, vt gratia tua augeatur, sicut scriptum est?

1. Cor. 10. *Fidelis est Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione prouentum*, id est virtutis augmentum. Tribulatio namque materiam habet pugnæ. Vnde fit vt occasionem præbeat victoriæ, & per consequens coronæ, quia non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit.

2. Et ideò Apostolus libenter gloriabatur in infirmitatibus suis. Quia homo, nobilis creatura est, ad gloriam regni cælestis creata. Ideò naturaliter vult gloriari. Sed necesse est vt sciat in quo gloriari debeat: ne fortè glorietur vnde potiùs debuerat confundi. Gloriari igitur debet in tribulationibus suis, vt inhabitet in eo virtus Christi, id est gratia Christi, nam qui tribulationes patienter sustinet, ipsum imitatur, cui assimilari gloria magna est, sicut scribitur: *Magna gloria est, sequi Dominum.* Tribulatio igitur est

Eccl. 23. patienter sustinenda, quia mentem sanat, vt patet de quodam sancto, cuius vulnus corporis sanauit vulnus mentis.

3. Tribulatio, est medicina tua, Domine Deus meus. Ideo qui infirmus est, mente gaudere debet quando datur ei tribulatio, tanquam magnam

ſpem habeat ſalutis recuperandæ. cum talis medicus qualis es, ſanitatem illius procuret. Tribulationes, debita noſtra ſoluunt, & hæc eſt valdè magna miſericordia, tua benigniſſime Domine: quod pro pœnis futuris des tribulationes præſentes, quæ nullæ ſunt reſpectu futurarum. Dantur namque præſentes tribulationes timentibus te, ſignificationem vt fugiant à facie arcus, id eſt pœnæ futuræ.

4. Tribulatio inſuper inducit odium præſentis vitæ. Nam ſicut cibus adhæret vaſi in quo coquitur niſi moueatur, & perdit ſaporem debitum, debitúmque colorem: ſic cor hominis adhæret iſti mundo, niſi moueatur per tribulationes, iuxta quod ſcribitur: *Conglutinatus eſt in terra venter noſter.* Pſal. 43. Tua namque miſericordia, Domine Deus, electis tuis iter aſperum præbet, ne delectati in via, obliuiſcantur quæ ſunt in patria.

5. O Domine Deus meus, hactenus cæcus fui, ingratus, negligens & iniquus. Non enim conſiderabam quare tot flagellis & tribulationibus affligebar, nec patientiam vllam habebam, cùm tuam miſericordiam non cognoſcerem, propter ſuperbiam & iniquitatem meam. Nunc autem tibi gratias humiliter ago, quia ipſius cognitionem mihi largitus es. Concede ergo mihi tribulato patientiam & emendationem vitæ: vt tibi hîc placeam, deuotóque ac humili corde in tribulationibus ſeruiam, & in futuro ſæculo in conſolatione & ſecuritate in vitam ſempiternam. Amen.

CAPVT IV.

Quanta bona afferat tribulatio.

1. APeri oculos tuos rex æterne, aperi oculos tuos, & vide tribulationem meam; vt aſpectus tui benignitate, eam cum patientia tolerem, & cum gratiarum actione ſuſtineam, quia ſi ſic miſericorditer mecum agas, operabitur in me tribulatio carnalium affectionum extinctionem. Nam ſicut mare Ægyptios operuit, & Iſraëlitis non nocuit; ſic amaritudo tribulationum, opera vitiorum impediet, & virtutum opera iuuabit, ſicut ſcriptum eſt: *Curatio*, id eſt tribulatio, *ceſſare faciet peccata maxima.* Eccl. 10.

2. Tribulatio reddit hominem ſecurum iudicij, quia non conſurget duplex tribulatio. Oſtendit præterea ſalutem æternam: quia ſi compatimur, & conregnabimus. Quia ſi tu Domine Ieſu Chriſte, latronem te in cruce confitentem audiſti, & eidem dixiſti: *Hodie mecum eris in paradiſo*, ſocium tribulationis à communione tua non patieris repelli. Tribulatio excitat cor Luc. 23. hominis ad deuotionem; quia ſcriptum eſt: *Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, poſtea accelerauerunt.* Et rurſum. *Imple facies eorum ignominia, & quærent* Pſal. 15. *nomen tuum Domine.* Poſt tribulationem Domine Deus meus, conſolationẽ Pſal. 82. donas, ſicut patet in beato Paulo, cui poſt multas variáſque tribulationes patienter toleratas, conſolationes indicibiles donaſti, quando illum rapuiſti vſque ad tertium cælum, & audiuit ſecreta verba quæ non licet homini loqui. Ideò poſteà libenter gloriabatur in infirmitatibus ſuis, vt inhabitaret

2. Cor. 12. in eo virtus Christi: vt & factum est, cùm illi dictum fuerit: *Sufficit tibi Paule gratia mea.*

3. O Domine Deus, quomodo consolari potero, aut debeo, cùm tribulationes & aduersitates mihi datas non sustinuerim, neque adhuc sustineam patienter, quas cognosco & cognoscere possum, te misericorditer donante, ad vtilitatem animæ meæ mihi datas, vt me pientissimè flagellares? Auxiliari igitur mihi dignetur misericordia tua Domine Deus meus, & creator meus. Da mihi veram notitiam mei ipsius, & aufer à me ingratitudinem omnem. Corrobora cor meum, vt patienter sustineam tribulationes, vitam meam emendem, de peccatis satisfacere studeam, dignam pœnitentiam agendo: vt à te remissionem obtineam qui solus peccata dimittis, firmum cum effectu propositum habeam ad vomitum peccati post hac non redeundi; sed studiosa, & fructuosa, tibíque placita opera sic agam, vt decursis huius periculosæ vitæ spatiis, regnum securitatis in tuo sempiterno seruitio ex dono tuæ misericordiæ consequar sempiternum. Amen.

CAPVT V.

Ob quas causas tribulamur in mundo.

1. DOminator cæli & terræ, scio quòd post trangressionem parentum, in hoc mundo miserabili diuersis tribulationibus affligimur propter indictum necessitatis, propter exemplum authoritatis, & propter præmium vtilitatis. Tribulamur namque & diuersis flagellis affligimur, propter indictum necessitatis. Nam passio tribulationis est nobis indicta à te post transgressionem mandati tui, & necessitas à natura, quia sicut scribitur: Impossibile est vt homo sit & non patiatur tribulationes, quia illud oportet fieri quod à te est indictum, & natura necessarium, nam sicut infirmitas quæ à circumstantium & superiorum corporum impressionibus infligitur, necessariò radices agit in homine, ita quòd vix aliqua medicina curari possit, sic necesse est, quod tribulationes quæ à causis superioribus, scilicet à te & à tua iustitia & misericordia, & à naturæ necessitate generaliter omnibus sunt indictæ, patiamur, & quod ab ipsis quamdiu viuimus affligamur.

2. ¶Tribulamur etiam propter exempli authoritatem, quia si vt tu benignissime Domine Iesu Christe, filij quoque sancti tribulationes sunt passi, & per tribulationes cæleste regnum ingressi: multò fortius necesse est, vt nos qui continuè peccamus, tribulationes sustineamus.

3. Tribulamur denique & affligimur propter præmij vtilitatem; scriptum 2. Cor. 1. est enim *Sicut socij passionum estis, sic eritis & consolationis*, quia introitus gloriæ cœlestis, patientibus & tribulatis est promissus, & illis reuera dabitur, qui mundi tribulationes patiuntur: etsi passiones huius temporis, condignæ non sint ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.

4. O redemptor meus misericordissime Domine Iesu Christe, respicere me digneris oculo tuæ infinitæ pietatis: Ego enim fatuus & stultus hucusque fui, quia licet diuersis tribulationibus & aduersitatibus me affligeres, non cognoscebam tamen qualis inde vtilitas sequeretur, & ideò maxima cum impatientia eas toleraui: ita quòd frequenter me ferè perduxerunt ad diffidentiam vsque, tui sancti auxilij. Parcere igitur mihi iniquissimo peccatori digneris clementissime Domine Iesu Christe: & tantam fatuitatem & dementiam remittere, vt tuas tribulationes agnoscam: & cum patientia eas humili corde suscipiam, & gratias tibi pro ipsis agam; & te misericorditer donante, te laudem in vitam æternam. Amen.

CAPVT VI.

Quòd afflictiones temporales sint paternæ correptiones.

1. MAgna est misericordia tua, clementissime Domine Deus meus, erga nos miseros peccatores: quia nos affligis tribulationibus diuersis temporaliter & paternè. Temporaliter enim tribulas & affligis peccatorem, vt de commissis criminibus puniantur: sed paternè hoc agis, vt deuiantem reducas, & errantem corrigas, & de morte æterna eum eripias. Timorem ei incutis, vt eum ab amore mundi retrahas & auellas. Et sic occulto tuo iudicio in hac vita tribulatione percutis, ne via pro termino, & peregrinatio pro patria diligatur. Tua igitur paterna tribulatio producit mœrorem, & compunctionem, inducit timorem & contritionem, educit languorem & infectionem, adducit vigorem & curationem, sicut scribitur: *Reuertamur ad Dominum, quia ipse cepit & saluabit nos, percutiet & sanabit* Osee 6.
nos, vulnerat., & medetur, percutit, & manus eius sanabunt.

2. Effectus igitur tribulationis, quamuis sit amarus & toleratu difficilis, est tamen potentissimus ad sanandum, & ad diuinæ gratiæ subsidium inueniendum. Dissoluit namque per compunctionem: confortat & consolidat per spem & consolationem: corrodit carnem putridam & extenuat per dolorem, roborat & conglutinat per sanitatis spiritualis instaurationem. Animam quoque à morte & corruptione inferni præseruat, per vitæ æternæ collationem. Hæc insuper tribulatio calcat superbiam, respuit auaritiam, pessundat luxuriam, fugat furorem, & format in tribulato verum amorem.

3. O benignissime Domine Deus meus, ego peccator ingratissimus tibi fui: quia per flagella tua nolui meipsum corrigere & emendare: sed magis fui obstinatus & induratus, & ad deteriora inclinatus; persimilis incudi, quæ quantò magis percutitur, tantò magis induratur. Ideò timeo ne de me dicatur, quod de mihi similibus dictum est: *Domine percussisti eos, & non doluerunt. Vulnerasti, & à viis suis non sunt reuersi.* Succurre ergo mihi misero peccatori benignissime Domine: vt flagella tua sint mihi salutaria, condamnabilia. Sint mihi ad correptionem & emendationem peccatorum Iere. 5.

meorum, non ad vindictam & vltionem, & per illa ad te humiliter reuertar, vitam meam miserabilem emendem, & in tua gratia perseuerem: vt in fine vitæ, in tua laude & gratiarum actione, misericorditer consequar sempiternam. Amen.

CAPVT VII.

Quòd Deus patienter nos expectat ad pœnitentiam & emendationem vitæ.

1. O Diuina patientia, quæ nihil aliud es quàm longanimitas tuæ expectationis; qua scilicet nos expectas ad pœnitentiam, nolens nos peccatores continuò iudicare, sed patienter sustinens mala nostra. Neque propter hoc subtrahis à nobis peccatoribus beneficia tua. Nam solem tuum facis oriri super bonos & malos: & pluis super iustos & iniustos. Tanta patientia roboratus, patienter expectas vniuersos. Ideò de te scribitur: *Patienter agit, nolens aliquem perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti.*
2. Pet. 3. Tu enim es *Deus iudex iustus, fortis & patiens, nec irasceris per singulos dies.*

2. O misericordissime Domine Deus meus, si tu patiens es erga nos miserabiles peccatores super peccatis & iniquitatibus nostris, quantò magis patientes esse debemus in tribulationibus & aduersitatibus nostris, quas propter scelera & peccata nostra quotidie sustinemus? non enim est patientia in prosperis, sed potiùs in aduersis. Et ideò dum tribulamur, fortitudinem & firmitatem virtutis habere debemus. Quia non tanta à te toleramus, quanta à te ex nobis miseris tolerantur. Et ideò sine dubio leuius tolerare debemus minora quæ patimur, quando cernimus oculo puræ mentis, illa quæ tibi inferimus.

3. Debemus insuper tribulationes ipsas patienter sustinere, propter magnitudinem valoris & vtilitatis. Sicut enim agricola patienter sustinet labores propter spem fructus quem expectat, sic quia propter mundi labo-
Iacob. 5. res & tribulationes, fructus æternæ gloriæ ex tuæ prouidentiæ sola benignitate expectamus, ipsas tribulationes patienter sustinere debemus, sicut scribitur: *Patientes estote fratres, vsque ad aduentum Domini. Ecce enim agricola expectat pretiosum terræ fructum, patienter ferens donec accipiat.*

4. Sed ego miserrimus & sceleratissimus peccator, quamuis scirem & sciam quòd patienter me expectas, quia misericordia tua est quòd non sum consumptus, quódque propter peccata mea horribilia tribulationes multas & aduersitates mihi donas: tamen impatientissimus fui, & illas cum magna impatientia toleraui, & vnde tibi placere debebam, & pœnam peccatorum diminuere, displicui, & pœnam adauxi.

5. Adjuua me igitur benignissime Domine Deus meus: & sicut me hactenus misericorditer expectasti, adhuc me patientissimè expectando,

peccata mea dele, de quibus pœnitentiam agam & condignè satisfaciam, tua gratia adiuuante, vt in fine ex misericordia tua peruenire merear ad laudes tuas in gloriam & vitam sempiternam. Amen.

CAPVT VIII.

Quod tribulationes patimur: ne in æternum propter peccata nostra puniamur.

1. CVm *iratus fueris*, mitissime Domine Deus meus, *misericordiæ recordaberis*. Ira tua paterna est erga nos miseros peccatores: quæ licet ad vtilitatem nostram sit, videtur tamen in nos quandoque sæuire. Hæc ira, quæ tribulationes nobis inuehit, est misericors. Quia ad finem pium & misericordem, & ad saluationem nostram. Et licèt, Domine Deus meus, sæpè exteriùs appareas durus per iustitiam & correptionem: tamen interiùs es valde mitis & pius per compassionem, & benignissimam intentionem.

2. Ideò tuam tribulationem patienter sustinere debemus, cùm certi simus; quòd propter bonum nostrum, tribulationem illam frequenter infligis. Quapropter de te scribitur: *Non in perpetuum irascetur, neque in æternum comminabitur. Non secundum peccata, nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis. Quoniam secundum altitudinem cœli à terra: corroborauit misericordiam suam super timentes se.* Cùm autem tribulamur, occasionem patientiæ nobis donas, eo quòd tribulationes parum durare soleant, & citò deficere ac cessare. Hæc autem patientia placat seueritatem, seruat mentis tranquillitatem, sedat iræ ferocitatem, retinet cordis humilitatem, habet lucri vtilitatem, arcet carnis agilitatem, & implet diuinam voluntatem. Præterea tribulatio, neque respectu pœnarum futurarum quæ nobis propter iniquitates nostras debentur, aliquid est, neque respectu gloriæ, quam speramus. Non enim condignæ sunt tribulationes præsentis temporis, ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Ps. 102.

3. Quare, ô Pater misericordiarum & totius consolationis, qui consolaris nos in omnibus tribulationibus nostris, misericorditer respicere me digneris miserrimum peccatorem, diuersis tribulationibus & angustiis afflictum & tribulatum. Nam licèt peccata mea innumerabilia, tribulationes longè maiores & acriores incessanter pati meruerint: tamen tua immẽsa & infinita misericordia, exuperat omnes iniquitates meas. Ad hanc igitur misericordiam exuberantem recurro: & illam humiliter inuoco, precor & obsecro, ne me ad debitam vltionem peccatorum meorum, sed ad plenam ipsorum remissionem & veniam respiciat. Vt vita mea culpabilis & misera, conuertatur in vitam gratiæ & virtutum, quæ me inimicum, tibi amicum verum faciat, & vitam in laude & glorificatione tua pariat mihi sempiternam. Amen.

CAPVT IX.

Quod tribulatio sit res necessaria.

1. AD nostram doctrinam scriptum est, clementissime Domine Deus meus, vt omne gaudium existimemus cùm in tribulationes varias incederimus. Quia tribulatio, est via vitæ, via gloriæ, via ciuitatis habitaculi, via regni. Res enim necessaria est tribulatio, quæ in gloriam vertitur: & tristitia, quæ in gaudium mutatur, gaudium inquam longum quod nemo tollet à nobis, gaudium multiplex, & gaudium plenum. Tribulatio namque probationem operatur, & ducit ad gloriam.

2. Gloriandum igitur est in tribulatione, in qua est spes gloriæ. Quinimò in tribulatione gloria continetur, sicut spes fructûs in semine. Illud enim tribulationis nostræ quod in præsenti momentaneum est & leue; in æterna gloria, magnum gratiarum pondus operatur in nobis. Nullus enim Sanctorum coronatus est sine flagello, vel certamine. Abel iustus, occiditur: Abraham, propter vxorem, vitam periclitatur amittere: & sic de aliis, qui aduersitates & flagella tribulationum perpessi sunt. Solus Salomon in delitiis fuit, & ideò fortè corruit. Adiutrix enim virtutis est tribulatio. Quam tu benignissime Domine Deus, electis tuis das hîc in terrenis, vt eos remuneres, in supernis. Quia dum eos flagellas, ipsos eligis & erudis ad hereditatem æternam. Qui verò cum hominibus flagellari noluerit, cùm dæmonibus flagellabitur.

3. O misericordissime Domine Deus meus, ego sceleratissimus peccator, omni nequitia plenus, consolationes terrenas semper desideraui, toto corde quæsiui, & totis viribus suscepi. Non peperci animæ meæ. Non peperci sanguini, qui pro me effusus est. Non timui horrendum animæ meæ periculum: neque ignem ei præparatum declinaui. Sed in delitiis permanere volui, in quibus castitas periclitatur: sicut veritas, in multiloquio, & charitas in hoc peruerso sæculo. Adiuuet me, piissime Domine Deus meus, tua immensa misericordia, vt possim de præteritis pœnitere, in præsenti gloriam obtinere, & futuram perpetuarum laudum tuarum gloriam magna cum fiducia præstolari. Non me retardet conscientia peccatorum. Quia vbi illa abundauerunt, superabundare potest gratia: non me terreat tua benigna tribulatio, quæ non est condigna ad præteritam culpam quæ à te remittitur, nec ad præsentem consolationis gratiam quæ à te immittitur, nec ad futuram gloriam quæ à te gratis promittitur. Sed te miserante eam suscipiam patienter, & humili corde gratias agam: vt vitam te perenniter laudantium consequar sempiternam. Amen.

CAPVT X.

Quòd in tribulatione absconditur gloria.

1. LAtet benignissime Domine Deus meus, in tribulatione, gloria abscondita nobis, quia tu dixisti: *Cùm ipso sum in tribulatione.* Quid igitur Domine Deus meus, aliud interim requiram quàm tribulationem? nam mihi, adhærere tibi, bonum est. Descendis namque vt propè efficiaris iis qui tribulato sunt corde: vt nobiscum sis in tribulatione nostra. Et hoc vtique, quod in ipsa tribulatione sumus. Quis enim sustineret, quis subsisteret, & quis persisteret sine te? Bonum est mihi Domine tribulari, dummodò tu sis mecum. Melius est mihi in tribulatione amplecti te, & in camino tribulationis habere te mecum, quàm esse sine te.

2. Aurum probat fornax; & viros iustos tentatio tribulationis, vbi cum eis es, Domine. Sicut vnguenta redolere non solent nisi agitentur, & aromata fragrantiam suam emittere nisi incendantur: ita viri iusti virtutes, tribulationibus maximè innotescere solent. Ideò tribulationes & angustias patienter tolerant: & præsertim quia scripturę in hoc sæculo nihil aliud promittunt quàm tribulationes & angustias, pressuras & augmenta dolorum, & abundantiam tentationum. Ad ista namque nos pręparare oportet, ne imparati deficiamus. Nam sine ferro aut flammis martyres esse possumus, si patientiam in animo veraciter conseruemus. Nec ille bonus esse præsumitur, quem malorum prauitas non probauit. Quis enim sanctorum, sine tribulatione coronam adeptus est? Nam ab incunabulis Ecclesiæ; non defecit premens iniquitas, & iustitia patiens. Nec omnes qui patiuntur, sunt principes patientiæ, sed qui passione rectè vtuntur, ij patientiæ munere coronantur.

3. O benignissime Domine Deus meus, ista sciui & scio: sed opere non compleui. Acedente enim ad me tribulatione: accessit illico impatientia, turbatio, ira, & indignatio, quæ sunt perditio animæ. Quia qui patientia caruerunt, perierunt. Sed tu misericors Domine, non consideres hanc impatientiam meam ad pœnam & punitionem: sed ad vitæ emendationem, & misericordiam obtinendam. Patientiam in meis tribulationibus mihi tribuas: quia scio quod apud te infructuosa non erit. Et si sæuit contra me ignis tribulationis, tu mecum sis, vt misericordia tua me confortet & roboret, & in fine cum perpetuò laudantibus te vitam obtineam sempiternam. Amen.

CAPVT XI.

Quod malignus nihil potest in eos qui patienter tribulantur.

1. SCio Domine Deus, quòd omnes qui volunt piè viuere in te, persecutiones patiuntur. Habet enim ille nequissimus inimicus laqueos &

iacula: vtpote calidissimus venator hominum, sitiens sanguinem animarum. Alios enim appetit telis insidiosæ suggestionis, quibus multos vulnerat, quorum tenuis est patientia: alios voluptatibus irretire laborat, quibus multitudinem copiosam concludit. Et ideò in tribulatione magnum adesse gaudium oportet, in qua non habet malignus, vnde nos deiiciat. Nihil enim proficiet inimicus in eo, quem tribulatio comprehendit: dum tamen per impatientiam non deiiciatur, sed potiùs in te validissimè confortetur, & de sua tribulatione & aduersitate gaudeat & lætetur. Ægro namque de quo desperatur, medicus concedit, vt cuncta quæ concupiscit accipiat. Qui verò sanari posse creditur, eum à multis prohibet, quæ appetit.

2. Gaudium autem & spem de æterna hæreditate suscipiunt, qui hîc tribulationibus flagellantur. Quia tu Domine Deus, quos saluandos in perpetuum cernis, sub disciplinæ regimine astringis, & transitorio verbere affligis: vt ita ad æternæ hæreditatis patriam præparentur obtinendam. Sicut enim amatores huius mundi multa aduersa & diuersa patiuntur; ita neque seruis Dei omnia in hoc mundo prosperè succedunt; vt in die malorum memores sint bonorum, ne pusillanimes fiant & impatientes. Et contrà in die bonorum, memores sint malorum, ne extollantur & *dicant in abundantia sua; Non mouebimur in æternum.* Psal. 29. Sicut enim sæcularium prosperitas, stultum secularem occidit: sic & abundantia spiritualis, indoctum spiritualem occidere potest.

3. O superbenedicte per sæcula sæculorum Domine Deus meus, ego iniquissimus peccator, iudicio rationis abusus, prospera mundi potiùs concupiui & amaui, quàm aduersa: & sic incommodum meum, potiùs quàm commodum, quæsiui & dilexi. Succurre mihi misericorditer piissime pater, qui neminem vis perire, sed salutem desideras animarum. Fac me currere per viam mandatorum tuorum, illa obseruando animo diligenti. Sit mihi tua correctio ad salutem, non ad mortem, ad tuam gratiam obtinendam, non ad iram tuam incurrendam. Vt cùm in regnum tuum venerim, te possim benefactorem & liberatorem meum, perenniter laudare & benedicere. Amen.

CAPVT XII.

Quod Deus sanat percussiones quas infligit.

1. MIsericordissime Domine Deus meus, tibi proprium est misereri & parcere. Quòd si percutis, virga, non baculo, (nisi raró,) percutis. Et cùm percusseris sanas; Paterna siquidem vox est hæc: *Percutiam & ego sanabo.* Percutis enim vt emendes, non vt vindices, quia tanquàm pater misericors, flagellas filium quem diligis. Sed in initio flagellatus, quod te patrem pium esse ignoret, murmurare solet: & se innocentem, te autem crudelem pronunciare. Quia verò bonitas tua ei subuenit, per flagellum potentiam vir-

rutis tuæ ſentit,&tu im ſapientiam per intellectum capit:quia talis ſapientia attingit fortiter per flagellum, & diſponit ſuauiter per intellectum: dum ei inſpiras quod gaudeat in tribulationibus, & ſciat quoniam *patientiam tribulatio operatur, patientia probationem, probatio verò ſpem, ſpes autem non confundit*. Rom. 5. Et tunc ſe non quaſi ſeruum puniri, ſed quaſi filium per flagella erudiri cognoſcit, vt hæreditatem accipiat.

2. Nequaquam igitur contemnenda eſt tribulatio: quæ cordis eſt ſanitas, & via recta ad vitam; quæ item magnum quoddam bonum eſt, & datum optimum, quia elationem deprimit, laſciuiam refrenat, intemperantiam edomat, & denique omnes illicitos motus mentis & corporis ſuffocat & elidit; ceruicem ſubmittit, deponit ſupercilia, componit vultum, ligat oculos, linguam frenat, iram ſedat, inceſſum format, & dirigit in viam pacis, erudit ad ſcientiam, exercet ad timorem, vt coronet ad gloriam. Tribulatio namque, contra carnis concupiſcentiam, dat continentiam: contra oculorum concupiſcentiam, conſtantiam: & contra ambitionem ſæculi, humilitatem.

3. O benigniſſime Domine Deus meus, quanta mentis cæcitate fui percuſſus, qui tribulationes mihi vtiles eſſe non cognoui? quia mole huius mortalis corporis aggrauatus eram, terrenis intricatus curis, carnalium voluptatum fæce infectus, peccatis inuolutus, conſuetudine praua induratus, multis criminibus irretitus, in omni bono opere frigidus, in diuerſis malis proſtratus & induratus, procliuis ferè ad quæcumque vitia, & ineptus ad honeſta. Propter quæ nefandiſſima peccata, mihi tribulationes dediſti, vt tantæ peſtes in me ſanarentur. Quare gratias tibi ago Domine Deus meus, qui me ſic dignatus es viſitare ad emendationem vitæ meæ. Tu verò dona mihi veram & firmam patientiam, vt ab omnibus vitiis emundatus, conſolari in te miſericorditer valeam in æternum. Amen.

CAPVT XIII.

In tribulationibus eſſe gaudendum.

1. INter alia debita mea, benigniſſime Domine Deus meus, ad quorum ſolutionem aſtringor & obligatum me ſentio, eſt pœna. Ad quòd debitum, primi parentes me obligauerunt, propter peccatum contra te commiſſum. Quare ſi mihi affuiſſet vera cognitio mentis, gaudere ſemper debebam, dum pœnæ tribulationis me premebant, & affligebant: quia tunc ſuſtinendo patienter tribulationem, debitum meum ſoluebam. De quo miſericors Deus, gratias tibi agere debebam: quia ſcio quòd talem ſolutionem debiti, ſi patienter eam ſuſcepiſſem, compenſaſſes ex largiflua gratia tua, in acquiſitione gloriæ ſempiternæ, ad quam miſericorditer me creaturam tuam vocaſti.

2. Tribulatio etiam mihi iuſtè debebatur, propter vitia & peccata innumerabilia quæ commiſi, quia qui peccat, debitor eſt pœnæ, & pœnam luere

debet. Et ideò si oculos mentis apertos habuissem: non molestè tulissem, sed patienter omnes tribulationes & aduersitates mihi datas per te, Domine Deus meus, quoniam in præsenti me affligebas, & satisfactionem de peccatis recipere volebas centuplo minorem quàm sit futura pœna. Tribulatio namque quæ cum patientia toleratur, attrahit te ad tribulatum: quia oculo misericordiæ tuæ respicis hominem tribulatum, desolatum & afflictum, vt ipsum recrees, soleris & liberes ab incendio afflictionis, sicut de te scribitur: *Vidi afflictionem populi mei, & clamorem eius audiui: & descendi vt*
Exod. 3. *liberarem eum.* Sic igitur piissime Domine Deus meus, oculo tuæ dulcissimæ pietatis respicis hominem, præ mundi afflictionibus, infirmitatibus, & tribulationibus languentem: Qui si cum patientia omnia toleret, fiduciam, virtutem, & constantiam ei tribuis, dolorémque tribulationum eius temperas & extinguis, & eum ad sanitatem, & prosperitatem perpetuam, misericorditer adducis.

3. O clementissime Domine Deus meus, scio quòd iustissimè me affligis, multiplicando in me tribulationes. Hoc autem facis, vt sic ad te redeam, qui propter infinita peccata nequiter perpetrata, recesseram à te. Præsta mihi veram firmámque patientiam, & vt tibi gratias corde contrito incessanter agam, & tua gratuita beneficia mihi misericorditer à te collata & multiplicata, mente assidua recolam: vt sic debitum peccatorum exoluam, & de ipsis quantùm in me erit, satisfaciam: vt ab illo debito tua misericordia liberatus, & tuæ gratiæ restitutus, ad tibi perpetuò seruiendum, tuam gloriam obtineam sempiternam. Amen.

CAPVT XIV.

Quod varij sunt afflictionum & tribulationum modi.

1. Misericors & miserator Domine, dum desidero iudicia tua quæ incomprehensibilia sunt, & vias tuas quæ inuestigabiles existunt; timor & tremor concutiunt mentem meam, quæ nubilo ignorantiæ obscurata, non discernit ad quem finem tribulationes tuæ tendant. Aliquos namque affligis & tribulas, probando sicut Iob & Tobiam, qui cùm probi sanctique essent, fuerunt tamen afflicti. Alios affligis & purgas, sicut Nabuchodonosorem, qui flagellis & tribulationibus resipuit. Alios affligis & damnas, sicut Pharaonem, qui post flagella magis induratus perstitit. Alios affligis vt tu glorificeris: sicut accidit in cæco nato, qui captus oculis natus fuerat, non propter peccata sua, aut suorum, sed vt manifestarentur opera tua in illo. Alios affligis & tribulas, & desperati moriuntur: vt hîc incipientes infernum suum, de tormento transeant ad tormentum, sicut legitur de Antiocho, qui post acerbas afflictiones, in doloribus mortuus est, & damnatus, de quo & similibus dixisti: *Dorsum & non faciem ostendam eis in die perditionis ipsorum.*

2. O misericordissime Domine, de quorum numero sim ego miser tribulatus

latus ignoro : & in hoc tabescit anima mea, cor meum turbatur, mens languet,& viscera cruciantur. Tibi soli notum est,qui das tribulationes, quando, & quantum vis : nec audet quisquam quærere cur hoc facis. Sed ad infinitam misericordiam tuam corde contrito, & humiliato recurro : vt qui mihi tribulationes donas, si eas mihi ad probationem, quia talibus dignus non sum, date nolis, saltem non des eas mihi ad damnationem, sed ad emendationem, vt scilicet per eas emendem miserabilem vitam meam. Scio quòd sicut in medicamentis, illa communiter sunt vtiliora quæ amariora sunt : sic mundi atrritio, correptio, & tribulatio, quamuis sensualitati & carni sit medicina amara, tamen animæ & spiritui est vtilis & proficua, medicinalis & fructuosa : quia scilicet retrahit hominem à peccato, & facit vt contemnat præsentia, & acceleret ad futura, sicut scriptum est : *Conuersi sunt à peccatis suis, propter afflictionem suam amaram.* 3.Reg.8

3. Tribue igitur mihi clementissime, & misericordissime Domine Deus meus,virtutem patientiæ in tribulationibus meis : vt peccata relinquam, me emendem, & per veram satisfactionem ad te accelerem. Vt hîc me recipias in tua gratia, & in futurum ad te iugiter laudandum, honorandum, & glorificandum, in tua gloria sempiterna. Amen.

CAPVT XV.

Quod tribulationes appellunt nos ad regnum cœlorum.

1. SCio mitissime Domine Deus meus, quòd per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum tuum. Nam sicut nauis per mare transiens, multis ventorum impulsibus, multis aquarum fluctibus, multis denique piratarum insultibus subiicitur, nec vnquam antequam ad portum venerit,tuta aut secura iudicatur : sic homo quamdiu nauigat per mare istius amaræ & periculosæ vitæ, semper de vna tribulatione in aliam ducitur : cùmque iam euasisse se crediderit, subitò tribulationes nouas sentit. Et ita tribulationes huius miserabilis mundi nunquam euadit, quousque ad terminum mortis perueniat. Vnde scribitur : *In sex tribulationibus liberabit te, & in septima non tanget te malum.* Sex tribulationes quibus in hoc mundo Iob 5. affligimur,sunt, dolor, labor, esuries, timor, infirmitates, casus. Septima, est mors, in qua malum temporale huius miseræ vitæ non ampliùs nos tangit.

2. Benignissime Domine Deus meus, ex piissima dispensatione misericordiæ tuæ, in præsenti sæculo tribulamur, vt scilicet dum inter præsentis vitæ plenum tribulationibus inuenerimus, per ipsas tribulationes compulsi, ab iniquitatibus & peccatis recedamus, & per bona opera ad cœlestem patriam properemus, & æternæ vitæ terminum totis viribus affectemus. Et ideò propria humanæ conditionis ratio est, mundi miseriis subjacere, & tribulationes sustinere, quas etiam oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam. Tribulationes namque præsentes, sunt tributum ad quod soluendum natura est obligata. Sunt onus, ad quod portandum est

subiugata. Sunt iugum, ad quod trahendum est ordinata. Et idcirco debemus eas benigniter portare, & humiliter sustinere.

3. Sed ego miserabilis peccator ista sciui & scio, & effectu ipso didici, & memoria tenui: sed ad effectum non perduxi: quia licet ita in veritate esse scirem, tamen illa scientia vti nolui, sed ad magnas impatientias animum meum laxaui: ac si tribulationes & aduersitates ipsas iniustissimè sustinerem. Parce misericors Deus, parce tantæ ingratitudini & iniquitati meæ. Noli respicere peccata mea ad vltionem & vindictam: sed immensæ bonitas tuæ misericordiæ ea deleat & remittat: vt tuæ pietatis suffultus auxilio, cum patientia hîc viuam: & in fine, non ampliùs tibi inutilis, in vitam tibi perenniter seruiam sempiternam. Amen.

CAPVT XVI.

Quòd tribulationes corporis sanant vulnera mentis.

1. DOmine Deus meus, quotidie tribulamur & affligimur per mentis inconstantiam, per carnis molestiam, per rerum temporalium amissionem, amicorum perditionem, aduersariorum detractionem, iram, inuidiam, vindictæ cupiditatem, & animi turbationem. Ideò talis tribulatio, medicinalis est animæ, & ad salutem plurimùm operatur, si cum patientia & vitæ emendatione sustineatur. Dolor enim infertur infirmis, vt consequantur sanitatem, discipuli, vt assequantur sagacitatem, paruulis, vt obliuiscantur lactis dulcedinem & voluptatem.

2. Sic autem est de tribulatione dicendum, quia dolor tribulationis & afflictionis, facit vt vulnera peccatorum sanentur, virtutes & boni mores discant, & lac mundanæ dulcedinis obliuioni mandetur. Et sic est vtilis medicina homini. Quia quamuis primò desolationem afferat, præstat ta-
Psal.93. men posteà multiplicem consolationem, sicut scribitur: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.*

3. Benignissime Domine Deus meus, tribulationes sunt sagittæ tuæ quibus nos vulneras, & affligis. Nam sicut sagitta infixa corpori, dolorem infert, & remedium quærere compellit: sic tribulatio dolorem affert cordi nostro, & nos mouet & impellit, vt in re alia solatium requiramus, scilicet
Psal.73. in cogitatione boni æterni: ideò scribitur: *Sagittæ tuæ infixæ sunt, & confirmasti super me manum tuam.*

4. O clementissime Rex, & Pater misericordiarum, ac totius consolationis; quanta dementia premor, quanta duritia cordis astringor, & quanta distantia à te elongor; Tu motus magna misericordia super me peccatore, me afflixisti diuersis tribulationibus, vt mundum & mundana contemnerem, hostes debellarem, de peccatis dolerem, mentem meam ad te eleuarem. Sed ego miser & omni miseria plenus, tribulationes impatienter tuli, nec propter illas mundana contempsi, sed meis hostibus consensum præbui, & mentem meam ad terrena prostraui, & sic post flagella effectus sum du-

rior. O creator meus, non despicias creaturam tuam, non consideres delicta mea; sed aperi exuberantem bonitatem tuam, quæ me peccatorem nefandissimum iustificet; immundissimum mundet, prostratum erigat, inconstantem corroboret, vt sic tribulationes tuas patienter sustineam, quòd tibi semper seruiendo, & nunquam posthac inobediendo, ad consolationem perueniam sempiternam. Amen.

CAPVT XVII.

Quod diuina virtus, in tribulationibus nostris agnoscitur potentior.

1. DVlcedo cordium Domine Deus meus, animarum suauitas, & gloria te diligentium: aufer à me cor lapideum, & da mihi cor carneum, cor humile & contritum, vt agnoscam tribulationes tuas mihi tam vtiles & salubres, qui hactenus eas impatienter ferendo, damnosas esse reputaui. Et quis benignissime Domine Iesu Christe, miseriam & tribulationem, inter dona tua non computet? cùm tu dicas Apostolo: *Sufficit tibi gratia mea, & Virtus mea infirmitate perficitur.* Vnde idem Apostolus dicit: *Cùm infirmor tunc fortior sum, & magis potens.*

2. Sed ego miser, sapientia huius mundi suffultus, quæ stultitia est apud te, id tribulationem esse putabam, quòd consolatio est iis qui recto sunt corde. Vnde idem Apostolus dicit: *Nihil pro me, nisi in infirmitatibus meis gloriabor.* Nam quòd impatientia supplicium reputat, id humilitet patienti ad solatium cedit: quia cùm patientiæ fructus, oculo piæ mentis consideratur & pensitatur, alleuatur onus, dulcescit afflictio, & in ipsorum pressura grauaminum, futuræ consolationis primitiæ iam prægustantur. Ideò sancto viro afflictione corporis, & substantiæ temporalis amissione tribulato, dicitur: *Qui afflictus est, erit in gloria.*

3. O misericordissime Domine Deus meus, quia secundùm duritiam cordis mei & impœnitentiam, hactenus thesaurizaui mihi iram in die tremendi tui iudicij, tu piissimè mecum agens, iram tuam conuertisti in gratiam. Nam tribulari me voluisti, ne grauiùs tribularer. Ideò si tuam piissimam bonitatem mente humili cognoscerem, pura animi voluntate velle deberem, quòd corpus meum ieiunia frangerent, cilicia constringerent, labores grauarent, vigiliæ exsiccarent, insurgerent in me tribulationes, me frigus incuruaret, conscientia mea contra me murmuraret, caput doleret, pectus arderet, stomachus inflaretur, vultus palleret, & vita mea in dolore deficeret, & anni mei in gemitibus, sicque crucem tuam portando deficerem.

4. O Domine Deus meus, ingrediatur putredo in ossibus meis, & subter me scateat, vt in tua laude requiescam in die tribulationis. Scio namque quòd post culturam sequeretur vindemia, & post afflictionem lætitia, cedentque contumeliæ te miserante ad coronam, quam mihi in fine dierum meorum, ad gloriam & honorem tui sanctissimi nominis misericorditer concedere digneris per infinita sæculorum sæcula. Amen.

CAPVT XVIII.

Quod Deus tribulatos extrinsecus, consolatur intrinsecus.

1. TV misericordissime Domine Deus meus, visitas hominem diluculo, & subitò probas illum. Visitas & probas, vt sic spiritum eius à spiritu maligno custodias, vt postea tibi dicat: *Visitatio tua custodiuit spiritum meum.* Nam flagello tuo piissimo puluis excutitur, quem ad deformitatem animæ, iniquitas assidua congessit: & exteriori vulnere sanatur plaga interior. Sic enim irasceris, vt mansuescas, affligis vt parcas; prosternis, vt erigas. Nam sicut in nobis passiones tuæ abundant, ita per te consolatio nostra abundat. Plena namque est miserationibus ira tua: & iudicia animaduersionis, quam temporaliter exerces in tuos, certa sunt tuæ pietatis indicia. Ideò inter delicias & dolores ira, & misericordia tua in flagellis sapienter agnoscunt. Et quamuis in præsenti omnis correptio amara sit; tamen in futuro reddet fructum pacatissimum. Ideò bonum est tribulari, vt internos cruciatus absorbeat vexatio temporalis: quia scriptum est, *Transiuimus per ignem & aquam: & eduxisti nos in refrigerium.*

Iob 10. *Psal. 65.*

2. O benignissime Domine Deus meus, scio, & verè quidem scio, quòd major est culpa mea quæ præcessit, quàm tribulatio quæ me premit. Donum tuum gratuitum est, quòd tribulor: Tua gratia est, quòd affligor. Non enim semper medicus dulcia ministrat ægroto, sed frequenter amaras porrigit potiones. Infirmitas siquidem cui cibus delicatior causam præbuit, poculo amaro purgatur. Et apostemata quæ ex otio & crapula succreuerunt, adustione sanantur, & incensione purgantur.

3. Sed clementissime Domine Deus meus, spero in tua infinita & immensa misericordia, quòd in me non consurget duplex tribulatio, neque iudicabis me bis in idipsum. Fac mecum misericordiam tuam, vt presentes tribulationes patienter & æquanimiter sustineam. Quia spero quòd hæc tribulatio, ex tuæ miserationis dono, redimet tribulationem æternam. Patior namque pro iniquitatibus meis. Sed vtinam datum mihi esset desuper, pro iustitia pati, quia, *Beati qui patiuntur propter iustitiam.* Verùm quia pro peccatis meis tribulationem patior, sufficit mihi si patientiam mihi dones, ne deficiat præ pusillanimitate spiritus, & præ tempestate, caro debilis & toties flagellata: Vt cùm finis vitæ meæ aduenerit, regnum laudis tuæ obtineam sempiternum. Amen.

Mat. 5.

CAPVT XIX.

Quod tribulatio sine patientia, caret fructu.

1. IN labore & ærumna, protraho vitam meam miseram, clementissime Domine Deus meus. Datus sum in opprobrium & derisum iis qui sunt in circuitu meo. Æquanimiter tolerare non valeo, quod afflictio super

tribulationem vulnerum mentis meæ additur, & per diuersa flagella assiduè multiplicatur. Nimia impatientia, Domine Deus meus, frangor, non considerans quòd omnis cordis & corporis afflictio, citra profectum & fructum salutis est, sine patientiæ condimento.

2. Tu enim piissime Domine nequaquam obliuisceris misereri, neque contines in ira misericordias tuas, sed iratus, misericordiæ semper recordaris. Nam qui flagellum tuum cum æquanimitate & bona patientia sustinet, ei indubitanter ira tua cedit in gratiam, & tribulatio in consolationem: quia sæpiùs temporaliter punis, vt æternæ mortis ardores, pœna redimat temporalis Scriptum namque est, *Quòd in ædificio templi, omnes lapides priùs malleis tundebantur.* Sic & viui lapides qui ponendi sunt in illa cælesti Hierusalem 3 R g. 6. quæ ædificatur vt ciuitas, varis infortuniis & concussionibus priùs poliuntur, quàm in ædificio cælestis habitaculi collocentur, Sicut neque in horreum reponitur granum, antequàm flagellis aut triturantium pedibus sit excussum.

3. O mitissime Domine Deus meus, ego miserabilis peccator datus fui quodammodò in reprobum sensum, quia prædicta agnoui, & quid agere deberem inspirasti: sed tuas inspirationes salutiferas longè à meipso proieci, & erigendo ceruicem meam durissimam, maxima impatientia & animi turbatio sic mentem meam concussit, vt tua benigna flagella mihi vtilia esse non cogitarem, sed damnosa. Succurrere mihi digneris, piissime Domine Deus meus, & compati miseriæ meæ. Ignoscas mihi, quia misericors es & benignus. Sentiam bonitatem tuam, non seueritatem. Non appareant peccata mea ante conspectum diuinæ maiestatis tuæ ad vindictam sumendam de ipsis; sed potiùs ad tuam misericordiam obtinendam. Désque mihi gratiam hìc bene viuendi, vt sic gratiam te in perpetuum laudandi & benedicendi, possideam sempiternam. Amen.

CAPVT XX.

Quòd cùm tribulationem sentimus, tunc maximè de Dei miseratione confidendum est.

1. OPto ne irascaris mihi pater misericordiarum, ea ira qua corripis deuium, & non ea qua errantem in viam salutis & vitæ reducis. Nam non cùm nescio, sed cùm sentio te iratum, tunc maximè confido te esse propitium. Quia cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis. Damnandis & reprobis, tribulatio parit pusillanimitatem, pusillanimitas perturbationem, perturbatio desperationem, quæ interimit. Concedat ergo mihi tua benignissima pietas: ne perturber pusillanimitate spiritus. Ad hoc enim, quantùm potest, laborat aduersarius meus, vt holocaustum meum deuotionis pinguedine vacuetur: vt & minùs acceptum sit tibi, & conscientia mea in spirituali gaudio minùs exhilaretur, sicque ex pusillanimitate tolerantiæ,

etiam conscientiæ, pusillanimitas generetur. Non perturber, sed cum patientia tolerem, si transitoria mihi auferantur, si conuitia ingerantur, si supplicia irrogentur. Ostende mihi cui irasci debeam, & fac vt ei irascar.

2. Irasci namque debeo ei, quòd solùm mihi nocere potest; quòd solùm potest facere, vt omnia alia mihi obsint. Sed quidnam illud est? Certè Domine Deus meus, iniquitas propria. Pone inimicitias inter me & ipsam, vt eam à me expellam, neque ei consentiam, sed forti animo resistam. Fac vt irascar ei ne appropinquet mihi, sed fugiat à me: imò ab ea fugiam, cum mortem æternam animæ meæ ipsa desideret, & te cupiat separare à me. Illi irascere Domine, & malignos ac pestiferos motus ipsius reprime, ne mihi valeat vllatenus dominari..

3. Scio Domine, & mihi notum fecisti, quò mihi nulla nocebit aduersitas, si mihi nulla dominata fuerit iniquitas. Qui huic irascitur, cæteris non mouebitur, sed ei aderit consolatio de spe salutis æternæ: in quam translatis peccatis quæ separabant ipsum & te Deum & Dominum, per tuam gratiam erigetur, & exhilarabitur. Adiuuare igitur mihi digneris benignissime Domine Deus meus, vt cùm patientia eas aduersitates sustinere valeám, quæ non destruant, sed potiùs erudiant, auferant iniquitates, & inserant virtutes, quibus tibi placeam, tibi seruiam, à te non separer, sed obtineam à misericordia tua vitam tecum in tuo seruitio sempiternam. Amen.

CAPVT XXI.

Quod sit signum firmæ mansionis in Deo.

1. Signum euidentissimum est, Domine Deus meus, quòd homo in te firmiter manet, quando per aliquas passiones & tribulationes, quantumcumque difficiles & graues, non separatur à te nec à tua dilectione. Sed quando magis affligitur, tantò minùs à te diuiditur, sed fortiùs coniungitur, Talis autem fuit superbenedictus filius tuus, qui mortem sustinuit acerbissimam cum summa patientia, tibi patri suo perfectissimè obediendo. Cuius imitator fuit Paulus, clementissime Domine, dum dicebat: *Certus sum quòd tribulatio, angustia, fames, nuditas, periculum, persecutio, & gladius, non poterunt nos separare à charitate Dei.* Ambulauit etiam Domine superbenedictus filius tuus, vias duras pœnarum, tribulationum, & afflictionum, cum summa patientia: sicut agnus coram tondente se obmutescens, & non aperiens os suum.

Rom. 8.

2. Qui igitur, Domine Deus meus, desiderat tecum manere debet ambulare vias duras tribulationum & afflictionum cum lætitia cordis & patientia: alioqui non apparebit filius tuus, sed seruus. Scribitur namque. *Quòd seruus non manet in domo in æternum, filius autem manet.* Non seruus offendens Dominum, non flagellatur, sed de domo expellitur, & odio habet Dominum suum, eúmque quantum potest, fugit. Et ideò dicitur, *Quòd seruus non manet in domo in æternum.* Filius autem, patrem offendens, flagellatur à

Ioan. 8.

Eccl. 14.

patre, sed è domo non expellitur. nec habet patrem suum odio neque ab eo fugit, & idcircò dicitur: *Quòd filius manet in domo in æternum.* Qui ergo Domine propter flagella & tribulationes huius mundi separatur à te, non est filius tuus, sed seruus. Qui autem est filius tuus, quantumcumque flagellatus, non separatur à te, neque à domo tua, sed magis diligit te, quia per flagellum cognoscit se magis diligi à te. Purgantur etiam Domine palmites in vite, vt fructus plus afferant. Sic tu Domine Deus meus, purgas in electis tuis peccata, per afflictiones & flagella: vt fructus virtutum, & tuarum gratiarum plus afferat, quemadmodum apparuit in sanctis Iob & Tobia, & multis aliis.

3. O benignissime Domine Deus meus, tuam misericordiam supplex imploro, vt in hac parte non sim seruus sed filius: tua flagella & tribulationes suscipiendo patienter, vt numquàm à te separari valeam, sed in domo tua semper tibi obediendo, tecum maneam per infinita sæculorum sæcula. Amen.

CONTEMPLATIONES IDIOTÆ de Morte.

CAPVT I.

Quid sit Mors.

1. MORS, dulcissime Domine Iesu Christe, nihil aliud est quàm finis, & defectus vitæ, quando scilicet anima desinit corpus viuificare. Mors namque, Domine, non est aliquid propositiuum, sed priuatiuum. Tu enim Domine mortem non fecisti, nec lætaris in perditione viuorum. Verùm sicut cætera omnia quæ sunt hic, naturaliter corruptioni obnoxia sunt, vt patet in animalibus, arboribus, & fructibus; (Hoc autem facit contrarietas quatuor elementorum, quorum vnum continuè agit in alterum, & proinde necesse est, quòd corruptio sequatur, & quòd res deficiant: quia scriptum est: *Opus corruptibile in fine deficiet*:) ita nos quoque, quia elementis contrariis constamus, ideò varietati & mutabilitati subiecti sumus. Vanitati namque subiecta est omnis creatura.

2. Hinc est, quòd necesse est, omnes homines per mortem corrumpi & deficere, & multiplici subiacere miseriæ. Sicut enim, Domine Iesu Christe, omnes stellæ quæ ab oriente veniunt, quamuis sint magnæ claritatis & virtutis, tendunt tamen ad occasum, & ibi secundùm diuersos circu-

lios, aliæ tardiùs, aliæ ocyùs, ſeſe à noſtris aſpectibus abſcondunt: ſic etiam homines vniuerſi, qui ab oriente, id eſt per natiuitatem intrant in mundum, quamuis ibi aliquamdiu rutilent & clareſcant, neceſſe tamen eſt quòd tandem ad occaſum mortis, alij tardiùs, alij citiùs, ſecundùm curſum durationis quem à te acceperunt, veniant, decidántque: & à mundi aſpectibus ſeſe ſubtrahant & recedant. In Adam namque, Domine, id eſt in peccato Adam, omnes moriuntur, niſi tu qui omnia potes, aliter ordines.

3. O miſericordiſſime Domine Ieſu Chriſte, ſcio quòd mortem naturalem non poſſum euadere. Cuius memoriam etſi quandoque habeam in mente, & me moriturum veraciter credam; quia tamen eam tanquam fatuus, imò tanquam demens, quaſi procul ſit conſidero, vitam meam miſeram emendare negligo, & conuerſionem meam differo; ac in voluptatibus & delectationibus corporalibus, peccatíſque variis & diuerſis, tempus meum miſerabiliter expendo & conſumo; vix de anima mea ac tuo beneplacito aliquantulum cogitando. Adiuuet me tua miſericordia, Domine Ieſu Chriſte, & ſecundùm peccata mea non retribuas mihi; ſed ignoſcere mihi digneris: Vt anima mea, cùm mors eam à corpore ſeparabit, te adiuuante ad regnum tuum, vbi tua ſola voluntas fit, & tuum beneplacitum, perueniat ſempiternam. Amen.

CAPVT II.

De origine mortis.

1. PEccatum præceſſit, Domine Deus meus, & ſequuta eſt mors. Quod ſanè ſi cauiſſet homo, in æternum mortem non guſtaſſet. Peccando itaque vitam amiſit, & mortem inuenit, quoniam tu Domine ita prædixeras. Et iuſtum quidem erat, vt ſi peccaret homo, moreretur. Tu ſiquidem Domine, vita es animæ, ſicut anima eſt vita corporis. Peccando igitur voluntariè, nolens deſiit viuere, & ſponte repulit vitam, cùm voluit viuere. Noluit regi à te Domine, ideò per ſe regere corpus non poteſt: & quia non paruit tibi ſuo ſuperiori, ſuo inferiori imperare non valet. Tu namque omnium conditor, tuam inueniſti creaturam tibi rebellem: & ideò anima eius inuenit pediſſequam ſuam, id eſt carnem ſibi rebellem. Quia verò non potuit diuidi à te Domine, anima, niſi peccando, neque corpus ab ipſa anima moriendo; nihil profectò congruentius eſt, quam vt mors operata ſit mortem: Spiritualis, corporalem, culpalis, pœnalem, & voluntaria, neceſſariam.

2. Cùm igitur benigniſſime Domine Ieſu Chriſte, hac gemina morte, ſecundùm naturam vtramque, homo damnatus eſſet; altera quidem ſpirituali, culpali, & voluntaria; altera verò corporali, pœnali & neceſſaria: vtrique tu Deus homo, vna tua corporali, pœnali, ac voluntaria, benignè ac potenter occurriſti; & per tuam mortem, noſtram deſtruxiſti. Sed ego impiiſſimus & ſceleratiſſimus peccator, tuam gratiam & clementiam non agnoſcendo, neque tibi pro tanto beneficio redemptionis, gratias humiliter agendo;

agendo; peccata multa enormia & nefanda, frequenter & voluntariè commisi, ob quæ vtraque mors iustè & dignè mihi debetur & merui vt corpus, vermibus, & anima ignibus deputetur.

3. Verùm denignissime Domine Iesu Christe, in tua immensa misericordia confido, quæ longè maior est quàm iniquitas mea, teque humiliter rogo, vt mihi digneris misericorditer ignoscere, peccata clementer remittere, & gratiam benè hîc viuendi concedere. Vt anima mea à morte, tua misericordia, & magno tuæ mortis beneficio, preseruetur æterna. Amen.

CAPVT III.

Quòd necessarium est mori.

1. STatutum est, piissime Domine Iesu Christe, omnibus hominibus semel mori. Statutum quidem in pœnam grauissimam, propter peccatum primorum parentum. Ista namque, Domine, est lex ligans hominem; quæ numquam habuit, nec habitura est, saltem quantùm ad cursum communem, in aliquo exceptionem. Istam enim mortalitatem, id est moriendi necessitatem, transfuderunt primi parentes in posteros, quia peccauerunt. Sicuti è diuerso immortalitatem transfudissent, si non peccassent. Mortis autem modus, est subitus & imperceptibilis: nihilque certius est morte; hora autem mortis, ac loco, & modo nihil incertius. Nescit enim Domine Deus meus homo finem suum: nec quantùm ad tempus, nec quantùm ad locum, nec quantùm ad modum. Quis enim benignissime Domine potest scire quando morietur, vel vbi, vel qualiter, vtrum scilice benè an malè? Certè Domine Iesu Christe, nemo. Ideò scribitur: *Non verearis iustificari vsque ad mortem.* A manè enim vsque ad vesperam, mutabitur tempus. Tempus quidem viuendi, & tempus moriendi, tempus merendi, & tempus mercedem recipiendi. *Eccl. 18.*

2. Viuens ergo & sanus Domine debet homo confiteri tibi, & conuerti ad te, & non expectare vsque ad horam mortis: quia subitò veniet mors, cuius morsus est rapidus, & incurabilis: Quia homo cum mortuus fuerit, hæreditabit bestias, serpentes & vermes. Bestiæ namque deuorabunt corpus: serpentes verò & vermes ipsum corrodent, & in ipso requiescent. O peccati stipendium! O naturæ debitum! O ineuitabile iudicium! *Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non reuertuntur.* Omnes enim homines vadunt ad mortem, & subter terram manent, & nullus inde reuertitur super terram. *2. Reg. 14.*

3. O misericordissime Domine Iesu Christe, casus iste naturæ, qui est mors, valdè horribilis est, plenúsque omni calamitate & miseria. Hunc casum ineuitabilem, Domine, ego miserabilis peccator, non præuidi: imò, vt veriùs loquar, præuidere non curaui, abstinendo à vitiis & peccatis, & inhærendo bonis operibus & virtutibus, & disponendo me ad suscipiendum hunc casum cum innocentia & æquitate mentis. Succurre igitur mihi

clementissime Domine Iesu Christe, & parce mihi, quia nihil sunt dies mei. Concede mihi gratiam vt continuè, viuendo, & moriendo, te verùm Deum agnoscam; & te agnoscendo, laudando, & glorificando, vitam mihi acquiram sempiternam. Amen.

CAPVT IV.

Ad quid prosit memoria mortis.

1. ASidua memoria mortis, benignissime Domine Iesu Christe, prodest ad hominis humiliationem. Vnde antiqui, volentes se humiliare, ponebannt cineres super capita sua in memoriam mortis, & quòd in cinerem
Gen. 3. redigerentur, sicut scribitur: *Memento homo quia cinis es, & in cinerem*
Eccl. 10. *reuerteris.* Et alibi: *Quid superbis terra & cinis*? Prodest etiam Domine Iesu Christe memoria mortis ad fugienda peccata. Nihil enim tam reuocat à
Eccl. 7. peccato quàm frequens mortis cogitatio, sicut scribitur: *In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.* Qui enim recolit mortem, cogitare debet quòd peccatum causa est mortis: quia sententia data fuit Adæ, quòd quacumque die de fructu vetito comederet, moreretur,
Thren. 1 Et alibi; *Sordes eius in pedibus eius, quia non est recordata finis sui.*

2. Prodest insuper, Domine Iesu Christe, ad deprimenda carnalia desideria, & ad abigendas tentationes varias & diuersas, quæ separant animam à te. Nihil enim tantùm valet ad domanda desideria, quantùm cogitare qualis sit ipsa futura mors. Prodest etiam, Domine Iesu Christe, ad erogationem eleemosynarum. Non enim sunt, Domine bona hominis, quæ secum ferre non potest. Sola namque misericordia, comes est defunctorum, Sed ad quid prætereà, piissime Domine Iesu Christe, prodest? Certè ad prouocandum & inducendum peccatorem ad veram pœnitentiam. Nam cùm audisset Ezechias rex, quòd mori deberet, fleuit amarè. Et tunc tu, Domine, mortis sententiam prorogasti, & alias gratias ei fecisti. Rex etiam Niniuæ audiens quòd ciuitas subuerti debebat, induit se sacco, & egit pœnitentiam: & tunc Domine sententiam subuersionis reuocasti.

3. Quantò igitur, Domine, homo magis morti appropinquat, tantò magis debet bona agere, & de peccatis commissis humiliter pœnitere. Sed ego induratus peccator hoc sciens, pœnitere non curo, sed in peccatis perseuero, de quibus non doleo. Compellas igitur piissime Domine Iesu Christe, cor meum durum, ad veram pœnitentiam: & ignoscere mihi clementer digneris: vt memoriam mortis semper habendo à vitiis cessem, & pro tui nominis gloria bona agam: vt te iuvante mortem non sentiam sempiternam, sed vitam in laude tua numquàm morituram obtineam. Amen.

CAPVT V.

Quòd mors debet præuideri.

1. PRæuidenda est & consideranda clementissime Domine Iesu Christe, mors propria, ne præoccupemur. Bonorum, vt ad bonum animemur. Malorum, vt in nostris affectibus temperemur. Est namque, Domine Iesu Christe, consideratio mortis nostræ vtilis ad nostram præmunitionem, quia iacula præuisa minùs feriunt. Et ideò si mortem cogitando præuiderimus, minus sua percussio, cùm ipsa venerit, nos grauabit. Talis enim consideratio inducit humilitatem, & causat securitatem. Quia si mors continuè præuideatur, securiùs expectatur, sicut scribitur: *Effice tibi mortem cogitatione familiarem, vt si tua sors tulerit, possis obuiam ei exire.* Est namque magna sapientia, frequenter cogitare de morte.

2. Consideratio mortis bonorum, Domine Iesu Christe, est vtilis ad nostram animationem: quia boni qui mortui sunt, in te sperauerunt, & contra hostes animæ fortiter dimicarunt: & ideò talium exempla, nos ad similia animare debent, & similibus de causis consolari, vt sic quilibet possit cũ sibi similibus dicere: Vadamus, & moriamur cum eo. Consideratio etiã mortis malorum, Domine Iesu Christe, est vtilis ad nostram cautionem: vt desistamus à concupiscentiis, ne vt & illi, præoccupemur vinculis mortis. Et ideò, Domine Iesu Christe, mors tam nostra quàm aliena, præcogitari & memoriæ mandari debet: quia scriptum est. *Memor esto, quoniam mors non tardabit.* Eccl. 7.

3. O misericordissime Domine Iesu Christe, quanta miseria & iniquitate plenus sum ego pessimus peccator, qui cogitationes & considerationes meas non habui circa mortem propriam, neque circa alienam; sed potiùs circa mundana & vana, circa voluptates & delectationes corporales, circa otiositates & negligentias, & circa vitia & peccata enormia. In his enim tempus vitæ meæ miserabiliter consumpsi. Adiuuare ergo me digneris, piissime Domine Iesu Christe, & concedere mihi gratiam, vt de peccatis commissis doleam, & totis viribus satisfaciam, & ad tuum beneplacitum semper viuam studiosè operando: vt mortem præuidendo temporalem, ad laudes tuas curram in vitam sempiternam. Amen.

CAPVT VI.

Quid operetur bona mors.

1. LVcrum est mori, clementissime Domine Iesu Christe, homini qui bona morte moritur. Nam per bonam mortem, commutat homo timorem in securitatem, & ideò scribitur: *Melius est mihi mori, quàm vt gloriam meam quis euacuet.* 1.Cor.9. Gloria cuiuslibet hominis, Domine, est sanctitas vitæ: quæ citò in hac vita fragili perdi potest, vtpote per vnum consensum peccati morta-

lis. Quamdiu igitur Domine Iesu Christe homo viuit, quantumcumque sit sanctus, in periculo est vt euacuetur gloria sua; id est vt perdat sanctitatem suam: sed per bonam mortem euadit omne periculum amittendi gratiam tuam. Mutat itaque Domine timorem in securitatem. Et propter hanc commutationem Helias petiit animæ suæ vt moreretur: Erat enim in timore maximo, fugiens Iezabelem.

2. Mutat etiam piissime Domine Iesu Christe, homo, per bonam mortem, laborem in tranquillitatem: quia scriptum est; *Melius est mors* (scilicet bona) *quàm vita amara, & requies sempiterna, quàm languor perseuerans.* Heu Domine Iesu Christe, tota vita præsens & misera, amaritudinibus respersa est, laboribus inquieta, sollicitudinibus turbulenta, & languoribus plena. Ergo Domine meliùs est benè mori, & benè moriendo statim euolare, vel saltem appropinquare, intrandi securitatem habere, ad locum refrigerij lucis, & pacis, & sempiternæ quietis: quàm in hac vita, in qua ista mala sunt, diutiùs esse. Propter istam namque commutationem, sanctus ille Ionas quando erat in labore & sudore, dicebat: *Meliùs est mihi mori, quàm viuere.*

Eccl. 30.

Ion. 4.

3. O benignissime Domine Iesu Christe, fac sentiam ego miser peccator suauitatem tui dulcissimi amoris, & remitte mihi misericorditer peccata mea quæ commisi. Concede mihi ex benignitate tua benè viuere, vt benè moriar, & mors sit mihi lucrum, non damnum: vt te auxiliante, à secunda morte non lædar, sed in vita æterna tibi gratias agam, te laudem, te glorificem in sempiternum. Amen.

CAPVT VII.

Rursum quid operetur bona mors.

1. O Clementissime Domine Iesu Christe, te miserante & iuuante commutat homo per bonam mortem, inopiam in satietatem: quia scriptum est, *Melius est mori, quàm indigere.* Sed heu piissime Domine Iesu Christe, quantis indigentiis bonorum tam spiritualium, quàm corporalium, seu temporalium, viator subiicitur: cui nihil, quantæcunque sit excellentiæ in honoribus, affluentiæ in diuitiis & opibus, & complacentiæ in delectationibus, potest sufficere, & eius desiderium quietare? Ergo Domine, melius est eas commutare, & benè moriendo illuc intrare, vbi est omnis excellentia honorum, & omnis superabundantia bonorum; vbi erunt delectationes in dextera tua vsque in finem; idest sine fine, vbi tua diuinitas videbitur, amabitur, & perpetuò tenebitur. Propter hanc commutationem, Domine, scilicet egestatis in satietatem, dicebat sanctus ille Tobias in maxima paupertate constitutus: *Expedit mihi magis mori, quàm viuere.*

Eccl. 40

Tob. 3.

2. Commutat etiam, Domine Iesu, bene moriendo, tristitiam in iucunditatem, sicut scriptum est: *Melius est nobis mori in bello, quàm videre mala gentis*

nostræ & Sanctorum. Heu Domine, quot mala sunt in mundo? Ecclesia est diminuta, Christianitas conturbata; & quæ erat longè latéque per orbem diffusa, nunc est ferè ad vnum occidentalem angulum redacta. Impij dominantur, boni tribulantur, & mala sine numero multiplicantur. Melius est ergo conmutare statum benè moriendo, & transire statim ad locum vbi propter sublimitatem & æquitatem iudicis, nihil erit confusum, nihilque turbulentum, aut quod possit aliquam tristitiam ingerere, quàm esse diutiùs in hoc mundo. Propter hanc commutationem, scilicet tristitiæ in iucunditatem, Domine, dicebat Apostolus, quòd cupiebat dissolui, & esse tecum.

3. Ergo etsi mors corpus sit, quantum est de se, multùm formidabilis, tamen bona mors propter istas commutationes est multum optabilis. Quia per ipsum tanquàm per ianuam, intratur ad vitam. Idcirco, ô mitissime Domine Iesu Christe: ex tua exuberanti misericordia tribue mihi gratiam bene moriendi, vt ad vitam indeficiente, te authorem in tua laude perenni perueniam. Amen.

CAPVT VIII.

Quod mors debet cum patientia sustineri.

1. HOmo moriturus, benignissime Domine Iesu Christe, non magis contristari aut conqueri debet, si ad mortem peruenit, quàm nauigans si ad portum ad quem nauigabat, celerius quàm credit, pertingit. Est enim Domine Iesu Christe mors, portus ad quem continuè nauigamus, & ideò si ventus & casus fortituitus, subitò & ex insperato ad illum portum perducit, dolere non debet homo, sed potiùs cum patientia tolerare.

2. O clementissime Domine Iesu Christe, erubescentia confundor in me ipso, dum considero quòd cum patientia mortem sustinere non possum, prout frequenti cogitatione mente reuolui. Dum enim sacras Scripturas lego, & exempla multorum, grauiùs in animo cogitationem meam impatientem fero. Lego Eleazarum, propter obseruationem legis antiquæ, magis gloriosam mortem, quàm debilem vitam amplectentem, voluntariè iuisse ad supplicium. Lego Socratem condemnatum ad mortem, quia inscitiam aliorum carpebat: qui licet pro pecunia liberari potuisset, maluit talem mortem sustinere, & de morte, vsque ad mortem, cùm discipulis disputauit. Multi quoque alij Philosophi, mortem patienter sustinuerunt, vitam præsentem & miserabilem contemnendo. Sancti etiam in nouo Testamento, & præcipuè Martyres, pro honore nominis tui, Domine Iesu Christe, mortem patientissimè sustinuerunt, & cum gaudio ac libenti animo receperunt. Multi denique alij quotidie moriuntur, qui mortem cum patientia suscipiunt, considerantes quòd quicquid futurum necessariò est, hilari animo ferri debet.

3. O piissime Domine Iesu Christe, si multi & diuersi innocentes, mor-

tem cum patientia tolerant, quid de me inquissimo peccatore fiet, qui non sum innocens, sed multis & variis peccatis ac vitiis inuolutus? Certè cum magna patientia mortem expectare deberem: quia mors propter peccatum mihi debetur: & sic, si possibile esset, non vna morte, sed pluribus essem dignus. Adjuua me igitur, misericordissime Domine Iesu Christe, & respice me, non secundùm peccata mea, sed cum infinita misericordia tua, mihi peccata remittendo clementer, vt sic vitam meam ordinando, disponendo, & emendando transigam, vt in fine mortem patienter sustinendo, vitam in choro te perenniter laudantium consequar sempiternam. Amen.

CAPVT IX.
Quod mors debet per fortitudinem non timeri.

1. MOrs non est timenda viro iusto, mitissime Domine Iesu Christe, tum quia certa est & necessaria, tum quia breuis est & transitoria, tum quia vtilis est & meritoria. Certa est mors, Domine, sicut scriptum est: Rom. 5. *Omnes in Adam moriuntur.* Est etiam breuis & transitoria, quæ timenda esset, si nobiscum semper esse posset. Sed necesse est, aut quòd non veniat, aut quod veniat & transeat. Est insuper, Domine Iesu Christe, vtilis ac meritoria: qua mors nihil aliud est quàm carceris finis, & laboris consummatio, ad portum applicatio, peregrinationis adimpletio, oneris grauissimi depositio, de equo furioso descensio, de domo ruinosa liberatio, omnium ægritudinum terminatio, omnium periculorum euasio, omnium malorum consumptio & diruptio, debiti naturæ solutio, reditus in patriam, ingressus in gloriam. Ideò scriptum est, *Melior est dies mortis, die natiuitatis.* Quare noli metuere iudicium mortis.

2. Sed benignissime Domine Iesu Christe, loquitur scriptura de viris iustis, non de iniustis, de quorum numero ego miserabilis peccator sum: qui mortem meritò timere debeo, cùm ignorem ad quem locum per ipsam iturus sim. Ideò illi dicere possum, Domine Iesu Christe: O mors quàm amara est memoria tua homini iniusto. Amara namque est, Domine, & terribilis, abundantibus iniquitate, affluentibus prosperitate, deficientibus bonitate, carentibus aduersitate, & non languentibus infirmitate.

3. O piissime Domine Iesu Christe, quanta cordis amaritudine repleri debeo, qui abundo iniquitate, affluo terrena prosperitate, careo bonitate & ferè aduersitate, nec diuturna affligor infirmitate? Nónne sic amaram & terribilem mortem timere debeo? Sed misericordissime Domine Iesu Christe, bonitatem & clementiam tuam humiliter oro, & vtinam exorem, vt ignoscere mihi digneris, & compati fragilitati meæ. Dirige me in beneplacito tuo; vt exemplo formicarum inductus, quæ colligendo grana, præcauent sibi contra futuram hyemem: sic præcaueam mihi contra futuram mortem, virtutes, & gratias, ac etiam bona opera te adiuuante aggregando, vt mortem, cùm venerit, non timeam; sed ad tuam gloriam misericorditer perueniam sempiternam. Amen.

CAPVT X.

De præsentia ineuitabilis mortis.

1. QVocumque se vertat homo, mitisſime Domine Ieſu Chriſte, ſemper habet mortem præſentem. Mors vbique nos expectat, vbique nos inuadit. Noſtrum viuere, eſt mori. Nam prima die natiuitatis noſtræ, vita noſtra longior eſt quam vnquam poſteà futura ſit: Quotidie enim, ſingulis horis demitur aliquid de illa longitudine curſus noſtri. Et hinc eſt, Domine Ieſu Chriſte, quòd quanto plus viuimus, tanto magis vita noſtra minuitur. Quotidie namque morimur, & vnum diem de vita noſtra, mors ſubtrahit nobis & furatur, & ideò Domine dum creſcimus, vita noſtra decreſcit. Infantiam amiſimus, deinde pueritiam, poſteà adoleſcentiam: Sed & hunc ipſum quem agimus diem, cum morte diuidimus.

2. Ecce, benigniſſime Domine Ieſu Chriſte, quanta ſit nobiſcum præſentia mortis, cum qua etiam quotidie vitam noſtram partimur. Mors enim Domine, vitam noſtram dilabi velut aquam, facit. Sicut enim aqua congelata propter feruorem ſolis, liquefieri ſolet, & in terram & lutum diſſolui: ſic vtique, Domine Ieſu Chriſte, noſtra fragilis & aquea conditio, quæ nihil aliud eſt quàm carnea quædam moles, aliquantulum coagulata, quando feruore mortis percutitur & vrgetur, & neceſſariò diffluit, & in terram decidit & mutatur, vt dicere queat vnuſquiſque: *Sicut aqua effuſus ſum, & diſperſa ſunt omnia oſſa mea.* Pſal. 21. De terra enim facta ſunt hæc omnia, & in terram pariter reuertentur. Et ſicut aqua dilabens in terram à terra abſorbetur, ita quod ampliùs non videtur: ſic homo in terram per mortem cadens, ita conſumitur & deſtruitur, quod nunquàm amplius in hac mortalis ſortis conditione inuenitur. Et quis eſt homo, Domine Ieſu Chriſte, qui viuit, & non videbit mortem? Certè nullus. Nam à muliere initium factum eſt peccati, & propter ipſum, omnes morimur.

3. O piiſſime Domine Ieſu Chriſte, reſpicere oculo pietatis & miſericordiæ me nefandiſſimum peccatorem, & compati mihi dignare: quia licèt mortem & eius præſentiam frequenter cogitauerim, & te etiam iuſtum iudicem eſſe non ignorauerim, tamen ob id nolui deſiſtere à vitiis & peccatis, ſed in ipſis miſerabiliter corruendo perſeueraui. Et idcirco miſerere mei clementiſſime Domine Ieſu Chriſte, ſecundùm magnam miſericordiam tuam: vt te miſerante, mortem euadam ſempiternam, & vitam inueniam in tuo ſeruitio perpetuam. Amen.

CAPVT XI.

Quod mors eſt timenda tanquàm dubia.

1. NEmo ſcit, benigniſſime Domine Ieſu Chriſte, vtrum odio an amore dignus ſit. Ideò mors eſt timenda tanquam dubia. Nam ſi mihi

certò constaret Domine, quòd in puncto mortis crediturus essem in te, id est habiturus essem fidem viuam, & formatam charitate, ac operantem per dilectionem; non dubitarem quin mors mea, futura esset bona, & felix transitus ad vitam æternam. Sed mihi non constat certò, quòd habeam aut habiturus sim tunc fidem viuam, formatam charitate, ac operantem per dilectionem. Quamuis mihi certò constet, quòd fidem habeo per quam credo. Nemini autem, nec de se, nec de alio, certò constat, quòd fidem habeat per quam credat in te, formatam charitate; sine qua mors homini bona esse non potest: quia nemini certum est, se aut alium charitatem habere.

2. Et ideò Domine, quamuis homo de se & de alio quòd talem habeat fidem, per multa signa verisimiliter conjectare possit; nullam tamen de illa certitudinem habere potest, nisi per te misericorditer ei reueletur. Et sic Domine, cuilibet homini mors sua & cuiuslibet alterius dubia est: quia nullam habet certitudinem de fide prædicta; quamuis de bonitate hominis probabiles coniecturas habere possit. Quapropter mors hominis, est multùm timenda.

3. Sed heu miser & miserabilis ego peccator quid faciam Domine Iesu Christe; quia non solùm conjecturas, sed etiam certitudinem habeo, me non habere charitatem aut fidem viuam, formatam charitate, sed multa & innumerabilia peccata, non leuia quidem illa, sed grauia, imò grauissima, in quibus vixi, & perstiti per totam ferè vitam meam, saltem ex quo mihi intellectum tribuisti, & cognitionem discernendi inter bonum & malum, vitam & mortem. Auxiliari igitur mihi digneris tu auxiliator misericordissime, ignoscendo & remittendo peccata mea nefandissima quæ commisi. Vitam & exitum ab hac vita bonum mihi concede, vt tecum per charitatem formatam, viuam per infinita sæculorum sæcula. Amen.

CAPVT XII.

Quòd mors simpliciter est timenda.

1. TV benignissime Domine, dum morti propinquus fuisti, cœpisti pauere & tædere, & dixisti; *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Ti-
Mat. 26
muisti igitur dulcissime Domine Iesu Christe, & tristis fuisti quodam timore & tristitia quadam naturali, quæ tantum fuit in appetitu sensitiuo, nec in aliquo tetigit appetitum rationalem, secundùm quem conformabas te
Mat. 26 voluntati Patris, dicens; *Non quod ego volo, sed quod tu.* Si igitur piissime Domine Iesu Christe, timuisti mortem, eo modo quo dilexi, quæ erat Patri tuo gratissima, & generi humano fructuosissima, ego miserrimus & sceleratissimus peccator, mortem valdè timere debeo, præsertim quia nescio in quo statu & quomodo moriar.

2. Nam Domine Iesu Christe, in articulo mortis, nisi tu auxilieris, diabolus quàm maximè potest, homini insidiatur, tentans eum super omnia,
de

de veritate fidei, & suadens ei infidelitatem & desperationem. Is enim etiam B. Martino, in exitu eius astitisse legitur. Cui beatus Martinus dixit: *Quid hic astas cruenta bestia? nihil in me funestum reperies, sed finis Abrahæ me recipiet.* Imò verò, quod maius est, te patiente in cruce, idem astitit, credens aliquid de suo in tua beatissima anima reperire, sicut scribitur: *Venit princeps mundi huius, & in me non inuenit quicquam.* O misericordissime Domine Iesu Christe, dum ista lego, dum ista cogito, & mente sæpius reuoluo, magna timoris anxietate quatior. Timeo namque illum diem, expauesco horam, horresco insidiatoris dolosi præsentiam, qui quærit animam meam, vt eam secum perducat in damnationem æternam. Amen.

3. O clementissime Domine & Redemptor, quam ex immensitate misericordiæ tuæ, tuo pretiosissimo sanguine redemisti; eam custodi assiduè, & præsertim in illo puncto mortis per tuam maximam pietatem, ne inimicus in ipsa aliquid valeat vsurpare; sed merita tuæ sacratissimæ passionis, defectus eius suppleant, vt tua sancta protectione, cum æterna laude, gloriam tuam possideat sempiteraam. Amen.

CAPVT XIII.

De potentia mortis.

1. INsuperabilis est potentia mortis, piissime Domine Iesu Christe, quia non vnum solum, sed omnes superat; scilicet fortes & debiles, lætos & tristes, egenos & diuites, incolas & aduenas, iuuenes & senes, bonos & malos, viros & mulieres. Et vt omnia flumina intrant mare, sic quotquot in hanc fluctuosam vitam veniunt, mare, id est amaritudinem mortis necessariò subintrant. Mors enim, est omnium pœna, omnium tributum, omnium carcer, omnium domina, omnium receptaculum. Et sicut mare est hospitium, omnium fluuiorum, sic mors est finalis repositio omnium mortalium, & ideò scribitur: *Scio quòd morti trades me, vbi constituta est domus omnium viuentium.* Iob 30.

2. Hanc autem mortem benignissime Domine Iesu Christe, nec potentia fortiores, nec scientia doctiores, nec pecunia ditiores, nec eminentia digniores superare valent: quia moritur robustus & sanus, doctus pariter & indoctus, diues & egenus: sic quòd nulla ætas, nullus sexus, nulla conditio, mortem euadere queat, quæ incessanter quotidie homines deuorat, & suis legibus subjugat. Nec iuuare potest hominem amicorum turba, non familiæ multitudo, non auri vel argenti plenitudo, non vindemiarum vbertas non densitas segetum, non iucunditas pratorum, non aliud quicquam. Non enim mors inopiæ parcit, non diuitias reueretur, non defert generi cuiusquam, non moribus, non ipsi denique ætati. Vbique enim senibus est in ianuis, iuuenibus in insidiis.

3. O misericordissime Domine Iesu Christe, nulla arte mundi, hanc mortem naturalem euadere possum, sed me semper sequitur, & insidias

mihi parat quocumque vadam; & quicquid cogitem, dicam, aut faciam, mihi minatur, propinquum aduentum suum mihi ostendit, per multiplicitatem diuersorum signorum. Succurre mihi misericorditer, benignissime Domine Iesu Christe, parcendo peccatis meis. Concede mihi, vt peccata præterita toto corde defleam & expurgem: & à futuris abstineam corde & opere. Vitam præsta puram, iter para tutum, vt cùm naturalis mors aduenerit, cum magna patientia eam suscipiam, & te semper agnoscam. A deceptione spirituum malignorum me defende; vt anima separata à corpore, ad tuum regnum cum perenni laude perueniat sempiternum. Amen.

CAPVT XIV.

Quæ sint incerta in morte.

1. INcertus est status hominis in morte, piissime Domine Iesu Christe. Nescit enim homo in quo statu moritur, scilicet bono an malo. Et qualem mors inuenit hominem, talem homo inuenit mortem. *Nescit* quoque *homo vtrum amore an odio dignus sit, sed omnia in futurum reseruantur incerta.* Incertus est etiam locus mortis: quia nescit homo, quo in loco morietur: quia mors insidiatur homini in omni loco, & in omni loco hominem expectat. Incertum est item Domine genus mortis; vtrum scilicet, gladio, igni, aqua, an alio mortis genere quis moriatur. *Nescit enim homo finem suum, sed quemadmodum capiuntur pisces hamo, sic capiuntur homines in tempore malo.* Hora denique ipsius mortis, incerta est.

2. Et ideò præcipis Domine vigilare, dicens: *Vigilate vtique, quia nescitis diem neque horam*, scilicet mortis. Nam ventus est vita nostra, quia inuisibiliter & incessanter, & sine reditu transit; & comparatur vmbræ quæ semper sequitur corpus. *Dies enim hominis, sicut vmbra declinant.* Nec est aliud vita præsens, quàm cursus ad mortem. Et quamuis homines laborent vt diu viuant, & ne ad terminum vitæ perueniant: nihil tamen est Domine viuere, nisi ad finem currere. Quare ipsi ambulant quò peruenire nolunt: & currunt voluntarij, ad terminum, quem refugiunt. Incerta sunt igitur, benignissime Domine Iesu Christe in morte omnia: quæ festina festinanter inuadit, neque pro quacunque re, inducias vnius horæ facit.

3. O clementissime Domine Iesu Christe: quanta fatuitate sum plenus, imò dementia ego sceleratissimus peccator; peccator inquam corde, ore, opere, & omissione: qui mortem ante oculos non posui, sed retro, & memoriam ipsius in obliuionem commutaui; incertitudinem aduentus eius non timui, neque ob id peccare desij, sed voluptatibus illecebrosis animum meum subdidi. Heu, piissime Domine Iesu Christe, adjuua me, secundùm multitudinem misericordiæ tuæ: ne sic à morte rapiar improuisus, sed te miserante vitam meam miserabilem emendem, & incerta mortis me non terreant, neque mihi noceant: sed amor tuus, & laus tua sint mihi vita & gloria sempiterna. Amen.

CAPVT XV.

De morte iustorum.

1. PRetiosa estmors iustorum in conspectu tuo, Domine Iesu Christe. Imò nihil pretiosius est illa morte, per quam fit vt delicta omnia dimittantur, & gratiæ cumulatiùs augeantur. Si tamen dicenda sit mors, quæ tibi mortuum sociat, & in lucrum cedit morientis. Ista est tanquam finis laborum, tanquam victoriæ consummatio, tanquam vitæ ianua & perfectæ securitatis ingressus, ac initium retributionis. Vnde fit, vt vir iustus viuat, quia bene moritur. Non enim dici debet mortuus simpliciter & omninò.

2. Triplex namque est vita, benignissime Domine Iesu Christe, cui triplex mors opponitur scilicet vita naturæ, cui opponitur mors corporalis, quæ nihil aliud est Domine, quam animationis cessatio, & recessus animæ à corpore. Vita gratiæ, cui opponitur mors spiritualis, quæ est peccatum mortale, per quod anima priuatur gratia quæ est vita eius. Est etiam vita gloriæ, cui opponitur mors gehennæ seu inferni, quæ est principaliter carentia diuinæ visionis; quam comitatur in adultis pœna sensualis, & animæ tormentum. Quare reuera, dulcissime Domine Iesu Christe, qui moritur corporaliter, non moritur, te miserante & adiuuante, simpliciter & omninò; nisi mortem illam mors spiritualis comitetur, & gehenna sequatur. Vnde, Domine Iesu Christe, quando aliquis moritur corporaliter, cuius vitam comitatur vita gratiæ, & sequitur vita gloriæ, saltem in re vel in spe firmissima, quæ nullo modo confundit sperantem; nullo modo potest dici simpliciter & omninò mortuus. Beati namque sunt Domine, qui in te moriuntur.

3. O misericordissime Domine Iesu Christe, scio me veraciter mortuum fuisse morte spirituali, & sic perdidisse vitam gratiæ: quia tempore vitæ naturæ innumerabilia ferè peccata commisi, scienter, deliberatè, consensu, & opere. Succurrat ergo mihi, clementissime Domine Iesu Christe, misericordia tua: vt à morte spirituali in præsenti resurgam, & viuam vita gratiæ: & concede mihi ex immensitate tuæ pietatis, vt finita vita naturæ per mortem corporalem, viuam vita gloriæ in tua perenni laude in æternum. Amen.

CAPVT XVI.

De morte criminali.

1. NIhil aliud est, dulcissime Domine Iesu Christe, mors criminalis, quàm mors peccati, quæ animam occidit, & hominem peccatorem mortuum reddit. Quia sicut mortuus opera sensuum non exercet, sic certè peccator ad gloriam sempiternam obtinendam non mouetur per bonam operationem, nec per laudis confessionem, quia mortui non laudabunt te

Domine. Nam per peccatum, Domine, anima ſeparatur à te, & ſic mortua reputatur. Quia ſicut corpus variis modis interſicitur, ſic anima per diuerſa peccata necatur & occiditur.

2. Habet autem, benigniſſime Domine Ieſu Chriſte, diabolus hoſtis antiquus, multos modos quibus ipſam animam interficit, & ſpiritualiter necat. Quoſdam namque per ſuperbiæ ſuſpendium interficit. Suſpendit namque illos altè, per elationem, & honorum pariter & diuitiarum ambitionem. Qui ideò inſtabiles & vani ſunt, quia ſicut res quæ ſuſpenſa eſt, inſtabilis & vaga eſt, & ad flatum venti facilè mouetur: ſic ſuperbi ad flatum venti diabolicæ ſuggeſtionis, quocumque velit malignus, facillimè impelluntur. Quoſdam, per incendium auaritiæ perdit, quæ profectò eſt ignis, qui nunquam dicit, ſufficit. Nonnullos, gladio inuidiæ perimit. Inuidia enim, eſt gladius Goliæ qui proprium magiſtrum occidit. Quia inuidi antequam alios interficiant, gladio inuidiæ torquentur; vt de eis dicatur:
Pſal. 36. *Gladius eorum, intret in corda ipſorum.* Alios veneno luxuriæ interficit. Iſtud autem eſt venenum aſpidis, inducens hominem ad dormiendum, quem poſteà dormientem enecat. Sic enim luxuria, primò hominem dormire facit per delectationem, quem tandem per conſenſum occidit. Alios, ſagittis iracundiæ & vindictæ quibus eos vulnerat, interficit. Alios, per ſubmerſionem gulæ, aquis delitiarum corporalium ſuffocat. Alios, per oppreſſionem acediæ interimit, quia eos torporis oneribus opprimit. Ita enim oneribus pigritiæ onerati ſunt & grauati, quòd ſe ad aliquod bonum nequeunt erigere.

3. O miſericordiſſime Domine Ieſu Chriſte, iſta reuera eſt mors, quæ etiam viuentem hominem, peccatorum mole conſtringit: Quia quamuis viuere videatur, ſceleribus tamen ſuis iam addictus morti videtur. Iſta morte mortuus fui frequenter Domine Ieſu Chriſte, ex iniquitate mea maxima. Et idcircò ſuſcitare me digneris piiſſime Domine per tuam exuberantem clementiam: vt præſenti ſæculo viuam per gratiam, & in futuro per tuam laudem, & gloriam ſempiternam. Amen.

CAPVT XVII.

De morte ſpirituali & vitali.

1. SVmmè appetenda eſt, benigniſſime Domine Ieſu Chriſte, mors ſiue mortificatio ſuiipſius, quæ nihil aliud eſt homini, quàm ſuiipſius deiectio & maceratio, & ad humilitatem vel patientiam reductio. Vir enim iuſtus & perfectus, Domine Ieſu Chriſte, dicitur ſibi mortuus: Quia ſicut mortuus ad voluntatem portantis legitur, nec ſe mouet, nec ſentit, nec clamat, ſed omnia quæ ſibi fiunt ſuſtinet: ſic vir bonus, & iuſtus, & ſibi ipſi mortuus, ad voluntatem alterius permittit ſe regi per obedientiam ſine rebellione, & per ſacras Scripturas. Omnia quoque ſuſtinet cum patientia
Rom. 6. & tolerantia, vt de eo verè dici poſsit: *Qui mortuus eſt peccato, iuſtificatus eſt à peccato.*

2. Tales namque, Domine, dicuntur mori, quia non dicuntur viuere mundo, sed tibi Domine. Et de istorum morte, potest etiam dictum tuum intelligi benignissime Domine Iesu Christe, *Nisi granum frumenti, cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solùm manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Ioan.12. Tales enim dicuntur granum frumenti, propter interiorem perfectionem. Dicuntur verò mortui, propter interiorem deiectionem, & multùm fructum afferre, propter vberiorem vitæ suæ spiritualis conditionem: Quia carnem suam mortificant & affligunt; prompti & obedientes, deuoti & compatientes, docti & erudientes. Et reuera dulcissime Domine Iesu Christe, tales viri in hoc mundo habentur pro mortuis, & pro vilibus, & despectis, & sunt de quibus scribitur: *Visi sunt oculis insipientium, mori.* Rom. 6. Sed non sic est, Domine, sed prout tibi sequitur: *Illi autem sunt in pace.* Ideò tibi Sap.3. Domine Iesu Christe possunt dicere: *Propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis.* Psal.43.

3. O misericordissime Domine Iesu Christe, dum prædicta lego, & mente reuoluo, non sentio me tali morte mortuum; sed viuo huic misero mundo, & ideò per peccatum tibi mortuus sum. Succurrat igitur mihi bonitas tua, & parce peccatis meis ex tua infinita misericordia. Vt tibi in confessione misericordiæ & tanti beneficij tui, viuam in æternum. Amen.

CAPVT XVIII.

De morte peccatoris.

1. Mors peccatorum, pessima est, Domine Iesu Christe. Mala siquidem est, in amissione mundi. Peior, in separatione carnis: & pessima, vermis & ignis contritione duplici. Habebit namque peccator, horrorem in exitu: dolorem, in transitu: pudorem, in conspectu tuo: & pauorem nimium: cùm dimissis omnibus (quorum erat illi præsentia iucunda, gratus aspectus, cohabitatio familiaris,) de nota patria egrediens, ad incognitam penitùs veniet regionem, cui etiam occurrent teterrimæ creaturæ, horridæque laruæ hostium antiquorum. O benignissime Domine Iesu Christe, quis iuuabit peccatorem in die tantæ necessitatis? Quis tuebitur eum à rugientibus præparatis ad escam? quis consolabitur? Opus namque suum quale fuerit, ignis probabit. Ibi enim aurum vertetur in scoriam, & peccatoris impuritas reuelabitur. Ibi omnes iustitiæ eius, quasi pannus menstruatæ reputabuntur.

2. O Domine Iesu Christe, qualis pudor erit, & qualis confusio, post tanta beneficia à te misericorditer peccatori præstita, eumdem tam tepidum, tam imperfectum, támque vacuum apparere ante faciem tuam? Nihil enim ferè, nisi peccata portabit, vt cum ipsis condemnetur morte æterna: quia stipendia peccati, mors, & cùm mors sit omnium pœnarum maxima, congruè per mortem illa intelligitur pœna quæ est æterna & summa, in qua peccator luctum habebit inconsolabilem, ignem inextinguibilem, & mortem interminabilem. Quia de peccatoribus scribitur: *Veniat mors super illos, & descendant in infernum viuentes.* Psal.54.

3. O piissime Domine Iesu Christe; qui non vis mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat; respice me iniquissimum peccatorem oculo pietatis & clementiæ, & concede mihi gratiam, vt peccata quæ contra te nequiter perpetraui, hîc agnoscam, & de ipsis te iuuante ad tuum beneplacitum satisfaciam. Libera me misericorditer à morte pessima & æterna, vt cùm mors naturalis miserum & fragile corpus meum te ordinante resoluerit, anima mea à morte æterna exclusa, ad te solùm, qui vita es viuentium, magnificandum, & glorificandum, in gloriam tuam perueniat sempiternam. Amen.

CAPVT XIX.

Item de morte peccatoris.

1. QVid faciet in morte corporali, benignissime Domine Iesu Christe, miserabilis peccator multis & diuersis peccatorum sordibus inquinatus? Qui mundari non curauit dum viueret, fletibus contritionis & doloris, iustificationis gratiam impetrando, sed in sordibus iacendo continuè, ampliùs sorduit? Veniet piissime Domine Iesu Christe, mors, & non tardabit: inuadétque corpus tam acriter, tantáque angustia & dolore illud afficiet, quòd pœnam maiorem non potuit vnquam aliquis in hoc mundo seu in hac vita sentire. Incomparabilis enim erit dolor ille, cùm separabitur anima à corpore: adeò vt non poterit tunc peccator aliud cogitare, quàm quod tunc in corpore sentiet, maximum videlicet & grauissimum dolorem. Nullum enim erit membrum quantumcumque modicum, neque vlla paicula in toto corpore peccatoris, quæ non illo dolore inexplicabili inuoluatur. Ideò Domine scribitur, *Quòd non est in morte, qui memor sit tui.* *Psal. 6.*

2. Anima etiam ipsius peccatoris, piissime Domine Iesu Christe, multis doloribus & anxietatibus illo tempore subiacebit. Quia cùm egredietur, occurrent ei opera quæ fecit, siue bona fuerint, siue mala: Et illa velit nolit, aspiciet oculis interioribus suis: & iudicabit in se mala quæ fecit: & tormenta sibi præparata, anxietate nimia cogitabit, quæ sibi videbit è proximo miserabiliter imminere. Videbit insuper tunc misera anima ad augmentum sui doloris, angelos tartareos promptos & paratos ad ipsam rapiendam: vt separatam à corpore, deducant ad perpetuos cruciatus.

3. O misericordissime Domine Iesu Christe, fac me confugere ante horam illam tam terribilem & horrificam, ad tuam immensam clementiam & misericordiam: vt de tantis peccatis meis doleam magna contritione cordis, illa cum magna mentis humilitate confitear, cum firmo proposito non redeundi ad ipsa perpetranda, ac de ipsis satisfaciam secundùm piissimam voluntatem tuam. Vt cùm à tua misericordia veniam de ipsis & remissionem obtinuero, inter laudatores tuos adscribi merear, in vitam sempiternam. Amen.

CAPVT XX.

Quæ debeat facere homo in morte.

1. MOrs, benignissime Domine Iesu Christe, est sine discretione, quæ ex præuaricatione emersit. Est crudelis, quæ ex antiqui serpentis fallacia prodiit. Est etiam fatua, quæ ex mulieris insipientia venit. Est iniqua, quam iniquitas peperit. Est inconsiderata, quam seductio adduxit. Procedit, Domine Iesu Christe, festinanter: frequenter ex flagellis præsentibus, ex doloris vehementia, ex corporis corruptione, & ex pœna peccati. Illam, piissime Domine Iesu Christe, de die in diem, imò de momento in momentum, expecto. Illam me oportet necessariò sustinere. Non potest eius terribilis aduentus tardari, quia ad ianuam pulsat. Non possum ei resistere, sed continuè magis appropinquat.

2. Idcircò misericordissime Domine Iesu Christe, ad te tanquam ad refugium tutissimum venio, & tuam immensam clementiam supplex oro, vt digneris mihi ante mortis aduentum, concedere veram de omnibus peccatis meis pœnitentiam, per veram confessionem, & iustum dolorem. Sit illa pœnitentia, Domine, cum lachrymis, sicut fuit illius mulieris, quæ stans retro secus pedes tuos, lacrymis cœpit rigare ipsos. Concede mihi, dulcissime Domine Iesu Christe, in illa hora præcipuè, gratiam remittendi ex corde iniurias & damna mihi illata per alios, sicut tu fecisti tuis crucifixoribus in hora mortis tuæ, dum dixisti; *Pater dimitte illis.*

3. Concede mihi etiam, mitissime Domine Iesu Christe, in illa hora deuotam Eucharistiæ perceptionem, vt audire possim cum tuis fidelibus, hanc tuam dulcissimam vocem; *Ecce prandium meum paraui vobis, venite ad nuptias.* Ad nuptias inquam Ecclesiæ militantis, prò perceptione ipsius prandij, id est altissimi sacramenti corporis & sanguinis tui, & ad nuptias etiam Ecclesiæ triumphantis: ad quas, quia grandis restat via, cibus iste viaticum est potentissimum, in cuius virtute ambulat Christianus vsque ad montem Dei, id est vsque ad cælum. Sicut per figuram huius ambulauit Helias vsque ad montem, Dei Oreb. Habet enim istud viaticum omne delectamentum, & omnis spiritualis saporis suauitatem. Cuius quidem perceptione, confortetur cor meum Domine Iesu Christe, te id misericorditer donante, vt securè de hoc mundo ad tuum transire valeam regnum, & ad tuum seruitium sempiternum. Amen. Mat. 22.

CONTEMPLATIONES IDIOTÆ de Virgine Maria.

PROLOGVS.

1. O Homo, quicumque es; probationem vitæ ingressus, misericordia Domini nostri Iesu Christi indiges, sine qua saluari non potes. Accede igitur per deuotam mentis contemplationem ad gloriosissimam Virginem Mariam matrem eius: quia per ipsam, & in ipsa, & cùm ipsa, & ab ipsa, habet mundus & habiturus est omne bonum: scilicet super benedictum filium eius, Dominum nostrum Iesum Christum, qui est omne bonum, & summè bonum, & sine quo nihil est bonum, cùm solus bonus sit. Inuenta itaque Virgine Maria, inuenitur omne bonum.

2. Ipsa namque diligit diligentes se; imò sibi seruientibus seruit. Ipsa, superbenedicto filio suo irato, potentissimè reconciliat seruos & amatores suos. Tanta quoque est eius benignitas, quòd nulli formidandum est ad eam accedere: Tantáque misericordia, quòd ab ea nemo repellitur. Imò donis & charismatibus ædificat seruos, vt superbenedicti filij sui & spiritus sancti digna fiant habitatio. Ipsa preces & sacrificia seruorum suorum, & maximè quæ sibi exhibentur, repræsentat in conspectu diuinæ maiestatis: quia est aduocata nostra apud filium, sicut filius apud patrem. Imò apud patrem & filium, procurat negotia & petitiones nostras, & sæpè quos iustitia filij potest damnare, matris misericordia liberat. Quia thesaurus Domini est, & thesauraria gratiarum ipsius, donis spiritualibus, ditat copiosissimè seruientes sibi, & potentissimè protegit eos à triplici aduersario: mundo, carne, & diabolo; quia salus nostra in manu illius est. Post filium suum, Domina est vniuersæ creaturæ, & in futuro sæculo glorificabit seruientes sibi, si eam honorificauerint in præsenti.

3. Et ideò iuxta consilium cuiusdam deuoti serui eius, *Mariam semper cogita, Mariam semper inuoca, non recedat ab ore, non recedat à corde. Et vt impetres eius orationis suffragium, non deseras conuersationis exemplum.* Cæteri enim sancti, iure quodam patrocinij, pro sibi specialiter commissis, plus possunt prodesse in curia Altissimi quam pro alienis. Beatissima verò virgo Maria, sicut est omnium regina, sic & omnium patrona & aduocata, & cura est illi de omnibus. Longè enim positos illuminat radiis misericordiæ suæ. Sibi propinquos per specialem deuotionem, consolationis suauitate; præsentes sibi in patria excellentia gloriæ. Et sic non est qui se abscondat à calore eius, id est à charitate & dilectione ipsius. Vt autem à tua memoria non recedat, sequuntur aliquot contemplationes, quas deuotè legas, prout deuotio tibi à Domino suggeretur.

Bernar.

CAPVT

CAPVT I.

Quomodo Virgo Maria nos attrahit.

1. TRahe me poſt te, ô benedicta Virgo Maria, benedicta ante ortum, in ortu, & poſt ortum, ante ſæculum, in ſæculo, & poſt ſæculum, Trahe me poſt te, vt curram in odorem vnguentorum tuorum. Trahe me poſt te, quia retinet me peccatorum ponderoſitas. Trahe me poſt te, quia me colligat carnalis concupiſcentiæ voluptas. Trahe me poſt te, quia decipit me hoſtium peruerſorum magna calliditas. Trahe me poſt te, vt perueniendi ad te augeatur mihi celeritas. Sicut enim nemo venit ad tuum filium ſuperbenedictum niſi pater traxerit eum, ſic etiam quodammodò auſim dicere, quòd nemo venit ad filium tuum glorioſiſſimum, niſi tuis ſanctiſſimis ſubſidiis traxeris eum.

2. Trahe igitur me torpentem, vt me reddas currentem. Trahe me peccantem, vt me reddas pœnitentem. Trahe me ignorantem, vt me reddas ſcientem: vt curram in odorem vnguentorum tuorum; id eſt in fragrantiam ſanctarum virtutum tuarum, quæ velut vnguenta redolent & fragrant, dolores mitigant, & vulnera ſanant. Tua vnguenta fragrantiſſima ſunt; ſcilicet cœleſtis ſapientia, ſpiritualis gratia, & immarceſſibilis gloria. Verbis enim tuis & exemplis doces veram ſapientiam, quia doctrix es ſapientiæ Dei. Peccatoribus impetras gratiam, quia aduocata es miſerorum: & honorantibus te promittis gloriam, quia theſauraria gratiarum exiſtis.

3. Impetra, tuis aſſiduis poſtulationibus, vt te laudem, te glorificem, te benedicam, tuas virtutes enarrem, tua mirabilia nuntiem, tuam exemplarem & Deificam vitam prædicem, ſcripta de te elucidem, vt habeam in laudibus tuis vitam æternam; imò in vita æterna, laudes tuas & ſuperbenedicti filij tui concinam, quia ſcriptum eſt: *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.* Quòd ſi de filio tuo, qui eſt Dei ſapientia, id dictum eſt; de te etiam, quæ es eius ſuperexaltata & ſuperbenedicta mater, id negandum non eſt. *Eccl. 24.*

CAPVT II.

De pulchritudine Virginis Mariæ.

1. T*Ota pulchra es*, ô pluſquam glorioſa Virgo Maria. Tota pulchra es, *& macula non eſt in te.* Tota pulchra es in anima, per virtutum & chariſmatum omnium perfectam plenitudinem. Tota pulchra es in tua conceptione, ad hoc ſolùm effecta, vt templum eſſes Dei altiſſimi. Tota pulchra ex generatione verbi diuini, qui eſt ſplendor paternæ gloriæ, qui eſt candor lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula, in quem deſiderant Angeli proſpicere, cuius pulchritudinem ſol & luna mirantur. Tuæ glorioſæ animæ, *Cant. 4.*

nihil vnquam affuit turpitudinis, vitij aut peccati: & nihil defuit spiritualis pulchritudinis, gratiæ & virtutis. Tot enim habuisti pulchritudines, tot virtutes, & singulas in altiori gradu, quàm concessum fuerit post filium tuum superbenedictum, puræ creaturæ. In his namque similem non habuisti, nec es habitura sequentem.

2. In te omnes virtutes tam actiuæ quàm contemplatiuæ conuenerunt; & præ cunctis creaturis, te admirabilem reddiderunt. Per virtutes actiuas, habuisti voluntatem mundissimam: per contemplatiuas, mentem purgatissimam. Non defuit tibi puritas Angelorum, non fides Patriarcharum, non scientia Prophetarum, non zelus Apostolorum, non patientia Martyrum, non sobrietas Confessorum, non innocentia aut humilitas Virginum. In summa, nullo genere vacasti virtutum, ô virgo plusquàm beata. Quòdcumque donum alicui sanctorum vnquam datum fuit, tibi non fuit negatum, sed omnium Sanctorum priuilegia omnia habes in te congesta.

3. Nemo æqualis est tibi: nemo maior te, nisi Deus. Quia Spiritus Sanctus superueniens in te, & virtus Altissimi obumbrans tibi, quæ eras omni virtutum ornamento prædecorata, pulchritudinem, puritatem, sapientiam & omnium virtutum gratiam adauxit & splendorem. Miranda illa obumbratio Spiritus Sancti, quæ te vno momento templum Dei irradiauit, & decorem tuum manifestauit & auxit, sicut sol in semper ornatum thalamum incidens, gloriam eius occultatam, repentè nobis ostendit & illustriorem facit.

4. Tota igitur pulchra es virgo gloriosissima, non in parte, sed in toto: & macula peccati, siue mortalis, siue venialis, siue originalis, non est in te, nec vnquam fuit, nec erit: sed adest tibi omnis gratia naturalium bonorum, spiritualium charismatum, & cœlestium donorum. Quantùm enim distat inter odorem & gustum aromaticæ speciei; tanta est inter contemplationem tuam & aliorũ sanctorum distantiam. Sicut enim singularem actiuam à Christo cepisti vitam, videlicet eius humanam sed diuinissimam naturam portare, lactare, lauare, pannis inuoluere, fouere, nutrire, lenire, amplecti, osculari, cæteràque eidem humanitatis officia exhibere: sic & dulcedinem suæ diuinitatis tibi singulariter degustandam indulsit. Quia *tota pulchra eras, & macula non erat in te.*

5. Sed, ô pulcherrima mulierum, qua temeritate audeo venire ad te. Ego turpis cogitatione & opere, ad te mundam; ego immundus, ad te immaculatam; ego maculatus, & non solùm maculatus, sed & vulneratus; imò non solùm vulneratus; sed etiam in conspectu tuo, & benedicti filij tui, mortuus propter innumerabilia peccata, quæ cogitatione, consensu, & opere longis temporum spatiis contraxi: & ita animam meam per susceptionem sacri lauacri purificatam, multipliciter fœdaui, & sordibus vitiorum inquinaui; adeò vt abominabilis facta sit, & tibi & filio tuo, superbenedicto.

6. In tua autem pietate confidens, ô præbenedicta, cùm benedicta, & post benedicta Virgo Maria, te supplici corde precor, vt animæ meæ pio compatiendo affectu, apud misericordissimum filium tuum intercedere di-

gneris, quo eam immundam mundet: & sicut ipsam puram fecit per baptismum, ita rursum hoc tempore puram reddat per pœnitentiæ & reconciliationis gratiam, vt tandem cum electis tuis vitam, ad te & superbenedictum filium tuum laudandum, obtineam sempiternam. Amen.

CAPVT III.

Per quæ designatur speciositas Mariæ.

1. Speciositas tua, beatissima Virgo Maria, designatur per septuplicem speciem, quæ in sacra scriptura inuenitur. Est namque species oliuæ de qua scribitur: *Quasi oliua speciosa in campis.* Est species columbæ, de qua canitur, *Vidi speciosam, sicut columbam.* Est species Libani, de qua dicitur; *species eius vt Libani.* Est species cœli, de qua legitur: *Species cœli in visione gloriæ.* Est species ignis in nocte, de qua scribitur; *Operiebat tabernaculum, quasi species ignis.* Est species arcus, de qua scribitur: *Vide arcum, & benedic ei qui fecit illum: Valdè enim speciosus est.* Est etiam species Solis, de qua scribitur; *Est enim speciosior sole.* Eccl. 24. Eccl. 43. Exo. 40.

2. Species oliuæ, consistit inter cetera in viroris amœnitate. Sic tua species, ô beatissima Virgo Maria, consistit inter alia, in fidei sinceritate. Et sicut viror paciferæ oliuæ delectat oculum corporis, sic fides tua, quæ pacem inter Deum & hominem reperit, delectat oculum mentis.

3. Species columbæ consistit in simplicitate, pulchritudine oculorum, colorum mutatione, & varietate circa collum. Sic, ô beatissima Virgo Maria, species tua consistit in humilitate, pulchritudine sanctorum cogitatuum, & doctrinæ veritate. Quæ in collo intelligitur, quia doctrix fuisti doctorum, & magistra Apostolorum. Vnde & beatus Lucas, cui inter cæteros Euangelistas descriptio Dominicæ incarnationis attribuitur, Euangelij seriem à te Virgine Maria didicisse traditur.

4. Species Libani, consistit in continua virgultorum fæcunditate, & delectabilium florum candore, & significat, ô gloriosissima Virgo Maria, candorem tuæ fœcundæ virginitatis: quia tu es de qua dicitur; *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum spiritus Domini.* De tua autem supereminenti virginitate iustè dici potest, quod scribitur: *Pulchritudinem candoris eius admirabitur oculus.* Isaie. 11. Eccl. 43.

5. Species cœli, est in visione gloriæ, & significat in te sanctissima Virgine Maria, contemplationis sublimitatem, de qua scribitur; *Species mulieris exhilarat faciem viri.* Per quod intelligere quis possit, altitudinem contemplationis, acceptam esse & placentem in conspectu diuinæ pulcritudinis. Eccl. 36

6. Species ignis consistit in ardore & splendore. In te autem, ô beatissima Virgo Maria, fuit ignis charitatis ardens & splendens ante Deum, & nos miseros peccatores protegens. Et sicut tu regina virginum nominaris, sic charitas illa tua, regina virtutum appellatur: quia virtus nomen amittit, quæ charitati non famulatur.

7. Arcus cœlestis fit ex radiis Solis, in humida nube, & significat incarnationem filij tui superbenedicti in te. Tunc enim Sol iustitiæ, qui est splendor patris, ingressus in mundum: ascendit super nubem leuem, id est sibi vniuit mundissimam carnem sine pondere peccati, quod factum est de tua carne in tuo virginali vtero, & sic facta est visibilis imago Solis iustitiæ cum profusionis gratiarum plenitudine: vt fit visibilis imago Solis cum fit arcus, sed non nisi in die profusionis pluuiæ.

8. Species solis consistit in splendentium radiorum emissione: & significat in te aduocata nostra Virgine Maria, largam gratiarum effusionem in omnes qui ad te se conuertunt, quæ es Sole speciosior, & emissione gratiarum fœcundior.

9. Tua ergo species Virgo Maria, fuit, in corporis castitate, in conscientiæ puritate, in exteriori conuersatione, & in diuinorum contemplatione. Munda igitur cor meum immundum & inquinatum, ô piissima Virgo Maria: & tuis precibus mihi obtine speciem spiritualem, per quam in seruitio tuo & superbenedicti filij tui, placeam tibi in vitam sempiternam. Amen.

CAPVT IV.

Quod Maria sit templum Dei absolutissimum.

1. INter omnia opera æterni opificis, post operationem illam qua naturæ nostræ vnitus est filius tuus, speciale opus fuisti, obeatissima Virgo Maria: qui Deus ad hoc te fecit, vt quod de primo opificio fuerat deformatum, per te reformaretur. Hic enim summus opifex, primò condiderat Angelicam naturam, quæ in parte ceciderat; & humanam, quæ corrupta erat; & corpoream inferiorem, quæ peccato hominis fuerat deterior effecta. Sed ad hæc omnia fecit te Deus, Virgo Maria, sanctissima, vt ex tuo superbenedicto fructu, Angelica natura repararetur, humana renouaretur, inferior à seruitute liberaretur.

2. Ædificauit ergo Angelis te Reginam, hominibus medicinam, creaturæ inferiori libertatem. Sed priùs ædificauit Angelis cœlum: & hæc est domus gloriæ: Dæmonibus & damnatis hominibus, Infernum: & hæc est domus iustitiæ: hominibus lapsis mundum; & hic est carcer miseriæ; quia emisit Dominus Adam de Paradiso voluptatis, vt operaretur terram, de qua sumptus est. Idem autem carcer, patria fuit bestiarum. Pisces posuit in aquis, aues in aëre, & stellas in firmamento. Et qui priùs cæterorum hospitiis intenderat, nunc suo proprio intendit hospitio. Ideò dicitur: *Sapientia*
Prou. 9. *ædificabit sibi domum*, id est, te Virginem Mariam: vt in te habitaret per humanæ naturæ assumptionem.

3. Et non solùm sibiipsi soli te fecit, sed te Angelis dedit in instaurationem, hominibus & nostræ naturæ in reparationem, inferiori creaturæ in liberationem: sibi in matrem, dæmonibus in hostem, detentis in limbo in ereptionem. Nam in principio cùm ceciderant Angeli, natura erat corrupta,

Deus offensus & diabolus victor. Sed per te, ô superbenedicta Virgo Maria, innocentia reparatur, vita angelica reducitur, Deus homini pacificatur & vnitur, diabolus vincitur & conteritur; quia de te scribitur; *Ipsa conteret caput tuum.*

4. Sapientia igitur te ædificauit in domum. Si quidem amissæ erant animæ, quæ ob nihil aliud factæ erant, nisi vt esset in eis habitatio sapientiæ & hoc, si permansissent sanctæ. Sed quia corruptæ erant omnes, & peccando vacillauerant, ideò te gloriosissimam Virginem Mariam, ædificauit in domum solidam & fortem, quæ nullo modo vacillare posset. Ideò excidit columnas septem, ad te fortiter & sublimiter sustentandam. Septem columnæ quibus firma semper stetisti, sunt septem dona Spiritus sancti quæ requieuerunt in te,& numquam te deseruerunt: per quæ stetisti firmiter & perseueranter in omni gratia & virtute.

4. Sed,benignissima Virgo Maria, licet superbenedictus Filius tuus,animam meam in domum elegisset ad habitandum in ea per gratiam; tamen ego proditor & facilis hospes, ipsum ignominiosè eieci per peccatum. Adiuua me ergo, pissima Virgo Maria, vt tuis precibus mundetur hæc misera domus ab omni peccato,& ora illum vt in ea habitet; hîc per gratiam,& in futuro sæculo per suam præsentiam,ad gloriam suam sempiternam. Amen.

CAPVT V.

De Nomine Virginis Mariæ.

1. VOcabitur tibi nomen tuum, ô beatissima Virgo Maria, *quod os Domini*, scilicet, Filius Dei, qui est os Patris, per Angelum *nominauit,* videlicet, *gratia plena.* Postea verò nomen Mariæ expressit, dicens: *Ne timeas*, Maria. Dedit enim tibi Virgini Mariæ tota supersancta Trinitas *nomen, quod* post nomen superbenedicti Filij tui, *est super omne nomen*; *vt in nomine tuo omne genu flectatur*; vti manifestè patet, *cœlestium, terrestrium & infernorum: & omnis lingua confiteatur*, huius sanctissimi nominis gratiam, gloriam & virtutem. Non enim est in vllo alio nomine, post nomen superbenedicti Filij tui, tam potens adjutorium: *nec est vllum aliud nomen datum sub cœlo hominibus*, post dulce nomen Iesu, *ex quo tanta salus hominibus refundatur.* Quia super omnia Sanctorum nomina, reficit lassos, sanat languidos, illuminat cœcos, penetrat duros, recreat fessos, vngit agonistas, & iugum diaboli extrudit.

Isa.62. *Phil.2.* *Act.4.*

2. Fama tui Sanctissimi nominis, clarissima Virgo Maria, priùs clausa fuit, quamdiu in mũdo morata fuisti. Sed post Assumptionem tuam in cœlum, diuulgata fuit per omnia mundi climata. Nam in prædicatione Apostolorum, in omnem terram exiuit sonus tui sanctissimi nominis, & manifestum toti mundo factum est. Tantæ virtutis & excellentiæ est tuum Sanctissimum Nomen, Beatissima Virgo, quòd ad inuocationem ipsius, cœlum ridet, terra lætatur, Angeli congaudent, dæmones contremiscunt,

& infernus conturbatur. Tanta est virtus tui Sanctissimi Nominis, ô semper benedicta Virgo Maria, quòd mirabiliter emollit & penetrat duritiam
Prou. 20 cordis humani. Ideò scribitur: *Lucerna Domini spiraculum hominis, quæ inuestigat omnia secreta mentis.* Sic etiam dicere tibi possumus, *Lucerna Domina*, Id est, Mariæ quæ doctrix & magistra maris interpretaris, spiraculum hominis: quia peccator per te respirat in spe veniæ & gratiæ, *quæ inuestigat*, id est, inuestigare facit, *omnia secreta mentis*, id est, abscondita cordis.

3. O misericordissima Virgo Maria, ego sceleratissimus peccator talis sum, & talem me feci, quòd nomen meum præ confusione non ausim nominare. Quia nomen Christiani habebam: sed nunc peccatoris. Idcircò adjuuare me digneris, piissima Virgo Maria, vt Christianus re & nomine euadam; & sic perseuerando, gratiam te & tuum Filium Regem æternùm laudandi, obtineam in vitam æternam.

CAPVT VI.

Quòd Maria sit apud Deum gratiarum inuentrix.

1. INuenisti gratiam apud Deum, ô dulcissima Virgo Maria; Gratiam, inquam, corporalem, quia fuisti vas innocentiæ purissimæ sine macula & labe, & virginitatis primipila, sine corruptione fœcunda, sine fastidio grauida, & sine dolore puerpera. Inuenisti Virgo Maria gratiam spiritualem; quia fuerunt in tua mente, deuotio humilitatis, reuerentia pudoris, magnitudo credulitatis, & martyrium cordis. Inuenisti Virgo Maria gratiam cœlestem, quia fuerunt in te ab originis labe præseruatio, Angelica salutatio, Spiritus sancti superuentio, & Filij Dei conceptio.


2. Sed qualiter, ô felicissima Virgo Maria, istas gratias inuenisti? Certè, ô superbenedicta Virgo Maria, sicut Eua gratiam amisit per superbiam, inobedientiam & curiositatem vanam; sic tu è diuerso, gratiam inuenisti quam nunquam amisisti, quæ futura eras omnium humilium obedientis-
Luc. 1. sima, & in Dei scientia solidissima. De tua humilitate scribitur: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ. Ecce enim ex hoc, beatam me dicent omnes generationes.* De tua obedientia: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Et tam solidæ eras sapientiæ: vt Deum solum magnificares, & in eo solo exultares; sicut de te in tuo cantico scriptum est: *Magnificat anima mea Dominum. Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.*

3. Has autem gratias humillima Virgo Maria, non tantùm propter te habuisti, sed etiam propter nos, vt multipliciter nos adjuuares. Et ideò, adjuuas in vita præsenti tam bonos quàm malos. Bonos, eos in gratia conseruando; Vnde de te canimus: *Maria mater gratiæ*; Malos, eos ad misericordiam reducendo: Ideò dicitur; *Mater misericordiæ.* Adjuuas etiam in morte, ab insidiis diaboli protegendo; Ideò subditur; *Tu nos ab hoste protege.* Adjuuas quoque post mortem animas suscipiendo, & eas in cœlum

deducendo; & ideò subinfertur; *& hora mortis suscipe.* Adjuuas tribulatos, dando eis patientiam: tentatos, dando eis victoriam: & in Dei amore famelicos, dando eis refectionem internam.

4. O benignissima Virgo Maria, ego peruersus & iniquus peccator me tentatum sentio, & prostratum ab inimicis, quibus in multis peccatis consensum præbui, & eundem opere compleui. Adjuua ergo me, clementissima Virgo Maria, perditæ gratiæ reparatrix; & da mihi patientiam in tribulationibus, victoriam in tentationibus, & pœnitentiam de commissis. Impetra veniam de præteritis, tribue in præsentibus cautionem, præsta in futuris aduersus omne malum fortissimam resistentiam: vt sic reliquum vitæ meæ in præsenti sæculo transigam, quòd tandem adipiscar tuas, & superlaudabilis filij tui perpetuas laudes in vitam æternam. Cui cum Patre & Spiritu sancto æqualis honor, immensa potestas, & interminata gloria in sæcula sæculorum. Amen.







IDIOTÆ SIVE RAYMVNDI IORDANI,

CANONICI REGVLARIS ORDINIS S. AVGVSTINI.

OPVS PLENVM DE B. VIRGINE
Scriptum anno 1380.

THEOPHILVS RAYNALDVS EX SOCIETATE IESV,

Lectori, ornamentorum magnæ Matris studioso.

NVPER *ad* oculum mysticum *huius ipsius Authoris, Raymundi Iordani, qui hactenus* IDIOTÆ *nomen prætulit, de eius nomine, ætate, muneribus, & quomodo ad horum omnium cognitionem peruenire licuisset, præfari meminimus; firmatis & comprobatis coniecturis illis circa hunc authorem, in quibus antea, citra omne extremum adminiculum, exercueramus ingenium.*

Nunc quoad tractationem eiusdem Authoris de B. Virgine, monendum videtur, tametsi edita iampridem est lucubratiuncula huius

Authoris de B. Virgine; eius tamen & istius quam nunc damus, non aliam institui posse comparationem, quàm fragmenti exigui, ad plenum opus. Continet antiqua illa lucubratiuncula, senarium dumtaxat Contemplationum, quæ omnes in hoc perfecto & integro Mariano opere reperiuntur. Prima, cuius initium, Trahe me post te, *est inuocatio Deiparæ, præfixa primæ parti totius operis. Secunda habetur parte secunda operis, estque ibi Contemplatio tertia. Quæ verò ibidem est quarta, tertiam in fragmento sedem occupat. Quarta eiusdem fragmenti Contemplatio, est prima tertiæ partis, in opere perfecto. Quinta est prima partis quartæ. Sexta est prima partis quintæ. Vltra has sex Contemplationes, è quibus antiqua de B. Virgine lucubratiuncula Idiotæ nomine prænotata, compingebatur; exhibentur hoc pleno opere sectiones siue partes septemdecim, quarum pleræque numerosissimæ sunt; ita vt aliquæ vltra quinquagenam, aliæ vltra vicenariũ Contemplationum excrescant: omnes summam ducentenarum quadraginta quatuor Contemplationum conficiant. Itaque verè, opus perfectum pro mutilo & admodùm imperfecto exhibemus.*

Quis verò hoc opus ita detruncavit, & pro messe plena, paucas illas spicas appenderit, haud facilè dixerim. Potuit Author ipse, quod diffusiùs secundis curis expandendum censuit, angusto priùs orbe finire, & sibi ipsi in exiguo opere proludere; iuxta S. Ambrosij monitum 1. offic. cap. 10. Qui nauem in mari regere gubernaculis studet, vel remis ducere, priùs in fluuio præludat. *Idque scriptoribus in vsu esse, vt veluti quandam linguæ calamíve rubiginem abstergant S. Hieronym. testatur, initio commentarij de vita Malchi captiui. Eundem esse Dei in plantandis conserendisque virtutibus, agendi modum, obseruat pulchrè S. Gregor. 22. Moral. cap. 22. & Petrus Dam. serm. de S. Alexio. Nec aliter egisse, ac etiamnum agere in naturæ ordine, pereleganter prosequitur S. Ambrosius epist. 12. respondens Symmacho, & Tertull. lib. de velandis Virginibus cap. 1.*

Non secùs igitur Authori cõtingere potuit, in scriptione de Deiparæ laudibus. Fortaßis etiam Iacobus Faber Stapulensis, qui Idiotam, aut prim⁹, aut inter primos prælo subiecit, vt aliis plerisq; lucubrationib⁹, quas ante annos aliquot ipsi vulgauimus, hunc Authorem pro arbitrio truncauit; (non enim plures quinque publico dederat,) ita vnam ex eo quinario tractationem, truncam exhibuit, & pro operè integro, specimen exiguum protulit. An vt commodo Lectoris seruiret, exiguitate voluminis? An quia pro fastidio illo præconiorũ Deiparæ, quod solemne

est Hereticis, inter quos tandem Faber vixit, eiurato Neraci apud Aquitanos Catholicismo, opus luculentum & copiosum de laudibus magnæ Matris quæ cunctas hæreses sola interemit in vniuerso mundo; imitatus patrem diabolum calcaneo mulieris fortis insidiantem, non ausus planè recidere, quod fecisse in editione Germanica spurios Lutheranos, expostularunt iampridem alij; at truncare, & specie compendij dispendium facere, consultius est arbitratus?

Vt vt sit, libellum hactenus de B. Virgine ab Idiota habuit Lector, nunc opus exhibemus plenum, & de pietate cæteris Idiotæ lucubrationibus nulla ex parte concedens. Eius editio debetur humanitati V. Cl. Ludouici de Caseneufue, Turonensis Medici, è cuius M.S.C. opus istud exscriptum est, diligentia optimi æquè ac eximiè eruditi Patris Gilberti Ionini nostri, ob cuius præcocem obitum res literaria meritissimò mœret. Contulimus & nos symbolam nostram. Omnia quippe recognouimus, emaculauimus, atque distinximus. Notationes verò quæ aliquibus locis opportunæ videri poterant, ac nominatim ad Christi ex vtero Matris semine agnoscit, tametsi prima destinatione nostra operi erant subtexendæ; tamen secundis cogitationibus dimissæ in præsentia sunt, quòd supplere earum defectum abundè posst opus nostrum, simul cum hoc ipso edendum cui titulus Diptycha Mariana, de cribrandis ementitis Deiparæ prærogatiuis, quæ nuperisscriptionibus, immanè quantum auctæ sunt augentur que ab alijs in dies. Vale.



PROOEMIVM CONTEMPLATIONVM

Super vita & laudibus gloriosæ Virginis Mariæ.



O PECCATOR, misericordiâ Domini nostri Iesu Christi indiges, sine qua saluari non potes. Attende igitur per deuotam mentis contemplationem ad gloriosam Virginem Mariam Matrem ipsius: quia per ipsam, & in ipsa, & cum ipsa habet mundus, habuit, & habiturus est omne bonum, scilicet eius benedictum Filium Iesum Christum: qui est omne bonum. Et inuentâ Virgine Mariâ, inuenitur omne bonum, ipsaque diligit diligentes se; imò seruit sibi seruientibus, ipsa benedictio Filio suo irato potentissimè reconciliat seruos & amatores suos. Et tanta est eius benignitas, quòd nulli formidandum est accedere ad eam: & tanta eius est misericordia, quòd ab ea nullus repellitur. Imò donis & charismatibus ædificat seruos suos; vt benedicti Filij sui, & Spiritus sancti digna fiat habitatio: ipsa preces & seruitia seruorum suorum, & sacrificia, & maximè quæ ei exhibentur, offert in conspectu diuinæ majestatis. Quia ipsa est Aduocata nostra ad Filium, sicut Filius ad Patrem. Imò apud Patrem & Filium procurat negotia & petitiones nostras. Et sæpe, quos iustitia Filij potest damnare, Matris misericordia liberat: quia thesaurus Domini est, & thesauraria gratiarum ipsius; & donis spiritualibus ditat copiosissimè seruientes sibi: & potentissimè protegit eos à triplici aduersario, scilicet mundo, carne, & diabolo: quia salus nostra in manu ipsius est: & post Filium eius Domina est vniuersæ creaturæ: quæ glorificabitur in futuro seruientes sibi, si eam honorificent in præsenti. Et ideò, iuxta consilium B. Bernardi, *Mariam semper cogita; Mariam semper inuoca: non recedat ab ore; non recedat à corde: & vt impetres eius orationis suffragium, ne deseras conuersationis exemplum.* a Cæteri enim sancti iure quodam patronatus sibi commissis specialiter plùs possunt prodesse in curia Altissimi, quàm alienis: B. Virgo, sicut est omnium Regina, sic est omnium Patrona & Aduocata: & cura est sibi de omnibus. Longè enim positos illuminat radiis misericordiæ suæ, sibi propinquos per specialem deuotionem consolationis suauitates secum existentes in patria excellentiâ gloriæ. Et sic non est, qui se abscondat à ca-

fore eius, id est, à charitate & dilectione ipsius. Vt autem à memoria tua non recedat, subsequens tractatus describitur, vt in ipso assiduè contemplando legas hinc inde, ne tua fragilitas in lectura vnius materiæ fatigetur, prout deuotio tibi dictauerit; quia hoc tibi meliùs ostendet deuotio quàm sermo, & meliùs gratia, quàm scriptura. Et cùm sacratissima Virgo Maria cor tuum illuminabit ad deuotionem, memento ex debito charitatis illam iugiter & deuotè exorare pro me miserabili peccatore, vt mihi indulgentiam obtineat peccatorum meorum: vt ne iste labor inutilis reputetur, quem texui ex alienis filis; Matrem misericordiæ, ad cuius honorem ista scripsi, humiliter deprecor, vt gratiam legenti impetret in præsenti, & in futuro gloriam æternam. *a D. Bernard. serm. 2. super Missus est.*



TRactatus iste de Vita & Laudibus Gloriosæ Virginis Mariæ, procedit per Contemplationes breues ne legens in prolixa lectura valeat fatigari. Sed si ad eam Lector deuotè recurrat, docebitur in paucis verbis multa contemplari. Et Tractatus iste diuiditur in decem & septem partem.

PArs I. consistit in viginti & vnâ Contemplationibus circa sacratissima Membra singulariter gloriosæ Virginis Mariæ.

Pars II. consistit in quinque Contemplationibus de Sanctificatione gloriosæ Virginis Mariæ.

Pars III. consistit in octo Contemplationibus de Natiuitate gloriosæ Virginis Mariæ.

Pars IV. consistit in septem Contemplationibus de Nomine gloriosæ Virginis Mariæ.

Pars V. consistit in octodecim Contemplationibus de Gratiis concessis gloriosæ Virgini Mariæ.

Pars VI. consistit in vigintiduabus Contemplationibus de virtutibus specialibus gloriosæ Virginis Mariæ.

Pars VII. consistit in septem Contemplationibus de Salutatione gloriosæ Virginis Mariæ.

Pars VIII. consistit in viginti & vnâ Contemplationibus de Conceptu & partu gloriosæ Virginis Mariæ.

Pars IX. consistit in tredecim Contemplationibus de Gaudiy gloriosæ Virginis Mariæ quæ habuit in hoc mundo, & aliis quæ nunc habet in cœlo.

Pars X. consistit in decem Contemplationibus de septem verbis quæ locuta est gloriosa Virgo Maria.

Pars XI. consistit in quatuor Contemplationibus de Charitate gloriosæ Virginis Mariæ ad Deum & proximum.

Pars XII. consistit in septem Contemplationibus de Tribulationibus & Doloribus gloriosæ Virginis Mariæ.

Pars XIII. consistit in duodecim Contemplationibus de Prærogatiuis gloriosæ Virginis Mariæ.

Pars XIV. consistit in sexaginta & octo Contemplationibus de diuersis Vocabulis gloriosæ Virginis Mariæ.

Pars XV. consistit in quatuordecim Contemplationibus de Bonis quæ habemus per gloriosam Virginem Mariam.

Pars XVI, consistit in decem Contemplationibus de iis quæ debemus gloriosæ Virg. Mariæ.

Pars XVII. consistit in sex Contemplationibus qualis debet esse Seruus vel seruiens gloriosæ Virginis Mariæ.





INCIPIVNT CONTEMPLATIONES IDIOTÆ DE BEATA VIRGINE.

1. TRAHE *me post te*, Virgo Maria, trahe me post te, vt curram in odorem vnguentorum tuorum. Trahe me post te, quia retinet me peccatorum ponderositas. Trahe me post te, quia me ligat carnalis concupiscentiæ voluptas. Trahe me post te, quia decipit me hostium peruersorum maligna calliditas. Trahe me post te, vt perueniendi ad te augeatur celeritas: sicut enim nemo venit ad tuum Filium benedictum, nisi Pater traxerit illum; sic etiam quodammodo possum dicere, nemo venit ad Filium tuum gloriosum, nisi tuis sanctissimis precibus traxeris eum. Trahe me igitur torpentem, vt me reddas currentem; trahe me peccantem, vt me reddas pœnitentem; trahe me ignorantem, vt me reddas scientem. Cant. 7

2. *Vt curram in odorem vnguentorum tuorum*, id est, in fragrantiam virtutum tuarum, quæ velut vnguentum redolent, & fragrant, dolores mitigant, vulnera sanant; tua vnguenta fragrantissima sunt, scilicet, cœlestis sapientia, spiritualis gratia, & immarcessibilis gloria; verbis enim tuis & exemplis doces veram sapientiam, quia doctrix es sapientiæ Dei; peccatoribus impetras gratiam, & honorantibus te promittis gloriam, impetra igitur tuis assiduis deprecationibus, vt te laudem, te glorificem, te benedicam, tuas virtutes enarrem, tua mirabilia nunciem, tuam sanctam & exemplarem vitam prædicem, scripta de te elucidem, vt habeam vitam æternam: quia scriptum est de te, *qui elucidant me, vitam æternam habebunt.* Eccl. 24.21.

PRIMA PARS.

Contemplatio I.

De Capite Virginis Mariæ.

1. CAPVT *tuum vt Carmelus, a* misericordissima Virgo Maria, quia Carmelus est mons altus & pinguis: vnde caput tuum, id est, intellectus, qui consistit in capite, fuit altus propter eminentiam contemplationis; quia tuus intellectus semper fuit eleuatus ad Deum propter tuam contemplationem continuam: & limpidiùs contemplabaris præ omnibus alijs Sanctis Deum, cœlestia & æterna, quia cœlos attingebas stans in terra: & (vt à multis creditur piè) & jam viatrix beata anima tua, frequentiùs comprehendebat, & fruebatur. Et licet vitæ actiuæ omnia opera Filio tuo benedicto exhiberes: interiùs tamen à diuina contemplatione nullatenùs recedebas, in hoc possidens Angelicam perfectionem. Nam Angeli, cùm ad nos mittuntur, sic ministrant exteriùs, quòd tamen interiùs à Dei contemplatione non recedunt.

2. Caput tuum benedictum humiliasti ad Deum; Caput tuum Carmelus, id est, propter largissimam pinguedinem gratiarum singulorum membrorum tuorum regimen præcedebat; sicuti per caput regitur totum corpus. Ex hoc multiplex fructus bonorum operum subsequutus fuit; quia ex tua substantia virginali Summus Pontifex assumpsit hostiam suæ carnis, quam in ara Crucis pro mundi salute eleuatis in Cruce manibus sacrificium obtulit vespertinum: cujus suauissimus odor deliniuit iracundiam Dei Patris: & ex te traxit, non feruorem vulneris, sed materiam medicaminis.

3. Ego verò miserrimus peccator; & omni miseriâ plenus, omníque pœnâ dignus, præmissa non contemplando, neque aliqualiter gratias referendo non adhæsi capiti meo benignissimo Domino Iesu Christo, caput meum humiliando sibi, per deuotam contritionem, confessionem, & veram ac condignam satisfactionem; sed caput meum iniquum erexi per superbiam de me præsumendo, tuum benedictum Filium & te non cognoscendo, gratias mihi datas vilipendendo, peccata plurima committendo, proximum lædendo, seu voluntatem nocendi habendo. Heu! clementissima Virgo Maria, compati mihi digneris misero, inclina caput tuum Filio tuo benedicto; & ora, vt caput meum superbum & ingratum, humiliare dignetur; vt ipsum, & te diligendo cognoscam, peccata emendem, proximum non lædam, sed diligam; in bonis operibus perseuerem: & cursu præsentis vitæ finito, cum gloriosissimo capite meo Iesu Christo requiescam per infinita sæculorum sæcula. *a Cantic. 7. 5.*

Contem-

Contemplatio II.

De Capillis Virginis Mariæ.

1. COmæ *tuæ*, gloriosissima Virgo Maria, *sicut elata palma.* Per Comam seu Capillos, intelliguntur sanctæ cogitationes tuæ; quia, sicut capilli adhærent capiti, sic cogitationes tuæ, Virgo benedicta, adhærent capiti tuo, id est, Iesu Christo Filio tuo per amorem. Sunt elatæ sicut folia palmarum; quæ ideò dicuntur *Elatæ*, quia erectæ & sublimè tendentes, meditando iugiter de cœlestibus, parum autem, aut nihil de terrenis. Fuerunt etiam elatæ cogitationes tuæ per charitatem & pietatem, cogitando de salute humani generis: fuerunt acutæ sicut folia palmarum, propter cogitandi subtilitatem & libertatem; quia non molestabant te cogitationes phantasticæ. Cogitabas enim quidquid volebas, & nihil nisi quod volebas, sic igitur fuerunt tuæ cogitationes amplæ charitate, libertate dilatatæ, acutæ subtilitate, & sublimes rectitudine. Cant. 5 11.

2. Capilli tui, id est cogitationes, fuerunt, molles pietate & benignitate; flexibiles obedientiâ & compassione; longi perseuerantiæ longanimitate; insensibiles, patientiæ veritate; extenuati, voluntariâ paupertate; continuè crescentes, iugi melioratione; subtiles, ineffabili Deitatis contemplatione; sæpiùs abluti, lacrymosâ & deuotâ Filij recordatione, maximè post Ascensionem in capite radicati, id est Christo, qui est caput nostrum, Fide, Spe, & Charitate: ipsi capiti adhærentes, sincera dilectione; ab ipso capite incrementum recipientes, iugis gratiæ subministratione; ab ipso capite inferiùs descendentes, verâ humiliatione; ipsum caput, à quo oriuntur, calefacientes ab omni frigore infidelitatis; qui te etiam ab omni æstu cuiuslibet concupiscentiæ protegebant: & horum gratiâ ipsi Deo Trinitati, & sanctis Angelis amabilis, appetibilis, & admirabilis, eras: quia tu Virgo Maria, subtiliùs quàm vniuersi alij contemplatiui oculo summæ contemplationis, Diuinitatis penetrabas arcana.

3. Sed heu, benedicta Virgo Maria, ego miserrimus peccator capillos non habeo; scilicet cogitationes bonas: sed habui caluitium, quod est carere huiusmodi cogitationibus sanctis: & sicut caluitiuum deturpat & dehonestat caput, sic carentia sanctarum cogitationum & meditationum deturpat & dehonestat caput animæ meæ, id est, mentem meam; quæ semper de cœlestibus vtilitatibus animæ cogitare debebat. Adiuuare me digneris, Domina, peccatorum Aduocata; non permittas me ampliùs decaluari, ne desint mihi capilli sanctarum cogitationum; vt terrenis affectibus spretis, cœlestia cogitem, ad quæ perueniam, & illa possideam per infinita sæcula sæcula sæculorum. Amen.

Contemplatio III.

De Fronte Virginis Mariæ.

1. SIngulariter benedicta, & omni laude dignissima gloriosa Virgo Maria, frons tua designat in te verecundiam virginalem, & discretam simplicitatem, nam in frontis planicie & candore, qui superfunditur quasi quodam roseo rubore, designatur verecundia virginalis. Planicies se ad simplicitatem habet, candor ad munditiam, rubor ad charitatem. Frons igitur tua verecundiam in te ostendebat, quæ est custos virginitatis. Et ideò cum audisses Angelum te salutantem, præ verecundiâ turbata fuisti in sermone eius, tantâ rei nouitate suspensa, & ingenti admiratione permota.

2. Audiens autem nouam formam salutationis, ignorabas quod significare volebat Angelus, qualis esset ista salutatio, perpendens: in hoc verbo *Aue*, nominis *Eua* conuersionem, & ipsius mutationis perscrutans Sacramentum: videlicet sicut Eua fuit causa maledictionis, sic tu esses causa benedictionis: quia enim Virgo eras, ad inopinatum euentum, vt verecunda, pauere cœpisti: sed quia Virgo prudentissima, subito pauore superari non potuisti; sed consilium regente Spiritu sancto, cogitabas qualis, id est, quàm noua, quàm inaudita, quàm perutilis, quàm admirabilis, quàm dulcis, & quam suauis esset ista salutatio. Audieras enim Angelos locutos mulieribus & viris; audieras etiam benedictiones legis, sed salutationem talem, & benedictionem, nunquam legeras, vel audiueras: ideò turbata fuisti, sed non locuta, in hoc imitando Dauid dicentem,
Psal. 76. 5. *Turbatus sum, & non sum locutus*, hæc enim turbatio Virginis, pudoris erat. Rubor igitur tuæ frontis verecundiam & pudorem ostendit, ne scilicet audires, sicut nec posses, præsertim post conceptum virgineum, cogitare, loqui, audire, vel facere aliquid inhonestum, aut nutu, aut signo, aut gestu, aut risu.

3. Sed, beatissima Virgo Maria, ego sceleratissimus peccator frontem meam durissimam erigendo, verecundiam postposui in peccando; nam peccare non erubui, sed de peccatis mei iactaui, & illa publicè frequenter commisi, præsumens ex iis humanas laudes exquirere; & sic ego miserabilis peccator, grauiora peccata feci illa committendo, & superbiendo de ipsis, & malum exemplum proximis ostendendo, & ad peccatum inducendo verbo, & opere. Auxiliari mihi digneris, dulcissima Virgo Maria, vt mollificetur & humilietur frons mea durissima, & superba, & offensiones nequissimè perpetratas agnoscam, & agnitas defleam & emendem, vt regnum æternum acquiram & possideam, per infinita sæculorum sæcula. Amen

Contemplatio IV.

De Oculis Virginis Mariæ.


1. ECCE *tu pulchra es*, dulcissima Virgo Maria, *Ecce tu pulchra es; oculi tui columbarum*, per veram simplicitatem: quia Columba auis simplex est; sicut oculi tui, Virgo benedicta, simplices fuerunt, non simplicitate fictâ, quæ est hypocritarum, qui se componunt secundùm exteriorem hominem in vultu, gestu, habitu, & vestibus, vt credantur boni: non simplicitate indiscretâ, quæ est stultorum; sed simplicitate verâ, & discretâ, quæ est iustorum: quam præcepit habere benedictus Filius tuus, dicens: *Estote simplices sicut Columbæ.* Hanc autem simplicitatem tu, Virgo, habuisti super omnes creaturas, per quam tria incommoda euasisti, quæ solent sequi simplicitatem. Primum est temeritas; quia de facili simplices decipiuntur; sed tu, Virgo Maria, loco temeritatis, habuisti prudentiam spiritus in distinguendo Angelum, cui consentire debebas. Secundum est, debilitas; simplices enim de facili credunt, quia resistere nesciunt; tu verò, Virgo benedicta, sic prudens & fortis fuisti quòd caput antiqui serpentis contriuisti. Tertium est timiditas, quia simplices non audent ardua aggredi: sed tu, Virgo felicissima, audacter aggressa es summè ardua, credendo Dei Filium de te incarnari, & respondendo, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum*, quia oculus tuus, Virgo Maria, fuit simplex, totum corpus tuum fuit lucidum, non habens partem aliquam tenebrarum.

Cant. 1. 14. — Mat. 10. 10. — Luc. 1. 38. — Luc. 11. 38.

2. Oculi tui, Virgo Maria sacratissima, sunt sicut flamma ignis; quia illuminant & calefaciunt, exterrent, & exurunt. Illuminant enim amatores suos luce sapientiæ ad cognitionem veri, & eos inflammant amore iustitiæ, ad delectationem boni; aduersarios verò terrent ferocitate comminationis, exurunt incendio damnationis. Et sicut oculi Domini super iustos; sic oculi tui, Virgo præclarissima, super peccatores: & sicut bonæ matris oculi sunt super puerum, ne cadat; vel, si ceciderit, vt eum releuet; sic oculi tui, Virgo præclarissima, misericordes sunt super seruos tuos, ne per peccatum cadant; &, si ciciderint, vt à peccatis resurgant. Ideò clamas seruis tuis: *In via, quâ gradieris, firmabo super te oculos meos.* Ps. 31. 8.

3. O gloriosissima Virgo Maria, oculi tui benedicti in pauperem respiciant; ego enim sum pauper & inops, carens omni virtute, & abundans vitiis & peccatis oculos habeo fixos ad terram & terrena per concupiscentias malas, & iniquas. Respicere me dignêris, benignissima Virgo Maria, oculis pietatis & misericordiæ, vt à peccatis resurgam, & oculos eleuem ad misericordiam tui Filij benedicti. Eya ergo, Aduocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte. Impetra mihi miseri-

mo peccatori gratiam hîc benè viuendi, vt in fine hujus ergastuli possim cernere oculo ad oculum tuum Filium benedictum, & frui gloria suâ per infinita secula seculorum. Amen.



Contemplatio V.

De Genis Virginis Mariæ.

Cat.1.9. 1. PVlchræ *sunt genæ tuæ, sicut Turturis*, sacratissima Virgo Maria. In genis namque pulchritudo maximè notatur, ad quarum pulchritudinem est necessarius candor, & rubor. Per candorem designatur puritas, & per ruborem charitas; Tu, Virgo gloriosissima, candidissima fuisti per candorem purissimæ virginitatis; quia candor es lucis æternæ, quia per te videbitur lux æterna, id est, Filius tuus benedictus, quem tu peperisti lucem veram, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Fuit etiam in te rubor charitatis, & dilectionis; quia byssus & purpura indumentum tuum: byssus candoris, & purpura charitatis: ideò sunt pulchræ genæ tuæ per candorem, & ruborem.

2. Pulchræ sunt, sicut turturis; turtur enim castissima auis est, & sic denotat candorem puritatis; nec rostro, nec vnguibus lædit etiam minimas auiculas, & sic denotat innocentiam. Habet etiam rutilantiam plumarum circa genas, & sic denotat ruborem charitatis: & ideò hæc auis primò nominatur in Canticis; quia istæ tuæ virtutes, scilicet Castitas, Innocentia, & Charitas, omne bonum inchoarunt & consummarunt. Istæ namque virtutes pulchrificarunt, & pulchras genas, Virgo intemerata, tibi fecerunt, vt bonum faceres, nullum læderes, Deum & proximum diligeres, Angelos lætificares, vitia abhorreres, virtutes in te continuè augeres, vitâ & moribus Deo placeres: & opera misericordiæ exerceres, terrena despiceres, cœlestia cogitares, & appeteres, peccatores à peccatis reuocares, ac eis veniam impetrares, dæmones terreres, ad te venientes conseruares, iram Dei mitigares, pacem faceres, & per te justè viuentes, adjuuares; vt per te benedicerentur omnes gentes, pulchræ igitur sunt genæ tuæ.

3. In genis etiam denotatur masticatio ciborum: Tu verò, sanctissima Virgo, masticasti cibum Euangelij Sanctis Apostolis, & Euangelistis, immò & omnibus sequacibus eorum; cujus Euangelij veritatem Verba, & ordinem conseruaueras in corde tuo. Pulchræ igitur sunt genæ tuæ, absque eo quod intrinsecùs latet, soli Deo cognitum, nemini alteri manifestum; nam quanta sit tua species, ille solus nouit, qui dedit.

4. Sed, Virgo sanctissima, audi, & exaudi me miserum peccatorem genas habentem, non candidas per puritatem, sed denigratas per crimina & peccata; non innocentes, sed iniquitate plenas; in quibus rubor apparet,

non charitatis, sed vindictæ & malignitatis. Ora tuum Filium benedictum, vt genas meas faciat candidas per peccatorum recordationem, & condignam satisfactionem: conferat misericorditer ruborem perfectæ charitatis sui & proximi; vt illum, qui candor & charitas est, videre valeam placatum: facie ad faciem, per infinita sæcula sæculorum. Amen.



Contemplatio VI.

De Coloratione Virginis Mariæ.

1. NON est, nec fuit tibi similis, gloriosissima Virgo Maria, pulchritudine coloris. Filius tuus gloriosissimus bis colorauit te, bis decolorauit te, & bis recolorauit. Colorauit te in tua beatissima sanctificatione, gratiam conferendo; quia antè fuisti sancta, quam nata. Colorauit te in tua sancta & fœlicissima Conceptione, per infusionem gratiæ amplioris: Contulit enim tibi gratiam fœcunditatis, & illibatum conseruauit candorem virginitatis; & tunc ampliatus est in te decor feruentioris charitatis.

2. Decolorauit te in opinione hominum, qui videntes te grauidam, reputabant te corruptam; & tunc dicere poteras, *Nigra sum, sed formosa*. Nigra sum, judicio hominum, qui reputant me corruptam; sed formosa, quia Virgo purissima. Nigra sum, id est, notata crimine adulterij mihi falso objecto; sed formosa sum interiùs, quia carens omni maculâ & adornata omni virtute. Decolorauit te in sua acerbissima passione, quadam doloris nigredine, cùm tuam animam gladius, id est passio filij tui, pertransiuit: & ideò dicere poteras, *Nigra sum, sed formosa*; nigra exteriùs, pressuris tribulationum; formosa interiùs, decore virtutum; nigra tribulatione, formosa charitate; nigra in terris, formosa in cœlis; nigra in oculis insipientium, formosa intellectui sapientium; nigra corporalibus miserijs, sed formosa cœlestibus desiderijs. Cant. 1. 4.

3. Recolorauit te benedictus Filius tuus in sua gloriosa resurrectione, quando iterum ortus est Sol, qui oriens omnibus rebus reddidit proprios colores: quoniam gaudium, quod habuisti de resurrectione Filij tui, abstersit ab anima tua nubilum totius tristitiæ. Recolorauit etiam te in Apostolorum prædicatione, quando ipsi, prædicantibus toti mundo innotuit Iesum Christum fuisse natum ex tuo vtero virginali.

4. Sed purissima Virgo Maria, gloriosus Filius tuus me creaturam suam colorauit in susceptione lauacri sacri Fontis per infusionem gratiarum, & post etiam me colorauit diuersas gratias conferendo, & inspirationes salubres ad benè operandum largiendo; sed ego iniquissimus peccator me decoloraui, peccata nequissima multipliciter perpetrando, & in eis perseuerando: & licèt benedictus Filius tuus frequenter me recolorarit per dolorem, & confessionem, ac satisfactionem de ipsis; tamen ego ingratissimus

per reuersionem ad peccata me iterum atque iterum decolorabam, & in ista decoloratione perseueraui & perseuero. Auxiliari mihi digneris, Virgo benignissima, tuâ clementiâ, orando Filium tuum benedictum, vt me dignetur in præsenti sic colorare, sordes peccatorum meorum abluendo, & animam meam bonis operibus colorando, vt mundata appareat in conspectu eius, & viuat per gloriam sempiternam. Amen.

Contemplatio VII.

De Auribus Virginis Mariæ.

1. BEATISSIMA Virgo Maria, quis dignè tibi potest summa gratiarum & laudum præconia impendere, quæ per aures pijssimas tuas mundum lapsum subleuasti, & de morte ad vitam reduxisti? sicut enim mors per fenestras aurium intrauerat in orbem terrarum, sic per aures tuas humillimas vita intrauit; & auditu tuo simplici suscepisti ad nostram salutem nuntium Gabrielem. A tuo pijssimo auditu initium sumpsit reparatio nostra, vt inde intraret remedium, vnde morbus irrepserat: & eisdem vestigijs sequeretur vita mortem, lux tenebras, veritatis antidotum serpentis antiqui mendacium venenatum; & vitæ janua foret auditus, per quem intrauerat mors in mundum, & sic per auditum tuum benignissimum auditui meo gaudium & lætitia promittuntur, audiuisti & auribus intentis percepisti nuntium humilem Archangelum Gabrielem, noua toti mundo gaudia nuntiantem.

2. Tuæ benedictæ aures sunt intellectus & affectus: sensum retinendi & intelligendi habuisti, & affectum diligendi & promerendi ea, quæ tibi promittebantur; ille autem quodammodo auribus caret, qui de cœlestibus donis, quæ sibi promittuntur, curam non habet. Sed tu, gloriosa Virgo Maria, non negligenter promissa per Angelum, auribus percepisti, sed intelligendo & credendo promissa, fideliter aures pias aperuisti; & ideò dicere poteras, *Dominus Deus aperuit mihi aurem; ego autem non contradixi, neque retrorsum abij.* Mansueta fuisti ad audiendum verbum, quia in mansuetudine suscepisti insitum verbum Dei; per te autem, gloriosa Virgo Maria, exaudit Filius tuus pauperes spiritu: & ideò dicitur tibi, *Præparationes cordis eorum* (scilicet humilium) *audiuit auris tua*, id est, tu, Virgo Maria, quia te mediante pauperes exauditi sunt, sicut homo audit mediante aure sua

Isa.50.5. *Psal. 10. 17.*

3. Sacratissima Virgo Maria, ego impijssimus obturaui aures meas more aspidis, nolens exaudire voces incantantium, id est, prædicantium, aut medici medicantis sapienter: sed eas aperui fæcibus verborum inutilium, detractoribus & detractionibus, mendaciis, iniquitatibus & peccatis: per ipsas enim mors intrauit in animam meam. O Virgo misericordissima, in-

clina aurem tuam ad me, & exaudi verba mea! Ora Filium tuum benedictum, vt det mihi purgatorium confessionis humilis, quo purgem aurem cordis mei, vt mundatus à fæcibus peccatorum, gloriam cœlestem assequar in æternum. Amen.

Contemplatio VIII.

De Naso Virginis Mariæ.

1. NASVS *tuus*, speciosissima Virgo Maria, *sicut Turris Libani, quæ respicit contra Damascum.* Nasus tenet in facie eminentissimum locum, & significat discretionem. Tua igitur discretio, Virgo Maria gloriosa, est nobis turris Libani, quæ respicit contra Damascum, qui interpretatur *sanguinem bibens*; & figurat diabolum qui sitit iugiter bibens sanguinem animarum. Tua autem discretio præsentiens diaboli malitiam, velut fœtorem quemdam, pro peccatoribus iugiter respicit contra ipsum, & pro ipsis te viriliter ei opponis, velut quædam turris: & virtuoso castitatis candore, quæ figuratur in Libano, qui interpretatur, *candidatio*, conteris carnalem concupiscentiam velut caput serpentis. *Cant. 7.4.*

2. Ministerio nasi purgantur humores capitis: & adiutorio tuo, Virgo gloriosa, purgantur vitia, & praui humores mentis, quæ est caput animæ. Nasus discernit inter fœtorem & odorem: & tu, Virgo benedicta, ad virginitatem te ipsam velut ad aromata conuertisti, & carnis corruptionem, velut fœtorem longè à te projecisti. In naso attenditur motus indignationis: & tu, Virgo sanctissima, quidquid vile est & sordidum, detestabaris, & omnem mundanam altitudinem extollentem se aduersus Deum, abominabaris. Per nasum attrahitur & emittitur spiritus: & tu, Virgo sacratissima, attrahis spiritum, & eumdem ad alios emittis, exemplo Domini, qui in faciem hominis *inspirauit spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem. Insufflauit etiam, & dixit, Accipite Spiritum sanctum.* Sic, tu, dulcissima Virgo Maria, dicendo, monendo, consulendo, pro peccatoribus orando, inspiras spiraculum vitæ, quo reuiuiscant à morte peccati. *Genes. 2. 7. Ioan. 20. 22.*

3. Tuus nasus non fuit paruus, quia non defuit tibi discretio: non fuit grandis, quia non adfuit tibi præsumptio; non fuit tortus, quia nulla occasione declinauit à recto; & ideò fuisti idonea ministrare Domino, vt dicere valeres, *In habitatione sancta coram ipso ministraui.* Nasus tuus fuit sicut turris Libani, propter fortitudinem constantiæ, & altitudinem virtutum, & candorem continentiæ: quia Libanus dicitur *Candor.* Non declinasti ad dexteram, per prospera, nec ad sinistram, per aduersa; sed in rectum, sicut turris, versus cœlum protendebaris. *Eccl. 24. 14.*

4. Ego verò nequissimus habui interdum, nasum quidem longum, per præsumptionem & superbiam, præsumendo de me, & actibus meis: quandóque habui nasum paruum, per defectum discretionis; quia circa gubernationem animæ meæ valdè indiscretus fui: habui etiam quandóque nasum tortum, non incedendo per viam rectam mandatorum Dei, sed per viam indirectam vitiorum & errorum diuersorum. Ora benedictum Filium tuum, benignissima Virgo Maria, vt me à deuio reuocet; vt per viam rectam incedam, discretionem teneam, & fortitudinem, ad resistendum peccatis, vt per viam virtutum incedendo, gloriam obtineam sempiternam. Amen.

Contemplatio IX.

De Labiis Virginis Mariæ.

Cant. 4. 11. 1. FAuus *labia tua, distillans*, dulcissima Virgo Maria. Iustè comparantur fauo distillanti labia tua gloriosa, propter dulcedinem mellifluam, in quibus Spiritus sanctus singulorum charismatum diffudit abundantiam. Labia tua, sanctissima Virgo Maria, benedicto Filio Dei & tuo, diuini fœderis & humani dulcia oscula propinarunt: habito enim respectu ad illud responsum dulcissimum & omni suauitate plenum, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum*: dictum est tibi in Psalmo, *Diffusa est gratia in labiis tuis*: id est, vniuersitas gratiarum diffusa est, totíque mundo abundanter distributa per te. Diffusa est igitur in labiis tuis, hoc est, in responsione tua dulcissima & gratissima, quâ Deo Trinitati reconciliatus est mundus. Priùs peruersi homines, ad Deum conuersi; & qui priùs sordescebant, à peccatis mundantur: propterea benedixit te Deus, non sinistrâ, quâ temporalia, sed dexterâ, quâ dantur æterna; ideò dixit, *in æternum*, id est, benedictione ducente ad æternitatem: longitudo enim dierum in dextera tua.

(Luc. 1. 38. Psal. 44. 3.)

2. Labiis tuis, Virgo Maria Mater, sæpè osculata es gloriosissimum Filium tuum, quem tantùm diligebas, & gloriosus Filius tuus sæpissimè osculatus est te matrem suam dilectissimam. O fœlicissima oscula! omni puritate plenissima, dilectione non vacua, omni pace & cōcordiâ abundanter repleta, omni suauitate redolentia! quæ noua fuerunt scilicet inter cœlum & terram, inter diuinam naturam & humanam, inter virginitatem & fœcunditatem, inter cor humanum & fidem, inter Deum & creaturam, inter Angelum & hominem: quæ omnia maximè discordabant, & sancto illo osculo, omnia sunt osculata. Ideò appellaris columba, quæ inter omnes aues sola osculum nouit.

Cant. 4. 3. 3. Labia tua, Virgo Maria, dicuntur *vitta coccinea*, quia sicut per vittam restringuntur capilli sic per labia tua restringuntur capilli, id est, cogita-

cogitationes tuæ; quas vagari, fluere, dispersi, aut à Christo elongari non permittis. Dicuntur labia tua *coccinea*, quia habent colorem flammeum, quo ad amorem Dei & proximi inflammantur: quibus etiam labiis dulcifluas orationes tuas pto peccatoribus formas in conspectu Vnigeniti tui. Labia tua *coccinea* per memoriam, & recordationem Passionis Filij tui, quæ docuerunt ipsius Passionem sanctos Euangelistas, & maximè S. Lucam. *Fauus ergo distillans labia tua.*

4. Sed, Virgo piissima, labia mea iniqua, non distillant dulcedinem, sed amaritudinem; non vtilia, sed inutilia; non bona, sed turpia; non colloquia decentia, sed praua & dolosa; non ad meritum, sed ad animæ damnum; non ad ædificationem proximi, sed ad destructionem. O piissima Virgo Maria, exora dulcissimum natum tuum, qui labia mea ab omni inquinamento mundet, vt eum & te laudem, & glorificem in æternum. Amen.

Contemplatio X.

De Dentibus Virginis Mariæ.

1. DENTES *tui eburnei*, speciosissima Virgo Maria: quia ad oris pulchritudinem multum faciunt dentes mundi, candidi, & absconsi, moderatæ quantitatis, & quasi per gyrum ordinatè dispositi. Ideò, gloriosa Virgo Maria, dicuntur dentes tui *eburnei*; quia candidi & mundi. Tui candidissimi dentes masticarunt (vt piè creditur) paruulo tuo Filio Iesu Christo cibum suum, pro vt mos est nutricibus. Sensus autem tuus, & studiositas, quæ duo significantur per dentes, masticarunt, attriuerunt, manderunt, & animæ tuæ incorporarunt veluti viuentes herbas, diuinarum Scripturarum sententias: & posteà ostendisti studentibus multa ambigua diuinæ sapientiæ in verbis tuis & gestis. Vnde promittis quod dicit Scriptura, Eccl. 24. 46. *doctrinam, quasi prophetiam, effundam, & relinquam illam quærentibus sapientiam.*

Ezech. 27. 15.

2. Ad hanc igitur doctrinam, scilicet, Paupertatis, Humilitatis, & Castitatis, quasi prophetiam, id est, signum futuri addidisti. Doctrinam istam, Virgo Maria benedicta, effudisti abundantiùs quando Ordines fuerunt instituti ad honorem tuum, vbi docet doctrina virginitatis per votum, contra luxuriam; paupertatis, per abrenunciationem; proprietatis, contra auaritiam; humilitatis, per votum obedientiæ, contra superbiam. Effudisti igitur doctrinam, quasi prophetiam, id est, notitiam figurarum, quas reuelas per gratiam tuam, cui vis, & quantùm vis: quasi prophetiam, idest, sine falsitate, & cum omni veritate: siquidem quia priùs bibisti de fonte æternæ sapientiæ, reuelare potes, cui vis, arcana secretorum Dei, qui te cibauit pane vitæ & intellectus, & aqua sapientiæ saluta-

ris potauit te. Relinquis illam insuper quærentibus sapientiam; *Quærentibus* dicit, non *Inuenientibus*: id est, illis, qui sunt in studio quærendi, non in præsumptione habendi: quia *Deus superbis resisti*. Relinquis ergo quærentibus sapientiam, non mundi, sed Dei, quæ desursum est.

Iacob.4.6 1.Petr.5.5.

3. Hanc ego miserabilis peccator non merui, nec mereor, propter innumerabilia peccata mea, & infinitas negligentias, & iniquitates meas, quas hactenùs commisi, & adhuc committere non desino. Sed tu, misericordissima & benignissima Virgo Maria, effunde cum effectu in me seruulo tuo hàc salubrem doctrinam, per quam peccata relinquam, virtutes acquiram, tuo benedicto Filio placeam, vitam meam miserabilem in bonam & tibi placentem commutem, vt labili vitâ istâ finitâ, vitam stabilem consequar sine fine. Amen.



Contemplatio XI.

De Lingua Virginis Mariæ.

Eccl.6.5. 1. LIngua tua, pretiosissima Virgo Maria, lingua est eucharis, id est, benè gratiosa: quia calamus fuit scribæ velociter scribentis, scilicet
Ps. 44. 2. Spiritus sancti: ipso namque scribâ mouente calamum, emisisti illud verbum bonum, & mellifluum, *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundùm ver-*
Luc. 1. 33. *bum tuum.* Hoc autem verbo nectareo in tantùm exhilarasti de salute humani generis sollicitum Regem cœli, quòd quasi factus immemor injuriæ primorum parentum, à sede regali statim descenderet, velut deposito diademate gloriæ, & cœlum diuina potentia disrumpens, exiliret eodem mo-
Prou. 8. 31. mento de sinu paterno in tuum vterum virginalem; vociferans illud, *Deliciæ meæ esse cum filijs hominum.*

2. In isto etiam verbo fuit lingua tua, lingua curationis, lingua mitigationis, lingua misericordiæ: nam respondens humiliter & obedienter, curasti ægritudinem responsionis Euæ. Lingua enim Euæ diabolo sub dubio respondentis & gustum ligni vetiti viro suo suadentis, & peccatum suum serpenti attribuentis, totam progeniem ex se nascituram lethaliter vulnerauit, Paradisi portam cunctis clausit, & Dei iracundiam ad vindictam prouocauit. Lingua verò tua dulcissima & melliflua, Virgo intemerata, fuit lingua curationis & remedij; quia in ipsa sonuit humilitas, cùm dixisti, *Ecce Ancilla Domini*, contra superbiam Euæ: in tua benedicta lingua sonuit obedientia, cùm subjunxisti, *Fiat mihi secundùm verbum tuum*, contra inobedientiam Euæ: & ideò tua gloriosa lingua fuit mitigationis & misericordiæ, quia Dei iracundiam mitigauit, & eius misericordiam humano generi impetrauit, infirmos curauit, portas Paradisi aperuit, & ad Paradisi gaudia genus humanum traxit.

3. O lingua saluifica, salutem humano generi afferens! lingua melliflua,

Iesum Christum ad terram trahens! lingua Deifica, de cœlestibus loquens! lingua beneuola, malum dicere nesciens! lingua propitia, cuncta bona peccatoribus à Deo obtinens! lingua veridica, omni mendacio carens!

4. Sed, humillima Virgo Maria, ego iniquitatibus plenus; sub lingua mea misera labor & dolor: prompta est ad loquendum vana & otiosa, ad blasphemandum, detrahendum, mendacia proferenda pejerandum, discordias mouendum, adulandum, decipiendum, & alia multa dicenda. O Regina misericordiæ, dele iniquitatem linguæ meæ beatissima lingua apud gloriosum Filium tuum, ipsum humiliter exorando, vt linguam meam sibi & tibi placentem faciat, quæ ipsum & te laudet, & benedicat nunc & in perpetuum. Amen.

Contemplatio XII.

De Gutture Virginis Mariæ.

1. GVttur *tuum sicut vinum optimum*, singularissima Virgo Maria. Guttur tuum, id est, preces ex gutture procedentes, sicut vinum quod est optimum, quod consolatur & releuat dolores afflictorum. Guttur tuum, benedicta Virgo Maria, id est, verba de gutture procedentia, sicut vinum optimum Iesu Christo Filio tuo, scilicet per deuotionem sapida in precibus, & pungunt cor eius, vt inde miseris eliciant misericordiam: & sic ipsum inebrient, vt eum faciant obliuisci omnium delictorum. Guttur tuum, gloriosa Virgo Maria, id est, verba ex gutture procedentia, more optimi vini mentes multorum alienant à sensu carnali, suauiter pungunt & stimulant benè facere pigritantes, ad currendam viam mandatorum Dei, ad amandum, & orandum. Cant. 7. 1. 9.

2. Guttur tuum, pijssima Virgo Maria, id est, doctrina, quæ continetur in verbis tuis, est sicut vinum optimum; quia deuotos delectant, & à sollicitudinibus mūdanis elongant, & sic inebriant, vt sobrios reddant, non amentes faciant. Guttur tuum, benignissima Virgo Maria, id est, verba dulcissima ex gutture procedentia, sicut vinum optimum: quia sunt ipsa verba omni dulciora melle per intrinsecam consolationem, qua cor hominis lætificant; vt tibi, sicut Filio, dici possit, *quàm dulcia faucibus meis eloquia tua.* Psal. 118. 103.

3. Guttur escas dijudicat. bonas retinet, & euomit malas, hoc est, virtus discernendi spiritales preces quæ more optimi vini, suo calore fæces expellit, vt remaneat vinum optimum, eliquatum, & defæcatum. Tu, Virgo prudentissima, discretionem habuisti in tuis precibus; quia hoc solùm petebas quod discretum erat, quod bonum, quod pium, & ab omni malo defæcatum. Et ideò, sicut vinum optimum sine difficultate, & cum delectatione bibitur, sic petitiones tuas cum omni facilitate & delectatione tuus benedictus Filius, admittebat, & admittit, & quia eius

quod bibitur, gustus citò præterit, eius verò quod amatur, diu remanet, ideo in petitionibus tuis perseuerasti, vt sic alijs ostenderes, quòd non perfunctoriâ, sed longâ & placidâ dulcedine justarum petitionum tuus benignissimus Filius delectatur.

4. O fœlicissima Virgo Maria, quid faciam ego iniquissimus peccator? qui discretionem habui à Deo mihi misericorditer datam discernendi inter bonum & malum; & tamen malitiâ meâ, relicto bono, malum suscepi, peccata plurima committendo, & virtutes, & inspirationes bonas in me totaliter suffocando: adjuuet me, Virgo pijssima, tua sancta depreeatio, vt malum meum conuertatur in bonum, & tristitia mentis meæ in consolationem spiritalem, vt tandem consolari valeam per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Contemplatio XIII.

De Collo Virginis Mariæ.

Cant. 7. 4. 1. COLLVM *tuum, sicut turris eburnea*, sacratissima Virgo Maria: & hoc propter constantiam & fortitudinem; quia Turris non agitatur, nec circunfertur à vento; eburnea, propter refrigerium abstinenriæ, & candorem castitatis, & innocentiæ. Ebur enim frigidum est & candidum. Tu, Virgo Maria, es collum Ecclesiæ, propter conjunctionem diuinitatis quæ per caput, & humanitatis, quæ per corpus significatur: quia in vtero tuo virginali facta est conjunctio diuinæ & humanæ naturæ, & vnitum genus humanum Christo capiti suo, vt in natura humana simus vnum cum eo.

2. Collum est rigidum, & rotundum, & caput supportat: sic tu, Virgo gloriosissima, nunquam inclinata fuisti per peccatum, sed semper recta; quia cœlos attingebas stans in terra, per contemplationem cœlestium, & quasi rotunda, per æternorum desiderium; & nouem mensibus portasti tuo vtero Christum caput nostrum. Collum conjungit caput corpori: sic tu, Virgo sanctissima, conjungis Christum, qui est caput, Ecclesiæ, quæ est corpus; scilicet corporaliter Christum gignendo, & spiritaliter ipsum peccatoribus reconciliando: collum vniuersis membris post caput supereminet in corpore: & tu, Virgo dulcissima, post Christum, qui caput est nostrum, excellentissimum membrum es Ecclesiæ.

3. Sicut per collum interior aër emittitur, exterior verò intus attrahitur; sic per te peccatorum deuotio Deo præsentatur, & ab ipso peccatoribus misericordia redonatur. Sicut saliua ab ipso capite, mediante collo, in corpus trahitur, sic per te humano generi à Deo Trinitate gratia impetratur. Sicut collo mediante descendit in corpus quidquid est ei necessarium, cibi, potus, potiones, medicinæ, & hujusmodi, sic

per te, Virgo Maria, descendit Filius Dei, qui vera est medicina, cuius caro & sanguis verè est cibus & potus; quia per te Virgo Maria, manducauit homo panem Angelorum in Sacramento Altaris. Collo etiam verba proferuntur; & tu, Virgo benignissima, pro nobis bonum loqueris in conspectu Dei; quoniam nostra es Aduocata, & precibus tuis benè sonantibus disjunctos à Filio tuo benedicto per peccatum, quoties pœnitemus, reconjungis: nec fraudare te vult vnigenitus Filius tuus voluntate labiorum tuorum.

4. Sed, misericordissima Virgo Maria, ego piissimus peccator collum habeo, non constans, sed variabile; non forte, sed debile; non erectum ad cœlum, sed inclinatū ad terram, variatur quotidie per diuersas & noxias cogitationes, debilitatur per varias & diuersas tentationes, inclinatur per malas operationes. Flecte collum tuum, gloriosissima Virgo Maria, Filio tuo per humilitatem pro me misero peccatore, & ora eum, vt collum mentis meæ erigatur ad Deum asiduè; vt exclusis inclinationibus & operationibus malis, regnum consequar sempiternum. Amen.



Contemplatio XIV.

De Humeris Virginis Mariæ.

1. FOrtitudo humerorum tuorum, beatissima Virgo Maria, onus infirmitatis humanæ piissimè supportauit, & supportat quotidie, illud adimplendo, *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* *Gal. 6. 2.* Christus portauit in humeris suis Cruci affixis peccata nostra, id est, pœnam peccatorum nostrorum; & tu, Virgo Maria, peccata nostra super humeros tuos portas orando Filium tuum benedictum pro remissione peccatorum nostrorum. Christus ouem perditam & errantem super humeros suos portauit; & tu, Virgo sanctissima, onus custodiæ ouis, id est animæ, ne perdatur, aut erret, super humeros tuos portas. Factus est principatus tuus super humerum tuum, in deprecando.

2. Super humeros tuos, benignissima Virgo Maria, suscepisti onus defensionis humani generis. *Isa. 9. 6.* Defendis etiam peccatores à multitudine & vehementia tentationum; quia in nobis non est tanta fortitudo, vt possimus huic multitudini resistere, quæ irruit super nos; sed cùm ignoremus quid agere debeamus, hoc solùm habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te. Defendis etiam ab accusationibus dæmonum, qui bonum in malum *Paral. 20. 12.* conuertentes insidiantur, vt ponant malitiam. Sed quis, Virgo Maria, apud Filium tuum accusare audebit, cùm te matrem viderit patrocinantem? &, si tu pro nobis, quis contra nos? certè nullus. Et si tu, Virgo pia, iustificas coram Filio tuo benedicto, quis est, qui condemnet? verè nullus. Defendis etiam ab accusationibus detractorum, & conuentu malignantium, & ope-

rantium iniquitatem, & à corporalibus inimicis & manifestis, & à seductoribus animarum, idest, occultè insidiantibus, scilicet mundo, carne & dæmonibus; quorum primus pietatem, per auaritiam, secundus castitatem, per luxuriam; tertius humilitatem, per superbiam, conantur auferre. Isti sunt atrocissimi inimici, per quem omnes alij pugnant, & sine quo non præualent, scilicet propria voluntas; sed tu, Virgo piissima, in fraude circumuenientium, ades nobis, humeris tuis portans onus totius defensionis.

3. Sed heu! ego miser peccator, humeros habeo debiles & fragiles ad sustinendum onus defensionis animæ meæ; sed illos flecto, deprimo, & subj ugo totaliter voluntati inimicorum meorum: imò, quod mihi damnabilius est, illos voluntariè offero ipsis ad eorum omnimodam voluntatem; & multis modis inuito, & occasionem præbeo, vt illos onerent vitiis & peccatis. Adjuua me, gloriosa Virgo Maria tuis sanctissimis deprecationibus ad deponendum talia onera damnabilia, & animæ meæ importabilia; tribue humeros fortes ad amorem diuinum, vt diuinâ gratiâ præueniente, opera virtuosa hîc agam, quæ per vitam obtineam sempiternam. Amen.

Contemplatio XV.

De Brachiis Virginis Mariæ.

1. O Superlaudabilis & amabilis Virgo Maria, brachia tua gloriosissima longitudinem habent, fortitudinem, & flexibilitatem. Longa enim sunt ad trahendum peccatores ad confessionem & emendationem malæ vitæ, quia scriptum est, *Longè est à peccatoribus salus:* ideò sunt longa brachia tua, attingentia à fine vsque ad finem, vt peccatores elongatos trahas ad salutem. Tua brachia, Virgo Maria, habent fortitudinem ad defendendum peccatores contra impetus prauos & iniquos hostium antiquorũ, qui assiduè quærunt quem deuorent. Sed tu, mitissima Virgo Maria, in brachio forti, & extento defendis peccatores, inimicis viriliter resistendo, & eos in virtute & fortitudine brachij tui prosternendo. Et sic peccatores ipsi redeunt ad veniam, & adipiscuntur gratiam, & gloriam. Tua beata brachia flexibilitatem habent, vt prostratos & elisos brachiorum tuorum flexibilitate subleues, & subleuatos astringas, ne iterum cadant.

Psal. 118. 15.

2. O misericordissima Virgo Maria, tu es fons pietatis erga miseros peccatores, ad quos fluunt miserationes tuæ. Tu pia, tu amabilis, tu nominari non potes, quin accendas corda nominantium, & audientium te nominari; nec potes recogitari, quin cogitantium affectus reseres. Tu numquam sine dulcedine diuinitùs tibi insitâ, memoriam hominum subin-

tras. Si enim vulnus oleo perungatur; oleum non permittit cicatricem obduci, donec sanies sit educta; sic tua benignitas, Virgo Maria, peccatores in te confidentes non permittis in peccati deficere morte; sed tuis brachiis humilibus astringis, donec Filio tuo benedicto eos reconcilies per veram pœnitentiam; quia per te, & in te, & à te peccatores habent & habituri sunt omne bonum; & sic facta es omnibus omnia, vt omnes peccatores, quantùm in te est, saluos facias. 1. Cor. 9.22.

3. Sed, beatissima Virgo Maria, ego sceleratissimus peccator brachia mentis meæ habeo longa per internas cogitationes peccata de longè educentes, brachia fortia ad deducendum ad effectum peccata; brachia habeo flexibilia ad amplexandum peccata per perseuerantiam ipsorum. Hæc fuit vita mea, hoc studium meum, in quo studui, in quo laboraui, in quo tempus meum expendi, non solùm peccando, sed & multos alios inducendo ad peccandum. Intercessio tua assidua ad tuum benedictum Filium, Virgo Maria, non me relinquat; sed veniam impetret de commissis, & brachia fortia ad resistendum tribuens clementer, & gloriam mihi in fine æternam concedat. Amen.

Contemplatio XVI.

De Manibus Virginis Mariæ.

1. MANVS *tuæ distillauerunt myrrham, & digiti tui pleni sunt myrrhâ probatissimâ*, beatissima Virgo Maria, per manus denotantur opera, & per digitos operum discretio. Myrrha est perfectissima carnis, & carnalium voluptatum mortificatio, quæ omnia ostendunt, Virgo gloriosa, impletum esse, quod tibi promiserat Angelus, dicens, *Spiritus sanctus superueniet in te*. Nam Spiritus sanctus superueniens in te, sic te vestiuit desuper, quòd totum, quod erat in te carnale, absorptum est; & solus in te dominabatur spiritalis affectus: sic quòd in te nihil carnalis concupiscentiæ vel mundanæ fuerit. Cant. 5. 5. Luc. 1. 35.

2. Manus tuæ, & digiti tui, id est, operatio tua, & opera tua, & operum tuorum discretio distincta, perfectæ mortificationis testimonium præferebat: ideò, *Quasi myrrha electa dedisti suauitatem odoris*. Illa myrrha electa est, quæ sine vulnere & incisione corticis, manat ab arbore; quæ illam amaram carnis mortificationem designat, quam profert anima nullo peccati vulnere sauciata. Talem myrrham messuisti, sacratissima Virgo Maria, quia licèt vulnus peccati non haberes, tamen te ipsam multipliciter mortificare curasti, & opera virtuosissima cæteris abundantiùs omni promptitudine & celeritate, faciebas, nec tamen à iustitiæ regula declinabas. Manus tuæ, gloriosa Virgo Maria, candidissimæ fuerunt, quibus diligenter & humiliter benedicto Filio tuo seruiuisti, & eum nutriuisti. Fuerunt etiam can- Eccl. 24. 20.

didissimæ, quia peccatum non fecerunt; sed apertæ & extensæ fuerunt ad opera misericordiæ; manum tuam aperuisti inopi, & palmas tuas extendisti
Prouer. ad pauperem.
31.20. 3. Ad manuum tuarum pulchritudinem multum conferebat digitorum decens conjunctio seu iunctura; quia *digitus* dicitur, quasi *dicenter iunctus*, & digitis designantur discreta opera. Fuerunt etiam recti, per intentionem, flexibiles, per compassionem, graciles, per mortificationem, candidi, per innocentiam, longi, per perseuerantiam, articulariter distincti, per discretionem. Manus igitur fuerunt, Virgo benedicta, aureæ, per sapientiam & charitatem, quæ deaurant opera omnia & ea faciunt discreta & amabilia.

4. Sed, ô Virgo sanctissima, manus meæ non distillauerunt myrrham per mortificationem carnalium voluptatum, sed distillauerunt venenum peccati. Non sunt candidissimæ, sed fuerunt sordidissimæ fœcibus peccatorum; & apertæ ac extensæ ad malum committendum. Extende, Virgo benignissima, manum tuam mihi inopi & pauperi; & eleua me, quia sum prostratus in luto peccati. Teneat me manus tua, ne iterum damnabiliter cadam: sed, sicut manus Filij tui benedicti fecerunt me; sic dicam quòd manus tuæ refecerunt me, per tuam deprecationem, vt hîc manus tuæ virtuosè operando bonum efficiant, vt manus tua suscipiat me in tua gloria sempiterna. Amen.

Contemplatio XVII.

De Vberibus virginis Mariæ.

Cantic. 1. O Præclarissima mulierum, beatissima Virgo Maria, super omnem
1. 1. creaturam post benedictum Filium tuum, honor, laus, & gloria tibi dignè debetur. Scriptum est de te, *Meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis*: Melioris enim, potentioris, & vtilioris efficaciæ sunt vbera tua, sanctissima Virgo Maria, quàm vinum. Nam vinum inebriare potest hominem, vt præteritarum sit immemor offensarum, & sit facilis ad condonandum & largus ad donandum. Vbera tua, dulcissima Virgo Maria, Deum quasi inebriare potuerunt: nam postquàm de tuis sacris vberibus lac bibit, ac si cum lactis dulcedine dulcedinem potasset misericordiæ, projecit ab oculis suis peccata mea post tergum, & factus est largus ad dandam veniam peccatorum, largus ad dandam gratiam, & vberem iustitiam. Vbera tua, gloriosissima Virgo Maria, sunt *fragrantia vnguentis optimis*. Nam in beatissimis vberibus tuis, fragrat odor suauissimus sugentis vbera: qui delibutus vnguentis optimis, cum plenitudine charismatum & medicinalium gratiarum, venit ad animas peccatrices, vt eas ab omni lepra peccati sanaret, quas sacrâ sibi conjunctione copularet.

2. Vbera tua, Virgo Maria, quoad Deum, sunt, intellectus ad ipsum cognoscendum, & affectus ad ipsum diligendum. Vbera tua, Virgo Maria, quoad proximum, sunt compassio, & gratulatio: quia flebas cum flentibus, & gaudebas cum gaudentibus: compatiebaris alienis malis & congratulabaris alienis bonis: sine istis vberibus paruula est anima; & vbera non habet; & ideò non est nubilis, & idonea Christo conjungi, nec potest habere lac efficacis doctrinæ. Non minus, Virgo sanctissima, meruisti fundendo lac de vberibus tuis piissimis ad nutriendum tuum Filium benedictum, quàm meruerunt Martyres fundendo sanguinem suum per martyrium. Omnium namque operum merces, secundùm charitatis radicem pensatur.

3. Sed, beatissima Virgo Maria, vbera mentis meæ lac dulcedinis non effundunt, sed venenum amaritudinis peccati. Ora igitur, piissima Virgo Maria, quem inenarrabili dulcedine lactis tuorum vberum inebriasti, ne recordetur cum iustitia de cætero de peccatis meis, sed misericorditer condonet irrogatas sibi per me miserum injurias, & largiter mihi donet gratias & virtutes in præsenti, & in futuro gloriam sempiternam. Amen.



Contemplatio XVIII.

De Ventre Virginis Mariæ.

1. VIrgo Virginum sanctissima, *Venter tuus sicut aceruus tritici*, id est, Cant. 2.
plenus Filio Dei, qui se appellat *Granum frumenti*, Granum enim
illud tritici, potentialiter erat aceruus tritici, de quo scilicet grano, spi- Ioan. 12. 24.
ritalis seges, fructificante Deo, multiplicata est, ex quo cecidit granum istud in terram fertilem & benè excultam exercitio Spiritus sancti, in quam nisi priùs cecidisset per Incarnationem, & post in Cruce mortuum fuisset, ipsum solum mansisset: sed per ista duo, granum vnicum factus est aceruus magnus, *Vallatus Liliis*, ex omni parte scilicet mirabilem habens candorem; quia Virgo ante partum, Virgo in partu, & Virgo post partum, Vterus tuus, Virgo castissima, conseruatum in se habuit triticum, quo nutriebatur columba, id est, fidelis anima; quando, quem totus non capit orbis, in tua virginea se clausit viscera, factus homo: & vallabatur vndique liliis, id est, candore & redolentiâ munditiæ virginalis.

2. In tuo vtero virginali, sanctissima Virgo Maria, Creator tuus sibi
construxit pausatorium spiritale, vt dicere posis, *Qui creauit me, requieuit* Eccl. 24
in tabernaculo meo. Vterum tuum virginalem, sanctus Spiritus sibi sacrauit 12.
sanctuarium singulare, in quod Dei Filius à regalibus sedibus veniens, ibi primam mansionem inter filios hominum prælegit: Ibi præterea decorem induit, stolâ candidâ se cooperuit; id est, mundissimâ humanitate, cuius decor est immunis à peccato.

3. Venter tuus eburneus est, per virginitatem, quæ soror est Angelorum: In Angelis enim est Virginitas, & Virginitatis incorruptibilitas; quia in Angelis omnis motus diuinæ voluntati subjectus est. Hoc itaque decore multiplici signatus est venter tuus sanctissimus, & ab omni alio ventre puræ creaturæ distinctus. Nam in ventre tuo fuit Virginitas incorruptibilis; nullus fuit ibi motus, qui à Dei beneplacito discordaret. Venter tuus sacratissimus, sicut pyxis eburnea, in qua humano generi Deus Pater transmisit illud medicinale vnguentum, scilicet Vnigenitum tuum, qui curauit genus humanum.

4. Sed, beatissima Virgo Maria, venter meus miserrimus, non fuit sicut aceruus tritici, sed aceruus peccati, Non fuit eburneus per munditiam virginalem, sed fuit nigerrimus per malitiam, & iniquitatem: non fuit vallatus liliis per candorem, sed fuit vallatus spinis peccatorum, per fœtorem, & errorem; qui me adduceret non ad Angelorum consortium, sed ad societatem miserabilem antiquorum hostium, nisi tua pietas me adjuuare dignetur, Virgo misericordissima, per tuam piissimam intercessionem. Aperi mihi viscera misericordiæ, orando tuum Filium benedictum, qui ventrem animæ meæ mundet à fæcibus peccatorum, & mundatum custodiat, vt in fine gaudium obtineam beatorum. Amen.

Contemplatio XIX.

De Cruribus & Tibiis Virginis Mariæ.

1. DA mihi virtutem, & fortitudinem, benignissima Virgo Maria, vt te laudem & magnificem, & scripta de te elucidem diuinâ gratiâ
Cant. 5. 15. aspirante. *Crura tua, & tibiæ tua, sicut Columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas*, pretiosissima Virgo Maria. Crura tua sunt, temperantia in prosperis, & patientia in aduersis; quæ duo totum ædificium virtutum sustinent, & supportant. Ista duo, gloriosissima Virgo Maria, perfectissimè habuisti. Temperantia namque in magna prosperitate tibi fuit. Licet enim in tota humani generis aduersitate singulariter ad hoc esses electa, vt fieres Angelorum Domina, cœlorum Regina, hominum Aduocata, mundi Imperatrix, sæculi Dominatrix, Creatoris tui mater & Nutrix; tamen in hac sublimi prosperitate, te aliqualiter non extulisti, nec verba alta dixisti; sed solùm te Dei Ancillam nominasti, quamuis eiusdem genitricem Domini fieri te videns. Habuisti etiam, Virgo, patientiam in aduersis; quia licet gladius doloris tuam animam pertransisset in Vnigeniti tui passione, tamen magnam patientiam ostendisti: ideò
Luc. 2. 35. dixit Simeon, *Gladius pertransibit*, & non dixit, *manebit*; scilicet lucem rationis obnubilando, sed *pertransibit*, sicut rem immobiliter stantem, nec resistentem, aut in aliquo per impatientiam vacillantem.

2. Tibiæ autem, quæ fortes ſunt veluti columnæ marmoreæ, & totam corporis compactionem portant, ſunt fortitudo, & perſeuerantia; quæ omnium virtutum, & Sanctorum operum compagem portant, & ſuſtentant. Tu, Virgo Maria, fortitudinem habuiſti, reſiſtendo inimicis viriliter, & perſeuerantiam in omnibus operibus virtuoſis. Sed, vt Columnæ marmoreæ poſſint portare ædificium, oportet quòd ſint fundatæ ſuper baſes aureas, ſcilicet charitatem & ſapientiam, quæ ſignificantur auro: fortitudo enim debet fundari in ſapientia, ne ſe præcipitet perſeuerantia in charitate alioqui deficiet, & non ſtabit.

3. O beatiſſima Virgo Maria, ædificium cordis mei non ſtetit, ſed corruit; quia fundamentum firmum non habuit: nam in proſperitate me extuli, in aduerſitate impatiens fui; non habui fortitudinem in reſiſtendo vitiis, ſed debilitatem in conſentiendo tentationibus quibuſcunque; & in iis perſeueraui, non in bonis, in quibus ad tempus credidi, & tempore tentationis cecidi; quia fundatus ſuper baſes aureas, ſcilicet ſuper charitatem & ſapientiam, non fui. Ideò ad tuam miſericordiam, Virgo Maria piiſſima, humiliter venio, vt me peccatorem ſuſcipias, veniam obtineas mihi de peccatis; ac crura & tibias cordis mei firmas & ſtabiles facias; ne ædificium animæ meæ corruat, neque ruinam minetur, ſed ſolidum maneat per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.



Contemplatio XX.

De Pedibus Virginis Mariæ.

1. IN ſempiternum benedicta ſingulari benedictione Virgo Maria, quàm pulchri ſunt pedes tui, quibus ſtando, ſedendo, & incedendo, conculcaſti terram, id eſt, terrena, acceptâ corporis tui mediocri neceſſitate. Pedes mundiſſimi, ſignificant affectus: quia affectibus accedit mens ad ſe, & ad Deum, & recedit à ſe, & à Deo, ſed pedes tui fuerunt duo affectus. Nam pes tuus dexter, fuit deſiderium tuum placendi Filio tuo, & ſollicitudo quomodò ei placere poſſes: quia ipſum tantâ deuotione, tanto ſtudio fouiſti, & nutriuiſti, vt amorem ipſius, ab amore tuo proprio, imò, omnis carnis, ſuſpenſa; neceſſitatibus vagientis, eſurientis, lactentis, creſcentis, & eiuſmodi, omnis cordis tui affectionem ſubſterneres.

2. Pes tuus ſiniſter fuit ſtudium quo modo poſſes proficere proximis: quia lucem conſolationis & gratiæ miniſtrabas in amaritudine conſtitutis: vbi enim erat miſeria, ibi locum tua miſericordia habebat. Nec mirum ſi de peccatoribus ſollicita eras, cùm pro illorum ſalute illum concepiſſes qui non venit vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam. Tantus eſt iſte pes affectionis, quòd à te nullus repellitur, nullus excluditur, nullus,

qui tibi seruiat, obliuioni traditur. Omnes, quantùm in te est, colligis, omnes ad te confugientes recipis. Ij duo pedes te portauerunt in cœlum. Isti fuerunt pedes animæ tuæ, quibus iuisti non de loco ad locum, sed de virtute in virtutem: ambulat enim anima non pedibus, sed moribus: quia sicut pedes corporales portant exteriorem hominem, sic affectus interiorem.

3. Sed mei pedes nihil aliud fuerunt, nec sunt, quàm proprius sensus, & propria voluntas, qui me portant & ducunt (nisi tu, pia Virgo, me adjuues) ad infernum. Pedes mei cordis, quandóque calore exuruntur, scilicet odio, irâ, inuidiâ: quandoque frigore dissoluuntur, scilicet torpore negligentiæ: quandoque lapide colliduntur, scilicet fidei hæsitatione; licèt scriptum sit, caue, *Ne offendas ad lapidem pedem tuum*: quandóque luto
Psal. 90. 12. inquinantur, scilicet carnis voluptate, quæ lutum est, & cœnum: quandóque puluere sordidantur, scilicet vanâ gloriâ; & sic gloriosa Virgo Maria, non ambulo ad cœlum, sed ad infernum; non ad gloriam, sed ad pœnam, non ad Deum, sed ad inimicum: Adjuua me, benignissima Virgo Maria, tuis sanctis deprecationibus. Pedes mei stando in via recta transeant liberè per foramen acus, quod longum est & angustum: nihil enim magnum vel grossum potest transire per illud: nec sufficit in illud intrare, sed necesse est per illud transire; qui enim intrat & non transit, nihil proficit. Intrat, & transit, quisquis benè incipit, & meliùs consummat. Quisquis transire habet per ostium paruissimum, quantò magis se humiliat, & astringit, tantò faciliùs intrat. Fac me, pia Virgo, sic humiliare, vt transeundo per strictum foramen pœnitentiæ, ad gloriam perueniam sempiternam. Amen.

Contemplatio XXI.

De Statura Virginis Mariæ.

Cant. 9. 9. 1. STatura *tua assimilata est palmæ*, speciosissima Virgo Maria, statura namque tua, id est, rectitudo bonæ intentionis, & sanctæ operationis directio, assimilata est palmæ. Nam sicut palma, id est, arbor triumphalis Crucis dominicæ, terribilis est malignis spiritibus; sic tu, benedicta Virgo Maria, merito tuæ rectitudinis, malignos spiritus terres, & expellis. Ideò appellaris, *Terribilis vt castrorum acies ordinata.* Non enim sic timent hostes visibiles quamlibet castrorum aciem ordinatam, sicut aëreæ potestates tuum nomen, patrocinium, & exemplum; fluunt namque & pereunt, sicut cera à facie ignis, vbicumque inuenerint tui nominis crebram recordationem, deuotam inuocationem, & sollicitam imitationem. *Statura tua*, gloriosissima Virgo Maria, *assimilata est*
Cant. 6. 9. *palmæ*: quia, sicut signum Crucis, quæ per palmam designatur, armatura spiritalis contra diabolum est; sic est etiam inuocatio tua benedicta.

2. *Statura tua*, Virgo Maria, id est, recta intentio tua ad cœlum directa, & bona operatio tua, *assimilata est palmæ*, quia ad terrena noluisti incuruari, sed in cœlestibus voluisti conuersari; & illud brauium obtinere affectasti, quod dat benedictus Filius tuus animæ vitiorum victrici; de quo scriptum est, *Vincenti dabo manna absconditum*: quia *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit*, quæ præparauit benedictus Filius tuus tibi, Virgo Maria. *Statura tua*, dulcissima Virgo Maria, *assimilata est palmæ*: nam, sicut fructus palmæ immensam dulcedinem in se habet, sic fructus vteri tui virginalis, scilicet benedictus Filius tuus, dulcis est in verbo, dulcis est in exemplo, dulcis est in promisso, dulcis in jugo imponendo, dulcis in operatione, dulcis in peccatorum remissione, dulcis in flagellatione filiorum, & tandem sentietur dulcissimus in præmij retributione; quandò cibabit nos seipso, qui est manna absconditum; & potabit nos torrente voluptatis suæ. O quàm magna multitudo dulcedinis ipsius, quam abscondit timentibus eum!

3. O benignissima Virgo Maria; quid dicam de statura mea? Zachæus sum staturâ pusillus; quia statura, id est, rectitudo bonæ intentionis, & sanctæ operationis directio, non fuerunt in me; nec sum assimilatus palmæ, quæ est arbor alta, sed sum staturâ pusillus, carens omni virtute se erigente ad cœlum. Non est rectitudo in me, sicut est in palma, sed sum totus incuruatus pondere peccatorum. Erige me, Virgo pijssima, tuis sanctis intercessionibus; vt rectam intentionem, & bonam operationem habeam; vt dulcedinem fructus ventris tui pretiosissimi sentiam, per infinita sæculorum sæcula. Amen.





PARS II.

DE SANCTIFICATIONE GLORIOSÆ VIRGINIS MARIÆ.

Contemplatio I.

De Sanctificatione Gloriosæ Virginis Mariæ.



Ps.45.5. SANCTIFICAVIT *tabernaculum suum Altissimus*, humillima Virgo Maria. Istud tabernaculum est vterus tuus virginalis, qui propriè *Tabernaculum* dicitur; sicut, benedicta Virgo Maria, dicit Sapiens in persona tui: *Qui creauit me,* Eccl.24.12. *requieuit in tabernaculo meo. Qui creauit me*, secundùm quòd Dei Filius, per quem omnia facta sunt, *requieuit* secundùm quòd homo, *in tabernaculo meo*, id est, in corpore. *Requieuit* ibi Virgo piissima; quia ibi non inuenit, quod eum molestaret: nec enim erant ibi praui motus; non fumus superbiæ, non stillicidium diabolicarum tentationum, neque caro concupiscens aduersus spiritum, nec è contrà: qui sanctificauerat *tabernaculum suum*, id est, vterum tuum, *Altissimus*.

2. Primò enim sanctificata fuisti, Virgo gloriosa, in vtero matris tuæ, ita quòd non remansit in te fomes, etsi mansit quantùm ad essentiam, saltem non quantum ad virtutem ad malum inclinantem: in nobis autem vtróque modo remanet post Baptismum, in quo sanctificamur: vnde hæc fuit visio magna, quàm vidit Moïses; scilicet quòd rubus ardebat, sed non Exo.3.3. comburebatur, sicut enim in rubo erat ignis secundùm essentiam, non secundùm virtutem combustiuam; sic in te, beatissima Virgo Maria, erat fomes secundùm essentiam, non secundùm virtutem ad peccatum inclinantem.

3. In natiuitate, autem tua purgata fuisti à peccandi pronitate, per hostias legales pro te oblatas, saltem vt mortaliter peccare non posses. Specialissimè autem Spiritus sancti obumbratione, & Filij Dei conceptione purgata fuisti ab omni possibilitate peccandi; & sic omninò sancta, & sanctificata fuisti; per quam sanctificationem quasi per canalem quemdam, fons diuinæ gratiæ ad vniuersitatem generis humani redundauit. Ideò ad

te recurrendum est, & ad te confugiendum, vt de plenitudine gratiarum tuarum in sanctificatione tua tibi concessarum, recurrens recreetur. Nec minuetur plenitudo, si aliquid defluxerit. Talis enim naturæ est eiusmodi plenitudo, quòd quantò ampliùs de illa effluxerit, tantò amplius abundabit. Ex ista siquidem plenitudine, nobis venit pretium redemptionis, aqua ablutionis, panis refectionis, medicina curationis, armatura purgationis, & pretium remunerationis.

4. O benedicta Virgo Maria, fluat in me plenitudo tuæ gratiæ, qui non sum sanctificatus, sed multis peccatis contaminatus; emundet & sanctificet me fons tuæ misericordiæ, & pietatis, vt vitiis procul pulsis, & virtutibus intromissis, tibi placita faciam opera, per quæ obtineam gloriam & retributionem æternam. Amen.

Contemplatio II.

De mundissima Carne Virginis Mariæ.

1. CAro tua, pretiosissima Virgo Maria, dicitur à *Carendo*; quia multiplex gloriosa carentia, seu gloriosus defectus fuit in carne tua; quoniam caruit fomite, & prauis motibus in charismatum infusione, quâ *sanctificauit tabernaculum suum Altissimus.* Caro tua benedicta caruit omni defectu, qui esset ad culpam in gratiæ adimpletione, quia dictum est tibi *Gratia plena.* Caro tua gloriosa caruit rebellione aduersus spiritum, quia *Luc. 1. 28.* nec caro tua concupiuit aduersus spiritum, nec spiritus aduersus carnem. *Galat. 5. 17.* Caro tua pretiosa caruit opprobrio sterilitatis in Spiritus sancti superuentione; quia ad hoc venit in te, vt de carne tua (vt à multis creditur,) quamdam particulam separaret, separatam ampliùs reliquis emundaret, perfectissimè emundatam in corpus formaret, quod Dei Filius assumeret: ideò de Spiritu sancto diceris concepisse.

2. Caro tua benigna & speciosa, caruit pruritu, & inquinamento, & imprægnatione: quia Spiritus sanctus obumbrabit tibi. Caro tua beata caruit fractura virginalis signaculi, concipiens absque defloratione; quia *Galat. 5. 17.* Iesus saluat, non violat; confracta solidat, non confringit solidata; secundùm nomen eius, ita & opus. Caro tua benigna, caruit omni grauedinis importunitate, quia virtus Altissimi obumbrauit tibi; id est, vmbram in te accepit, hoc est carnem leuem, & à peccato immunem: peccatum enim pondus est: vmbra autem figuram habet corporis, sed non corruptionem, vel ponderositatem. Caro tua sancta caruit omnia molestia & dolore in parturitione: scriptum est enim, *Peperisti sine dolore, sæculorum Dominum,* Nec mirum si dolorem non intulit tibi, quia tollere veniebat dolores totius mundi.

3. Caro tua munda caruit omni peccato totius vitæ præsentis conti-

nuatione, quia gratiâ sancti Spiritus plena fuisti. Non enim venit sanctus Spiritus virginem corrumpere, sed sanctificare; nescit Spiritus Sanctus munditiam virginis minuere, sed augere; nescit fœdare, sed fœcundare; nescit vilificare, sed glorificare. Et ideò caro tua dignissima fuit Filio Dei, & seruitio eius mancipata; quando quodlibet membrum tuum Iesu Christo Filio tuo famulabatur, pedes, supportando; crura, & tibiæ, sustinendo; venter, bajulando; mammillæ, lactando; manus, nutriendo; vlnæ, amplexando; labra, arridendo; os, deosculando; lingua colloquendo; nares, odorando; totum corpus, adorando; quia quem genuisti, adorasti.

4. Sed caro mea corruptissima, per multiplicationem criminum concupiscit aduersus Spiritum, & non subiicitur eius ditioni. Virgo piissima, constringe illam tuo auxilio, vt animæ meæ caro misera subiiciatur, vt anima illi dominetur; vt, te iuuante, opera virtuosa faciat, per quæ obtineat regnum sempiternum. Amen.



Contemplatio III.

De pulchritudine Animæ gloriosæ Virginis Mariæ.

Cant. 4. 7. 1. Tota *pulchra es*, ô plusquam gloriosa Virgo Maria. *Tota pulchra es, & macula non est in te.* Tota pulchra es in anima, per virtutum & charismatum omnium perfectam plenitudinem. Tota pulchra es in tua conceptione, ad hoc solùm effecta, vt templum esses Dei Altissimi. Tota pulchra es ex generatione Verbi diuini, qui est splendor paternæ gloriæ, qui est candor lucis æternæ, & speculum sine macula, in quem desiderant Angeli prospicere, cuius pulchritudinem sol & luna mirantur. Tuæ gloriosæ animæ, nihil vnquam affuit turpitudinis, vitij aut peccati: & nihil defuit spiritualis pulchritudinis, gratiæ & virtutis. Tot enim habuisti pulchritudines, virtutes, & singulas in altiori gradu, quàm concessum fuerit post Filium tuum superbenedictum, puræ creaturæ. In his namque, similem primam non habuisti, nec es habitura sequentem.

2. In te omnes virtutes tam actiuæ quàm contemplatiuæ conuenerunt, & præ cunctis creaturis, te admirabilem reddiderunt. Per virtutes actiuas, habuisti voluntatem mundissimam: per contemplatiuas, mentem purgatissimam. Non defuit tibi puritas Angelorum, non fides Patriarcharum, non scientia Prophetarum, non zelus Apostolorum, non patientia Martyrum, non sobrietas Confessorum, non innocentia aut humilitas Virginum. In summa, nullo genere vacasti virtutum, ô Virgo plusquàm beata. Quodcunque donum alicui Sanctorum vnquam datum fuit, tibi non fuit negatum, sed omnium Sanctorum priuilegia omnia habes in te congesta.

3. Nemo æqualis est tibi: nemo major te, nisi Deus. Quia Spiritus sancti gratia superueniens in te, & virtus Altissimi obumbrans tibi, quæ eras omnium

nium virtutum ornamentis prædecorata; pulchritudinem, puritatem sapientiam & omnium virtutum gratiam adauxit & splendorem. Miranda illa obumbratio Spiritus Sancti, quæ te vno momento templum Dei irradiauit, & decorem tuum manifestauit & auxit, sicut sol in semper ornatum thalamum incidens, gloriam eius occultatam, repentè nobis ostendit & illustriorem facit.

4. Tota igitur pulchra es, Virgo gloriosissima, non in parte, sed in toto: & macula peccati, siue mortalis, siue venialis, siue originalis, non est in te, nec vnquam fuit, nec erit: sed adest tibi omnis gratia naturalium bonorum, spiritualium charismatum, & cœlestium donorum. Quantùm enim distat inter odorem & gustum aromaticæ speciei; tanta est inter contemplationem tuam & aliorum Sanctorum distantia. Sicut enim singularem actiuam à Christo cepisti vitam, videlicet eius humanam, sed diuinissimam naturam portare, lactare, lauare, pannis inuoluere, fouere, nutrire, lenire, amplecti, osculari, cæteráque eidem humanitatis officia exhibere: sic & dulcedinem suæ diuinitatis tibi singulariter degustandam indulsit. Quia *tota pulchra eras, & macula non erat in te.*

5. Sed, ô pulcherrima mulierum, quâ temeritate audeo venire ad te? Ego turpis cogitatione & opere, ad te mundam; ego immundus, ad te immaculatam; ego maculatus, & non solùm maculatus, sed & vulneratus; imò non solùm vulneratus, sed etiam in conspectu tuo, & benedicti Filij tui, mortuus propter innumerabilia peccata, quæ cogitatione, consensu, & opere longis temporum spatiis contraxi: & ita animam meam per susceptionẽ sacri lauacri purificatam, multipliciter fœdaui, & sordibus vitiorum inquinaui, adeò vt abominabilis facta sit, & tibi & Filio tuo superbenedicto.

6. In tua autem pietate confidens, ô præbenedicta, conbenedicta, & postbenedicta Virgo Maria, te suplici corde precor, vt animæ meæ pio compatiendo affectu, apud misericordissimum Filium tuum intercedere digneris, quo eam immundam mundet: & sicut ipsam puram fecit per Baptismum, ita rursum hoc tempore puram reddat per pœnitentiæ & reconciliationis gratiam, vt tandem cum electis tuis vitam, ad te & superbenedictum Filium tuum laudandum, obtineam sempiternam. Amen.

Contemplatio IV.

De eadem pulchritudine gloriosæ Virginis Mariæ siue quibus rebus ea pulchritudo significetur.

1. Speciositas tua, beatissima Virgo Maria, designatur per septuplicem speciem quæ in sacra Scriptura inuenitur. Est namque species oliuæ, *Eccl. 24.*
de qua scribitur: *Quasi oliua speciosa in campis.* Est species columbæ, de qua *19.*
canitur *Vidi speciosam, sicut columbam.* Est species Libani, de qua dicitur; *Eccl. in 1. Resp.*

Assump. Cant. 5. 15. *Species eius vt Libani.* Est species cœli, de qua legitur: *Species cœli in visione gloriæ.* Est species ignis in nocte, de qua scribitur, *Operiebat tabernaculum quasi species ignis.* Est species arcus, de qua scribitur: *Vide arcum, & benedic ei qui fecit illum: Valde enim speciosus est.* Est etiam species Solis, de qua scribitur: *Est enim speciosior Sole.*

Ecc 43.1 Nu. 9.16 Eccl. 43. 12. Sap. 7. 29.

2. Species oliuæ consistit inter cætera in viroris amœnitate. Sic tua species, ô beatissima Virgo Maria, consistit inter alia, in fidei synceritate. Et sicut viror paciferæ oliuæ delectat oculum corporis, sic fides tua, quæ pacem inter Deum & hominem reperit, delectat oculum mentis.

3. Species columbæ consistit in simplicitate, pulchritudine oculorum, colorum mutatione, & varietate circa collum. Sic, ô beatissima Virgo Maria, species tua consistit in humilitate, pulchritudine sanctorum cogitatuum, & doctrinæ veritate, quæ in collo intelligitur; quia doctrix fuisti Doctorum, & magistra Apostolorum. Vnde & beatus Lucas, cui inter cæteros Euangelistas descriptio Dominicę Incarnationis attribuitur, Euangelij seriem à te Virgine Maria didicisse traditur.

4. Species Libani consistit in continua virgultorum fœcunditate, & delectabilium florum candore, & significat, ô gloriosissima Virgo Maria, candorem tuæ fœcundæ virginitatis: quia tu es de qua dicitur; *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum spiritus Domini.* De tua autem supereminenti virginitate, iustè dici potest quod scribitur: *Pulchritudinem candoris eius admirabitur oculus.*

Isa. 11. 1.

Eccl. 43. 20.

5. Species cœli est in visione gloriæ, & significat in te, sanctissima Virgo Maria, contemplationis sublimitatem, de qua scribitur; *Species mulieris exhilarat faciem viri.* Per quod intelligere quis possit altitudinem contemplationis acceptam esse & placentem in conspectu diuinæ pulchritudinis.

Eccl. 36. 22.

6. Species ignis consistit in ardore & spendore. In te autem, ô beatissima Virgo Maria, fuit ignis charitatis ardens & splendens ante Deum, & nos miseros peccatores protegens. Et sicut tu Regina Virginum nominaris, sic charitas illa tua, Regina virtutum appellatur: quia virtus nomen amittit, quæ charitati non famulatur.

7. Arcus cœlestis fit ex radiis Solis, in humida nube, & significat Incarnationem Filij tui superbenedicti in te. Tunc enim Sol iustitiæ, qui est splendor Patris, ingressurus in mundum, ascendit super nubem leuem, id est, sibi vniuit mundissimam carnem sine pondere peccati, quod factum est de tua carne in tuo virginali vtero, & sic facta est visibilis imago Solis iustitiæ cum profusionis gratiarum plenitudine: vt sit visibilis imago Solis cùm sit arcus, sed non nisi in die profusionis pluuiæ.

8. Species Solis consistit in splendentium radiorum emissione: & significat in te, Aduocata nostra Virgine Maria, largam gratiarum effusionem in omnes qui ad te se conuertunt, quæ es Sole speciosior, & emissione gratiarum fœcundior.

9. Tua ergo species, Virgo Maria, fuit in corporis castitate, in conscientiæ puritate, in exteriori conuersatione, & in diuinorum contemplatione.

Munda igitur cor meum immundum & inquinatum, ô piissima Virgo Maria: & tuis precibus mihi obtine speciem spiritualem, per quam in seruitio tuo & benedicti Filij tui, placeam tibi in vitam sempiternam. Amen.

Contemplatio V.

De eadem pulchritudine gloriosæ Virginis Mariæ.

1. Speciosa facta es, beatissima Virgo Maria, præ filiabus hominum, quæ speciosum formâ, non solùm præ filiis hominum, sed etiam præ millibus Angelorum, tuæ carnis substantiâ vestiuisti, Vnigenitum Dei. Natura etiam, quæ per te reparanda erat in compaginando te, & colorando, studiosissima fuit; ad membrorum tuorum excellentiam singularem laudes humanas addere non est necesse, cùm ex vita tua sanctissima totius virtutis forma resplendeat. Tua quippe in terris conuersatio, omnibus Sanctis imitanda proponitur, & etiam Angelis admiranda efficitur; quæ si quis eam aspiceret, non solùm delectabat illum, sed ad diuinos prouocabat affectus; quia Spiritus Sanctus, qui tuam beatam animam sui feruore caloris accenderat, membrorum tuorũ officia in eandem habitudinem suspendebat. Vnde nihil aliud in tuis moribus resonabat nisi nectar diuinæ, & humanæ sapientiæ expressum de ineffabili suauitate maiestatis diuinæ essentiæ.

2. Ad huius puritatis excellentiam, nulla alicuius Sancti pertingit sanctimonia, nisi tua, gloriosa Virgo Maria; quæ tantò summæ Diuinitati eras vicinior, quantò Spiritus Sancti muneribus eras ornatior. Membra enim tua sanctissima sic sanctitatis integritate custodiebas, vt nulli omninò subjacerent corruptioni; vnde tantus erat splendor tui vultus, quòd Ioseph sponsus tuus te aspicere facie ad faciem non poterat.

3. Sed, sanctissima Virgo Maria, omnium, omnia membra mea, peccatorum sordibus fœdaui; &, quæ ad Dei seruitium erant ordinata ad perpetranda peccata inclinaui, & animam meam à bona & meritoria operatione retraxi; cùm membra mea miserrima essent instrumenta animæ meæ ad benè operandum, & meritum sempiternum diuinâ assistente misericordiâ consequendum. Misereri mihi, piissima Virgo Maria, misereri mihi digneris. Dele tuis sanctissimis deprecationibus, iniquas operationes membrorum meorum, quæ miserabilem animam meam ad claustra infernalia deduxerunt, & potestati inimicorum subiugauerunt. Exora Filium tuum benedictum, vt à iugo tam iniquæ potestatis eam liberare dignetur, & omnia membra mea disponere ad eius seruitium; vt anima mea iugo miseræ seruitutis relicto, iugo gloriosi Filij tui, quod est suaue, & oneri eius, quod est leue, misericorditer subiiciatur: vt hîc opera laudabilia, & meritoria agendo, gloriam in futurum consequar sempiternam. Amen.



PARS III.

DE NATIVITATE GLORIOSÆ VIRGINIS MARIÆ.

Contemplatio I.

De Natiuitate Gloriosæ Virginis Mariæ.

1. NTER omnia opera æterni opificis, post operationem illam quâ naturæ nostræ vnitus est Filius tuus, speciale opus fuisti, ô beatissima Virgo Maria: quia Deus ad hoc te fecit, vt quod de primo opificio fuerat deformatum, per te reformaretur. Hic enim summus opifex primò condiderat Angelicam naturam, quæ in parte ceciderat; & humanam, quæ corrupta erat; & corpoream inferiorem, quæ peccato hominis fuerat deterior effecta. Sed ad hæc omnia fecit te Deus, Virgo Maria sanctissima, vt ex tuo superbenedicto fructu, Angelica natura repararetur, humana renouaretur, inferior à seruitute liberaretur.

2. Ædificauit ergo Angelis te Reginam: hominibus Medicinam: creaturæ inferiori libertatem. Sed priùs ædificauit Angelis cœlum: & hæc est domus gloriæ: Dæmonibus & damnatis hominibus, Infernum, & hæc est domus iustitiæ: hominibus lapsis mundum; & hic est carcer miseriæ; quia emisit Dominus Adam de Paradiso voluptatis, vt operaretur terram, de qua sumptus erat. Idem autem carcer, patria fuit bestiarum. Pisces posuit in aquis, aues in aëre, & stellas in firmamento. Et qui priùs cæterorum hospitiis intenderat, nunc suo proprio intendit hospitio. Ideò dicitur: *Sapientia ædificauit sibi domum*; id est, te Virginem Mariam: vt in te habitaret per humanæ naturæ assumptionem.

Pro. 9.1.

3. Et non solùm sibiipsi soli te fecit, sed te Angelis dedit in restaurationem; hominibus & nostræ naturæ, in reparationem; inferiori creaturæ, in liberationem: sibi in matrem; dæmonibus, in hostem; detentis in limbo, in ereptionem. Nam in principio cùm ceciderant Angeli, natura erat corrupta, Deus offensus, & diabolus victor. Sed per te, ô superbenedicta Virgo Maria, innocentia reparatur, vita Angelica reducitur, Deus homini

pacificatur & vnitur, diabolus vincitur & conteritur; quia de te scribitur; *Ipsa conteret caput tuum.* Gen. 3.

4. Sapientia igitur te ædificauit in domum. Siquidem amissæ erant animæ, quæ ob nihil aliud factæ erant, nisi vt esset in eis habitatio Sapientiæ; 13.
& hoc, si permansissent sanctæ. Sed, quia corruptæ erant omnes, & peccando vacillauerant, ideò te gloriosissimam Virginem Mariam, ædificauit in domum solidam & fortem, quæ nullo modo vacillare posset. Ideò excidit columnas septem, ad te fortiter & sublimiter sustentandam. Septem columnæ quibus firma semper stetisti, sunt septem dona Spiritus Sancti quæ requieuerunt in te, & nunquam te deseruerunt: per quæ stetisti firmiter & perseueranter in omni gratia & virtute.

5. Sed benignissima Virgo Maria, licèt superbenedictus Filius tuus, animam meam in domum suam elegisset ad habitandum in ea per gratiam; tamen ego proditor & falsus hospes, ipsum ignominiosè eieci per peccatum. Adiuua me ergo, piissima Virgo Maria, vt tuis precibus mundetur hæc misera domus ab omni peccato, & ora illum, vt in ea habitet; hîc per gratiam, & in futuro sæculo per suam præsentiam, ad gloriam suam sempiternam. Amen.

Contemplatio II.

De Eadem.

1. VInea facta es, electa à Domino, beatissima Virgo Maria, qui te primò plantauit in radicibus, id est, in antiquis Patribus, virtutum ipsorum imitatione; quia præceptum tibi fuerat à Domino, *In electis meis mitte* Eccl.
radices. In Abraham, Fides & Obedientia; in Isaac, Spes & Patientia; in 24. 17.
Iacob, Charitas; & in Dauide, Humilitas; Istæ fuerunt sanctissimæ radices tuæ, dilectissima Virgo Maria. Ex istis radicibus incepisti pullulare mediantibus parentibus tuis Annâ & Ioachim. Vinea à malis herbis & lapidibus purgatur; sic tu piissima Virgo Maria, purgata fuisti in tua sanctificatione ab omni fomite peccati, & titillatione; & inde fuisti nata ex procreatione ipsorum parentum, & tunc incepit tempus plenitudinis. Ideò mense Septembri nata fuisti, quando habetur fructuum plenitudo. Et sicut vinea crescit quotidianâ melioratione; sic tu, benedicta Virgo Maria, creuisti in vineam latiorem & fructificasti in palmites, & emisisti propagines, id est, creuisti de virtute in virtutem, & de bono in melius, cum magna constantia & simplicitate.

2. Vinea vili discolori cortice tegitur; sic tu, Virgo Maria sacratissima, quia non habuisti in tui exterioris habitus qualitate, mutatoria pretiosa benè colorata: sed magis exemplo benedicti Filij tui fuisti pannosa, & natum tuum Filium inuoluisti vilibus panniculis; quod non fecisses, si pre-

tiosos habuisses. Spiritales cultores tui fuerunt inspiratio diuina, Patris potentia, Filij sapientia, Spiritus sancti disciplina, monitio Angelica, propria diligentia, & Patris ac Matris doctrina. Fuisti fossa veræ paupertatis, humilitatis dilectione: Humilitas enim profundauit mentem tuam, vt capax fieres totius bonitatis: Paupertatis amor exclusit à te appetitum totius terrenitatis, & vtraque virtus fecit te capaciorem totius diuinæ largitatis. Visitata fuisti in Angelica missione. Ideò orabas, *Respice de cœlo, & visita vineam istam, & perfice eam, quam plantauit dextera tua.* Psal. 79. 15.16.

3. Tu, pijssima Virgo Maria, extendisti, & extendis palmites tuos, id est, orationes, beneficia, & exempla vsque ad mare, id est, vsque ad existentes in qualibet amaritudine. Ego verò impijssimus peccator in amaritudine peccatorum sum. Adjuua me, dulcissima Virgo Maria, extende ad me palmites tuos, id est orationes & beneficia tua; vt ad illum perueniam, qui est vitis vera, in quo misericorditer fructum sempiternum reportem, per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Contemplatio III.

De Eadem.

1. INæstimabilis est dilectio charitatis, quam Deus Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, humano generi exhibuit. Nam cùm Deus propter nimiam charitatem, quâ dilexit nos, dederit nobis Vnigenitum suum, eâdem charitate dedit nobis & te matrem ipsius benedicti Filij; quia sine te impossibile secundùm legem ordinariam nobis erat habere Filium Dei incarnatum, quia tibi soli, Maria Virgo, tale priuilegium debebatur; & ideò de tua sanctissima Natiuitate longè ante dictum fuerat, *Egredietur virga de radice Iesse*: in quo designatur suprema humilitas tua, gloriosissima Virgo benedicta; quia non diceris egredi de stipite, sed de radice Iesse; quæ latet in humo, quia *Humilitas* dicitur quasi *Humi latens.* Nam sicut totum quod habet arbor, de radice procedit; sic, beatissima Virgo Maria, tota virtus tua, & excellentia, à tua humilitate processit, quam Deus respexit: *Respexit* namque *humilitatem Ancillæ suæ*, quasi radicem; *ex hoc beatam te dicunt omnes generationes.* Isa. 11.1. Luc. 1.

2. Tu, sanctissima Virgo, non fuisti Angelus, vt aliqui errando dixerunt; sed egressa fuisti de radice Iesse, cujus radix fuerunt Patres antiqui, de quibus Angelus natus non est; quia Christus *Angelos non apprehendit*, id est, naturam Angelicam, *sed semen Abrahæ apprehendit*, id est naturam humanam de semine Abrahæ in te V. Maria. Tu igitur, Virgo Maria, egressa es de radice Iesse, quod interpretatur *Incendium*, quia ignis radix Heb. 2. 16.

est incendij ; & tu, sacratissima Virgo Maria, ex hoc, quòd de incendio feruentissimæ charitatis, quam Deus Pater habuit ad genus humanum, data nobis fuit tua sacratissima Natiuitas ad saluationẽ, & ad exemplum. Ideò dicit Deus, *Gloriam meam alteri non dabo.* Gloriam meam, id est Filium meũ, *Isa.* 24. 8.
quia gloria Patris, est Filius sapiens, alteri non dabo, quàm tibi Mariæ Virgini. De radice igitur Iesse processisti, clarissima & incomparabilis *Prou.* 13. 1.
Virgo Maria, & sicut virga de radice egrediens, altior, rectior, subtilior, humidior, flexibilior, viridior, pulchrior est, quàm egrediens de stipite, vel de ramo: sic tu, virtuosissima Virgo Maria, altior fuisti, vitæ sanctitate; rectior, charitate; subtilior, humilitate; humidior, pietate; flexibilior, obedientiâ & compassione; viridior, fidelitate; pulchrior, castitate, & planior, simplicitate, omnibus aliis Sanctis.

3. Et, sicut tu, piissima Virgo Maria, excellis omnes in virtutibus; sic ego impiissimus excello omnes in peccatis. Sed per tuarum virtutum merita, te humiliter deprecor, vt tuis sanctis intercessionibus peccata mea deleas, gratiam tribuas, & ad æternam gloriam misericorditer me perducas. Amen.

Contemplatio IV.

De Eadem.

1. DIgnissima omni laude, sacratissima Virgo Maria, de te possunt intelligi illa, quæ dicta sunt Noë à Deo; *Fac tibi arcam de lignis leuigatis; mansiunculas in arca facies, & bitumine linies intrinsecùs & extrinsecùs; & sic facies eam. 300 cubitorum erit longitudo arcæ. 50 cubitorum latitudo, & 30 cubitorum erit altitudo.* *Gen.* 14. 15.
Tu, gloriosissima Virgo Maria, es illa arca, quam Deus Pater fieri ordinauit per Noë, id est, Filium tuum; quia Noë interpretatur *Requiescen*; per quem intelligitur benedictus Filius tuus, qui requieuit in vtero tuo virginali, & etiam in sepulchro. Fecit etiam te arcam, non solùm sibi, sed etiam hominibus & Angelis, & toti Trinitati: quia omnibus omnia facta es: in qua fuerunt reconditi thesauri desiderabiles, & virtutum charismata; & fuisti omnium virtutum decore ornata.

2. Dignitas ortus tui ostenditur quantùm ad progenitorum sanctitatem, *Luc.* 12. 51.
cùm dicitur, *De lignis leuigatis*, id est, politis & bituminatis. Fuerunt autem parentes, de quibus ortum habuisti, Virgo Maria, politi per honestatem conuersationis, quia nihil in eis fuit quod offenderet oculos intuentium, licet conuersarentur in medio nationis peruersæ, nam aspectu, auditu, opere, iusti erant: bituminati per feruorem charitatis. Mansiunculæ, fuerunt tres status, scilicet virginum, coniugatorum, & prælatorum, qui sunt in arca, id est, in Ecclesia. Sic etiam fuerunt in te, beata Virgo Maria; quia tu fuisti Virgo & conjunx, & habuisti quodammodò super benedictum Fi-

lium tuum quasi officium Prælati, & ideò de Filio tuo benedicto dicitur, *Et erat subditus illis.*

3. Fuisti linita bitumine intrinsecùs & extrinsecùs, scilicet quoad Deum & proximum, bitumine scilicet charitatis feruentissimæ, & indissolubilis. 300 cubitorum, id est, decor omnium virtutum fuit longitudo tua, & maxime fides, quæ dicitur longitudo dierum, id est, claritatis visionis diuinæ. Fuit in te latitudo charitatis, quæ extendebatur vsque ad inimicos; fuit etiam in te, beata Virgo Maria, altitudo, scilicet spes quæ vsque ad secreta Altissimi pertingebat: quia spes est certa expectatio beatitudinis futuræ, ex gratia & meritis præcedentibus proueniens.

4. O benignissima Virgo Maria, ob gaudium tuæ salutiferæ natiuitatis, quæ gaudium annuntiauit vniuerso mundo, impetra tuis sanctissimis orationibus à benedicto Filio tuo, pro me despicabili peccatore, gaudium cordis in præsenti, vt in futurum gaudium habeam sempiternum. Amen.

Contemplatio V.

De Eadem.

Eccl. in festis B. Virg & Eccl. 24. 14. Gen. 6. 16.

1. AB æterno, beatissima Virgo Maria, ordinata, prædestinata, & electa à Deo fuisti. Ideò de te canit sancta mater Ecclesia, *Ab initio & ante secula creata sum.* Fuisti significata à Sanctis Patribus quibusdam operibus. Præfigurata igitur fuisti in fenestra crystallina, quam Noë fecit in arca, quæ excludebat aquam in quantū fenestra; & illuminabat arcam in quantùm crystallina, susceptâ aliunde luce. Tu, beatissima Virgo Maria, fenestra fuisti, excludens aquam tribulationis generis humani, in qua erat ante ortum tuum, & illuminasti mundum tenebrosum luce inaccessibili, scilicet benedictio Filio tuo, qui est lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum.

Isa. 11. 1. Num. 24. 17. In Festo Nat. B. M. V. Gē. 24. 16. Ps. 44. 12.

2. Fuisti à Sanctis Prophetis prænuntiata, *Egredietur virga de radice Iesse*; & *Consurget virga de Israël, & orietur stella ex Iacob.* Fuisti sanctissima Virgo Maria, à Patriarchis & Regibus generata: vnde de te canitur, *Natiuitas gloriosæ Virginis Mariæ ex semine Abrahæ, ortæ de tribu Iuda*, quæ fuit dignior tribubus vniuersis: de cujus stipite principes generati sunt. Fuisti benedicta Virgo Maria; in quibusdam sanctis mulieribus Testamenti veteris figurata: scilicet in virginitate Rebeccæ, de qua legitur quòd *erat decora nimis, virgòque pulcherrima, & incognita viro*, & tibi Virgini Mariæ dicit Dauid, *Concupiscet Rex decorem tuum*, id est virginitatem tuam. Fuisti, sanctissima Virgo, ad hoc, vt de te Christus carnem assumeret, à tota Trinitate præparata; opoprtebat enim vt Redemptor noster justus esset cum Deo, mortalis cum hominibus; propterea decebat ipsum matrem habere

bere virginem, vt in matre mortali conciperetur mortalis, & in Virgine conciperetur justus.

3. Fuisti etiam, pijssima Virgo Maria, aquis Spiritus sancti ad fœcunditatem irrigata: *Non enim pluerat Dominus Deus super terram; & homo non erat, qui operaretur terram*, sed, sicut scribitur, *fons ascendebat de terra, irrigans vniuersam superficiem terræ*. Ita, Virgo Maria, fuisti ille fons, qui terram, id est, genus humanum aridum humore gratiæ irrigasti plenitudine gratiarum. Fuisti etiam, clementissima Virgo Maria, stella gratiæ orta; ideò de te scribitur, *Orietur stella*. Stella namque fuisti emittendo illum radium, qui totum mundum illuminauit. Illum, misericordissima Virgo Maria, exorare digneris, vt tenebras mentis meæ fugare dignetur, & eam illuminare gratiâ suâ, vt lumen æternum aspiciam per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Gene. 2.

Contemplatio VI.

De Eadem.

1. PRopheticum oraculum impletum est de te, singularissima Virgo Maria, videlicet, *orietur stella ex Iacob*. Tu, benignissima Virgo Maria, stella es, Fulgida, ratione puritatis; stella clara, ratione sanctitatis, & stella alta ratione dignitatis. Ideò de te ipsâ dicere potes, *ego sum stella splendida*, cuius sanctissimus ortus claruit ex operatione diuina, & operatione Angelica & operatione humana: claruit ex operatione diuina, quia per operationem Dei fuisti concepta: nam parentes tui, Ioachim & Anna ad senilem ætatem peruenerant, & per viginti annos simul steterant, nec prolem inde susceperant.

Apoc. 22.16.

Tuus ortus claruit ex operatione Angelica; nam Angelus singulariter tuis parentibus te nuntiauit, & licèt aliqui masculi fuerint parentibus per Angelos nuntiati, non tamen aliqua fœmina fuit nuntiata suis parentibus, nisi tu, gloriosissima Virgo Maria, quia Angelus apparens Patri tuo Ioachim, dixit: *Ego sum Angelus missus ad te, quia Anna vxor tua pariet tibi filiam, quam vocabis Mariam, ex qua nascetur Altissimi Filius*. Et sic sanctissimus ortus tuus claruit ex operatione Angelica. Claruit etiam ex operatione humana; & hoc ratione parentum, quia parentes tui, Virgo gloriosissima, fuerunt nobiles quoad mundum, quia descenderunt ex Regali genere Dauid. Propter quod cantat Ecclesia de te *Regali ex progenie Maria exorta refulget*. Sacratissima Virgo Maria tui parentes fuerunt Sancti quoad Deum: legitur enim de Sanctis parentibus tuis, quòd ambo erant iusti; & sine reprehensione in omnibus mandatis Dei, & ideo partus debebat esse iustus; quia *si radix sancta, & rami sancti*. Sic igitur claruit beatissimus ortus tuus ex operatione parentum; quia sunt nobiles quoad mundum, sancti quoad Deum.

In festo Natiu. B.Virg.

Rom. 11. 16.

2. Sed, benignissima Virgo Maria, sicut tua sanctissima natiuitas gaudium attulit huic mundo, impetra mihi nefandissimo peccatori tuis sanctissimis deprecationibus, gaudium & remissionem omnium peccatorum meorum, & abundantiam gratiarum & bonorum operum; vt emundatus & purificatus ab omnibus vitiis & peccatis, lætus accedens ad regionem viuorum, gaudium obtineam sempiternum. Amen.



Contemplatio VII.

De Eadem.

1. GAudium magnum attulit vniuerso mũdo, gloriosissima Virgo Maria, tua sacratissima natiuitas, quia mundum iacentem erexisti tuâ immensâ bonitate, mundum illuminasti tuâ summâ claritate, & viam vitæ ostendisti, Solem iustitiæ modo singulari & mirabili patiendo. Tu ex clara stirpe genita, humilitatem profundam in tuis moribus excellenter demonstrasti, & hoc tibi honorem tribuens, matrem Filij Dei te fecit; quia respexit Deus humilitatem tuam; tu maledictum legis non formidâs, Deo virginitatem prima vouisti, quam ante partum, in partu, & post partum mente & corpore inuiolabiliter obseruasti. Ate incepit dignitas virginalis. Tu primitias tuæ sanctissimæ iuuentutis Deo obtulisti, quia triennio tuæ ætatis completo, Templum ascendisti; nec inde recessisti, sed ibi Deo crebris orationibus, contemplationibus, ieiuniis & vigiliis, indefesso animo seruiuisti. Per Euam cecidimus, & per te stamus; per Euam prostrati sumus; & per te erecti sumus. Per Euam seruituti dati sumus, & per te liberi facti sumus. Eua pœnam intulit nobis, & tu salutem nobis attulisti.

2. Tua sanctissima natiuitas fuit purissima, quia priùs fuisti sancta quàm nata. Hæc beata natiuitas tua fideles illustrauit, salutem credentibus dedit. Tu ornata culmine virtutum in tua sanctissima natiuitate modum debellandi hostes humani generis, virtuosè & exemplariter ostendisti, & homines docuisti. Fuisti insuper in tua beatissima natiuitate stella matutina, dirigens in huius mundi pelago viatores, illos ab erroris semitâ reuocando. Fuisti aurora splendida atque lucens, quia sicut aurora, quæ est media inter noctem & diem, fugat tenebras, & lumen demonstrat, sic tu, sacratissima Virgo Maria, in tua sanctissima natiuitate inter noctem vitiorum & diem virtutum fugando vitia; diem virtutum, scilicet Filium tuum benedictum de proximo in te venturum indicasti. O beata natiuitas, reliquarum festiuitatum origo, quæ enim cunctis solemnitatibus est antiquior tempore, nequaquam debet esse inferior dignitate. O natiuitas gloriosa, natiuitas pretiosa, natiuitas præcelsa, natiuitas fulgida, natiuitas omni puritate nitens, & decora. Per te infirmi habent Medicum salutis; elisi, subleuatorem; ignari, Doctorem; pigri, sollicitatorem; pauidi, confortatorem; afflicti, consolatorem; indigentes, auxiliatorem; somnolenti, excitatorem; debiles, sustentato-

rem; oppressi, defensorem; pauperes, protectorem; amici, delectatorem & peccatores intercessorem.

3. O beatissima Virgo Maria, hæc & multa alia mihi attulit in te & per te tua beatissima natiuitas. Digneris igitur mihi peccatori à beatissimo Filio tuo Domino nostro Iesu Christo impetrare, vt cum iucunditate eam recolam, cum deuotione ad memoriam eam reducam, cum humilitate eam in corde habeam, cum gratiarum actione, mente & ore eam referam; nec à memoria mea discedat, vt tuis piis intercessionibus mundatus ab omni crimine, nasci valeam in æternam gloriam, & ibi viuere per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Contemplatio VIII.

De Eadem.

1. EXcellentia tuæ natiuitatis, beatissima Virgo Maria, causatur ex generis claritate, quia descendisti à personis clarissimis, scilicet à stirpe Patriarchali, nimirum Abraham; & ex stirpe Regali, nimirum Dauid Regis; & ideò de te, Virgo Maria, cantat Ecclesia, *Natiuitas Virginis Mariæ ex semine Abrahæ, orta de tribu Iuda, clara ex stirpe Dauid.* Descendisti etiam, Virgo Maria, ex stirpe Prophetali, id est, ex stirpe Sacerdotali, quia fuisti cognata Elizabeth vxoris Zachariæ, qui fuit de tribu Leui, & Elizabeth de filiabus Aaron. *In festo Natiu. Virg. M.*

2. Causatur tua sanctissima natiuitas, clarissima Virgo Maria, ex omni virtute tam in morũ compositione, quã in virtutum possessione: in te namque velut in speculo refulgent mores & virtutes; à te recipi debet exemplum benè viuendi; quia tu exemplar es, & magistra probitatis, & bonitatis, & quid corrigere, quid effugere, & quid tenere & seruare quis debeat, tu gratiosè ostendis; de te enim scribitur: *in me est omnis gratia viæ & veritatis; in me est omnis spes vitæ & virtutis.* Præcipua autem tua virtus omnium virtutum fuit virginitas cum fœcunditate, & fœcunditas cum virginitate: præcedentem autem natiuitatem carnis coniunxisti cum claritate morum, & virtutum. Ideò es super omnes, post benedictum Filium tuum, laudibus extollenda. Causatur etiam, Virgo Maria, tua Natiuitas ex diuinæ imaginis impressione; quia sacratissima Virgo Maria imaginem Dei in te illibatam seruasti; nec aliam imaginem superinduxisti; non iracundiæ quia fuisti mitissima; non superbiæ, quia fuisti humillima; nec luxuriæ, quia fuisti castissima; nec auaritiæ, quia fuisti pauperrima. Ideò de te scribitur, *astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato*, id est, in corpore glorificato nobilis, *circumdata varietate*, id est virtutum multiplicitate. Ideò sequitur, *concupiscet Rex decorem tuum*, id est, nobilitatem imaginis, quia tuum decorem Dominus plurimùm concupiuit. *Ecc. 24. 25.* *Psalm. 44. 10.* *Ibid. 12.*

3. Sed heu! Virgo Maria hanc imaginem in me ipso corrupi per peccatum, & alienam imaginem superduxi. Succurre mihi; benignissima Virgo Maria, & intercede pro me apud tuum Filium benedictum; vt imaginem quam miserabiliter deformaui, in me reformet, & mihi vitam concedat æternam. Amen.



PARS IV.

DE NOMINE GLORIOSÆ VIRGINIS MARIÆ.

Contemplatio I.

De Nomine Gloriosæ Virginis Mariæ.

1. OCABITVR tibi nomen nouum, beatissima Virgo Maria, quod os Domini nominauit, scilicet Filius Dei, qui est os Patris; Per Angelum nominauit, scilicet, *gratia plena.* Postea verò nomen Mariæ expressit, dicens, *ne timeas Maria.* Dedit namque tibi Virgini Mariæ tota sancta Trinitas, nomen, *quod est super omne nomen, post nomen benedicti* Filij tui; *Vt in nomine tuo omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur* huius sanctissimi nominis gratiam, gloriam, & virtutem. Non enim est aliquod aliud nomen datum sub cælo hominibus, post dulce nomen Iesu, ex quo tanta salus hominibus refundatur. Quia plusquam omnia Sanctorum nomina, post sacratissimum nomen Filij tui, nomen tuum reficit lapsos, languidos sanat, illuminat cœcos, penetrat duros, recreat fessos, vngit agonistas & putrefacit iugum diaboli.

Isa. 62. 2. *Luc. 1. 30.* *Philip. 2 10. 11.*

2. Fama tui sanctissimi nominis, clarissima Virgo Maria, priùs clausa fuit, quandiu morata fuisti in mundo; sed post Assumptionem tuam ad cœlum, diuulgata fuit per omnia mundi climata. Nam in prædicatione Apostolorũ, in omnem terram exiuit sonus sanctissimi tui nominis, & manifestum fuit toti mundo. Tantæ virtutis & excellentiæ est tuum sanctissimum nomen, beatissima Virgo Maria, quòd ad inuocationem ipsius cœlum ridet, terra lætatur, Angeli congaudent, dæmones contremiscunt, & infernus turbatur. Tanta est virtus tui sanctissimi nominis, benedicta Virgo Maria, quod

mirabiliter emollit & penetrat duritiam cordis humani : ideò scribitur, *lucerna Domini spiraculum hominis, quæ inuestigat omnia secreta ventris* sic Prou.20 27.
etiam tibi possumus dicere, lucerna Dominæ, id est, Mariæ, quæ *illuminatrix & Domina* interpretatur, *spiraculum hominis*; quia peccator per te respirat in spe veniæ & gratiæ: quæ *inuestigat*, id est inuestigare facit *omnia secreta ventris*, id est, abscondita cordis.

3. O misericordissima Virgo Maria, ego sceleratissimus peccator, talis sum & talem me feci, quòd nomen meum præ confusione non audeo nominare: quia nomen Christiani habebam, sed nunc habeo nomen peccatoris, quia opera Christiani non feci, sed potiùs opera peccatoris. Adiuuare me digneris, piissima Virgo Maria, vt nomen Christiani, re & nomine habeam; & sic perseuerando, vitam obtineam sempiternam. Amen.

Contemplatio II.

De Eodem.

1. OLeum *effusum nomen tuum*, sacratissima Virgo Maria, *ideò adolescentulæ dilexerunt te nimis*. Oleum, id est tu, sacratissima Virgo Maria, Cant. 1. 2.
quæ nominaris oleum, maximè propter misericordiam effusam extra vas tuum, cuius vas est ipse Christus; cuius plenitudinem accepisti, & nobis de tua plenitudine gratiam pro gratia refudisti. Nomen tuum, beatissima Virgo Maria, comparatur oleo propter viriditatem, quia memoria nominis tui, est in generationes sæculorum: Nam in virore, perseuerantia & diuturnitas designatur. Deuota etiam huius nominis inuocatio & recordatio, ducit ad virorem gratiæ in præsenti, & ad virorem cœlestis gloriæ in futuro.

2. Oleum est calidum ab effectu; sic deuota nominatio tui nominis, mirabiliter accendit ad amorem. Ideò de te canitur, *ô magna, ô pia, ô multum amabilis Maria.* Tu ne quidem nominari potes quin accendas, nec recogitari quin recrees affectus diligentium te. Tu nunquam sine dulcedine diuinitùs tibi insitâ, piæ memoriæ portas ingrederis. Oleum pingue est: sic nomen tuum, Virgo Maria, subministrat deuotionis & gratiæ pinguedinem amatori tuo, vt dicere possit, *impinguasti in oleo* gratiæ & deuotionis Psal.22. 5.
caput meum, id est, mentem meam. Oleum, liquor suauis est; sic nomen tuum, Virgo Maria benedicta, suaue est per benignitatem; quia nomen tuum muliebre est mansuetudinem proferens, & commendans. Oleum recreat, sic nomen tuum gloriosissima Virgo Maria, recreat fessos & laborantes: Ideò dicis cum Filio tuo benedicto, *venite ad me, qui laboratis, & onerati estis & ego reficiam vos.* Matth. 11. 28.

3. Oleum pascit & impinguat: sic nomen tuum, amantissima Virgo Maria, mirabiliter pascit affectum, & impinguat per deuotionem; & quoties

eius recordamur, toties roboramur. Oleum medicatur; nam si vulnus oleo perungatur, oleum non permittit cicatricem obduci, donec sanies sit abducta: nec tua benignitas, in tuis amatoribus, conscientiam permitttit putrificari, donec per confessionem putredo vitij sit eiecta. Tu siquidem es illud oleum misericordiæ, quod verus Samaritanus, id est Iesus Christus, infudit vulneribus sauciati, id est, generis humani, per præuaricationem primæ matris, de Ierusalem in Ierico descendentis.

4. O piissima Virgo Maria, vulneratus sum lethaliter vulneribus multis peccatorum: infunde oleum tuæ misericordiæ, vt sanie peccati eductâ æternam obtineam sanitatem. Amen.

✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠

Contemplatio III.

De Eodem.

Pro. 22. 1. 1. MElius *est nomen bonum quàm diuitiæ multæ, & quàm pretiosa vnguenta.* Ista scripta sunt de te, pretiosissima Virgo Maria, quia sanctissimum nomen tuum, longè melius est quàm diuitiæ corporales; quia angustias releuat paupertatis, & dolori peccatorum medetur, *melius est quàm vnguenta pretiosa:* Nam, si quis pauper est, confugere debet ad beatissimum
Eccl. 7. 2 nomen tuum, & inueniet te pauperrimam, & si deuotè attendat, reperiet te de hac paupertate exaltatam etiam super Angelos, si peccator ad nomen tuum benedictum confugiat, ipsum solum sufficit ad medendum: Nulla enim pestis est tam efficax, & nulla sic hæret, quæ ad nomen tuum gloriosissimum non cedat continuò.

2. Si quis iustificatus est, sed fortè tentatur acriter, & eò ampliùs tentatoris timet insidias: si recordatur, quòd turris fortissima est nomen tuum, saluabitur, quia non solùm potens es ad adiuuandum confugientes ad te turrem fortitudinis, sed ad oppugnādum hostes, nos insequentes, quia *terribilis es* contra eos, *vt castrorum acies ordinata:* & non ita metuunt hostes visibiles
Cant. 6. 9. quamlibet castrorum multitudinem copiosam, sicut hostes inuisibiles tuum potentissimum nomen, vt præsentissimum auxilium extemplò namque cedunt, & pereunt *sicut cera à facie ignis*, vbicumque inuenerint tui sanctissimi nominis assiduā recordationem, deuotam inuocationem, & sollicitam imi-
Psal. 67. 3. tationem. Benedicta Virgo Maria, tui sanctissimi nominis excellentiam beatus Lucas reuerenter expresśit, *Missus est* (inquit) *Gabriël Angelus ad Virginem, cui nomen Maria.* Non dixit sicut de aliis, sed tanquam diuinitùs
Luc. 1. 26. 27. expectatum, tandem protulit cum pondere: dicens, *& nomen Virginis, Maria:* ostendens, tuum nomen pretiosum multùm habere eruditionis, & gratiæ, & altiùs memoriæ commendandum, & diligentiùs inuestigandum.

Ierem. 14. 9. 3. O gratissima Virgo Maria, nomen tuum saluificum inuocatum est super nos, ne derelinquas nos Domina, quia nomen tuum interpretatur *Domina*, sit nobiscum semper nomen tuum, & in ore, & in corde, & præcipuè mecū,

quia nimis ab hoſtibus infeſtor. Expugna illos per virtutem tui nominis, ſed & eſto mihi *turris fortitudinis à facie inimici, &* vt hoc faciliùs concedere digneris, nomen tuum benignisſimum vt *memoriale in deſiderio animæ*, & iugi memoriâ teneam; & ore & corde ipſum laudem, & benedicam in ſæcula ſæculorum. Amen. *Pſ 60. 4* *Iſa. 26. 8*



Contemplatio IV.

De Eodem.

1. TAnta eſt magnificentia & excellentia tui glorioſi nominis, Virgo Maria, quòd in Canticis in perſona Angelorum de te quæritur, *quæ eſt iſta*: Non tantùm, quia perſonæ mirarentur excellentiam, quæ nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem, ſed forſitan quia dulce nomen ſibi deſiderant reſponderi: ſicut cùm antiquis Patribus Iſaac, & cæteris, nomen Dei in deſiderio erat, ita ſcilicet inter homines nomen tuum ſanctisſimum deſiderabant nominari, & notitiam effundi vt non intra terræ terminos clauderetur, ſed etiam celelebre haberetur in cælis. Vnde beatus Lucas publicauit ſanctiſsimum nomen tuum, dicens, *nomen Virginis Maria*, Vnde antè immediatè jungitur tibi Mariæ virginitas, eo quòd non ſolùm nomine præferas, ſed etiam alijs præbeas gratiam caſtitatis; ita etiam nomini tuo ſanctiſsimo, virginitas & ſanctitas, inſeparabiliter ſunt adjunctæ. *Cant. 6. 9. 8. 5.* *Luc. 1. 27.*

2. Quarè cùm agit beatus Lucas de pœnitentia Magdalenæ, propter nominis tui reuerentiam non auſus fuit eam nominare Mariam, ſed mulierem. Et paulò poſt cùm dixit eam juſtificatam, Domino de ſuis facultatibus miniſtrare, vocat eam Mariam, & Suſannam, & Ioannam adjunxit, quæ beatæ ſunt, quia Domino de ſuis facultatibus miniſtrauerunt. At tu, Virgo Maria, longè beatior es. Quia tu ſola, & prædictarum trium vocabula de te interpretantur, & eorum officium exercuiſti, ibi Maria, hîc Maria, Suſanna verò interpretatur *lilium*; & nulli alij meliùs conuenit quàm tibi, quæ præmium meruiſti caſtitatis. Ioanna interpretatur *gratia Dei*; nulla autem dignior hoc nomine quàm tu, quæ plena gratiâ fuiſti. Illæ Domino de terrenis facultatibus miniſtrauerunt; tu, Virgo Maria, illi miniſtraſti de carne propriâ conceptum, & de proprio lacte virgineo nutritum, vnde beatificauit te illa, quæ dicebat ad Dominum; *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti.* *Luc. 11. 27.*

3. Quòd ſi beatificabat te mulier, quæ adhuc carni & ſanguini tuo communicare non meruit, longè magis à nobis beatificanda es, qui de tua carne & ſanguine reficimur in Altari. Caro enim, quæ ibi ſumitur, de carne tua eſt; de cuius carne aſſumpta eſt portiuncula (vt à multis dicitur) de qua artificio Spiritus Sancti, formatum eſt corpus Chriſti, quem exorare digneris, piiſsima Virgo Maria, vt ſicut illum per fidem hîc agnoſco in via, ſic per ſpeciem apprehendam in patria. Amen.

Contemplatio V.

De Eodem.

1. SIcut beatiſsima Virgo, nomen benedicti Filij tui effunditur in diuerſa
Iſa.9.6. nomina, quia vocatur nomen eius, *Admirabilis*, *Conſiliarius*, *Deus fortis*, *Pater futuri ſæculi*; *Princeps pacis*, ſic & nomen tuum dulciſsimum per ſuas interpretationes poteſt conuenienter effundi. Interpretatur enim Maria, *Domina*, *Mare amarum*, *Illuminata*, *Illuminatrix*, *& Illuminans*. Interpretatur *Domina*; & ſic fuit in benedicti Filij tui oblatione, quando ipſum præſentaſti in Templo, vbi totus conueniebat mundus, quaſi totum mundum volens de ipſo mittere in poſſeſſionem & ſaiſinam: quod etiam deſignat tua imago Filium tenens, quaſi ad dandum; Tu *Domina*, quia Anna genuit te Mariam, id eſt, gratiæ Dominam; Tu Virgo Maria, omnium creaturarum facta es *Domina*, Creatoris omnium Mater exiſtens; *Tu Domina*, quia nos protegis, tamquam turris fortiſſima, & aduerſarios noſtros reprimis, & expugnas, velut caſtrorum acies ordinata. Nomen tuum benedictum, interpretatur *Mare amarum*, & hoc in glorioſiſſimi Filij tui paſſione, quando animam tuam ſanctiſſimam pertranſiuit *doloris gladius*.
Luc. 2. 35. Longè enim pluſquàm martyr es cenſenda; quia in te paſſionis ſenſum exceſſit compaſſionis affectus.

2. Nomen tuum ſanctiſſimum interpretatur *Illuminata*, ſcilicet *à Patre luminum, à quo deſcendit omne datum optimum* ex cuius dono tot habuiſti in
Iacob.1. 17. te luminaria, quot virtutes; & ita hoc nomen tibi ſingulariter & excellenter conuenit, quia præ omnibus poſt benedictum Filium tuum dona habuiſti gratiarum. *Illuminata* etiam fuiſti per gratiam Spiritus ſancti, quando in vtero ſanctificata es, & quando idem Spiritus ſanctus ſuperuenit in te; fuiſti etiam illuminata à Filio Dei vero Sole iuſtitiæ, in illius conceptione, quem totum in corde, totum ſuſcepiſti & portaſti in tuo vtero virginali. Nec potuiſti eſſe non *illuminata*, quia fontem luminis ſuſceperas in te totum. Ideò
Apoc. 12. 1. *Mulier amicta Sole*, appellaris, & diceris *Luna*, quæ totum lumen ſuum à Sole recipit; tu etiam operaris tamquam ex Sole, & reſpectu Diuinitatis, benedicta prædicaris à generationibus vniuerſis, vnde dixiſti *quia reſpexit*
Luc. 1. 48. *humilitatem ancillæ ſuæ*: & ſic à Sole *illuminata* es; & *ex hoc beatam te dicent omnes generationes*, & in hoc eſt Lunæ pulchritudo, & lumen.

3. O miſericordiſſima, & benigniſſima Virgo Maria, ego iniquiſsimus peccator ad tuam pietatem venio; eam humiliter exoro, vt nomen tuum ſanctiſsimum interpretetur in me; ſis mihi *Domina*, comprimendo tentationes, & aduerſarios meos compeſcendo; ſis mihi *Mare amarum*, amaricando in me noxias mundi delicias: ſis mihi *illuminata*, regendo me per vias periculoſas huius mundi, vt claritatem interminabilem percipiam in æternum. Amen.

CON-

Contemplatio VI.

De Eodem.

1. BEatissimum nomen tuum, sacratissima Virgo Maria, interpretatur *Illuminatrix*; quia postquàm dicta fuisti *Pulchra vt luna*, etiam dicta fuisti, *electa vt Sol*, quia sicut Sol radijs suæ claritatis illuminat mundum, sic, sanctissima Virgo Maria, tuis virtutibus & exemplis populum irradias Christianum. Ideò dicis de te ipsâ, *illuminabo omnes sperantes in Domino*, alios nequaquam. Tu enim illuminas Ecclesiam militantem, significatam per arcam Noë, quam illuminabat fenestra crystallina figurans te, Virgo Maria. Illuminas etiam triumphantem, ideò dicis, *Ego feci vt in cœlo oriretur lumen indeficiens*; propter hoc de te canitur, *cujus vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias*, id est, militantem, & triumphantem. Tu es post benedictum Filium tuum vera lux, quæ illuminat *omnem hominem venientem in hunc mundum*: quia de te potest dici, *dedi te in lucem gentium*; & ad hoc significandum, mediâ nocte peperisti lucem veram, vt mediante partu tuo gloriosissimo, illuminares populum in tenebris ambulantem.

Cant. 6. 9. — Eccl. 24. 45. — Eccl. 24. 6. — Eccl. in offi. Natiuit. B. V. M. — Ioan. 1. 9. — Is. 49. 6. — Eccl. 24. 5.

2. Tu es lumen oculorum, & pax, & illuminatrix nostra, benedicto Filio tuo mediante, qui fecit lutum ex sputo, quo illuminauit cæcum natum; in quo latet maximum Sacramentum: Nam saliua descendens de capite Iesu, Dei Sapientia est, quæ dicit, *ego ex ore Altissimi prodiui*; ex hac saliua & naturæ humanæ terra confectum est collyrium, quo illuminatum est genus humanum, designatum per cæcum illum, per fidem scilicet Verbi Incarnati, vnde canitur. *Et caro nostra lutum. Verbi Sapientia sputum, Et genus humanum, tali medicamine sanum.* Tu purissima Virgo Maria, interpretaris *illuminans*; quia illuminas seruitores, & amatores tuos documentis, meritis, & exemplis. Docuisti etiam Apostolos & Euangelistas, maximè beatum Lucam; quia Euangelium à te didicit, præsertim in principio. Impetras etiam peccatoribus tenebrosis à benedicto Filio tuo gratiam, per quam illuminantur ad excludendum vitia, & ad exercitium virtutum.

3. O beatissima Virgo Maria, mens mea est tenebrosa propter multitudinem peccatorum. Illumina eam igne charitatis, vt tuum Filium benedictum & te diligam; corde peruigili & humili seruiam; laudes, & gratiarum actiones, de benificijs impensis referam; vt Lumen luminum videam per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Contemplatio VII.

De Eodem.

1. O Admirabile, & ſuperlaudabile nomen tuum, Virgo Maria, à Deo tibi impoſitum, & ab Angelo tuis Sanctis parentibus nuntiatum. Virgo Maria, ad nomen tuum ciues cœleſtes lætantur, infernus triſtatur, dæmones contremiſcunt, mundus congaudet, & peccatores gloriantur. Virgo Maria, poſt Ieſum, nomen tuum eſt *ſuper omne nomen*; *vt in nomine tuo omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Virgo Maria nomen tuum *ſtella maris* nuncupatur, quia dirigis in hac miſera peregrinatione peccatores; errantes per deuia, reducis ad viam; & viarum diſcrimina oſtendis, & defendis viatores. Virgo Maria, nomen tuum admirabile eſt in vniuerſa terra. *Mare amarum* interpretatur, hoc eſt pœnitentia quæ appropinquare facit ad regnum cœlorum; quia corpus extenuat, animam virtutibus impinguat, mores componit, peccata delet, virtutes miniſtrat, mundum deſpicit, cœleſtia petit, ſeruitium Deo præparat, carnem ſpiritui ſubjungit, inimicos debellat, & vincit, diuitias temporales contemnit, ſpiritales amplectitur, mortem non timet, vitam futuram requirit. Nomen tuum, glorioſa Virgo Maria, prædicta ſignificat. Sed quid ampliùs, Virgo præclariſſima? dæmones effugat, aufert pericula, homines à malis præſeruat futuris, dona homini plurima confert. O nomen excelſum! nomen in ore dulce in corde dulcius, & in opere dulciſſimum, nomen ſuaue bonis, nomen aſperum malis; nomen magni gaudij, & exultationis; nomen magnæ lætitiæ, & conſolationis; nomen magnæ melodiæ, & jucunditatis; nomen ſolatij, & ſecuritatis; nomen magni tripudij, & jubilationis; nomen magnæ gloriæ, & humilitatis, nomen gratiæ & contemplationis; nomen magni conſilij, & meditationis; hoc nomen pretioſum & omni laude digniſſimum, tibi & non alteri ita benè conuenit, Virgo ſalutifera, tibi debetur, te decet, tibi adaptatur, tibi appropriatur; quia nomen debet eſſe conſonans rei. In te namque eſt omnis virtus, omne bonum; & à te perpetua animæ noſtræ ſalus dependet. Quos odiſti, Deus odit; quos diligis, Deus diligit. Tibi arca diuinæ miſericordiæ commiſſa eſt: claudis & aperis, quando placet; theſauri miſericordiæ diſpenſatrix es.

Phil. 2. 10.

Pſal. 8. 2.

2. O nomen beatificum, non recedas à me: quamuis ſim maximus peccator, ſis ſemper laudabile in ore meo, in cogitatione, & in omni opere: dormiam aut vigilem, comedam aut jejunem, ſemper te laudem. Te magnificem ſemper, te extollam, & ſemper te benedicam, operetur in me miſero peccatore tua magna patientia, glorioſa Virgo Maria, qui pollutus labijs nomen tuum benedictum nomino: Munda me tuis ſanctis precibus, & meritis ab omnibus inquinamentis meis; vt te & nomen tuum glorioſiſſimũ honorificem, hîc & in futuro, per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

PARS V.

DE GRATIIS GLORIOSÆ VIRGINIS MARIÆ.

Contemplatio I.

De Gratia Virginis Mariæ.

1. NVENISTI *gratiam apud Deum*, dulcissima Virgo Maria, *Luc. 1. 30.*
gratiam, inquam, corporalem, quia fuisti virginitatis primiceria, sine corruptione fœcunda, sine grauedine grauida, & sine dolore puerpera. Inuenisti gratiam mentalem, Virgo Maria, quia fuerunt in tua mente deuotio humilitatis, reuerentia pudoris, magnitudo credulitatis, & martyrium cordis. Inuenisti, Virgo Maria, gratiam cœlestem, quia fuerunt in te sanctificatio in matris vtero, Angelica salutatio, Spiritus sancti superuentio, & Filij Dei Conceptio. Sed qualiter, Virgo præclarissima Maria, istas gratias inuenisti? certè benedicta Virgo Maria, sicut Eua gratiam amisit per superbiam, inobedientiam, curiositatem vanam, ita tu per oppositum gratiam inuenisti: per meritum humilitatis, quam habuisti quando *Ancillam* te nominasti: per meritum obedientiæ, quam Deo exhibuisti quando dixisti, *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*, Nam Eua occidendo obfuit, sed tu, benedicta *Ib. 38.* Virgo Maria, viuificando profuisti: quia pro inobedientia commutatur obsequium, & fides pro perfidia compensatur: per meritum etiam solitudinis reparatur curiositas. Non enim fuisti curiosa, sed Deo & tibi vacasti: vnde Angelus te non inuenit in foro, non in platea.

2. Has autem gratias, humillima Virgo Maria, non tantùm propter te inuenisti, sed etiam propter nos, vt multipliciter nos iuuares, & ideò adiuuas in vita præsenti tam bonos quàm malos; bonos in gratia conseruando, vnde cantamus *Maria Mater gratiæ*, malos ad misericordiam reducendo: ideò dicitur, *Mater misericordiæ*. Adiuuas etiam in morte, ab insidiis Diaboli protegendo, ideò subditur, *tu nos ab hoste protege*. Adiuuas quoque post mortem animas suscipiendo, & eas in cœlum deducendo, & ideò subdifertur, *Et hora mortis suscipe*. Adiuuas etiam tribulatos, dans eis *Eccl. in Hymno Memen. salutis. Ibid.*

patientiam; tentatos, dans eis victoriam, & in Dei amore famelicos, dando eis refectionem æternam.

3. O benignissima Virgo Maria, peruersum & iniquum peccatorem me sentio tentatum & prostratum ab inimicis meis, quibus in multis peccatis consensum præbui, & opere compleui. Adjuua me, clementissima Virgo; da patientiam in tribulationibus, victoriam in tentationibus, da pœnitentiam agere de commissis: impetra indulgentiam de præteritis, & præsentibus, & da fortitudinem resistendi in futurum, vt sic veniam in præsenti, & gaudium obtineam sempiternum. Amen.



Contemplatio II.

De Gratia Virginis Mariæ: sine alicujus contrarij admixtione.

1. NOn sufficit per se cor humanum, gloriosissima Virgo Maria, cogitare tuam puram gratiam, quam habuisti sine alicujus contrarij admixtione. Sancti namque Viri in vita præsenti, & si habebant gratiam, eam habuerunt cum admixtione, vel timoris, vel doloris, vel laboris. Timent
1 Cor. 10. 12. enim an sint in gratia aut odio, aut ne cadãt à gratia; quia scriptum est, *qui se existimat stare, videat ne cadat.* Tu verò gratissima Vigo Maria, non habuisti istam admixtionem timoris; quia certissima eras, te gratiam habere:
Luc. 1. 28. quia Angelus, qui mentiri non potest, hoc tibi dixerat; *aue*, inquit *gratiã plena*; sciebas etiam, Virgo Maria, te à gratia cadere non posse, ita vt dicere
Eccl. 24. 14. posses, *Vsque ad futurum sæculum non desinam.*

2. Sancti etiam habuerunt hanc gratiam, cum admixtione laboris; quia
1 Cor. 9. 27. oportet eos laborare multùm ad sensualitatem domandam, & rationi subijciendam; prout Paulus dicebat, *castigo corpus meum, & in seruitutem redigo.* Sed tu, pretiosissima Virgo Maria, istam admixtionem laboris non habuisti, quia nullos motus rationi contrarios vnquam persensisti. Ictus impugnationis nunquam pertulisti; Imò caput serpentis contriuisti. Sancti etiam habuerunt & habent gratiam cum admixtione doloris, quia vident se multos defectus habere. Et si aliquis se defectum habere non crederet, tunc ipse omnes haberet, nam omnia illi desunt, quando nihil sibi deesse putat, sed tu, speciosissima Virgo Maria, istam admixtionem doloris non habuisti; quia nullus defectus gratiæ in te fuit, sed omnes gratias, & omnes virtutes habuisti. Habuisti namque in ore, gratiam affabilitatis; in ventre, gratiam deitatis; in corde gratiam chatitatis; in manu, siue in opere, gratiam misericordiæ, siue largitatis; & sicut in mari est plenitudò aquarum; quarum nec fundum potest aliquis inuenire, neque mensurare; sic, sanctissima Virgo Maria, in te est omnis plenitudo omnium gratiarum im-

mensurabilis, quam profundare non potest intellectus humanus.

3. O benignissima Virgo Maria, ego sceleratissimus peccator, abjeci à me frequenter gratiam mihi à Deo benignè concessam, & introduxi miserabiliter multa vitia & peccata; succurre mihi, pijssima Virgo Maria; exora continuè gloriosissimum Filium tuum, pro me iniquissimo peccatore, vt meos reatus deleat, & gratiam mihi conferat, hîc benè viuendi, & in futuro gloriam sempiternam. Amen.



Contemplatio III.

De pulchritudine Gratiæ Virginis Mariæ, sine defectu & diminutione.

1. PLenam gratiam sine aliquo defectu & diminutione habuisti, intemerata Virgo Maria, quia omnibus gratijs vniuersaliter plena fuisti; Magnum quippe est habere potentiam receptiuam gratiæ, quam habent peccatores, dum sunt in mundo, sed eâ carent damnati in inferno. Istud est illud magnum chaos, quod est inter nos & eos, scilicet impotentia ad gratiam recipiendam. Majus est habere guttam gratiæ sicut habent Boni, dum adhuc sunt imperfecti; & ista gutta gratiæ valet ad bonorum operum fœcundationem, ad vitiorum refrigerationem, & ad sitis mundanæ extinctionem; quia qui biberit de fluuio Paradisi, cujus gutta major est Oceano, restat vt in eo sitis hujus mundi penitùs extincta sit.

2. Maximum est habere plenitudinem gratiæ, quam habuerunt & habent viri perfecti, de quibus dicitur, *Repleti sunt omnes Spiritu sancto*; & *Act. 2. 4.*
ista plenitudo gratiæ valet eis ad salutem acquirendam; ad fiduciam de Deo obtinendam, & ad consolationem mundanam obliuioni tradendam. Permaximum est habere fontem gratiæ, quam habuerunt & habent Sancti: & iste fons eos viuificat; *Quoniam apud te est fons vitæ.* Supermaximum est *Psal. 35. 10.*
habere non tantùm potentiam receptiuam gratiæ, non tantùm habere guttam gratiæ, non tantùm habere plenitudinem gratiæ, non tantùm fontem gratiæ, sed etiam fluuium gratiarum omnium: Isto namque modo habuisti gratiam plenam; & ideò de te dici potest quod tu es *fons hortorum, puteus aquarum viuentium*; in quantum peccatores mortuos viuificas *Cant. 4. 15.*
à peccato. Tu es fluuius vadens cum impetu, in quantum lætificas Ciuitatem Dei.

3. O beatissima Virgo Maria, dum meipsum aspicio oculo mentali, vacuum me sentio gratiâ diuinâ, & hoc solùm, quia ad eam recipiendam non me disposui; carnem meam miserabilem dominari permisi, mundum & eius oblectamenta secutus fui, hosti antiquo consensum præbui, & sic gratiam diuinam repuli, neque ei locum paraui. Auxiliari mihi digneris, mi-

ſericordiſſima Virgo Maria, ex plenitudine gratiæ tuæ guttam ſuper me effunde, orando tuum potentiſſimum Filium, vt delicta mea deleat, & gratiam mihi tribuat, & in fine gloriam ſempiternam. Amen.



Contemplatio IV.

De Superplenitudine gratiæ Virginis Mariæ.

1. SIcut Sol ſuper bonos & malos oritur indifferenter; ſic tu ſacratiſſima Virgo Maria, præterita merita non diſcutiens, clementiſſimam & exorabilem te exhibes, ac omnibus neceſſitatibus liberaliter ſubuenis; quia habuiſti gratiam ſuperplenam cum larga & plena diffuſione. Tuam namque gratiam ſenſit infernus, quia mediante te expoliatus fuit; ſenſit terra, quia mortuos reddidit; ſenſit cælum, quia ſeſe aperuit; ſenſerunt Angeli, quia fuerunt reparati, ſenſerunt peccatores, qui fuerunt iuſtificati. Tantâ namque plenitudine gratiarum infuſa fuiſti, vt copioſiſſimè affluetes circunquâque. In te namque Deus totius gratiæ plenitudinem poſuit, vt ſi quid in nobis fuerit gratiæ vel ſalutis, à te redundare ſciamus.

2. Tu enim, ſanctiſſima Virgo Maria, habuiſti gratiæ inuentionem; ideò dicit tibi Angelus, *inueniſti gratiam apud Deum.* Sed, glorioſiſſima Virgo Maria, inueniſti gratiam, quam quærebas, inueniſti namque gratiam, quam ante te inuenire non potuit quiſquam, videlicet gratiam apud Deum, Dei & hominum pacem, mortis deſtructionem, peccatoribus veniam, iuſtis gratiam, Angelis lætitiam, tentatis fortitudinem, debilibus firmitatem, lapſis releuationem, periclitantibus adiutorium, & liberationem, exulibus patriam, ægris medelam, puſillis corde robur, & tribulatis conſolationem.

Luc. 1. 30.

3. O ſuauiſſima Virgo Maria, quantam gratiam inueniſti apud Deum! gratiam ſupereffluentem, gratiam ſingularem, gratiam generalem: gratiam ſingularem, quia ſola hanc meruiſti plenitudinem; generalem, quia de tua plenitudine accipiunt vniuerſi. Singulariter quidem fructus benedicti ventris tui ad omnium mentes, te mediante peruenit. Poſſunt igitur peccatores, Virgo Maria, ad te recurere, & ſecurè dicere tibi; redde nobis gratiam, quàm pro nobis inueniſti; quia niſi nos peccatores fuiſſemus, tu Mater Dei non fuiſſes, & ideò talem gratiam non inueniſſes. Tribue nobis miſeris, & præcipuè mihi indigniſſimo peccatori, qui plùs cæteris indigeo, Virgo Maria, tuam gratiam, & quantò plus dederis, tantò magis plena eris; numquam enim tua gratia areſcit, numquam decreſcit: Imò eſt ſicut amor, qui ſemper in ſuo fluxu creſcit, & fluendo augetur; hanc mihi tribue, & tuum Filium benedictum exora, vt mihi concedat miſericorditer indulgentiam omnium peccatorum. Amen.

Contemplatio V.

De Gratia Virginis Mariæ, quam habuit repletam.

1. DIcta es *gratia plena*, beatiſſima Virgo Maria, de qua ortus eſt fons gratiæ, ex cuius plenitudine tu accepiſti, & lucem virginitatis in carne, & oleum humilitatis in corde: vt ſic ex tuo oleo redundante totus hauriat mundus; ſic enim virgines acceperunt oleum in vaſis cum lampadibus. Tu, prudentiſſima Virgo Maria, non tantùm habuiſti vnum vas oleo gratiæ repletum, quo lampadem tuam extinguibilem nutrires; ſed aliud vas habuiſti redundans & indeficiens, ex quo effuſo oleo miſericordiæ, omnium lampades illuminares, vt vas omnium vſque ad ſummum repleres, & in eo nihil deficere inuenires. Prudens igitur, Virgo Maria, fuiſti, vt tibi prouideres: nec timida fuiſti, vt aliis ſubuenires; nec dixiſti, *ne fortè non ſufficiat*, ſcilicet mihi & vobis: ſed ſciens quòd ſufficeret tibi & nobis, ſufficienter retinuiſti, & ſufficienter tribuiſti: vt ex illius plenitudine effunderetur, quo lampades noſtræ extinctæ illuminarentur. Sic, glorioſa Virgo Maria repleta fuiſti quòd de terra carnis tuæ fons erupit, & manauit ſuper omnem terram, & irrigauit aridam, & ſterilem fœcundauit.

Luc. 1. 28.

Matth. 25. 9.

2. O pleniſſima gratiarum, Virgo Maria, expediuit nobis miſeris peccatoribus te fuiſſe repletam gratiâ; per quam, quaſi per canalem, ille fons diuinæ gratiæ ad vniuerſitatem humani generis redundaret. Vnde, ſi fideli animæ gratia defuerit, ad plenitudinem gratiæ tuæ corruere & confugere debebit, quia tu, glorioſiſſima Virgo Maria, diceris *fons hortorum & puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano*, & licet de tua plenitudine acceperint omnes, non minuetur: Imò quantò magis effluxit, tantò ampliùs abundat plenitudo. O pius fons hortorum; ſi aridum fuerit cor alicuius fidelis, rigari indigens, currat ad te fontem hortorum; qui omnes hortos irrigat; currat ad te puteum aquarum viuentium; nec timere debet laborem extrahendi; nam fluunt ſemper aquæ propter viuacitatem & fœcunditatem; nec poteſt cor piſcinarum exuri incendio.

Cant. 4. 15.

3. O piiſſima Virgo Maria aridum eſt cor meum, deſiccata eſt mens mea à gratia, propter multa & diuerſa peccata, quæ commiſi & committo. Succurre mihi miſero, Virgo Maria, riga cor meum tuâ pietate, vt cum Deo fonte viuo maneam in æternum. Amen.

Contemplatio VI.

De Gratia Virginis Mariæ, quam habuit cumulatam.

1. LIcet alij Sancti, speciosissima Virgo Maria, habuerint gratiam cum admixtione venialium peccatorum; tamen tu, Virgo Maria, sic eam habuisti cumulatam, quòd nulla peccati alicujus admixtio in te fuit. Ideò
Cant. 4. 7. tibi dicitur, *pulchra es Amica mea, & macula non est in te.* Tu etiam fuisti pulchra, sine aliquo peccato: & ab hac gratia, Virgo Maria, nunquam cadere potuisti, ex eo quòd diuina Sapientia septem columnis te muniuit, id est, septem donis Spiritus sancti, quibus plena & cumulata fuisti; & quoniam Deus dat mensuram gloriæ secundum quantitatem humilitatis & gratiæ, ideò Deus immensitatem gloriæ contulit tibi, gloriosissima Virgo Maria; quia in hoc mundo immensam humilitatem & gratiam habuisti.

2. Quia igitur te profundè humiliasti, ideò exaltari promeruisti quantum ad locum & subjectum, & effectum. Nam quia tu recubuisti in nouissimo loco, ideò exaltari meruisti super Choros omnium Angelorum; quia etiam habuisti humilitatem interiùs in corde, & mansuetudinem exteriùs in corpore, ideò exaltari promeruisti, quantùm ad totum tuum subjectum, scilicet corpus & animam; quia anima fuit glorificata, & corpus fuit veste immortalitatis indutum; quia te humiliasti habendo ancillæ officium, gratia tantùm fuit in te cumulata, quòd officium fuit tibi commissum illuminandi Sanctos, qui sunt in via, & illos qui sunt in patria; vnde tuâ præsentiâ, Virgo Maria, totus illuminatur orbis; adeò vt ipsa cælestis patria clariùs rutilet, tuæ virgineæ lampadis illustrata fulgoribus.

3. Ergo, misericordissima Virgo Maria, tuæ pietatis cumulatam gratiam, quam apud Deum clementer inuenisti, notam fac mundo, obtinendo reis veniam, ægris medelam, afflictis consolationem, & præsertim mihi miserabili peccatori, pijssima Virgo Maria, qui multis diuersis peccatis affligor; in anima multis & diuersis hostibus tribulor; quotidiè multas & diuersas tribulationes patior in corpore, multis necessitatibus inuoluor assiduè: adsis mihi, Virgo Maria, quæ das afflenter tuam gratiam, & non improperas, vt tuo adjutorio suffragante, consolationem habeam sempiternam. Amen.

CON-

Contemplatio VII.

De Signis plenitudinis gratiæ Virginis Mariæ.

1. Plenitudo alicuius rei, gratissima Virgo Maria, cognoscitur cùm res non resonat, non appetit superfluum, multùm ponderat. In te, sacratissima Virgo Maria, hæc signa inueniuntur, quæ manifestè ostendunt plenitudinem gratiæ tuæ. Tu namque non resonasti per impatientiam vel murmurationem aliquam, sed multas & diuersas tribulationes perpessa in hoc mundo, de omnibus gratias egisti. Tu enim in persecutionibus & afflictionibus fuisti hilaris; in penuriis & indigentiis, non querula, iniuriantibus grata, & non molesta, miseris & afflictis condolebas, & subuenire non pigrescebas. Non appetisti mundana; quia cor tuum repletum erat amore cœlestium: nam despicit omnem amorem terrenorum qui cœlestem dulcedinem degustauit. Gratiam etiam non cessas influere, sed tuæ gratiæ beneficia in nos semper fluunt. De tua namque plenitudine accipiunt vniuersi, quicumque indigent, & quotiescumque te humiliter inuocant: nec est qui se abscondat à calore gratiæ tuæ. Tu, dulcissima Virgo Maria, fuisti ponderosa præ nimiâ plenitudine gratiæ tuæ, quæ si in statera ponderetur, ampliùs ponderaret, quàm gratiæ aliorum Sanctorum: quia quòd particulariter alij Sancti habuerunt, tu Virgo Maria, habuisti vniuersaliter.

2. Verè tibi potest dici, *in plenitudine Sanctorum detentio mea.* Vnde- Eccl. 24.
quâque gratia plena fuisti; quia in corde, & in corpore receperas totum 14.
fontem misericordiæ; qui etiam priùs repleuit mentem tuam, quam ven-
trem: & cùm nasceretur de corpore, ab anima non recessit. O plena *gratia* Eccl 26.
super gratiam mulier sancta & pudorata; quia in te inculcatæ erant gratiæ, & 19.
quælibet gratia te totum implebat & occupabat, & quasi propriam vendicabat. *Gratia* scilicet ventris, *super gratiam* scilicet cordis. Gratia fœcunditatis, super gratiam virginitatis; *Gratia super gratiam*, id est, super omnem gratiam: quod enim Mater Dei effecta es, super omnem gratiam est. Gratia tua, Virgo Maria, sublimior est omnibus gratiis Angelorum, & hominum; *Gratia super gratiam*, quasi dupliciter gratiosa, quæ tibi & nobis gratiam acquisiuisti.

3. O misericordissima Virgo Maria, ad te confugio ego prauissimus peccator; ad te venio, ad te clamo de profundo cordis mei, te humiliter exoro, vt gratiam tuam mihi benignè concedas, per quam valeam regnum acquirere sempiternum. Amen.

Contemplatio VIII.

Quibus Gratiis plena fuit Virgo Maria.

1. Singulariter plena fuisti, benedicta Virgo Maria, gratiâ bonorum naturalium, spiritualium, & cœlestium. Plena fuisti in mente, plena in ventre; plena dignitate, plena sanctitate. Habuisti, sacratissima Virgo Maria, plenitudinem sufficientiæ, plenitudinem excellentiæ, plenitudinem influentiæ: & tantam plenitudinem habuisti, quantam habere potest aliqua creatura non vnita Deo. Tu, gloriosissima Virgo Maria, habuisti plenitudinem ad vsum quoad te ipsam, plenitudinem ad cumulum quoad nos. Fuisti insuper quoad Deum plena gratiâ; quia fuisti grata Deo per humilitatem, Angelis per virginitatem, hominibus per fœcunditatem: quia in te fuit fomitis extinctio, veritatis agnitio, virtutis dilectio; vt esses plena in effectu, & in intellectu, & in affectu. Tu clarissima Virgo Maria, sic gratiâ plena fuisti, quòd in te fuit omnis formositatis, decoris & plenitudinis ornamentum; in te fuit omnis bonitatis, valoris, & plenitudinis complementum: in te fuit omnis dulcoris odoris, & gratitudinis oblectamentum. Nihil in te, speciosissima Virgo Maria, fuit quod posset offendere; quia tota pulcherrima fuisti: nihil in te, quod posset deficere, quia tota plena fuisti: nihil in te, quod posset inficere, quia tota gratissima fuisti. Tu, sanctissima Virgo Maria, gratiâ plena fuisti, plena omnis munditiei, & puritatis; plena omnis opulentiæ & fertilitatis; plena omnis suauitatis. In te nihil fuit offensiuum, nihil defectiuum, nihil infectiuum, imò in te fuit omnis decentiæ pulchritudo, omnis affluentiæ plenitudo, omnis redolentiæ & complacentiæ gratitudo: quia fuisti sine aliqua spurcitia, sine penuria, sine tristitia; imò fuisti, pretiosissima Virgo Maria, ornata, lumine, repleta numine, resperſa flamine, luminosa cogitatione; speciosa incorruptione; copiosa sanctificatione.

3. Tu, Virgo Maria sanas tumorem superbiæ, exemplo tuæ humilitatis; purgas saniem luxuriæ, exemplo tuæ virginitatis. Dignare me sanare, Virgo Maria, quoniam infirmus sum, multis vulneribus peccatorum sauciatus. Ora tuum Filium benedictum, vt mihi indulgendo, clementer vitam concedat æternam. Amen.

PARS VI.

DE VIRTVTIBVS SPECIALIBVS GLORIOSÆ VIRGINIS MARIÆ.

Contemplatio I.

Quod Virgo Maria exclusa fuit ab omni miseria.

1 
XCLVSA fuisti, benedicta Virgo Maria, à miseria inflicta
primis parentibus, quæ multiplex fuit. Prima maledictionis, *Genes.*
quia dictum est Adæ, *maledicta terra in opere tuo*, scilicet pec- *3.17.*
cato tuo. Tibi verò, gloriosa Virgo Maria, dictum est, *benedicta* *Luc.1.*
tu in mulieribus. Fuit, corruptionis, quia Eua non concepit sine corruptione: *28.*
sed tu purissima Virgo Maria, concepisti, & peperisti incorrupta; quia fuisti
Virgo ante partum, Virgo in partu, Virgo post partum. Fuit subiectionis;
quia dictum fuit Euæ, *sub viri potestate eris*. Sed, Virgo Maria, benedictus *Genes.3.*
Filius tuus subditus tibi fuit. Fuit doloris, vnde dictum est Euæ, *in dolore pa-* *16.*
ries filios. Sed tu, sacratissima Virgo Maria, peperisti in gaudio, quia dictum *Ibid.*
est Pastoribus, *annuntio vobis gaudium magnum*. Fuit incinerationis, *Luc.2.*
quia dictum est Adæ, *puluis es, & in puluerem reuerteris*. Sed tu, virtuosissima *10.*
Virgo Maria, mortis nexibus deprimi non potuisti; qui sunt putrefactio, *Genes.3.*
vermes, & incineratio. *19.*

2. Exclusa insuper fuisti, clementissima Virgo Maria, à triplici væ, scilicet væ mundi, væ carnis, væ diaboli. Primum euasisti per paupertatem, secundum per virginitatem, tertium per humilitatem. Immò fuisti absque
omni væ alicuius peccati; quia de te scribitur, *tota pulchra es, amica mea, &* *Cant.4.*
macula non est in te, tota pulchra es in opere, per simplicitatem; quia oculus *7.*
tuus simplex est, & ideò corpus tuum lucidum. Tota pulchra es in corpore, per virginitatem. Tota pulchra in mente, per veram humilitatem: quod est esse sine macula. Tota pulchra es in aspectu conuersationis, tota pulchra in puritate cogitationis: & sic fuisti, gloriosissima Virgo Maria, ab omni væ exclusa, scilicet auaritiæ, in opere; luxuriæ, in corpore; superbiæ, in corde; & ab omni peccato.

3. Sed, misericordissima Virgo Maria, ego peccator miserrimus, inter *Apoc.8.*
illos adnumeratum me sentio, de quibus scribitur, *væ, væ, væ, habitantibus* *13.*

in terra: quia non sum exclusus à vitiis & peccatis, cogitationis, delectationis, consensus, locutionis, operationis, & omissionis, sed in iis perseueraui, & adhuc perseuero, & exclusum me sentio à virtutibus & bonis operibus. Adiuua me, piissima Virgo Maria, ora tuum Filium benedictum, vt ab istis *væ* peccatorum liberet me, indulgentiam de omnibus concedendo, virtutes mihi misericorditer largiatur, vt gloriam obtineam sempiternam. Amen.

Contemplatio II.

De Illuminatione Virginis Mariæ.

Apoc. 12. 1. 1. DE te, benignissima Virgo Maria, potest dici, quòd tu es illa, de qua scribitur, *mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim, & in vtero habens.* Quia tu, Virgo Maria, illuminata es à parte superiori, quia habes in capite coronam stellarum duodecim: Nam istæ duodecim stellæ, sunt nouem Ordines Angelorum, & Ordines Beatorum, scilicet Martyrum, Confessorum, & Virginum; qui omnes te coronant, & venerantur, & laudant. Tu es etiam illuminata à parte inferiori, quia Luna sub tuis pedibus; per quam intelligitur militans Ecclesia, quæ adhuc mutabilitati subiicitur: quam tu, gloriosa Virgo Maria, sub pedibus habes, quia tu ipsam sub tua protectione & defensione tenes, donec ad pacem æternam deducas; & tunc omnis mutabilitas auferetur ab ea: scribitur enim, *orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis, donec auferatur Luna*; id est, mutabilitas, quæ per Lunam designatur. *Psalm. 71. 7.*

Matth 1. 18. Sap. 7. 26. 2. Fuisti illuminata à parte interiori; quia dictum est, *in vtero habens*, scilicet splendorem niueum, & speculum immaculatum de quo scribitur, *candor est lucis æternæ, & speculum sine macula.* Si autem Iesus Christus Filius tuus est lux vera, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*; illuminauit vtique sanctissimam matrem suam; quia ex te verum corpus humanum assumpsit, & in tuo vtero virginali tandiu habitauit: *Sanctificauit* enim *tabernaculum suum* scilicet *Altissimus*. Fuisti etiam illuminata à parte exteriori; quia amicta Sole, id est, immortali corpore. Radius enim Solis, clarus est, & agilis, ita vt ab Oriente subitò in Occidentem transeat. Est etiam subtilis, ita vt vitrum sine læsione subintret. Est etiam impassibilis, ita vt nullâ violentiâ lædi possit. Fuisti etiam, gloriosa Virgo Maria, amicta Sole quia tuum sacratissimum corpus induit agilitatem: claritatem, subtilitatem, impassibilitatem: & sic fuisti plenissimè illuminata. *Ioan. 1. 9 Psalm. 45. 5.*

3. Sed, clementissima Virgo Maria, ego nefandissimus peccator in tenebris sedeo, excæcatus multitudine peccatorum. Illuminare me digneris,

ſacratiſſima Virgo Maria, & ora aſſiduâ deprecatione benedictum Filium tuum, vt lumine ſuæ gratiæ me illuſtret, tenebras peccatorum fugando, & ad lumen me perducat miſericorditer ſuæ gloriæ ſempiternæ. Amen.



Contemplatio III.

De Humilitate Virginis Mariæ.

1. O Admirabilis Virgo Maria, reſpexit Dominus humilitatem tuam, *Luc. 1.*
quæ inter vniuerſas & ſingulas tuas virtutes obtinere meruit prin- 48.
cipatum, quia cuſtos fuit & quaſi magiſtra cæterarum virtutum tuarum: non enim didiciſti à benedicto Filio tuo cœlos fabricare, non Angelos creare, non miracula deitatis inſignia operari; ſed tantùm humiliari, cæteráque documenta virtutum intra cuſtodiam humilitatis aggregare: & ideò diuinitatis propitiationem, quam humana natura in primis parentibus per ſuperbiam perdidit, per humilitatem tuam recuperaſti. Nam, quia in te Verbum Patris, carnis ſubſtantiam, quã ſibi vniret, aſſumpſit, quaſi ad eam, quam priùs abjecerat, naturam ſublimandam, per miſericordiam reſpexit.

2. Habuiſti, Virgo Maria, humilitatem & humiliationem, humilitatem intus in virtute mentis, humiliationem foris in abjectione humanæ opinionis. Quantò enim fuiſti virtutibus eminentior, tantò fuit in te humilitas mirabilior. Fuiſti humilis in corde, & ſenſu, nihil de te ſentiens, vel æſtimans, aut cogitans magnum; filia & imitatrix Patris tui Dauid,
qui dicebat; *ſi non humiliter ſentiebam.* Fuiſti humilis in cogitatu, cogi- *Pſalm.*
tationes humiles ſemper habens. Fuiſti humilis in auditu juxta conſilium 130. 2.
Spiritus ſancti, qui te docuit dicens, *inclina aurem tuam*, id eſt, humiliter *Pſalm.*
audi nuntium Gabrielem. Fuiſti humilis in ſermone, & voce, vnde audita 44. 11.
multitudine, & magnitudine promiſſorum, quæ tibi Angelus faciebat,
reſpondiſti, tanquam humillima mulierum, *Ecce Ancilla Domini.* Fuiſti *Luc. 1.*
humilis in opere, miniſtrando Elizabeth cognatæ tuæ, minori te; & quia 38.
purgationem ſecundùm legem non erubuiſti, licèt purgatione non indige-
res, cùm de viro non concepiſſes: noueras enim quòd, *qui facit ſuperbiam,* *Pſalm.*
non habitabit in medio domus Dei. Fuiſti humilis in inceſſu, quia non ambu- 100. 7.
laſti in magnis, neque in mirabilibus ſuper te. Fuiſti humilis in habitu; no- *Pſalme.*
ueras enim prohibitionem illam, *in veſtitu ne glorieris vnquam.* 130 1.

3. Sed humillima Virgo Maria, ego virtutibus vacuus, & vitijs plenus, *Eccl. 11.*
ſuperbus ſum, & extollens me ipſum, & gloriando in malitijs & peccatis. 4.
Humilia te ipſam, Virgo pijſſima, Filium tuum deprecando pro me miſero & ſuperbo, vt mei mihi cognitionem donet, quâ mediante peccata mea cognoſcam, defleam, & emendem in ſpiritu humilitatis, & animo contrito; vt vitam immortalem obtineam miſericorditer in æternum. Amen.

Contemplatio IV.

De Eadem.

1. VIrgo prudentissima, gloriosa Virgo Maria, Mater dignissima Filij Dei, regale fastigium, à quo processisti, & ornatum habuisti, contemnendo, humilitatis gradum supremum post benedictum Filium tuum in te ipsa ab ineunte ætate tua suscepisti; ex quo, & in quo, benedicto Filio Dei habitaculum præparasti; quia super humilem & quietum, & trementem sermones suos, pius Pater & Dominus quiescit. Tu sapientiâ dotata, excelsam fabricam construere decreuisti, vbi thesaurum virtutum tuarum reponeres, quos nec ærugo, nec tinea consumeret, nec fures rapere possent. Et ideò vt ædificium perduraret, de magno & profundo fundamento cogitasti, & opere perfecisti: hoc autem ædificium tendit ad æternam gloriam; cuius fundamentum, sine quo ædificium stare non potest, profunda est humilitas, quæ quantò maior est & profundior, tantò altiùs ædificium eleuatur, firmúmque & stabile perseuerat. Hoc fundamentum docuit Filius tuus benedictus, dicens, *discite à me quia mitis sum & humilis corde.*

Isa. 66. 2. *Matth. 11. 29.*

2. Hæc sancta humilitas homines Angelos facit, hominem deificat, de terra ad cœlum subleuat, gratiam confert, quia *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Hæc sancta humilitas perituris rebus non dignatur intendere, sed æterna vult assiduè cogitare. Malũ cuiquam velle non potest, sed bonum vellet augere. O humilitas sancta, à Christianis diligenter custodienda! quia Christiani dicuntur à Christo, cuius Euangelium, qui benè intuetur, inuenit eum Doctorem humilitatis, semper esse: ô benignissima Domina similem non habuisti in tua suprema humilitate, quæ cælos inclinauit, vnde descendit benedictus Filius tuus in vterum tuum virginalem. Hæc est scala, per quam ascendisti ad cœlestia regna, & super Choros Angelorum. Tua humilitas superbiam hostis antiqui superauit, & prostrauit. Tua humilitas vitiosam vitam deleuit, & virtutes ostendit. Per ipsam Deo placuisti; quia respexit humilitatem tuam, & ipsum inuenire meruisti. Ista te matrem virginem fecit, & Deo Patri per amorem coniunxit; ista fuit dos tua, cum qua desponsata fuisti, & cum sancto Spiritu, amicitiam contraxisti. Ista cor tuum reddidit speciosum, ista admirabilem te fecit, ista virtutes multiplices tibi acquisiuit, ista est via, quæ te duxit ad vitam, quæ non deprimetur, sed exaltabitur. Ista est, quæ peccatores facit sperare in te, vt ad te in suis necessitatibus veniant & recurrant.

Iacob. 4. 6. 1. Pet. 55.

3. O gloriosa Domina singularissimæ humilitatis, ego superbus & Deo odibilis venio ad te, tuam humilitatem, & misericordiam deposcendo; qui licèt sim terra & cinis, putredo, & cibus vermium, nullam virtutem possidens, sed multa peccata committens, tamen me finxi magnum esse verbo, scientiâ, diuitiis, & honoribus; cunctos alios despexi, cupiui laudari

ab hominibus omnibus, & bonus volui prædicari, quamuis à bono essem alienus. Nolui vnquam subesse, sed inter meos pares, primas tamen volui inuadere, & maiorem gradum ascendere: &, quod meritis non poteram obtinere, adulando, & detrahendo putaui acquirere. Et sicut nauis absque gubernatore iactatur fluctibus, sic leuis animus meus fuit instabilis per omnes actus suos: in peccatis iniquum suffragium excusationis perquisiui; vt talis humano iudicio reputarer qualis non eram, nec esse curabam, & talis non iudicarer, qualis reuera eram, & esse volebã; ô misericordissima Domina, quamuis tardè veniam ad te, & tardè miseram vitam meã recognoscam, & emendem, tamen tu eamdem misericordiam semper habes, nec tempore diminuitur, nec augetur, quia perpetua est. Ad illam humiliter recurro, illam flebiliter imploro, illam contristato corde flagito, illam crebris singultibus deprecor, & exoro; vt apud tuum Filium benedictum pro me misero, & superbo humilitatem impetres, contritionem, & condignam satisfactionem, & remissionem omnium peccatorum obtineas, vt hîc viuendo per gratiam, in futuro viuam per gloriam, per infinita sæculorum sæcula. Amen.



Contemplatio V.

De Virginitate Virginis Mariæ.

1. O Virgo Virginum excellentissima Virgo Maria, quis tuam laudabilem virginitatem inuestigare potest? quia nec mentem tuam cogitationes, nec carnem tuam libido aliqualiter maculauerunt. Dissimilis enim fuit virginitas Euæ, & tua. Eua Virgo scilicet superba, Deo volens parificari in scientia, cupida, quia concessis sibi non contenta; inobediens præcepto Dei, incredula eius comminationi, diabolicæ acquiescens tentationi, & malè credula verbis serpentinis, vna de numero virginum fatuarum imò omnium fatuissima. Tu verò, Maria Virgo, non superba, sed humillima, in omnibus te subdens Deo, paupertatis amatrix, diuinæ per omnia obediens voluntati, benè credula Angelicæ promissioni, vna de numero prudentum virginum, imò omnium prudentissima. Virginitas ergo Euæ superba, virginitas tua humillima: illa cupida, tu pauperrima, illa vacillans, tu stabilis; illa depauperata, tu ditata, quia gratia plena, illa humiliata, quia sub viri potestate, tu exaltata, quia Dominus tecum; illa portam Paradisi clausit, tu illam aperuisti; quia Paradisi porta per Euam cunctis clausa est, & per te, Virgo Maria, iterum patefacta.

2. Superbia quandóque sequitur virginitatem; cupiditas honoris quandóque sequitur virginitatem, quia cùm quis videt se immunem à delicto carnis, non attendit cocco bis tincto dilectionis; sterilitas sequitur virginitaté. Sed tu, mundissima Virgo Maria, cum virginitate habuisti fœcunditatem, cum integritate habuisti feruidam charitaté, & cum incorruptione habuisti

fœcunditatem. Tua virginitas fuit à Deo Patre benedicta, à Dei Filio desiderata, à Spiritu sancto virgineo cordi inspirata; Deo Trinitate in virginitate
Eccl. 24. 15. fuisti confirmata; vnde dicis, *& sic in Sion firmata sum.* Fuisti *vas auri solidum,*
Eccl. 50. 10. *ornatum omni lapide pretioso.* Oportebat enim vt Redemptor noster iustus esset cum Deo, & mortalis cum hominibus. Propter hoc decebat eum habere matrem virginem, vt in matre mortali conciperetur mortalis, & in virgine conciperetur iustus. Nullus autem peccator saluare poterat alium peccatorem cùm in eâdem damnatione esset cum reo, decebat etiam eum, vt non nasceretur, nisi de Virgine, decebat Virginem, vt non pareret, nisi Deum. Ad hoc autem totum necessariò præparabatur virginitas tua Virgo Maria, quia nulli alij virgini quàm tibi hoc priuilegium debebatur.

3. Sed, beatissima Virgo Maria, ego impiissimus peccator, corruptus sum, & abominabilis factus coram Deo, & coram te, cogitatione, consensu, & opere, innocentiam baptismalem violando, & inimicis, quorum pompis & operibus abrenunciaueram, scienter & voluntariè consentiendo. Adiuua me, Virgo piissima, ora tuum Filium benedictum, vt de immundo faciat mundum, vt me purget ab omni labe peccati, & talem mihi operationem tribuat, vt cum eo viuam in æternum. Amen.



Contemplatio VI.

De Eadem.

1. O Deo placens virginitas, & potens animas Deo præsentare, virginitas laudabilis, & Deo amabilis, socia Angelorum, æternam gloriam fecundans, quo sermone te potero explicare? qua laude te potero prosequi? quo digno præconio te potero extollere? quâ cordis puritate dignitatem tuam potero enarrare? quâ linguâ dignè te potero nominare? cùm in carne mortali posita, angelicam vitam serues, & fructus tui, cæteros quoscúmque in cælesti curia antecedant, & diuini consortij sublimitatem consequaris? Tu beatior es nuptias vitando, quam nuptias multiplicando, tu vberior es, fœcundior, atque fœlicior, non ventre grauescendo, sed mente grandescendo, non lactescendo pectore, sed corde candescendo, non vis-
Cant 2. 2. ceribus terram, sed cœlum orationibus parturiendo. Tu *flos lilij*, nuncuparis, sicut flos lilij, cæteros flores candore niuei nitoris præcellit, & odoris iucunditate præpollet, sic tu cæteras virtutes puritate præcedis, & redoles ante Deum, & sicut flores lilij à terra altè eleuantur & versùs cælum aperiuntur, & ab intra rutilo flammescunt aspectu, sic tu ab infimis ad superna ascendens cor aperis coram Deo, & flammescis interiùs amore geminæ charitatis, & sicut inter spinas, lilij flores nasci reperiuntur, sic tu inter spinas tentationum carnalium constanti animo exoriris, & per hoc à Domino nostro Iesu Christo, *amica inter filias* apellaris.

2. Nunc

2. Nunc ad te, gloriosissima Virgo Maria, cor meum conuerto; ne contemnas, si pollutis labiis, & linguâ impudicâ tuam sanctam virginitatem audeo nominare, & præsumo laudare; quia spero quòd tua magna misericordia, leuiùs hoc & generosiùs supportabit, quàm si taciturnitate obmutescerem, aut silerem. Tu sanctam virginitatem super omnem puram creaturam cordis intentione purissimâ dilexisti; & perpetuò inuiolabiliter obseruasti: tu prima fuisti, ad seruandam eamdem: & tantâ mentis dulcedine, vt legis maledictonem non timendo, eam puro corde Deo voueris. Et licèt desponsata fueris Iosepho, viro iusto, nunquam tamen virginalem pudicitiam amisisti; sed integra, mente & integro corpore, Virgo fuisti ante partum, Virgo in partu, & Virgo post partum permansisti; aliam in hoc tibi similem non habuisti, nec in futurum habebis. Tantâ enim integritate, ipsam virginitatem mente, & opere conseruasti, quòd nullius doni ambitus potuit tuum sincerum adulterare affectum. Per hanc placuisti sanctissimæ & inuiduæ Trinitati: & per dilectionem, eidem inseparabiliter coniuncta fuisti; vt puritati puritas vniretur, & candidissimum exemplum niuei pudoris maculam nesciens, ac, quantùm eidem sanctæ Trinitati virginitas placeat ostenderetur rationabilibus creaturis. O Virgo Virginum, Virgo casta, Virgo sancta, Virgo pulchra, Virgo pudica, Virgo mente & opere intemerata, Virgo immaculata, Virgo virum nesciens, Virgo virili amplexu carens.

3. Virgo virginitate singularissimâ pollens, Virgo virginitatis principium, Virgo virginitatis exemplum: tu sequeris Agnum, quocúmque ierit, Virgo sine exemplo, tuam laudabilem virginitatem nullus dignè valet extollere, nullus eam dignè potest laudare; deficit cor humanum, deficit lingua, deficiunt sensus, deficiunt vires, deficit memoria: non sufficit fragilitas humana in tantam laudem prorumpere; præsertim ego sceleratissimus peccator, qui virginitatem ore nomino, & virginitatem corde non seruo, sed peccata nefandissima commisi, & committo. Adiuua me per tuam piisimam misericordiam, gloriosa Virgo Maria, peccatorum aduocata. Ora assidua deprecatione tuum Filium benedictum, vt quia virginitatem perdidi, indulgere mihi dignetur; & gratiam mihi concedat, vt castitatem & continentiam obseruem, de peccatis doleam, & condignè satisfaciam; & de cætero ab istis abstineam firmo corde; & separatâ animâ meâ à corpore in gloria æterna eam suscipiat; vbi laudes & gratias referat per infinita sæculorum secula. Amen.

Contemplatio VII.

De Verecundia Virginis Mariæ.

1. PIissima Virgo Maria, verecundia tua gratissima, virginitatis tuæ fuit custos, & paranymphus, cùm audisses Angelum te salutantem præ verecundia turbata fuisti in sermone illius; quod cùm esses verecunda, expauisti ad aduentum Angeli in viri specie apparentis, videns te in thalamo solam cum solo inclusam. Trepidare enim virginum est, & ad omnes viri ingressus pauere, omnésque viri affatus vereri. Verecunda fuisti, quia audiuisti te laudari: qui enim est humilis, de suis laudibus erubescit; & cùm ferè omnes solent lætari, tu turbata fuisti non exhilarata vel elata. Verecunda fuisti; quia, cùm plena esses omni spiritu prophetico, & scires plenitudinem non esse manentem in lege, quia lex neminem ducit ad perfectum mirabaris verecundia, quomodo gratia plenam te dicebat Angelus. Verecunda fuisti; quia benedicta dicebaris inter mulieres, quæ inter Virgines benedici semper optabas. *Ideò cogitabas qualis esset illa salutatio.* quæ te
Luc. 1. 29. mulierem dicebat, & benedictam.

2. Verecunda fuisti; quia salutata ab Angelo, silentium tuum, quod valdè amabas, respondendo infringere, vel orationes tuas interrumpere cogebaris. Ideò antequàm responderes; fuit Angelus bis locutus. Verecunda fuisti; quia timebas de thesauro tuo, id est, de virginitate: solent enim virgines timoratæ, etiam in tuto pertimescere; illud recolentes, quod scriptum est,
2. Cor. 4. 7. *habemus thesaurum istum in vasis fictilibus*, quæ scilicet franguntur de facili, nec possunt reparari, & continentia carnis sine continentia mentis, & consensu voluntatis, nihil est ante Deum. Verecunda fuisti; & turbata pro dictorum incertitudine; quia nesciebas, si præteritum erat, aut futurum,
Luc 1. 28. quod dixerat Angelus, *Dominus tecum*, sed hæc tua turbatio non fuit iræ vel doloris, sed pudoris, pauoris, & admirationis, & erat pudor duplex, quia sola cum vno videbaris, & quia tantò præconio commendabaris. Timor erat duplex, ex presentia angelica, quam horret fragilis natura, & ex ignorantiæ causa. Admiratio erat pro magnitudine eorum, quæ tibi annuntiabantur. Ideò ex verecundia expauisti, ex prudentia nouam salutationis formam obstupuisti.

3. Sed ego, beatissima Virgo Maria, peccator iniquissimus sum, & inuerecundus ad peccandum, magis rubore confundor aliqualiter peccando propter mundum, quàm propter Deum. Ideò tu Virgo Maria, quæ pietate plena es, ora Filium tuum gloriosum, vt me ab ista verecundia liberet, scilicet vt non peccem, sed secundùm suam voluntatem viuam, & in fine gloriam percipiam sempternam. Amen.

Contemplatio VIII.

De *Spe Virginis Mariæ.*

1. SPes tua, benedicta Virgo Maria, ſpes eſt à iuuentute tua, & non fuit de hoc mundo, nec de fœlicitate qua homines excæcantur, & obliuiſcuntur Deum, & in rebus labentibus & tranſitoriis huius mundi inhianter ſperant. Sed ſpes tua, glorioſa Virgo Maria, in Deo fuit, in quo reſpiraſti, & ſperaſti, quem timebas, & quem ſperabas; in illo ſperaſti omni die, omni hora, omni tempore vitæ tuæ, quidquid agere cupiebas, in Deo ſperabas; quidquid tibi accidebat, ſiue bonum eſſet, ſiue malum ex toto corde tuo, & ex tota mente tua in Deo ſperabas, & non ſolùm in eo ſperabas ſed etiam in eo ſpes tua erat. Habebas duas vitas, vnam, in qua eras, & aliam, quam non videbas, cum ſpe & deſiderio expectabas; vna erat in labore, altera in requie; ſperabas quòd poſt nouiſſima quæ ſunt in hoc ſæculo metuenda, ſuccederet tibi requies in altero, quæ finem non habet; non terrebat te, quia elongabatur à te; quia licèt, in abſcondito eſſet promiſſio, in ſpe tamen tua perſeuerabat oratio, operum bonorum exercitatio, & virtutum augmentatio: quia dum ſpes in te conſtantiâ firmabatur, gloria retributionis augebatur. Glorioſiſſimus & benedictus Filius tuus tua ſpes etiam fuit; quia in illo vidiſti laborem tuum, & mercedem tuam, laborem in paſſione, mercedem in reſurrectione.

2. Nihil de tuis viribus aut virtutibus confidebas, nec de ipſis præſumebas; ſed Deo, à quo procedunt omnia bona, in eo ſperando, attribuiſti, ne alienum faciendo tuum, amitteres quod accepiſti. Spes tua in futurum extendebatur, vt quod hîc certabas, tunc certaſſe gauderes, hîc enim certamina tibi propoſita, vt in futuro ſæculo ſperando certaminum præmia obtineres. Ab amore huius ſæculi auocata fuiſti, vt futurum ſæculum ſperando diligeres, & amares. Spem tantam in Deo habuiſti, cogitans, quòd ſicut per charitatem tecum ipſe fuit in terra, ita per eamdem charitatem ſecum eſſes in gloria; & ſicut deorſum fuit compaſſione charitatis, ſic & tu ſurſum eſſes ſpe charitatis, non ſperaſti in homine, *quia maledictus qui ſpem ſuam ponit in homine.* Ieremias 17. 5. Non ſperaſti de Deo pecuniam, non honores caducos & perituros, neque aliud quodlibet pręter ipſum Deum, Imò contemptis aliis, pergebas in illum, obliuiſcens alia, delectabaris in illo & non in alio; quia nihil eſt tam inimicum ſpei, quam retrò reſpicere, id eſt, in iis rebus, quæ retrò labuntur & tranſeunt, ſpem ſuam ponere.

3. Sed glorioſiſſima Virgo Maria, ſpem meam poſui in hominibus, & in mundo, imò etiam in meipſo, ac in rebus tranſitoriis & caducis, & ſi quando in Deo ſperaui, non propter hoc peccare deſij: ſed in peccatis perſeueraui, & ſic in ſpe fruſtratus fui culpâ meâ; quia ſperando pecca-

bam, & peccando ſperabam; ſed ſi tua miſericordia velit me ſeruare, ſicut ſpero, per tuam interceſſionem, ſpes mea, quaſi mortua, reuiuiſcet; quia in benedicto Filio tuo eſt portio mea, caro & ſanguis; & vbi portio mea regnat, ibi me tuo auxilio regnare ſpero, vbi caro mea glorificatur, glorioſum me tuo adiutorio ſpero; vbi ſanguis meus dominatur, tuo ſuffragio dominari me confido, & ſpero. Et ſi peccata mea prohibent, ſubſtantia mea requirit: & ſi propria delicta excludunt, naturæ communio non repellit. Non enim, ſicut ſpero, immitis eſt Filius tuus benedictus, vt non diligat carnem ſuam. Deſperare vtique potuiſſem propter nimia peccata mea, quæ quotidie egi, corde, ore, opere, & omnibus modis, quibus humana fragilitas peccare poteſt; ſed deſperare non audeo; imò ſpero, quòd ſuffragante tuâ pietate, benedictus Filius tuus, per ſuam infinitam miſericordiam tollet chirographum peccatorum meorum, vt per ipſum, & cum ipſo, gloriam percipiam ſempiternam. Amen.

Contemplatio IX.

De Oratione Virginis Mariæ.

1. GEnitrix Dei & ſemper Virgo, gratiſſima Virgo Maria, dum facta tua fœliciſſima mente recolo & contemplor, ſingulos actus tuos conſidero, mente concipio, mente pertracto, laudes tuas tacere non debeo; licèt *non ſit ſpecioſa laus in ore peccatoris*, qualis ego ſum & vnus de maioribus, ſed tua immenſa miſericordia, ſic eſt ad miſeros inclinata, vt omnibus aperias aures tuæ pietatis. Tu, Virgo Maria, benedicta, à primordiis tuæ iuuentutis ſanctiſſimæ; & quamdiu in hac peregrinatione vitam duxiſti, tantam dilectionem habuiſti ad Deum, quòd numquam ab eo, ſaltem mente & animo ſeparari voluiſti. Et ideò cum eo ſpiritus tuus ſanctiſſimus per orationem continuè loquebatur; hæc enim ſancta oratio tua, ſic fuit continua in te, vt neceſſitate corporali parciſſimè ſuſcepta, & miſericordiæ operibus occupata, reliquum tempus impenderes in orationibus nocturnis pariter & diurnis. Dulce namque tibi erat, per orationem Deo loqui, & eſſe cum Deo, & non ſeparari à Deo, ſed à mundo.

Eccl. 15. 9.

2. Per hanc ſanctam orationem tuam vniuerſa deſideria cordis tui in conſpectu maieſtatis diuinæ effundebas, cœlos penetrabas, vt poſſes Dei aures attingere. Per hanc tuum ſpiritum recreabas, diuinum præſidium obtinebas, peccatoribus miſericordiam impetrabas, iuſtos conſeruabas, peccatores ſubleuabas, & eliſos erigebas. Per hanc temetipſam in proſperis gubernabas. Per hanc habebas fiduciā in aduerſis. Hæc tibi in gaudiis iucunda erat, & in luctibus ſuauis. Per hanc lætitiam percipiebas, & triſtitiam declinabas. Hæc fuit ſedes tibi fidelis, in qua conſolabaris. Hæc fuit tibi nauis tutiſſima, vniuerſorum deſideriorum tuorum mercibus onerata; quæ ad

omnipotentem Deum perueniebat cursu prospero & fœlici. Per hanc sanctam orationem, omnia timoris Domini ornamenta habebas, quidquid in te vera fides inchoauit, spes cumulauit, charitas decorauit, hæc sancta oratio seruauit: per hanc omnia tibi vtilia data fuerunt à Domino, & cuncta noxia effugata.

3. Sed heu! benignissima Domina, ego prauus & iniquus peccator non leuaui mentem meam per orationem deuotam ad Deum, sed eam inclinaui per solicitudinem ad mundum, non ad virtutes, sed ad iniquitates, non ad gratiam, sed ad culpam; non ad Dei clementiam, sed ad mundi dementiam; non ad indulgentiã consequendam, sed ad maliciam perpetrandam. Adiuua me, piissima Domina, tuis sanctissimis orationibus; pone lacrymas meas in conspectu benedicti Filij tui, vt perueniat ad eum deprecatio mea. Adesto mihi peccatori, & subueni, atque in manibus tuis commendatum meipsum suscipe, libera me de ore sæuissimi draconis, & de manu atrocissimi inferni; colloca me tuis deuotis & dignis deprecationibus in caulis tutissimis gregum omnium Sanctorum, quorum benignissimus Filius tuus est Pastor bonus, qui requirit, & reducit ouem perditam, tuetur & saluat inuentam, fouet & sanat languidam; qui confidentes & sperantes in se, non confundit, *Psal.34.* requirentes se, non respuit, sed exultando suscipit, Ora, vt dignè orem il- *13.14* lum, & oratio mea in sinu meo conuertatur vt viuam, & gloriam cœlestem per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Contemplatio X.

De Silentio Virginis Mariæ.

1. VÆ tacentibus de te, beatissima Virgo Maria, quoniam multi muti facti sunt, tua sancta gesta & facta considerare aut contemplari volentes. Et quis potest perfectionem tuæ sanctisimæ vitæ narrare; aut quis exemplum doctrinæ tuæ dignè valet nuntiare? imò quis dignus est ista solummodò cogitare? Verè non est vsque ad vnum Virgo benedicta, nisi omnipotens Filius tuus de indigno potens dignum facere, & cor inquinatum mundare, quem humiliter deprecor, vt me mundare dignetur ab omnibus inquinamentis, siue iniquitatibus meis vt ipsummet & te valeam glorificare, & laudare nunc & in æternum.

2. Inter cætera tuæ sanctisimæ vitæ exempla salutaria, quæ ostendisti, & opere compleuisti, fuit, Virgo gloriosa, silentium tuum omni discretione, & summa prudentia temperatum, quia loquenda non tacuisti, nec tacenda protulisti, loquenda dixisti, & tacenda tacuisti; rara fuit tua locutio, sciens quòd *in multiloquio non deest peccatum.* Semper de Deo, aut cum Deo, aut *Prou.10* propter Deum tua verba dulcia proferebas. De Deo locuta es, respondendo *4.*

sancto Anchangelo Gabrieli, *Ecce Ancilla Domini fiat mihi secundùm verbum tuum*, Propter Deum loquebaris, Elizabeth humiliter salutando; cum Deo locutio tua fuit, dum dicebas humiliter, *Fili, quid fecisti nobis sic? ego, & pater tuus, dolentes quærebamus te:* Et dum pietate & compassione mota, ad nuptias inuitata, gloriosissimo Filio tuo, voce charitatiuâ dixisti, *vinum non habent*.

Ioan. 2. 3.

3. Nunquam ab ore tuo verbum otiosum, processit, non maleuolum, non blasphemum, non mendosum, non iracundum, non simulatum, sed vtile, mansuetum, benignum, veridicum, & charitatiuum; & per huiusmodi verba, quæ sunt signa illarum rerum, quæ sunt in anima, tui dulcissimi cordis voluntatem ostendebas, & non solùm voluntatem, sed etiam opera, quia, qui proximum loquendo ædificat, bonum opus operatur. Nullus vnquam de te potuit malè ædificari, nullus potuit verba aut facta tua aliqualiter denigrare, nullus malè interpretari, nullus malè intelligere, quia Magister veritatis te docuit, tecum fuit, nec te vllo tempore dereliquit.

4. Sed heu miser! qui à te exemplum recipere nolui, sed tibi contrarius semper fui, nam velox fui ad loquendum vana & otiosa, blasphemando, mentiendo, detrahendo, iniuriando, maledicendo. Sed, væ mihi iniquissimo peccatori, *quia tacui, cùm vir pollutus labiis ego sim, & in medio populi polluta labia habentis ego habitem*. Iam silui à bonis, à laude Dei & tui, à verbis charitatiuis & meritoriis, à verbis vtilibus & ædificatoriis. Succurre mihi, Virgo pia, audiat misericordia tua clamorem meum, subueniat necessitati meæ clementia tua. Exora Filium tuum benedictum, gloriosa Virgo Maria, vt extirpatis vitiis, & verbis vanis, & otiosis, dignum me faciat laude suâ & tuâ. Repleat os meum laude suâ, vt semper sit laus eius in ore meo, & in corde meo, vt illi & tibi seruire valeam laudabiliter & dignè & regnum cœleste acquirere per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Isa. 6. 5.

Contemplatio XI.

De Actione Virginis Mariæ.

Psalm. 40. 1.

1. MIsericordisima Virgo Maria, scriptum est quòd *beatus qui intelligit super egenum & pauperem*. Et sic in extremo iudicio benedictus Filius tuus remunerabitur opera misericordiæ exercentes, Quantâ gloriâ tu digna es, quæ opera misericordiæ benedicto Filio tuo humiliter & diligenter exhibuisti? Hospes venit in hunc mundum, & tu, gloriosa Virgo Maria, collegisti eum, scilicet in tabernaculo vteri tui virginalis in quo nouem mensibus habitauit, sed qualiter intrauit tuum vterum virginalem, nemo nouit, & qualiter ingressus est, egresio sua sola cognouit, esuriuit benedictus Filius tuus, & dedisti sibi, gloriosa Virgo Maria, munducare, & licèt esses bonis temporalibus pauperrima, tamen acu & fuso acquirebas,

vnde ipſum & te paſcebas, ſitiuit, & dediſti ſibi potum ſcilicet lactis virginei, quod ipſe ſolus bibit, & de quo puer alius numquam bibit, Nec ipſe Filius tuus glorioſus alia vbera ſuxit quàm tua Virgo Maria Mater.

2. Infirmus fuit, & viſitaſti eum, infirmabatur benedictus Filius tuus, ſuſceptis in ſe pœnalitatibus humanæ naturæ, quæ ſunt fames, ſitis, calor, frigus, glacies, ægritudo, & mors, vt dicere poſſet, *infirmata eſt in paupertate virtus mea*. Et ſic infirmatum per infantiam, iacentem in cunabulis, tu, pia Mater, non ſolùm viſitaſti, ſed etiam balneando, fouendo, & geſtando ſuſtentaſti, atque humanitatis obſequia vniuerſa, quibus indigebat aſſumpta natura, deuotiſſimè miniſtraſti. Infirmabatur etiam qnando crucifigebatur pro ſalute populi, & *vulnerabatur propter iniquitates noſtras, & atterebatur propter ſcelera noſtra, & eius liuore* id eſt, carne liuidâ doloribus paſſionis, *ſanati ſumus*. Et tunc, glorioſa Virgo Maria, ipſum viſitaſti ſtando iuxta crucem. In carcere fuit, & veniſti ad eum, pia Virgo Maria, in carcere fuit ſcilicet in tuo vtero virginali, & inde exiens verus homo, ad ipſum puerulum veniebas, velut Mater ad Filium iacentem in cunabulis. Fuit etiam miſſus in carcerem, ſcilicet in ſepulchrum, &, licèt non legatur, non tamen eſt dubitandum, quin ad eum veneris cum aliis mulieribus ſanctis, quæ tantam curam habuerunt de Dominica ſepultura.

Pſalm. 30 11. — *Iſa. 34 5.*

3. Sed, piiſſima Virgo Maria, quid ego miſerrimus faciam in tremendo iudicio benedicti Filij tui; quia non ſolùm opera miſericordiæ facere contempſi, imò plurima nefandiſſima peccata commiſi. Non reſtat aliud mihi, niſi contra me audire illam ſententiam terribilem, *Ite maledicti in ignem æternum*, niſi manus tua miſericors, Virgo pia, me ſuſcipiat, & protegat. Exora tuum Filium benedictum, vt eius miſericordia præueniat iudicium, ſuam gratiam mihi tribuendo, vt opera vitioſa relinquam, & opera miſericordiæ exerceam; vt pro me ſententiam illam audiam *venite benedicti Patris mei, percipite regnum æternum*. Amen.

Matth. 25.41. — *Matth. 25.34.*

Contemplatio XII.

De Paupertate Virginis Mariæ.

1. O Mulierum pauperrima, glorioſa Virgo Maria, paupertate voluntariâ. Abdicaſti namque temporalia vt ſpiritualia poſſideres, ſolâ acu & fuſo vtendo, inde victum tibi & tuo benedicto Filio acquiſiuiſti. Tanta enim fuit tua paupertas, quòd in propria ciuitate tuâ, ſcilicet Bethleem, (quæ ex Patre tuo Dauid quaſi iure hæreditatio tibi debebatur,) Dei Filium paritura, hoſpitium non inueniſti, nec vnde conduceres habuiſti; & ideò in ſtabulo Saluatorem peperiſti; &, vnde illum pellibus cooperires, tempore illo hyemali, non habuiſti; ſed ſolis panniculis inuoluiſti; nec lectum, in quo illum poneres habuiſti, ſed illum in præſepio reclinaſti: nec

in tua desponsatione dotem, aut magna iocalia habuisti, ideò fabro pauperrimo, (qui vbicúmque certè pauperes sunt,) desponsata fuisti.

2. In hac autem paupertate, largissima inuenta fuisti: quia licèt fusum apprehenderis, vt inde victum quæreres; tamen manum tuam aperuisti inopi, & palmas tuas extendisti ad pauperes, non sollicita de crastino. Nam Magi beati Reges, qui Filium tuum Regem cœli & terræ Dominum cognouerunt, largè de suis thesauris, non de bursis obtulerunt munera, quæ in vsus pauperum & egenorum misericorditer expendisti; & cùm Filium tuum in Templum inferres, Agnum anniculum, quo eum redimeres, non habuisti. Sanctæ mulieres benedictum Filium tuum sequentes, de suis facultatibus ei ministrabant: Sed tu, benedicta Virgo Maria, non habebas, vnde ministrares ei.

Prou.31. 20.

3. Merito ergo paupertatis lucrata es regnum cælorum. Mirabile enim Martyrij genus est voluntaria paupertas. Quid enim mirabilius, & quod Martyrium grauius, quàm inter epulas esurire, & inter pocula sitire, & inter vestes algere, inter diuitias premi paupertate? Quas diuitias ostendit mundus, offert malignus, desiderat noster appetitus. Sed hæc omnia habere potuisses, Virgo Maria, à Filio tuo, nihil tamen vnquam pro teipsa petere voluisti considerans in te ipsa, magnum esse, ignem tangere, & non vri; spinas colligere, & non pungi; lapides transferrre, & non lædi: sunt enim diuitiæ ignis, spinæ, lapides.

4. O beatissima Virgo Maria, ego miser pecccator, diuitias concupiui: non spiritales, sed temporales; non ad erogandum pauperibus, sed ad conseruandum, aut superbiendum, & illas inutiliter expendendum. Adiuua me Virgo piissima, ne sic finiam miserabiliter vitam meam, sed ora assiduè Filium tuum, benedictum, qui diues est omnibus, qui inuocant eum, vt mihi suas tribuat diuitias spiritales, cum quibus, hîc opera meritoria agam, & in fine diuitias gloriæ suæ possideam, per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Contemplatio XIII.

De Diuitiis Virginis Mariæ.

1. O Virgo Maria, scriptum est de te, *multæ filiæ congregauerunt diuitias; tu supergressa es vniuersas.* Tuæ diuitiæ non fuerunt temporales, non carnales, non corruptibiles, non sæculares, sed fuerunt æternæ, spiritales, incorruptibiles, & cœlestes. Multæ igitur filiæ, scilicet Virtutes angelicæ, & multæ aliæ Virgines congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas. Si enim virginitas in te fuit, qualis est Angelorum, tamen in corpore fragili fuit quod non Angelorum: vnde & omnium diuitias te supergressam, euidentiùs ostendit insigne cœlestis originis; dum videmus à te & Angeli-cam

cam similitudinem in regione dissimilitudinis retineri, & gloriam cœlestis vitæ in terra à te exule possideri; Virgines supergressa es; quia illæ Virgines, tu Virgo Virginum es Regina Virginum. Deinceps omnes vocatæ à te, à te omnes aliæ exemplum recipiunt, tu à nulla. Et, si aliæ sunt humiles, tu humillima, in tantùm quòd nec primam ante te habuisti, nec in posterum similem habebis.

2. Si aliæ misericordes, tu Mater misericordiæ habens duo vbera, quæ debemus petere ad sugendum, sicut filij vbera matris suæ, hæc sunt, puritas carnis, contra luxuriam; & humilitas mentis, contra superbiam: vnde petimus, *nos culpis solutos, mites fac & castos*, vnde petimus, *vitam præsta puram*. Sic aliæ commendantur de fide, tu maximè, quia ad primum verbum Angeli credidisti, quòd in te possit adimpleri, quod numquam auditum fuerat, vt pateres manens Virgo. Si aliæ commendantur de eo quòd angustiantur de aliorum peccatis, multò plùs tu commendanda es; quia in tantùm compassa es mundo peccatori, quòd libentissimè cum Filio tuo benedicto passa fuisses pro salute mundi. Si aliæ contemplatiuæ, tu multò plùs contemplatiua; si aliæ perfectæ, tu perfectissima.

Eccl. in Hymno Aue maris stella.

3. Multæ igitur filiæ congregauerunt diuitias diuersarum virtutum, & operum meritoriorum, & præmiorum, tu verò, benedicta, supergressa es vniuersas, & hoc simpliciter per sanctificationem, quâ præseruata es ab omni petulantia terrenæ corruptionis; per cognitionis plenitudinem, quâ ab omni nubilo erroris; per summam contemplationem, quâ ab omni tumultu mundanæ actionis. Supergressa es igitur vniuersas merito, & præmio: quia cæteræ per partes habuerunt, & tu, Virgo pia plenitudinem habuisti omnium gratiarum, & virtutum.

4. Sed ego miserrimus peccator, spoliatus sum omni virtute & factus sum pauper & egenus, diuitias spirituales contemnens, & transitorias, & caducas desiderans, & amplectens. Communica mihi seruulo tuo indigno, Virgo benignissima, tuarum virtutum portiunculam, quo benedicto Filio tuo, & tibi placeam, per operationem virtutum; vt te mediante & iuuante, gloriam cœlestem consequi valeam in æternum. Amen.

Contemplatio XIV.

De Largitate & Misericordia Virginis Mariæ.

1. MAter misericordiarũ, & totiùs consolationis es, clementissima Virgo Maria, quia cùm sis summè diues, & summè liberalis; constat quòd summè larga & misericors es. *Misereris omnium, quia omnia potes*, post benedictum Filium tuum, *& dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam.* Speciosa est misericordia tua in tempore tribulationis, *sicut nubes pluuiæ in tempore siccitatis*: &, velut nubes, misericorditer abscondis peccatores ab

Sap. 11. 24.
Eccl. 35. 26.

ardore solis, id est, ab ira Filij tui; & quia obumbras eis, & ipsos refrigeras, id est, ab æstu concupiscentiarum; & velut pluuiâ quadam, gratiâ tuâ fœcundas eos ad benè operandum. Tu non solùm es de numero prudentum Virginum, sed omnium pudentissima; habens oleum misericordiæ in omnibus vasis tuis; in vase cordis, per affectum; in vase manuum, per effectum; & in vase oris, per benignitatem orationum. Et quia misericordiam genuisti, nihil aliud est vterus tuus beatissimus, quàm ipse misericordiarum thesaurus.

2. Tu es fons misericordiæ: quia, sicut fons per subterraneos meatus semper recipit aquam, & refundit; sic tu, Virgo Maria, *fons & puteus es aquarum*
Cant. 4. 15. *viuentium*. Quæ à Christo ad te & à te ad nos peccatores fluunt, impetu benignitatis vtriusque; ex magnitudine enim diuini amoris data es, piissima, peccatoribus, quia occasione peccatorum habes gratiam, quam inuenisti apud Deum: quia facta fuisti Mater Dei propter peccatores: quia non fuisset necesse Filium Dei carnem assumere, si homo non peccasset. Ideò parata es expendere in peccatores gratiam, quam occasione peccatorum inuenisti apud Deum. Et ideò securè possunt accedere ad te peccatores, tanquam ad sibi datam. Tanta est tua largitas, misericordissima Domina,
Eccl. 24. 14. quòd ad diem *vsque iudicij* non desines succurrere peccatoribus: Ideò de te ipsa dicis, *vsque ad futurum sæculum non desinam*.

3. Succurre igitur mihi iniquissimo peccatori, Virgo Maria, largitate & misericordiâ plenissima. Reginarum est largitas & liberalitas, pro sceleribus & maleficiis quempiam condemnatum, liberare. Non æstimo te Reginam cœlorum, in regno Filij tui benedicti; minorem potentiam habere, minoribus priuilegiis debere gaudere. Ego peccator maximus, reum mortis perpetuæ me scio propter scelera horribilia quæ commisi. Succurre mihi
Eccl. in Hymno Aue maris stella. igitur Virgo benignissima, *Monstra te esse Matrem*, & Reginam. Nosti languorem animæ meæ; præpara in dulcedine cibum. Nosti vulnera animæ meæ; nosti & medicinam præparare, venenum eiicere, spem & certitudinem vitæ, & longitudinem dierum dare. Hæc à tua misericordia deposco: hæc à tua largitate charitatiuè requiro; vt te suffragante, vitam obtineam sempiternam. Amen.

Contemplatio XV.

De Pietate & Compassione Virginis Mariæ.

1. QVasi *oliua speciosa in campis*, facta es, benignissima Virgo Maria, *Oliua es speciosa*; id est, omnimodâ speciositate spiritali repleta; per pietatem & compassionem, quæ sunt virtutum tuarum gloria. Sicut oliua fructus facit in hyeme, sic tu, Virgo Maria, fructum peperisti tempore hyemali, quo refrigerata erat charitas, & iniquitas abundabat. Oliua

humore olei plena eſt : ſic tu, Virgo pia, humore gratiæ perfuſa, huius vitæ tempore non aruiſti, ſed vitæ æternæ amœnitatem inter omnes Euæ filias glorioſa ſuſcepiſti. Tu es *oliua*, plena pinguedine pietatis, & compaſſionis. Tu es *oliua ſpecioſa in campis*, id eſt, in peccatoribus incultis, quibus gratiã ſanctiſſimis tuis precibus, exemplis, & meritis ſubminiſtras, vt excolantur per fidem & pœnitentiam, & referant fructum. Tu es *oliua ſpecioſa in campis*, id eſt, in illis, qui ſequuntur latitudinem ſuæ prauæ voluntatis, & diſcurrunt per campos, velut equi infrenes, non retardati fræno timoris, ſeu mundani pudoris, aut vinculis diuinorum præceptorum quando corde toto pœnitentes confugiunt ad te. Tu es *oliua ſpecioſa in campis*, propter communitatem pietatis & compaſſionis tuæ, quantum eſt in te ſine acceptione perſonarum.

2. Tu es oliua per affectum pietatis, ſpecioſa per effectum. Effectus pietatis nihil valet, niſi ſit ex affectu. Nam ſicut ex oliua fructus, ſic ex affectu meritorium opus. *Tu es illa mulier, qua vaſa vacua impleuit oleo ad præceptum Eliſæi*, id eſt, Chriſti, *vaſa vacua*, ſunt corda vacuata ab amore terrenorum, & ab immunditia peccati mortalis, lota & ſincerata per veram confeſſionem, & lachymarum effuſionem, clauſa inferiùs per contemptum temporalium aperta ſuperiùs per appetitum cœleſtium. Capax, per profunditatem humilitatis, & latitudinem charitatis. Reg. 14. 3. 4.

3. Sed, piiſſima Virgo Maria, vas cordis mei non eſt vacuum, ſed plenum ſordibus, & ſpurcitijs peccatorum; non eſt capax ad recipiendum oleum gratiæ tuæ, niſi tua pietas & compaſſio dignetur illud euacuare dignis interceſſionibus tuis ad tuum Filium benedictum; quem ora, Virgo pia, vt infectum & ſordidum vas cordis mei, mundare dignetur, oleo pietatis, & miſericordiæ adimplendo : vt oleum tuum indignationem Dei mitiget, vt cordis mei vas, oleo gratiarum ſuarum impleat, per quas hîc opera virtuoſa faciendo, veniente ſponſo Chriſto cum prudentibus virginibus intrem ad nuptias gloriæ ſempiternæ. Amen.

Contemplatio XVI.

De Miſericordia Virginis Mariæ.

1. O Miſericordiſſima Virgo Maria, quis poteſt dignè tibi impendere gratiarum actiones, quia *tuâ miſericordia plena eſt terra*? Fons tuæ miſericordiæ, irrigat aridam terram noſtram; fons tuæ pietatis emittit riuulos ſuos ad nos peccatores, quibus continuè recreamur. Fons tuæ clementiæ refrigerat peccatorum calorem; fons tuæ dulcedinis ſitim noſtram extinguit; & clamat quotidie miſericorditer ad nos, *ſitientes venite ad aquas*, & bibite cum lætitia, fons tuæ miſericordiæ viuus & indeficiens eſt, Pſalme. 32. 55. Iſa. 55. 1.

numquam diminuitur, nec siccatur; omnibus portabilem se reddit, nulli clauditur, nec negatur; haurit ex eo bonus, haurit etiam malus; omnibus prodest, nemini nocet, omnes recreat, omnibus dulcis est, omnes iuuat, curat debiles, sanos confortat, miseros lætificat, iustos prouehit, iniustos purificat, ægros subleuat, bellantes tuetur, anxios consolatur, peccatores iustificat, peregrinos roborat, inimicos deprimit, virtutes auget, peccata prosternit, pauperes refocillat, diuites in humilitate custodit, iracundos mitigat, pacem procurat, immundos abluit, dissolutos retrahit, charitatem multiplicat, corda diuisa vnit, mentes eleuat ad superna, opera misericordiæ exercere facit, somnolentos excitat, ad benè operandum cunctos inducit. In periculis defendit, omnibus necessitatibus occurrit, indulgentiam peccatoribus obtinet, Deo illos per amorem coniungit, incipientes dirigit, proficientes illuminat, perfectos inflammat, & timidos fortificat.

2. Hæc & multa alia, Virgo piissima, fons tuæ misericordiæ in nobis peccatoribus operatur; & quid, Virgo beatissima, peccator faceret, si tuam misericordiam retraheres ab eo? sicut tuâ misericordiâ iuuante peccator perire non potest, sic etiam te tuam misericordiam retrahente, impossibile est vt non pereat. Tua namque misericordia sustinet peccatorem, & Dei mitigat iram erga ipsum. Credo, & expertus sum, Virgo benedicta, quia nisi misericordia tua mihi subuenisset, indignatio & iudicium Dei super me venisset; quia in peccatis nefandissimis & horribilibus, tempus miseræ vitæ consumpsi.

3. O Virgo piissima, mater consolationis, respice me miserum pecatorem tuâ misericordiâ indigentem, non recedat à me tua magna misericordia, tua pietas, tua clementia, tua bonitas, tuum adiutorium sit semper mecum, vt me adiuuet, me defendat, me protegat, & indulgentiam de peccatis meis obtineat; ita spero & ita confido in te gloriosa Virgo Maria, quia scio quòd peccatorem ad te venientem non respuis, neque tuam misericordiam ab eo abstrahis, quia sic peccator periret, cuius saluationem tu desideras: desiderium tuum igitur imple in me, quia inter peccatores maiorem me esse cognosco, vt cùm dies extrema vitæ adueniet, susceptâ indulgentiâ peccatorum ad gloriam perueniam sempiternam. Amen.

Contemplatio XVII.

De Dulcedine Virginis Mariæ.

1. O Melliflua & amantissima, Virgo Maria, tu dulcis es spiritu, quia beatissimus spiritus tuus nihil habet amaritudinis: sed totum dulcedinis, quia omnis dulcedo, scilicet Filius tuus benedictus in ventre

tuo virginali, nouem mensibus requieuit, & licèt ex tuo vtero nasceretur,
numquam à spiritu tuo vel mente recessit, spiritus tuus dulcis, quia spirita-
lis apotheca Spiritus sancti fuit, qui dulcedo Patris & Filij sæpè nominatur,
& ideò dicis de te ipsa, *spiritus meus super mel dulcis*, qui transcendit omnem Eccl. 24.
dulcedinem mundanam carnalium voluptatum; heu! Virgo Maria, dulcis
es cogitatu, quia cogitas cogitationes pacis & non afflictionis; vnde tu es
illa princeps de qua dicitur, *princeps ea quæ digna sunt principe cogitabit*. Tu Ierem. 29. 11.
dulcis es aspectu, vnde oramus, *illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte*; Isa. 32. 8.
facies enim tua plena est gratiarum; quia aspectus tuus pietatis & miseri- In Ant. Salue Regini.
cordiæ dulcedine perfusus est.

2. Tu dulcis es auditu; quia libentissimè audis preces peccatorum, ab
ipsis fideliter inuocata, vnde dicitur tibi, *præparationes cordis eorum audiuit*
auris tua. Tu dulcis es gustu, quia dicis, *qui edunt me adhunc esurient*, tan- Psalm. 10. 17.
quam cibum saporis peroptimi: Tu enim es manna, habens gustum simi- Eccl. 24.
lem cum melle; tu es manna absconditum, quod vincenti promittitur, 29.
omne delectamentum in se habens, & omnis saporis suauitatem. Tu dul- Apoc. 2.
dulcis es tactu, quia tenes Filium tuum, ne statim feriat peccatores, vnde 17.
dicere potes, *tenui eum, nec dimittam*. Dulcis es linguâ, ideò scribitur, *mel* Sap. 16.
& lac sub lingua tua, id est, in verbis tuis est omnis dulcedo spiritualis trans- 20.
cendens mellis & lactis omnem dulcedinem corporalem. Tu dulcis es labiis Cant. 3.
in efficacia precum, nam à precibus tuis ostendis magnitudinem Filij tui, 4.
qui semper exauditur à Patre pro sua reuerentia. Vnde in fauorē tanti Filij, Ibid. 4.
tu Mater digna es exaudiri. Tu dulcis colloquio, ideò scribitur, *eloquium* 11.
tuum dulce, maximè cùm pro peccatoribus Filium tuum interpellas. Tu dul- Ib. 8. 13.
cis es memoriâ; quia sicut mel delectat gustum comedentis quantò plus
masticatur, tantò dulcius inuenitur; sic memoria tua, delectat loquentem;
& quantò plus de te loquitur, tantò magis in tua memoria delectatur.

3. Sed, dulcissima Virgo Maria, ego iniquus peccator, cor habeo non
dulce sed amarum, & omnes cogitationes meæ, & omnia mea, amaritu-
dine plena sunt; quia inquinata sunt, & contaminata per multitudi-
nem vitiorum. Adiuua me tu, quæ es dulcedo vitæ, ora Filium tuum, vt ama-
ritudinem meam in dulcedinem bonæ vitæ conuertat, vt hæreditatem dul-
cem de qua dicitur, *hæreditas mea super mel & fauum*, percipiam sine fine. Eccl. 24
Amen. 24. 27.

Contemplatio XVIII.

De Omnipotentia Virginis Mariæ.

1. Omnipotens Virgo Maria, sermo tuus plenus est pietate, quia quæ-
cúmque volueris facere, illa facis, consilium tuum stat voluntas
tua impletur. Tu es quæ vitæ & mortis habes potestatem, & deducis ad

portas mortis & reducis; omnia potes ex dono Filij tui à quo omnipotente, omnipotens es effecta, quia non est potestas nisi à Deo; vnde dicere potes, Matth. 28.18. *data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* In cœlo, imperandi Virtutibus angelicis & animabus Sanctis, faciendi ad beneplacitum tuum, & quosuis introducendi. Sicut Filius tuus dicitur, Rex Regum & Dominus Dominan- Apoc. 19.10. tium, sic tu, Virgo Mater Christi Regina es benè se regentium, & Domina eorum qui sibi dominantur: omnia subiecisti sub pedibus tuis, oues & boues, id est, simplices; pecora campi, id est, luxuriosos vagantes per Psalm. 8.8.9. campos; volucres cœli, id est, superbos; pisces maris, id est, cupidos.

2. Tua etiam omnipotentia manifestè ostenditur quia multos de sua damnatione iam certos, multos in aquis præfocatos, multos ex improuiso mortuos, quia dum caderent tuo patrocinio se commendauerunt, liberasti; multos etiam qui sine pœnitentia decesserant in peccato mortali, à Diaboli faucibus eripuisti, & vt possent agere pœnitentiam, ad vitam reduxisti. Ita namque ingeniosa es & subtilis ad saluationem peccatorum; sicut Diabolus ingeniosus est, & subtilis ad damnationem eorum. Quâ autem iustitiâ, aut quo iure, tu saluas damnabiles & sine pœnitentia defunctos in mortali, quis ad ista sufficit cogitanda? Constat autem, quia & tu ita facis, & quia saluâ iustitiâ facis integro tamen & illibato sigillo iustitiæ, sic ingeniosè scis facere misericordiam, quia non frangis iustitiam.

3. O misericordissima Virgo Maria, ego prauissimus peccator non habui pœnitentiam contra hostes animæ meæ, sed fragilitatem magnam; & ideò voluntati eorum me submisi. Imò, vt veriùs loquar, potentiam & virtutem habui ad resistendum peruersis voluntatibus, & tentationibus illorum; sed ex mera malitia & iniquitate, postposui timorem diuinum & salutem animæ meæ miserabiliter tradendo voluntatibus inimicorum. Ostende, Virgo benedicta in me tuam potentiam, deprecando tuum Filium benedictum. Credo, ô Domina piissima, quia te orante pro me peccatore ad tuum Filium omnes cæteri Sancti orabunt, & omnes iuuabunt. Te verò tacente, nullus orabit, nullus iuuabit. Ora ergo, clementissima Domina; non cesset deprecatio ad Filium tuum, vt talem potentiam donet quæ resistat cum effectu vitiis & peccatis, & de peccatis dignè pœnitentiam agam, vt in fine obtineam gloriam sempiternam. Amen.

Contemplatio XIX.

De Fide Virginis Mariæ.

1. Fides tua te saluam fecit, Virgo Maria plenissima pietate, & non solùm te, sed etiam genus humanum, quod per fidem tuam restauratum est; per te viuit, & lætatur, in te confidit, & in te sperat; per te vincit, & per te à morte liberatur; per te iungitur Deo per te pacem habuit, per te

saluatur, per te regnat, per te veniam obtinet, per te gratiis impletur, per te euadit pœnas, per te Angelis sociatur; hæc omnia & plura alia beneficia, per te à benedicto Filio tuo habemus & possidemus. Sed vnde hoc, vt tanta bona per te habuerimus? Ecce, Virgo Maria, hoc fecit fides tua; quia verbis Angelicis credidisti, hoc fuit principium totius boni nostri, nostræ redemptionis, & nostræ saluationis. Fides tua hoc fecit, gloriosa Virgo Maria, fides tua causam dedit, fides tua Filium Dei in tuo vtero virginali clausit. Fides tua sanctam Trinitatem inclinauit, vt Filius Dei carnem ex tuo purissimo sanguine assumeret, & Filius tuus fieret. Fides tua Spiritum sanctum cooperatorem huius sacratissimæ Incarnationis constituit. Fides tua te Matrem Virginem & Dei filiam fecit. Fides tua sanctam Diuinitatē cum humanitate coniunxit, fides tua Deum hominem fecit, & hominem deificauit, fides tua hominem Deo reconciliauit, fides tua inter Deum & hominem pacē fecit, & indignationem mitigauit, fides tua Deum humiliauit.

2. Sed quid, Virgo Maria, hæc nobis fides profuisset, nisi in ea firmissima permansisses? Fugit namque fides de cordibus hominum in crudelissima captione benedicti Filij tui, cùm Discipuli relicto eo fugerunt; lumen fidei tunc extinctum fuit, cæcitas comprehendit omnes, in tenebris ambularunt, mortua in eis fuit fides: & omnes errauerunt & à sua credulitate totaliter recesserunt. Sed in te, Virgo fortissima, Virgo cordis firmissimi, tota fides remansit, in te lumen sanctæ fidei, absconsum fuit, te solam illuminauit, in te sola, fides sancta radios suos expandit; in te fides seipsam seruauit, & sic latens sub modio, super candelabrum exposita matris & vniuersalis Ecclesiæ, ipsam expandisti vt luceret omnibus; mundum illuminasti, cæcitatem & tenebras fugasti, & errores omnes fudisti, & errantes ad viam fidei reduxisti. Quæ igitur laudum præconia, aut quales gratiarum actiones tibi referre potest dignè, fragilis conditio humani generis; quam sic dignata es, per fidem tuam à tenebris infidelitatis liberare? Ecce nemo ad hoc sufficit, quantacúmque virtutum præfulgeat dignitate.

3. Sed tua clementia, Virgo benedicta, nostram fragilitatem patienter supportet, & præcipuè meam, qui fidem suscepi, & mortua in me fuit; quia bona opera non impleui; sed vita mea in peccatis semper fuit. Adiuua me, Virgo gloriosa; renoua in me fidem viuam, ora filium tuum benedictum, vt sine errore fidem immaculatam sibi seruem, vt iuxta fidem digna opera præstem, vt fidem rectam, opere prauo non polluam; vt ipsum, quem in credendo confiteor, malè viuendo non abnegem; sed ipsum, quem strenuâ fide sequor, actu & negligentiæ operibus non offendam, sed mortificatis vitiis per indulgentiam suam, gratiam mihi conferat in præsenti, per intercessionem tuam, & gloriam in futuro, per infinita sæcula sæculorum. Amen

Contemplatio XX.

De Sapientia Virginis Mariæ.

1. PRudentissima omnium mulierum, beatissima Virgo Maria, de te scri-
Eccl. 39. 1. ptum est, *sapientiam omnium antiquorum exquisiui.* Quis enim non miretur opera tua diligenter considerans, & dicta tua, tantam sermonis constantiam, interrogationis prudentiam, fidei facilitatem? si quomodo locuta es Angelo, attendatur, nimirum quia datum est cordi tuo lumen intelligentiæ, per quod scientiam omnium antiquorum exquisiuisti, scilicet doctrinam Patriarcharum, & Prophetarum, & cognitionem cœlestium quam antiqui habuerunt, exquisiuisti, Virgo Maria, id est, ex corde quæsiuisti, & in illo cōseruasti; vnde de te scribitur, quòd *omnia in corde tuo*
Luc. 2. 19. 5. 1. *conseruabas,* id est, in arca memoriæ reponebas omnia verba hæc, non mundana, sed Euangelica, scilicet omnia, quæ de Domino vel à Dño dicta, vel facta cognouisti, vel intellexisti: seu quæ nondum intelligere potuisti, omnia memoriæ commendasti, vt cùm tempus prædicandæ seu scribendæ Incarnationis Filij tui aduenisset, sufficienter omnia prout essent gesta posses explicare quærentibus, & ita quatuor Euangelistis multa ostendisti, quæ scripserunt. Tacito igitur corde congruum tempus expectabas, quo Deus ea vellet diuulgari, & ideò de te dicitur, *sapiens tacebit vsque ad tempus.*
Eccl. 20 7. 2. Sapiens etiam tu, Virgo Maria, fuisti, quantùm ad cognitionem scripturarum: qui enim aperuit Apostolis sensum, vt intelligerent scripturas, multo fortiùs te matrem impleuit spiritu sapientiæ & intellectus, superue-
Reg. 2 3 niente in te Spiritu sancto; imò descendente in te ipsâ Sapientiâ, id est, Filio Dei, qui scientiarum Dominus est, & qui tibi nouem mensibus Euangelizauit; priusquam aliis ciuitatibus, & incerta & occulta sapientiæ suæ mani-
Psalm. 50. 8. festauit tibi: Noc solùm nouem mensibus, imò & toto tempore, quo iuuenis habitabat tecum, manifestauit tibi secreta scripturarum sanctarum; vnde potes dicere, *præcessi sapientiâ omnes, qui fuerunt ante me; & anima mea con-*
Eccl. 1. 16. *templata est multa sapienter.* Ideò post Ascensionem gloriosam Filij tui facta fuisti Magistra sapiens Apostolorum, Euangelistarum, & Prædicatorum.
1. Cor. 3. 19. 3. Sed, sapientissima Virgo Maria, ego iniquus & peruersus aliqualiter sapiens fui, & hæc sapientia mundi fuit, quæ stultitia est apud Deum: sapiens enim fui in oculis meis, quos solùm direxi ad mundana, & ad superbiam exterioris hominis. O benignissima Virgo Maria, esto mihi clemens, & propitia apud benedictum Filium tuum. Sapientia tua doceat me qualiter Filio tuo placeam; illumina mentem meam lumine sapientiæ tuæ, vt quæ agenda sunt videam, & opere adimpleam, vt cum Filio tuo, qui est Sapientia increata, perpetuò requiescam. Amen.

CON-

Contemplatio XXI.

De Patientia Virginis Mariæ.

1. SAnctiſſima ac beatiſſima Virgo Maria, quibus laudibus efferam tuam admirabilem patientiam, de qua ſcribitur, *patientia pauperum non peribit in finem*? Nulla enim pura creatura à Deo creata, tibi fuit ſimilis in paupertate ſpiritus; ideò patientia tua non peribit in finem; non quòd patientia ſit ibi, vbi nunc cum tuo benedicto Filio gloriaris; cum ibi nulla ſit aduerſitas quæ moleſtet; ſed non peribit, quia infructuoſa non eſt; cùm fructum nunc percipias ſempiternum. Patientia tua, multa in hoc mundo aduerſa æquo animo ſupportauit: namque in hac lugubri vitâ multa aduerſa tuum animum inuaſerunt; Nam vita pauperrima tibi fuit, quia vnde viueres, non habuiſti; nec vnde benedicto Filio tuo nato, in neceſſariis prouideres: nec vnde ipſum redimeres, in oblatione Templi, niſi ſolùm pretium egenorum. Victum tuum cùm aliunde non haberes, manu & arte quærebas. *Pſalm. 9. 19.*

2. Vita tua in tribulatione fuit: niſi quantum de Filio tuo, conſolationes, & gaudia ſuſcepiſti. Ipſo nato oportuit te, vt ipſum à manibus Herodis eriperes, fugere in Ægyptum; ipſius paſſionem, & mortem acerbiſſimam & crudeliſſimam, oculis propriis inſpexiſti: iniurias & contumelias, à Iudæis iniquiſſimis, contra benedictum Filium tuum & te, voce rabidâ, audiuiſti: Nulla enim proſperitas, niſi de Filio tuo in mundo tibi fuit: quia qui *piè volunt viuere in Christo, perſecutiones patientur.* Sed patienter omnia ſupportaſti, & Deo laudes & gratias reddidiſti. Hanc patientiam, in laboribus huius vitæ toleraſti, quia mitis eras corde, & manſueta moribus, & talibus debetur qui non reſiſtunt voluntati diuinæ, cuius iugum leue eſt, & ſarcina leuis; tu namque ex magna dilectione Dei Patris, non ſolùm conſolationes, ſed etiam tanquam vera filia, flagella tolerabas, quia quæ non videbas, ſperabas, & per patientiam expectabas. Nam mens Iuſta tantò eſt ad quæcumque fortior, quantò in ea eſt charitas Dei maior. Patientia namque amica eſt bonæ conſcientiæ, non inimica veræ innocentiæ; & hanc in hoc mundo poſſediſti; quia inuicta mentis conſtantiâ, nec doloribus, nec voluptatibus animum infirmum præbuiſti. *2. Tim. 3. 12.*

3. Sed ego miſerrimus & iniquitate plenus, proſpera mundi dilexi; & aduerſa impatienter portaui: ô peruerſa, & Deo odibilis conditio mea! Nam cùm Deus peccata mea per patientiam tolerabat, hoc acceptabile, & gratioſum mihi erat; ſed cùm me miſericorditer propter peccata mea flagellabat, maximâ impatientiâ ad iracundiam prouocabar; & tantò ſupplicio dignior eram, quantò magis vitiis ſubdebam iuſtitiam virtutum. O benigna & glorioſa Dei genitrix Virgo Maria, refugium & ſpes miſero-

rum; tibi nunquam sine spe misericordiæ supplicatur. Exora Filium tuum benedictum & piissimum, pro me miserabili creaturâ suâ, vt non declinem ad dexteram prosperitatis, nec ad sinistram aduersitatis. Da mihi patientiam in afflictionibus & aduersitatibus meis: de quibus ipsum laudem, ipsum glorificem, & ipsum benedicam; quia in tribulationibus erudit, in lætitia consolatur, & non solùm laudem eum voce, sed & opera cum voce concordent, vt vitâ præsenti cum patientia, & digna peccatorum emendatione finitâ gloriam obtineam misericorditer sempiternam. Amen.

Contemplatio XXII.

De Perseuerantia Virginis Mariæ.

1. TVam admirabilem, singularem, & superlaudabilem vitam, gloriosissima Virgo Maria, in corde non sufficio cogitare, quam semper vellem memoriter retinere, semper contemplari, semper prædicare, sempe laudare, semper extollere, & in iis, quæ mea modica fragilitas facere potest, ipsam cupio imitari, vt tuo benignissimo Filio Domino, & Saluatori Iesu Christo, & tibi, possem vitam meam dissolutam emendando, toto animo complacere. Tu verò, sanctissima Virgo Maria, Sancti Spiritus lumine illuminata, gratiâ illustrata, ardore sui amoris incensa, & eius scientiâ mirificè docta fuisti, per quam sciuisti, & memoriæ commendasti, & etiam opere confirmasti, quòd omnes virtutes currunt, sed vna sola accipit brauium, scilicet perseuerantia. Multorum quidem incipere est, paucorum verò finire. Nam multi benè incipiunt, & in fine deficiunt, quia virtutem perseuerantiæ non habent; & nisi quisque perseuerauerit vsque in finem, de sua salute sperare non debet. Sicut enim humilis charitas est fundamentum virtutum, sic perseuerantia est gloriosus finis. Hæc sola coronam meretur quia *non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit.* 2.Tim. 2.5.

2. Perseuerantia gratum facit hominem Deo, aures eius demulcet, misericordiam obtinet, ostium aperit Paradisi: Istâ mediante Chananæa fuit exaudita, cæcus illuminatus, Publicanus indulgentiam obtinuit, Centurionis filius sanitatem, Magdalena absolutionem, & omnes Sancti perpetuam saluationem. Sed in te, Virgo sacratissima, tanta; & tam solida fuit perseuerantia, quòd scintillam aliquam, quantumcúmque modicam alicuius Virtutis, doni, aut gratiæ non permisisti excidere à te ipsa, sed omnia tibi peculiariter, & vniuersaliter concessa, absque vlla diminutione perseueranter, & inuiolabiliter vsque ad finem conseruasti, & illa per tuæ sanctissimæ vitæ merita, augmentasti. O fœlix perseuerantia, & perseuerans fœlicitas! quæ in sexu fragili habitaculum Deo condidisti, imò dicam, & veriùs loquar, ô fœlix sexus fragilis! qui tanta roboris fortitudine perseuerantiam inconcussâ mente, & indefesso animo obseruasti.

3. O fœliciſſima Domina, grauiter erubeſco, dum præmiſſa in me ipſo contemplor, non quia tu ſic virtuosè perſeueraſti; de quo nomen Dei laudo, benedico & glorifico; ſed quia ex magna malitia mea, & iniquitate, in bonis & gratiis à Deo gratuito dono mihi datis perſeuerare nolui; ſed inualida, & imbecilla mea mens, poſt diuinas aſpirationes mihi datas, poſt bonorum principium, deſtiti perſeuerare. Omnia imperfecta reliqui, perdurare nolui: ad tempus credidi & tempore tentationis receſſi. O vtinam ſic citò & abſque mora finem impoſuiſſem vitiis in quibus continuè & conſtanti anima miſerabiliter perſeueraui! ex qua perſeuerantia peccata peccatis coniunxi, & ſi ſic vſque in finem perſeuerauero, non ſaluus, ſed damnatus ero. O miſericordiſſima Virgo Maria, & omni pietate pleniſſima, adſiſte tuis aſſiduis interceſſionibus & deprecationibus tuo glorioſiſſimo Filio, vt à me auferat iſtam miſerabilem perſeuerantiam vitiorum, & mihi dona, & Virtutes ad ſalutem animæ meæ miſericorditer conferat, & in eis perſeuerantem voluntatem, & animum mihi donet: iniquitates meas miſerando repellat, animam meam ſibi gratam faciat, & ipſam cùm ſoluta carnis vinculo fuerit, in cœlis ſuſcipiat cum Sanctis omnibus regnaturam, per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.





PARS VII.

DE SALVTATIONE VIRGINIS MARIÆ.

Contemplatio I.

De Salutatione Virginis Mariæ.

1. D te salutandum, gloriosa Virgo Maria, principaliter me inuitat Archangeli Gabrielis exemplum, qui te primus legitur salutasse. Sed ad hoc faciendum me sentio indignissimum, benignissima Virgo Maria, quia non est speciosa laus & salu-
Eccl. 15. 9. tatio tua in ore peccatoris, qualis ego sum. Sed à tua misericordia, piissima Virgo Maria, deuotâ mente & humili corde requiro, vt tuis sanctissimis deprecationibus, mihi misero peccatori misereri digneris, vt salutationem gratanter recipias, & hoc, beatissima Virgo Maria, faciens, à benedicto Filio tuo mihi impetres vitam Angelicam. Nam in Angelis est puritas; quia sicut à carne, sic à carnis illecebris penitùs sunt immunes. In ipsis est charitas: quia cœlestis participatio eius in idipsum; quia nullus suum ali-
Act. 4. 32. quid ibi esse dicit; sed sunt ibi omnia communia. Nec inter eos maior opprimit minorem; sed omnes in summa pace & quiete ac charitate consistunt. Est etiam in ipsis humilitas & obedientia in ministerio, in quo sine murmure, sine dilatione Domino obtemperant; & tanta est eorum humilitas, quòd hominem, qui terra & cinis est, non dedignantur custodire, nec inde erubescunt.

2. Hæc tria, beatissima Virgo Maria, inuenit in te Angelus, dum te hu-
Luc. 1. 28. militer salutauit, dum dicit *gratia plena*, quæ ad humilitatem refertur, quæ sola meretur gratiâ impleri; Nam Deus superbis resistit, & humilibus dat gratiam, & dum dicit, *Dominus tecum*, denotat *charitatem, quia Deus cha-*
1. Ioan. 4. 16. *ritas est; & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*, quod dicit, *benedicta tu in mulieribus*, refertur ad puritatem, quæ perfectissima in te fuit.

3. O sacratissima Virgo Maria, crea in me cor mundum & purum tuis sanctissimis meritis & intercessionibus. Confer charitatem Dei & proximi, & veram cordis humilitatem, vt idoneus seruus tuus fiam, te laudem, te

benedicam, tibi gratiarum actiones referam sine intermissione; &, sicut Archangelus Gabriel non foris stetit, sed ad te fuit ingressus, sic mihi digneris impetrare à tuo gloriosissimo Filio, vt in conclaue cæleste in quod tu assumpta fuisti, ad æthereum thalamum ingrediar, vt ipsum & te laudem in æternum. Amen.

Contemplatio II.

De primo verbo Salutationis.

1. O Sacratissima Virgo Maria, tres salutationes celebriores cæteris Euangelium ostendit. Prima fuit, Gabrielis Archangeli ad te. Secunda fuit, tua ad Elizabeth. Et tertia, Christi ad Apostolos post Resurrectionem. Virgo Maria, ante Incarnationem benedicti Filij tui, discordabat Deus ab homine propter peccatum primæ præuaricationis, quia homo à seruitio Dei recedens, alienæ se subiecerat potestati: Discordabat Angelus ab homine, qui primæ Apostasiæ, quæ facta fuerat in Angelis, ruinam reparare debebat & tamen in terram corruerat per peccatum, & cùm seruus deberet esse in obsequio Dei, homo quasi sponte se subdiderat dominio Diaboli. Discordabat etiam homo ab homine, scilicet Iudæus à Gentili propter diuersarum legum æmulationem; quia Iudæus vnum Deum, Gentilis Idola adorabat: erat etiam discordia inter carnem, & spiritum, propter mutuam altercationem, quia caro carnalia, spiritus spiritualia appetebat, primò enim spiritus carnem corruperat, & nunc caro spiritum corrumpit.

2. Sed, beatissima Virgo Maria, per salutationem Angeli tibi factam, notatur concordia Angeli & hominis; quia per gloriosum partum tuum factus est homo conciuis Angelorum & domesticus Dei, & facti sunt homo & Angelus serui vnius Domini, scilicet Christi, & per ipsum Christum de hominibus reparata est Angelica ruina: Per salutationem tuam, Virgo Maria, ad Elizabeth, designatur concordia Iudæi & Gentilis, quia Christus lapis angularis, omnes in vnam Ecclesiam & fidem vnicam conuocauit; *Ipse enim est pax nostra, qui fecit vtraque vnum*, de quo scribitur, *ego mittam in fundamentis Sion*, id est Ecclesiæ; *lapidem angularem*, id est, Christum; Per salutationem Christi ad Apostolos, designatur concordia Dei ad homines; quia Filius Dei factus est obediens vsque ad mortem, Deo Patri pro homine satisfecit, ideò nominatur Mediator Dei & hominum. Discordiam ergo, quæ erat inter carnem & spiritum, pacificauit Christus in se vtrumque assumens, & pacificè gerens, de quo dicitur, *simul in vnum diues & pauper*, id est, Spiritus & caro inter se concordes in Christo.

Ad Eph. 2. 14. Isa. 28. 16. 1. Pet 2. 6. Ad Eph. 2. 8. 1. Timoth. 2. 5. Psalm. 48 3.

3. Istæ igitur discordiæ per te gloriosam Virginem Mariam pacificatæ sunt, quia Christum nobis genuisti, in quo Deus erat mundum reconci- *2. Cor. 5. 19.*

lians sibi; per quem omnes creaturæ rationabiles per charitatem vnitæ factæ sunt vnius spiritus participes, & regni vnius cohæredes. Dicat ergo tibi ipse Deus, dicat Angelus, dicat homo, *aue*, ô salutifera Virgo Maria. Ego iniquissimus peccator, discordias commoui inter Deum & me; quia per peccatum subiugaui me potestati hostis antiqui. Fiat pax in virtute tua, piissima Virgo Maria, inter Deum & me tuis deuotis orationibus, vt per me tuam salutationem benignè suscipias, & gloriam mihi impetres sempiternam. Amen.

Contemplatio III.

De secundo verbo Salutationis.

1. GRatia es *plena*, Virgo Maria, quoad Deum per humilitatem, quoad Angelos per virginitatem, quoad homines per fœcunditatem. Gratia plena es quantùm ad quatuor Cardinales Virtutes, *quibus nihil melius est in vita hominibus.* Habuisti namque ex temperantia carnis pudicitiam, sermonis modestiam, cordis munditiam; ex prudentia, siluisti turbata, intellexisti audita, respondisti sapienter ad proposita. Ex iustitia reddidisti omnibus quod debebas: ex fortitudine, propositum Virginitatis assumpsisti, assumptum tenuisti, rei tam immensæ fidem adhibuisti, & dixisti, *Fiat mihi secundum verbum tuum.*

Sap. 8. 7

Luc. 2. [1] 38.

2. Tu es gratiâ plena, Virgo Maria, de qua ortus est fons gratiæ, vt manaret super terram, & irrigaret aridam, & sterilem fœcundaret; & ad vniuersitatem humani generis redundaret, cuius plenitudo talis fuit, & est, quod quantò plus de tuo fonte gratiæ effluxerit, tantò ampliùs abundabit, sicut de amore fit: quia quantò quis alium ampliùs amat, tantò ampliùs abundat; & quantò ampliùs amabit, tantò ampliùs dilectione abundabit. Sic igitur & tu, Virgo Maria, gratiâ plena es, quia quantò ampliùs deriuas fontem gratiæ tuæ & amoris ad nos peccatores miseros, tantò ampliùs riuuli tuæ gratiæ superabundant.

3. Tu, benedicta Virgo Maria, fuisti gratiâ plena ante conceptum, superplena superadueniente Spiritu sancto; plusquam superplena per Filij Dei conceptum; qui sic te totam impleuit, vt nec venialis culpa in tua carne vel anima quantumcúmque locum sibi potuerit vsurpare. Vnde & gratiâ plena fuisti, quia in corde & opere recepisti totum fontem gratiæ, & ipse fons gratiæ Christus Dominus, tantum de sua immensa plenitudine tibi contulit & repleuit quòd nihil in te vacuum reliquit. Plenitudo igitur tuæ gratiæ, priuauit te omni vacuitate, vnde omnis alia creatura aliquid vacuitatis habuit, quia maiorem gratiam habere potuit; tu nihil vacuitatis habuisti, quia plus gratiæ habere non potuisti, nisi diuinitati fuisses vnita, hoc est nisi tu fuisses Deus. Ista est igitur plenitudo, de qua dicit tibi specialiter

Ib. 28.

Angelus, *Aue gratiâ plena*, & tuum proprium nomen tacuit; sed hoc tibi quasi pro nomine posuit, vt *Gratiâ plena* deinceps nominareris.

4. O beatissima Virgo Maria, ego miser peccator non sum plenus gratiâ, sed malitiâ. Indignus sum vt tuam salutationem pollutis labiis referam. Dignare mihi succurrere, Virgo pia, vt te humiliter salutando, tibi placeam, & per te vitam obtineam sempiternam. Amen.

Contemplatio IV.

De tertio verbo Salutationis.

1. INuiolata Virgo Maria, postquam dicta fuisti *Gratia plena*, dictum tibi fuit per Archangelum Gabrielem, *Dominus tecum*, qui cum sanctis Angelis est per gratiam, & cum sanctis hominibus non solùm per gratiam, sed etiã per naturam; vt possit homo dicere *Emmanuel*, id est, *nobiscum Deus*, scilicet per naturam, quod dicere non potest Angelus sicut scribitur, *Nusquam Angelos apprehendit*, quia Angelicam naturam non sibi vniuit, sed semẽ Abrahæ apprehendit, quando in te, Virgo Maria, ortâ de semine Abrahæ, naturam humanam assumpsit. Tecum autem, Virgo Maria, fuit non solùm per gratiam & naturam, sed etiam per assumptæ carnis tuæ portionem, sine virilis admixtione seminis, vt dicatur tibi, *Dominus tecum*, excluso carnalis Patris consortio Dominus igitur tecum fuit Virgo Maria, longè excellentiùs quàm cũ cæteris Sanctis, cum quibus fuit tantum spiritu & in corde, sed tecum fuit spiritualiter in corde, & corporaliter in ventre tuo virgineo.

Luc. 1. 28.
Matt. 1. 23.
Hebr. 2. 16.

2. Fuit, Virgo Maria, *Dominus tecum* in eius Conceptione, quia tunc fuit celebratum coniugium inter diuinam naturam & humanam, & hoc in vtero tuo virginali. Matrimonium enim consistit in duobus, scilicet in mutuo consensu, qui ibi fuit, quando tu respondisti, *Fiat mihi secundum verbum tuum*; & in coniunctione naturali, quod ibi fuit, quando *Verbum caro factum est*, & tunc, Virgo Maria, tu & diuina Sapientia, vnus spiritus & vna caro facti estis. Si enim Eua dicta est vna cum Adam, quia de vna costa eius formata est, ab eo tamen educta, & in nullo ab eo nutrita, multo meliùs dicitur caro Christi, esse vna cum carne tua, qui non de costa, sed de intimis visceribus, imò de tuis purissimis sanguinibus virgineis fuit educta; & non extra, sed intra gloriosa viscera tua nouem mensibus educata; ex hoc enim vocatũ est *Nomen eius Emmanuel*, id est, *nobiscum Deus*, Quia ex hac vnione tua & Dei, factus est Christus Filius tuus humanæ naturæ consors, factus est caro & frater noster, & in eodem labore & opere nostræ redemptionis, tu Mater misericordiæ, Patrem misericordiarum adiuuisti, in opere nostræ salutis cooperans.

Luc. 1. 38.
Ioan. 1. 14.
Isa. 7. 14.

3. O misericordissima Virgo Maria, consideratâ miserabili vitâ meâ, longo

peccatorum deuio protracta, Dominus mecum esse non deberet per gratiam, sed per iustitiam: sed exora illum tuis assiduis precibus, vt deleat peccata mea, & sic mecum per gratiam, quâ mediante sic in præsenti viuam, vt in futuro gloriam percipiam sempiternam. Amen.



Contemplatio V.

De quarto verbo Salutationis.

Luc. 1. 28. 1. BEnedicta *tu in mulieribus*, sanctissima Virgo Maria, id est, *præ mulieribus*, quia tu sola habuisti excellentiùs, quidquid boni fuit in mulieribus. Triplex autem fuit status bonus in mulieribus, coniugalis, vidualis, & virginalis. Tu, Virgo Maria, statum virginalem habuisti ante desponsationem, coniugalem post desponsationem, vidualem post benedictam passionem Filij tui. Sic ergo tu sola habuisti, quidquid boni fuit in mulieribus. Ideò Dei Filius singulariter imò mirabiliter in te voluit operari. Vt quæ pretium vniuersitatis debebat parere, cum statu quolibet vniuersitatis haberet aliquid commune. Cum coniugatis quidem, habuisti partum prolis, cum continentibus votum castitatis, & cum virginibus perseuerantiam Virginitatis, & dum continentes, coniugatos & virgines partu tuo redimeres, simul tibi fructus trigesimus, sexagesimus, & centesimus proueniret, nec plus meruisti pariendo, quàm virginitatem seruando.

2. Fuisti, Virgo Maria, benedicta præ omnibus mulieribus, omnes enim aliæ coniugatæ, habuerunt fœcunditatem cum corruptione præcedente, virgines castitatem cum sterilitate. Tu verò, Virgo Maria, separasti pretiosum à vili, quia habuisti statum coniugalem, & vidualem cum virginitate, & virginalem cum fœcunditate. Ideò benedicta fuisti super omnes mulieres, quia nulla vnquam acccepit, quod tu habuisti; scilicet quòd Virgo peperisti, & quòd non tantùm super omnes mulieres, sed super omnem naturam & omnem intellectum fuit, scilicet quòd Deum genuisti. Sic ergo, Virgo Maria, sola habuisti omne bonum quod in mulieribus omnibus fuit, sola non habuisti maledictionem, quam omnis alia mulier habuit, sola habuisti quod nunquam mulier habere potuit, propter quod de te dici potest, *Maria optimam partem elegit.*

Ibid. 10. 24. 3. Optimam partem elegisti quantitate, quia totum habuisti. Optimam qualitate, quia primitias & excellentiam habuisti. Optimam dignitate, quia dignior pars intelligi non potuit. Igitur optimam partem elegisti, quia inter omnes quæ partem vnquam acceperunt, tu sola Virgo Maria, optimam partem elegisti, & habuisti: & sic benedicta fuisti in mulieribus: id est præ omnibus mulieribus nam antequam tu, Virgo Maria, conciperes Saluatorem, opprobrium erat & ignominia esse mulierem, propter perditonem primæ matris; similiter esse hominem propter latrocinium & proditionem

Adæ.

Adæ. Eramus enim filij proditoris & latronis, sed, Virgo Maria, opprobrium primorum parentum, per te à nobis ablatum est, & insuper adeò generosi facti sumus, quòd regis & reginæ cælorum effecti sumus fratres.

4. Exora illum, piissima Virgo Maria, pro me peccatore, quoniam propter perpetrata peccata mea, à vobis degeneraui, vt me tuis sanctissimis precibus sibi reconciliare dignetur, & sic vitam miseram emendare, vt vitam habeam sempiternam. Amen.

Contemplatio VI.

De quinto verbo Salutationis.

1. BEnedictus *fructus ventris tui*, beatissima Virgo Maria, hoc est, benedictus Filius tuus, qui in tuo vtero virginali fuit flos, quia scriptum est, *Flos de radice eius ascendet.* In mundo fuit fructus optimus, sapidissimus, suauissimus, & iucundissimus. Sapit enim pro diuersitate gustantium. Aliis est manna, propter dulcedinem; aliis est panis, propter fortitudinem; alijs vinum, propter compunctionem; aliis oleum, propter consolationem. Iste fructus creuit in paradiso, id est, in vtero tuo virginali, de quo qui dignè comederit, mortem non gustabit in æternum. Fuit iste fructus, medicina, in cruce; panis, in Sacramento; vita in anima; beatitudo, in cælo; quod attendens Elizabeth suppleuit quod Angelus non dixerat, scilicet, *Benedictus fructus ventri tui*; non quia tu benedicta, ideò sit benedictus fructus ventris tui, in quo benedictæ sunt omnes gentes, & de cuius plenitudine tu, gloriosa Virgo Maria, cum cæteris, quamquam differentiùs à cæteris, accepisti; & per hoc benedicta es, Virgo Maria, in mulieribus; Ille verò sanctissimus fructus tui vteri virginalis, benedictus est non in hominibus, non inter Angelos, sed *ipse est per omnia Deus benedictus in sæcula.* Luc. 1. 42. Isa. 11. 1. Ro. 9. 5.

2. Iste suauissimus fructus tuus, benedicta Virgo Maria, semel dignè gustatus, magis excitat appetitum animarum esurientium, & sitientium iustitiam. Est enim esca & potus, & tanta est eius species, quòd in eum *desiderant Angeli prospicere*; & eius pulchritudinem, sol, & luna mirantur. Nec est solùm speciosus, quantùm alij fructus, sed vt dicitur, *Speciosus forma præ filiis hominum*, sic dicendus est speciosus præ fructibus vniuersis; vnde sicut granum madefactum, ex propria substantia germen emittit, à quo est totus fructus, sine alterius contactu grani; sic tu, intemerata Virgo Maria, madefacta Spiritu sancto, sine contactu viri, ex te sola germinasti Christum, qui est fructus benedictus, & tu benedicta, vnde *non potest arbor bona fructus malos facere.* Iste benedictus fructus latuit sub flore virginitatis in Conceptione, apparuit in Natiuitate, maturus fuit in prædicatione, & collectus fuit in arbore Crucis, & hoc in Passione; dulcis est iste benedictus Ps. 44. 3. Math. 7. 18.

fructus in ore, prædicantibus; dulcior in palato, meditantibus; sed dulcissimus in corde, gustantibus.

3. O misericordissima Virgo Maria! Ego peccator, esurio, iustifica me tuis sanctissimis orationibus, & da mihi hunc cibum, sitio, da mihi hunc potum; infirmor, da mihi hanc medicinam; tribulor, da mihi hanc consolationem; morior, da mihi vitam, quæ me misericorditer, decursis præsentis vitæ miseriis, perducat ad vitam æternam. Amen.



PARS VIII.

DE CONCEPTV VIRGINEO GLORIOSÆ VIRGINIS MARIÆ.

Contemplatio I.

De Conceptu Virginis Mariæ.

1. MBRA refrigerans, sacratissima Virgo Maria, quâ virtus Altissimi obumbrauit tibi, & per carnem à te assumptam, te in vmbraculum Ecclesiæ præparauit, obumbrata, & obumbrans, merito dici possis. Tibi enim ab Angelo nuntiante Filium Dei dictum est, *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Triplex enim væ inflictum fuerat cunctis filiabus Euæ, ob demeritum transgresionis eius; donec Spiritus sanctus *superueniens*, hoc est, *super væ-iens*, à te totum illud væ abstulit, vt nec corruptio carnis, impuram; nec præuaricatio mentis, ream; nec damnatio; te miseram constitueret. Anteà verò in natura humana erat duplex infirmitas, vna procedés ex superabundantia humorum, id est, carnalium desideriorum; altera ex frigiditate, quæ erat desperatio cœlestium promissorum. Has duas infirmitates sanauit Spiritus sanctus medicus suis contrariis, id est, calido, frigidum; & humidum, sicco. Calidum fuit in te, Virgo Maria, ardor & desiderium cœlestium, quo curatum est frigidum desperationis, siccum fuit, propositum continentiæ, & virginitatis, quo curauit humidum totius concupiscentiæ carnalis. Ideò dicitur, *Virtus Altissimi obumbrabit tibi*, quia ab æstu carnalium desideriorum, quæ extinguet in te, præstabit refrigerium.

Luc. 1. 35.

2. *Obumbrabit* igitur *tibi*: Nam omne corpus vmbrosum in natura rerum, suam vmbram iacit in illud, quod oppositum est ei, à quo claritas procedit.

A simili est, Virgo Maria, de tua obumbratione; quia res à qua claritas processit, fuit diuinitas Verbi, sed opposita fuit splendori, fragilitas nostræ mortalitatis: Christi verò humanitas in Conceptione vnita Verbo, suscepit splendorem diuinitatis: & sic diuinitati & nostræ fragilitati interposita, non solùm tibi Virgo Maria, sed & toti mundo obumbrauit, vt obumbrario intelligatur assumptæ carnis mediatio. Et sicut radius solaris Iubaris, ad diuersa loca, oppositi sibi corporis vmbram transmittit, sic Christus Sol iustitiæ, suæ humanitatis obumbrationem, ad diuersas partes Ecclesiæ transmisit diuersis temporibus. Ad Orientem vmbram iecit, cum in sua Conceptione de cœlo descendens, & formam serui assumens, dedit humilitatis exemplum. Ad Occasum, cùm in Passione contulit remedium. Ad Aquilonem, cùm descendens in Infernum, ipsum momordit. Ad Meridiem, cùm ascendens: testes suæ gloriæ transuexit in cœlum.

3. O Virgo Mater, ora illum, quem misericorditer accepisti, vt prauos conceptus mentis meæ restinguat & pios conceptus cum operibus subsecutis tribuat mihi, & gloriam sempiternam. Amen.

Contemplatio II.

De Eodem.

1. O Verbum dulcissimum, Verbum mellifluum, Verbum omni gaudio & exultatione plenum! dictum est tibi per Angelum, ô beatissima Virgo Maria, *Spiritus sanctus superueniet in te.* Venit namque per sanctificationem tui conceptus virginei, *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Illa fuit virtus de qua dicitur, *Notam fecisti in populis virtutem tuam,* id est Christum, qui est Virtus Dei. Hæc Virtus obumbrauit tibi; miscuit autem Dominus diuinitatem humanitati quando fulgorem diuinitatis nube humanitatis temperauit. Aliter tantum fulgorem humanus aspectus ferre non potuisset: nam claritatē Solis æterni, nec tuus aspectus singularissima Virgo Maria, sustinere potuisset, nisi nubes carnis virgineæ primitùs obumbrasset. Tibi igitur Virgini Mariæ, obumbrauit, contra omnē tribulationem protegendo; quia, sicut vmbraculo tegitur quis à calore solis, ne ei noceat, sic gratia Spiritus sancti te virginem protexit ab omni mala infestatione. Obumbrauit ergo tibi, non lædendo; sicut non lædit vmbra, neque grauat, sed refrigerium præstat.

Luc. 1. 35.
Psalme. 76. 15.

2. Sed, beatissima Virgo Maria, quid est hoc, *Virtus Altissimi obumbrabit tibi*? *Qui* potest capere capiat, *Quis* enim, te exceptâ, hoc intellectu capere vel ratione discernere possit qualiter splendor ille inaccessibilis, tuis visceribus virgineis sese infuderit? soli datum est nosse, cui soli datum est experiri: Ergo Spiritus sanctus superueniet in te, qui vtique suâ potentia fœcundabit te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi; hoc est illum modum, quo de Spiritu sancto cōcipies, Dei Virtus, & Dei Sapientia Christus sic in suo sacratissimo

consilio obumbrando contegit, & celat, quatenus notus habeatur sibi & tibi. Ac si Angelus respondeat ad te, Virgo Maria, quid à me requiris, quod in te mox experieris? scies, scies, & fœliciter scies, sed illo doctore, quo & authore. Ego autem missus sum virginalem nuntiare conceptum, non creare. Non potest doceri nisi à donante, non addisci, nisi à suscipiente; hanc namque secretam generationem te solâ consciâ operabitur, vt dicere possis post partum; *sum, quod eram* (id est Virgo) *nec eram, quod sum* (id est Mater) *modo dico vtrumque*; id est Mater & Virgo.

3. O clementissima Virgo Maria, per operationem tanti & tam sacratissimi mysterij, & per tam ineffabile gaudium, quod inde suscepisti, adiuuare me digneris tuis sanctissimis deprecationibus. Ora illum pro me miserrimo peccatore, quem miraculosè operante in te sancto Spiritu, in tuo vtero virginali concepisti; vt qui carnem assumendo humanam, frater noster dignatus est fieri, purgatis meis vitiis & peccatis, gratiam mihi tribuat agendi gratias de tam salutifero dono, humano generi gratiosè concesso; vt soluto carnis vinculo, anima mea in cœlesti gloria collocetur. Amen.

Contemplatio III.

De eodem.

1. O Salutifera, & in æternum benedicta, conceptus tuus virgineus, contrarius reperitur conceptui cuiuslibet alterius mulieris: quia in conceptu vsitato omnium mulierum, interuenit carnalis operatio; sed, beatissima Virgo Maria, in sacratissimo conceptu tuo interuenit solùm spiritualis operatio. Vnde, cùm quæsisses ab Angelo, *Quomodo fiet istud?* Respondit Angelus huic *quomodo*, dicens; *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Igitur contra carnalem operationem, dicitur, *Spiritus*, id est, spiritualis operatio. In conceptu alterius mulieris, interuenit integritatis dissipatio. Sed, sacratissima Virgo Maria, nulla dissipatio tuæ virgineæ integritatis fuit in te; quia opus fuit Spiritus sancti, qui non nouit virginem corrumpere, sed sanctificare; nescit pudicitiam minuere, sed augere; nescit fœdare, sed fœcundare; nescit vilificare, sed glorificare. Vnde te timentem de tua virginitate, assecurauit Archangelus Gabriel, dicens tibi: *Ecce concipies, & paries Filium, & vocabis nomen eius Iesum*, id est, *Saluatorem*; qui saluat, non violat; confracta solidat, non confringit solida: secundùm nomen eius, ita & opus eius. Si igitur te matrem corrupisset in conceptu vel partu, iam non videretur Saluator, sed potiùs dissipator; quod absit.

Luc. 1.35.

Ibid. 31.

2. Igitur superuenit Spiritus sanctus duobus modis in te, & diuinæ potentiæ suæ efficaciam ostendit, quia & mentem tuam, quantùm humana fragilitas patitur, ab inclinatione vitij castigauit, vt cœlesti esses digna partu, &

in vtero tuo virginali illud ſanctum ac venerabile Redemptoris noſtri corpus, ſolâ ſui operatione creauit, id eſt, nullo virili interueniente actu, carnem de intemerata carne virginea, ſacro-ſanctam, Dei Virtus formauit. Quem enim apertè priùs *Spiritum ſanctum* dixit, hunc ipſum denuò *virtutem Altiſſimi* nominauit. *Obumbrauit* autem *tibi virtus Altiſſimi*, quia cor tuum impleuit, & ab omni æſtu concupiſcentiæ temperauit, & emendauit à deſideriis temporalibus, ac donis cœleſtibus mentem tuam ſimul conſecrauit & corpus. Virtus igitur, Virgo Maria benedicta, Altiſſimi obumbrauit tibi. Vmbra à lumine & corpore erecto ſolet formari: *Virtus* ergo *Altiſſimi obumbrauit tibi*, dum incorporea lux diuinitatis corpus in te ſuſcepit humanitatis.

3. O puriſſima Virgo Maria, ora pro me impiiſſimo peccatore illum, qui tibi obumbrauit, vt ſub vmbra ſua me recipiat, & à calore & feruore terrenorum & carnalium deſideriorum me protegat, & defendat; & vmbram gratiæ mihi conferat; quâ mediante, miſerabilem vitam meam emendem, de peccatis ſatisfaciam, nec ad illa vltrà redeam; ſed virtuoſè cogitando, loquendo, & operando, in fine regnum apprehendam ſempiternum. Amen.

Contemplatio IV.

De Eodem.

1. CONcepiſti, ſacratiſſima Virgo Maria, de Spiritu ſancto, non quòd de ſubſtantia Spiritus ſancti ſemen partus acceperis, ſed per amorem & operationem ſancti Spiritus, ex carne tua virginea, partui diuino ſubſtantiam natura miniſtrauit. Nam quia in corde tuo amor Spiritus ſancti ſingulariter ardebat, ideò in carne tua virtus Spiritus ſancti mirabilia faciebat: & cuius dilectio in corde tuo non ſuſcepit ſocium, id eſt, amorem alienum, eius operatio in tua carne virginea non habebat exemplum. Ideò dictum eſt tibi, *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi* Luc 1.
obumbrabit tibi, vt ſubſtanſtiam carnis miniſtrans carnalis concupiſcentia 35.
moreretur. Redemptio etiam mundi fuit ex benignitate. Benignitas autem attribuitur Spiritui ſancto. Venturus igitur in mundum Filius Dei, de Spiritu ſancto dicitur incarnandus. Superueniet namque Spiritus, quia venit deſuper, & ſuper cor, ſuper meritum, ſuper cogitatum, ſuper ſperatum, ſuper deſideratum, & ſuper petitum. Non enim potuiſſes promereri, non auſa fuiſſes cogitare, non ſperare, non deſiderare, non petere, vt Filius Dei incarnaretur in te. *Virtus* ergo *Altiſſimi obumbrabit tibi*, quia in te vmbram accipiet; id eſt, carnem leuem, & à peccato immunem. Nam vmbra figuram habet corporis ſine corruptione. Fuit etiam tibi Virgini glorioſæ, Dominus in conceptione protector potentiæ per Spiritum ſanctum, &

ptopter hoc specialiter missus est ad te Gabriel, qui interpretatur *Fortitudo Dei.* Fuit etiam tibi Dominus in tegimen ardoris, in conceptu; quia concepisti sine culpa: nam per obumbrationem Spiritus sancti, extinctus est in te ignis totius fomitis, & ita sopitus, vt nullus in te posset excitari pruritus. Fuit etiam tibi fundamentum virtutis in partu; quia non laborasti pariendo, sed sine dolore peperisti Saluatorem omnium sæculorum. Superuenit igitur in te, humillima Virgo Maria, Spiritus sanctus, vt totum, quod carnale erat, absorberet in te, & te totam faceret spiritualem.

3. Ad te recurro, Virgo Maria misericordissima, ad te humiliter recurro, ego iniquissimus, totus terrenis vitiis inuolutus, & nihil de spirituali, vel modicum ex magna malitia mea possidens. Exora illum, qui superuenit in te, & impetra mihi tuis sanctissimis deprecationibus, vt super me veniat gratia eius, & eius misericordia, quæ mentem meam eleuet à terrenis & carnalibus, quæ militant aduersus animam, & ad superna dirigat, vt in fine illum possideam per infinita sæculorum sæcula. Amen.

Contemplatio V.

De Eodem.

1. O Virtuosissima, & perfectissima Virgo Maria, dictum est tibi gratiosè ab Angelo, *Spiritus sanctus superueniet in te*, id est, de superno Patre luminum veniet in te: *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi*: id est, ad
Luc. 1. 35. honorem tuum, *Virtus Altissimi*, id est, Filius Dei Patris, in te vmbraculum faciet. Nam de carne carnem assumendo, diuinæ naturæ fecit vmbraculum; & sub vmbra carnis splendorem diuinitatis obtexit, vt præueniendo te in benedictionibus dulcedinis, suauitatem diuinæ voluptatis degustares; *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi*; vt fœmina & Virgo pauida, contra annos teneræ ætatis, & contra fragilitatem sexus, thesauros sapientiæ & scientiæ in te recipi & recōdi non timeres. *Spiritus sanctus superueniet in te*, vt eius fructificationem experireris, quòd *Suauis est Dominus vniuersis*, sed tibi super excellenter: & quòd *Miserationes eius super omnia*
Psalm. 144. 9. *opera eius*, sed super te incomparabiliter, *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi*. vt assumptæ carnis velamine interiecto, susceptrix diuinæ maiestatis efficereris.

2. *Spiritus sanctus superueniet in te*, vt prima, sub lege contra legis maledictum virginitatis florem Deo voueres. Secundò, in te superuenit, vt sola omnium fœminarum, Virgo conciperes, & pareres Deum & hominem, & Virgo permaneres, *Virtus* quoque *Altissimi obumbrabit tibi*, vt omnem nitorem temporalis gloriæ, omnem fauorem blandientis fortunæ ab affectu & à spiritu tuo præ amore cœlestium excluderes. *Obumbrabit tibi* iterum, vt te ab omni incentiuo carnalis illecebræ non dico temperaret, sed super

anteriorem statum, & supra humanum modum instar Angelicæ puritatis te insensibilem redderet. In superuentione ergo Spiritus sancti gustasti & vidisti quoniam suauis est Dominus, id est, Spiritus sanctus, de quo concipiebas. In obumbratione virtutis Altissimi, intellexisti Dei virtutem & sapientiam, id est, Christum Verbum, quod concipiebas; alioqui quomodo de Spiritu sancto corporaliter conciperes, nisi eiusdem amore spiritali priùs & suauiùs tangereris? Aut quomodo Verbum in tuum vterum virginalem descenderet, nisi & tu, Virgo Maria, ad intelligentiam Verbi mente rapta fuisses? Priùs ergo factum est tibi sapientia in mente quàm caro fieret in tuo vtero virginali.

3. O benignissima Virgo Maria, adiuuare me digneris misericoditer, exorando illum assiduè, quem in tuo vtero virginali concepisti, vt mundare dignetur immundissimum cor meum, quo purificato ab omni labe peccati illum ibidem firmâ fide concipiam, & conceptum retineam, vt cum ipso viuam per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Contemplatio VI.

De Eodem.

1. O Sacratissima Virgo Maria, *Sicut pluuia in vellus descendit*, ita in tuum vterum virginalem, gloriosissimus Filius tuus cooperante Spiritu sancto descendit. Namque, sicut pluuia cum summo silentio descendit in vellus sibi expositum, & illud perfundit & replet, sic Verbi diuinitas repleuit tuum corpus virgineum, & possedit tuam virgineam mentem, quando tu, beatissima Virgo Maria, te totam exponens dixisti, *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Et, sicut pluuia perfundens vellus, illud integrum illibatùmque conseruat, sic Deitas te integram illibatámque, gloriosissima Virgo Maria, conseruauit ad ingressum similiter & egressum. Sicut enim te integram inuenit, sic & integram nascendo reliquit. Remansit namque genitale secretum clausum & inuiolatum, nec concussa sunt tua materna viscera virginea; sicut nec vellus fœdatur aut corrumpitur, cum impletur aut vacuatur à pluuia.

Iudic. 6. 37. 38. Psalm. 71. 6. *Luc. 1. 38.*

2. Et sicut stillicidia stillant super terram, & inebriant terram ac germinare eam faciunt, ita descendens in te virtus Altissimi, germinare te fecit germen vitæ; scilicet delectabile germen illud, & non aliud quàm quod ex carne tua per infusionem diuinæ virtutis erupit. Quid enim aliud, sanctissima Virgo Maria, fuerunt Spiritus sancti obumbratio, plenitudo gratiæ, feruor fidei, castitas virginalis, quam stillicidia quædam gratiarum in te descendentium, vt tu benedicta terra produceres fructum tuum? Descendit igitur pluuia. Venit Dei Filius in te de sinu Patris, sicut pluuia in vellus placidè in placidam, secretè in secretam, benignè in benignam, iocundè in

Isa. 55. 10.

iocundam, vtiliter in perutilem, & in fructiferam fructuosè. Descendit namque omnis plenitudo gratiæ & abundantia. Ideò sacratissima Incarnatio tui Filij benedicti, dicitur *Plenitudo*. Descendit Filius tuus in tuum vterum virginalem, vt satisfaceret petitioni Ecclesiæ dicentis, *Vtinam dirumperet cœlos, & descenderet*, descendit, inquam, vt compassionem nobis, ostenderet, qua nobis compatiebatur; & vt nos liberaret de manibus Ægyptiorum, id est, dæmonum, descendit ad nos, quia non poteramus ascendere ad eum, sicut medicus venit ad decumbentem ægrotum. Ideò eius benedicta Incarnatio dicitur *Visitatio*, quia *visitauit nos oriens ex alto*.

Isa. 64.1

Luc. 1. 78.

3. O benignissima Virgo Maria, ego miserabilis peccator infirmus sum, decumbens in lecto peccati & miseriæ: Ora illum misericorditer, vt descendere dignetur antequam moriar: visitet per suam piissimam gratiam infirmitatem meam gratissimam; sanet me ægrotum, ob meritum suæ sacratissimæ Incarnationis, vt saluus sim. Amen.

Contemplatio VII.

De Eodem.

1. DEsiderium sanctorum Patrum impletum est in te, gloriosissima Virgo Maria, qui dicebant, *Rorate cœli desuper, & nubes pluant Iustum, aperiatur terra, & germinet Saluatorem*. In hoc namque desiderio, tria petebant sancti Patres; scilicet à cœlis, rorem; à nubibus, pluuiam; & germen à terra. Per cœlum, Angeli; per nubes, Prophetæ; & per terram, tu, gloriosa Virgo Maria, intelligi debes. Igitur *rorate cœli desuper*, id est, veniat Archangelus Gabriel, & *roret*, id est, rorem annuntiet, scilicet Dei Filium, qui est *ros Hermon*, quod interpretatur *lumen exaltatum*, quia Christus, qui est lumen, primò exaltatum fuit in candelabro Crucis in Passione; & secundò in cœlo in Ascensione, *Qui descendit in montem Sion*, id est, in te, Virgo Maria, in Incarnatione, manente in te integritate virginitatis, sicut ros descendit in lilium sine lilij corruptione. Sed qualiter descendit, non capit mens humana; quia *generationem eius quis enarrabit*? sed quòd in te, Virgo Maria, descenderit, credo, & confiteor: & quòd ex eius aduentu magis incanduerit flos tuæ virginitatis.

Isa. 45. 8.

Psalm. 132. 3.

Isa. 53. 8

2. *Nubes pluant Iustum*: Nubes tonant, pluunt, fulgurant; sed hîc petimus vt pluant, non enim possumus sustinere fulgura & tonitrua. O nubes, Christum pluite, id est, pluuiam nuntiate, quæ leni ictu percutit, & percutiendo rigat; *Nubes* igitur *pluant Iustum*, id est, veniat, qui iustitiam faciat de diabolo seductore; sicut fecit de homine seducto. Iustè enim tenebatur homo, sed iniustè tenebat eum diabolus, propter quod ei nocere deberet. *Aperiatur* ergo *terra, & germinet Saluatorem. Aperiatur*

terra, id est, fias tu, Virgo Maria, porta cœli, *Intrent vt astra flebiles*; quæ porta, clausa erat cunctis per Euam. *Aperiatur* igitur *terra*, id est, tu, Virgo Maria, consentias nuntio Angelico. Ecclef. in Hym. O gloriosa Domina.

3. Sed cùm tu, beatissima Virgo Maria, dicaris ter porta clausa, id est, ante partum, in partu, & post partum, quomodo dicitur *aperiatur terra*? O sanctissima Virgo Maria, tu aperuisti aures ad audiendum verbum Angeli, cor ad credendum & consentiendum, os ad consensum exprimendum, & orandum, vt fieret, quod tibi promittebatur. Benè dixisti, *Fiat mihi secundùm verbum tuum*; & sic aperta fuit terra, id est, tu benedicta Virgo Maria, Luc. 1. 38. & *germinasti*, id est, concepisti Saluatorem, operatione Spiritus sancti; tamen fuisti clausa ad consentiendum, donec intellexisti, quòd posses concipere, & parere manens Virgo: nec incarnatum in te fuisset Verbum Patris, nisi verbis Angelicis consensisses.

4. O misericordissima Virgo Maria, ob meritum tanti gaudij, & tanti mysterij, adiuuare me digneris, exorando illum, quem sic misericorditer concepisti, vt sic me ordinare, & disponere ad suum seruitium dignetur, quòd ad gratias referendas, de tanto beneficio assiduè assurgam, & in fine suum regnum mihi sempiternum concedat. Amen.

Contemplatio VIII.

De Eodem.

1. O Purissima Virgo Maria, *ros*, id est, Spiritus sanctus, superueniens in te, in Filij Dei Conceptione, fomitem in te penitùs sic extinxit, quòd nullo modo posteà peccare potuisti. Iste *ros* ad benedictam prolem suscipiendam te fœcundauit, de quo miraculosè concepisti. Christus *ros* dicitur, ratione originis; quia de cœlo est. Vnde legitur, *Qui de cœlo venit, super omnes est.* Dicitur etiam *ros* ratione proprietatis: Ros enim occultè & Ioan. 3. 31. suauiter descendit; & Filij tui benedicti Incarnatio, Virgo Maria, tam secreta fuit, quòd multi Angeli nescierunt. Vnde admirabantur in eius Ascensione, dicentes, *Quis est iste, qui ascendit*? Ros ardorem temporis aut extinguit, aut temperat. Iesus Christus benedictus Filius tuus, Virgo Maria, Isa. 66. 1 obuians Diabolo venienti ab incendio gehennæ, vbi habitat, & ab ardore desiderij malè faciendi, vnde venit ad tentandum nos, vt secum comburat in fornace gehennæ; (accendit enim peccatores per culpam, vt secum eos comburat per pœnam;) humilem effecit eum; quia Christus patiens in Cruce, humiliauit calumniatorem. Vnde dicitur, *Tu humiliasti, sicut vulneratum, superbum*; id est diabolum; & minorasti potentiam eius. Psalm. 88. 11.

2. Venit etiam in te, Virgo Maria, tuus Filius benedictus, vt *ros*, in sua Incarnatione, vt ardorem peccati, quo mundus flagrabat, extingueret. Nam ante eius aduentum, æstuabat totus mundus incendio peccati: ad hunc

ardorem sedandum misit Dominus primò, inundationem diluuij; secundò, pluuiam, id est, Prophetarum prædicationem; & tertiò rorem salutiferum, id est, semetipsum ad refrigerandum incendium vitiorum & humiliauit superbiam ipsius diaboli humilitate Passionis suæ; sed non sic potentiam tentandi depressit, quin adhuc posset tentare, quia totum cedit ad vtilitatem hominis. Non enim Filius tuus benedictus, Virgo Maria, percussit inimicum superbum, per potentiam, ne ille posset conqueri de violentia; sed per prudentiam. Ros etiam suauis, & leuis est, tunc enim lenitas, & suauitas Filij tui, benedicta Virgo Maria, fuit ostensa, quando *apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris nostri Dei*, id est, benignus, & humanus Deus.

Ad Tit. 3.4.

3. O clementissima Virgo Maria, Dei Mater, per ista sancta nomina tua, *Virgo Mater*, te suppliciter exoro, vt tuis sanctissimis deprecationibus hunc rorem mihi mittere digneris, qui ardorem, & æstum concupiscentiarum, & vitiorum refrigeret in me, & compescat; mentem meam aridam irriget gratuitis donis, vt secundùm placitum suum hîc viuendo, gloriam mihi tribuat sempiternam. Amen.



Contemplatio IX.

De Eodem.

1. Singularissima Virgo Maria, *Verbum caro factum est* in te, & de te; id est, Dei Filius benedictus caro factus est; vt caro fieret Deus. Ideò dicitur, *Quotquot autem eum receperunt dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.* Recipiendo enim Filium Dei per fidem, nos carnales, efficimur Filij Dei. Gloriosissima Virgo Maria, Verbum caro factum est in te; nam, quia homo factus est ad imaginem & similitudinem Dei secundùm animam, vnitus est Deus Filius Dei carni nostræ; ideò dicitur, *In similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo*; vt homo similis esset Creatori, tam in carne quã in anima; & saluaretur in vtroque. Beatissima Virgo Maria, Verbum caro factum est in te; quia imago Dei deformata erat, & deleta in homine per peccatum Adæ, qui *cùm in honore esset* quia videlicet creatus ad imaginem & similitudinem Dei, & ciuis paradisi, *non intellexit*, & ita *comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis*: Sed benedictus Filius tuus in te venit incarnari, vt hominem deformatum reformaret, mortuum suscitaret, deletum reficeret, & perditum restauraret. Et quia carnales sumus, & carnem diligimus, *Verbum caro factum est*, Virgo Maria, in tuo vtero virginali, quia quodlibet simile suum appetit simile; & factus est nobis similis secundùm carnem, vt ipsum appeteremus, & diligeremus.

Ioan. 1. 12.

Phil. 2. 7.

Psalmo. 48.13.21

2. Sacratissima Virgo Maria, venit Filius Dei tectus nube carnis tuæ virgineæ, vt videri possit à nobis, & agnosci; qualiter autem ingressus est in tuum vterum virginalem nemo nouit, nec qualiter egressus est. Egressio sola cognoscitur; absque veste Deus (vt ita dicam) ingreditur, qui (vt rectè dicam) carne vestitus egreditur: sicut Verbum semel venit ad nos, *& Verbum caro factum est, vt habitaret in nobis*; sic quotidie venit ad nos in spiritu, vt inhabitet in nobis. Habitauit enim in nobis, vt carnis opprobrium tolleret, quia peccatum Adæ, factus fuerat omnis homo mendax; & etiam vt tolleret omnem iniquitatem; quia *nemo bonus, nisi solus Deus*. Ideò dicitur *Verbum* quasi *verum bonum*, contra malitiam, & caro contra fragilitatem; & sicut cibus solidus masticatus à nutrice, reducitur in liquidam substantiam, vt transeat in nutrimentum pueri; sic tu, sanctissima Virgo Maria, nutrix nostrà, tuum benedictum Filium emollisti nobis, & fecisti esibilem, & quasi decoxisti igne immensæ charitatis tuæ. *Ioan. 1. 14.* *Luc. 48. 19. Mar. 10. 18. Matt. 19. 17.*

3. O misericordissima Virgo Maria, ego iniquissimus peccator tuum benedictum Filium mihi durum & seuerum in mea delicta, cum iustitia & rigore, timeo, sed tua piissima intercessio reddat eum mihi mollem, & misericordem, vt peccata mea cum pietate dolendo, benigna eius dextera me recipiat in æternum. Amen.

Contemplatio X.

De Eodem.

1. FEcit tibi *magna qui potens est*, beatissima Virgo Maria, quia fuit in te aliquid, quod fuit secundùm naturam; & aliquid, quod fuit contra naturam, & aliquid, quod fuit supra naturam. Contra naturam infirmitatis naturæ fuit, quod Virgo concepisti, secundùm naturam fuit, quia in benedicto vtero tuo, fuit tuus Filius formatus & conceptus, & tandem secundùm legitima nascendi tempora illum peperisti: supra naturam fuit non solùm huius infirmitatis nostræ, sed etiam supra naturam primæ conditionis quòd sine virili semine Virgo concepisti: puritatis namque fuit quia sine concupiscentia seminare potuisti. Honoris fuit, quòd prolem à contagio peccati mundam effudisti, gloriæ fuit, quòd non de viro, sed de Spiritu sancto concepisti. *Luc. 1. 49.*

2. Sed, sacratissima Virgo Maria, quare gloriosissimus Filius tuus solùm nasci voluit ex te, & non de vtroque sexu, cùm vtrumque ad mundam prolem seminandam mundare potuisset? Certè, Virgo Maria benedicta, si de vtroque carnem assumpsisset, vtique à proprietatis suæ similitudine longiùs recessisset, & ad nostram minùs appropinquasset. Proprietatis suæ fuisset dissimilis, si patrem & matrem habuisset in humanitate, qui solùm patrem habebat in diuinitate. In hoc etiam dissimilior

nobis fuisset, si duos, quod nos possumus, patres habuisset, sed & ratio hoc exigebat vt sic vnum principium esset in generis nostri reparatione: Oportuit ergo, Reparatorem generis nostri, aut de solo viro, aut de sola fœmina nasci. Sed si de viro sexum fœmineum assumpsisset, ordinem naturæ confudisset, qui fœmineum supra virilem extulisset; & ipse idem diceretur Filius ex diuinitate, & Filia ex humanitate. Et si virilis fuisset sexus quem assumpsisset, & virilis de quo assumpsisset, habuisset sanè vir, geminum pro hac parte honoris solatium, sed fœmina nullum. Et certè si de viro formari voluisset, materiam quidem de carnis nostræ substantia traxisset, sed in eius Incarnatione naturæ operatio nihil habuisset; & sic à naturæ nostræ proprietate longiùs discessisset. Sed si muliebrem de muliebri sexu assumpsisset, ordinem, vt dictum est, naturæ confudisset; quia geminato in hoc muliebris solatio, virilis sexus singularis priuilegij nihil simile habuisset.

3. O beatissima Virgo Maria, qualis dignitas ista fuit tibi, vt Virgo & Mater esses! Mater non solùm hominis, sed Dei & hominis, illum concepisti, illum peperisti, illum lactasti & nutriuisti, & cum eo permansisti & permanebis lætissima in æternum. Amen.

Contemplatio XI.

De Eodem.

1. BEatus Venter tuus, beatissima Virgo Maria, qui Iesum Christum portauit; Non enim à ventre Filius, sed venter à Filio beatificationis honorem accepit. Beatus Venter igitur tuus, quia ibi Deus factus est homo; Verbum, infans; Æternus, temporalis; Immortalis, mortalis; Immensus, paruulus; Creator, creatura; & qui fecit ventrem, factus est in eodem ventre; qui venter majus aliquid seipso continuit, id est, Deum: quem totus non capit orbis: qui seipsum clausit in tuo vtero virginali, & in tuis visceribus virgineis gloriosissima Virgo Maria. Beatus fuit Venter tuus, quoad te, & quoad nos, quoad te; quia omne bonum tui pretiosissimi Ventris fuit integritas virginalis, fœcunditas coniugalis, & continentia vidualis; quia tu Virgo Maria, inuiolata semper permansisti. Fuisti fœcunda sine viro, fuisti vidua mortuo sponso, fuit etiam Venter tuus benedictus quoad nos, quia releuauit miseriam nostram, id est, nostræ seruitutis, quia contulit nobis thesaurum nostræ redemptionis, releuauit etiam miseriam nostræ infirmitatis, & necessitatis, quia fuit apotheca nostræ curationis.

Luc. 1. 27.

2. Sanctissima Virgo Maria, beatus est Venter tuus, quia concepit cum integritate, portauit cum lenitate, & peperit cum suauitate, cùm è contrario omnis mulier concipiat cum corruptione, portet cum grauamine,

& pariat cum dolore. Intemerata Virgo Maria, beatus est Venter tuus, quia à Spiritu sancto consecratus, & Filio Dei repletus est: & omne datum optimum, & omne donum perfectum, nobis inde fluxit: Ex eo namque exiuit fons vitæ, qui Christus est, tendens ad resurrectionem mortuorum, ad redemptionem perditorum, ad saluationem viuorum, ad erectionem lapsorum, ad ereptionem incarceratorum, ad destructionem inimicorum, ad restaurationem Angelorum.

3. Benignissima Virgo Maria, ex tuo vtero virginali processit benedictus Filius tuus medicamentum nostræ curationis, viaticum nostræ peregrinationis, pretium nostræ redemptionis, & præmium nostræ remunerationis. Et quia tu, misericordissima Virgo Maria, in tuo vtero virginali portas nos miseros per compassionem, & quantùm in te est, omnibus communicas tuam gratiam per charitatem; ad tuam gratiam per charitatem; ad tuam pietatem ego nequam peccator recurro vt fructum virginitatis tui vteri mihi communices, me reconciliando sibi, vt illo misericorditer satier in æternum. Amen.

Contemplatio XII.

De Eodem.

1. GRatiarum plena Virgo Maria, quamuis tibi non coniungeretur in
vnitate personæ diuina Sapientia. Tamen portionem carnis vel
sanguinis tui purissimi in vnitatem personæ sibi sociauit ipsa diuina Sa-
pientia, quando illud impletum est *simul in vnum diues & pauper*, & tunc *Psalm.*
de te ipsa dicere poteras, *Dum esset Rex in accubitu suo nardus mea dedit* 48. 3.
odorem suum. Dum esset Rex, id est, Christus, qui regit omnia, *in accubitu* *Cant.* 1.
suo, id est, in sinu Patris nondum factus visibilis, *nardus mea*, id est, hu- 11.
milis virginitas, *dedit odorem suum*, id est, præcipuum vsque in accubitum
paterni solij, qui odor suauissimus scilicet humilitas, & virginitas, Dei
Filium illexit, & totum rapuit; qui illectus, & totus raptus de sinu Patris
saliit in tuum vterum virginalem, & à summo cœlo egressio eius, quia de *Sap.* 18.
eo dicitur, *Omnipotens sermo tuus Domine, à regalibus sedibus venit.* 15.

2. Non solùm in tuo vtero virgineo odorem virginitatis, sed etiam in mente odorem humilitatis reperiens, & his odoribus odorem suæ diuinitatis admiscens, te de ancilla fecit sponsam, & de creatura genitricem. Sic nimirum tua humilitas virginalis Regem cœli traxit ad terram, & velut aquilam odore prædæ concupitæ illectam carni tuæ immaculatissimæ copulauit, & nimio peruolans desiderio præuenit nuntium suum ad te Virginem Mariam, quam elegerat, & quam amauerat, & cuius decorem concupierat. Et quasi vnicornis mansuetissimus in sinu tui vteri virginalis se recepit, depositâ iracundiæ ferocitate, quam propter peccatum primorum

parentum in genus humanum vſque tunc habuerat. Vnde ſicut ante tecum fuit, velut cum ancilla; ſic pòſt tecum fuit, velut ſponſus cum ſponſa, & velut Filius cum Matre dilectiſſima; & tunc celebratum fuit coniugium inter humanam & diuinam naturam; & hoc in tuo vtero virginali, ſcilicet quando reſpondiſti, *Fiat mihi ſecundum verbum tuum*; quia tunc coniunctio naturarum facta fuit, quando Verbum caro factum eſt, & tunc, beatiſſima Virgo Maria, facta fuiſti cum diuina Sapientia vnus ſpiritus, & vna
1.Cor.6. 16. caro. Ideò ſcribitur, *erunt duo*, ſcilicet Chriſtus & tu, *in carne vna*; ſcilicet virginali.

3. Propter hanc conuenientiam & multiplicem vnionem inter te & diuinam Sapientiam, ferè omnia quæ dicuntur de diuina Sapientia, exponi poſſunt de te Virgine benedicta. Exora illum, piiſſima Virgo Maria, vt dirigat ſic vitam meam, quòd anima mea per veram dilectionem vnita ſecum viuat, & ab eo nunquam ſeparetur. Amen.

Contemplatio XIII.

De Eodem.

1. SAcratiſſima Virgo Maria, de te dici poteſt, *In pinguedine terræ, & in*
Gen.27 39. *rore cœli erit benedictio tua.* Nam per *rorem cœli* tua Virginitas intelligitur, & per *pinguedinem terræ* fœcunditas tui vteri virginalis. Ideò fuiſti benedicta inter mulieres, id eſt, inter matres, & virgines; ſicut enim lapis angularis in duobus conſiſtit parietibus, ſed nec totus in vno, nec totus in altero, ſic tu, pretioſiſſima Virgo Maria, in numero matrum fuiſti quoad fœcunditatem, & in numero virginum quoad incorruptionem: ſed nec omninò in pariete matrum, quia fuiſti incorrupta, nec ex toto in pariete virginum, quia fuiſti fœcunda.

2. Talem quippe decebat eſſe Matrem Saluatoris, vt Mediatrix Mediatorē, & Lapis angularis, Lapidem pareres angularem. Chriſtus Mediator Dei & hominum Lapis eſt angularis, in quem duæ concurrunt naturæ, diuina & humana; ſtans in vtroque pariete; quia Deus & homo, & Mediator Dei & hominum; iuſtus cum Deo, mortalis cum hominibus: quem de te Matre Virgine naſci decuit, vt in matre mortali conciperetur mortalis, & in virgine conciperetur iuſtus; neceſſe erat, vt quicumque per matris corruptionem conciperetur, in peccato originali conciperetur iniuſtus; nullus autem peccator ſaluare poterat alium peccatorem, cùm in eadem damnatione eſſet cum reo. Ad hoc præparabatur tua Virginitas, quia nulli alij virgini, quàm tibi, hoc priuilegium debebatur; vt ſicut primus Adam de terra virgine factus fuerat, ita ſecundus Adam de virgine fieret homo. Et, ſicut per Euam virginem facta fuerat humani generis perditio, ita per te Virginem Mariam, fieret eiuſdem reparatio. Vnde canitur, paradiſi Porta per Euam

cunctis clausa est, & per te Virgo Maria, iterum patefacta est; & vt qui in cœlis habebat patrem sine matre, haberet in terris matrem sine patre; & sic quasi duobus testibus probaretur Christi diuinitas, in Matris virginitate, & Patris diuinitate.

3. Voluit itaque te esse virginem, vt de immaculata immaculatus procederet, omnium maculas purgaturus. Voluit etiam te esse humilem, vt mitis & humilis corde prodiret; harum in se virtutum necessarium hominibus, saluberrimumque exemplum ostensurus: O purissima Virgo Maria, huiusmodi exemplum ego maximus peccator non accepi, sed superbus sum, & corruptus, & abominabilis totus factus sum coram Deo & te. Sed, piissima Virgo Maria, compati mihi digneris exorando tuum Filium benedictum, qui mihi indulgere per suam misericordiam dignetur, & gloriam sempiternam concedere. Amen.



Contemplatio XIV.

De eodem.

1. Tota speciosa facta es sanctissima Virgo Maria, principaliter ex diuini Verbi generatione: quia est *splendor paternæ gloriæ, candor lucis æternæ, speculum sine macula, in quem desiderant Angeli prospicere*, cuius pulchritudinem sol & luna mirantur. Sicut enim beatissima Virgo Maria, ferrum ab igne extractum, non solùm ignitum, imò totum est ignis, & sicut aër illustratur à sole, qui dum inflammat aërem imprimit ei suum calorem: & velut aquæ gutta dolio vini optimi infusa, tota transit in saporem, & odorem, colorem vini: & sicut vitrum candidum & purum illuminatum à sole, totum transit in splendorem solis: sic sanctissima anima tua Spiritu sancto repleta & maximè luce illâ cœlesti, id est, Filio Dei in te descendente, non solùm iam diuina effecta; sed tota fuit deificata. Et sicut Filius Dei carnem assumpsit ex te, ita tu, benedicta Virgo Maria, quiddam diuinum & ineffabile ex Dei omnipotentia mutuasti. Vnde dicis, *Dilectus meus mihi, & ego illi*: *Dilectus meus mihi*, scilicet, *subditus* & obtemperans, sicut Filius Matri; *& ego illi*, scilicet, obediens & obtemperans, sicut Filia Patri, sicut Ancilla Domino, sicut creatura Creatori.

Hebr. 1. 3. *Sap. 7. 26.* *1. Pet. 1. 12.* *Cant 2. 16.*

2. Si *quis adhæret Deo*, per fidem & dilectionem *vnus est spiritus cum illo*, vnitate scilicet amoris, & gratiæ, quare non magis beatissima anima tua, à qua nunquam recessit, & corpus, in quo nouem mensibus habitauit incarnata Sapientia, deificata sunt à benedicto Filio tuo qui ignis est, & tota facta sunt ignita. Sicut enim aqua in nuptiis Cana conuersa in vinum, vbi non accessit vinum nec recessit aqua, sed alterum factum est aliud, non successionis vice, sed immutationis origine; non rationis expositione, sed admirationis obtentu: sic, tu, clementissima Virgo Maria, quæ priùs aqua

1. Cor. 6. 17.

purissima fuisti, Spiritu sancto superueniente, in Filij Dei conceptione conuersa fuisti in vinum super omnia, post Christum lætificans cor hominis.

3. Lætifica me igitur, misericordissima Virgo Maria, & tuis piis intercessionibus, tribue mihi peccatori aquam lachrymarum pœnitentiæ salutaris, & vinum lætitiæ & consolationis, vt hîc viuendo ad Dei ad tui beneplacitum, in fine gloriam percipiam sempiternam. Amen.



Contemplatio XV.

De Eodem.

1. SCriptum est etiam de te, beatissima Virgo Maria, *Fœmina circumdabit virum. Fœmina* es, tu, Virgo Maria, *circumdabis* tegmine vteri tui virginalis, *virum*, id est, Christum qui in ipso momento suæ conceptionis, fuit vir perfectus quoad sapientiam, & virtutem, & etiam quoad lineamenta, & organizationem membrorum. Tantam enim sapientiam, & tantam virtutem habuit conceptus, quantam adultus: quia *omnis sapientia à Domino Deo est*: & *cum illo fuit semper, & est ante æuum. Circumdabas*, inquam, non aliunde, sed de te: quia de sola substantia tua, sine semine viri, sed sola operatione Spiritus sancti ædificatum est corpus Christi. *Circumdabas virum*, non ab altero viro suscipiens non humana lege concipiens hominem, sed intra viscera intacta & integra, virum claudens, virum, inquam incomprehensibilem; qnia, *Quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera factus homo.* Quia dictum fuit tibi per Angelum, benedicta Virgo Maria, *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi*; quia de Spiritu sancto concipies.

Ierem. 31. 22. *Eccl. 1. 1.* *Eccl. in Missis votiuis de Beat.* *Luc. 1. 35.*

2. Sicut Verbum Dei imago est Patris, sic anima Christi imago est Spiritus sancti. Nec loquor de illa imagine pro qua ad imaginem Dei homo factus esse dicitur. In rebus enim corporalibus, imago alicuius esse dicitur, quod expressam habet formam illius, cuius est imago. Sicut autem corporalia habent formas suas, ita & spiritualia. Forma autem Spiritus sancti, gratia septiformis est; non forma quæ sit in Spiritu sancto, sed quæ est de Spiritu sancto: sicut claritas, quæ est in pariete, dicitur *claritas solis*, non quæ sit in sole, sed quæ est de sole. Homo ergo Christus de Spiritu sancto conceptus est; quia formam Spiritus sancti excellentissimam accepit, hoc est gratiam septiformem. Christus ergo de Spiritu sancto conceptus est, non cui Spiritus sanctus materiam seminis attulerit: sed cui formam sanctitatis inter omnes creaturas elegantissimam impresserit. Venit igitur Spiritus sanctus ad te Virginē Mariam, per electionem, festinauit per sanctificationem, appropiauit per alloquutionem, & tandem superuenit per illam ineffabilem Incarnationis operationem. Incarnatus est igitur Vnigenitus Dei

Dei ſecreto ſuo myſterio, quod ipſe nouit: noſtrum autem eſt credere, & illius eſt noſſe.

3. Sed ego peſſimus peccator Chriſtianus veram fidem habens de præmiſſis, ingratiſſimus fui & ſum; quia gratiarum actiones non retuli Deo, quia ſic pro ſalute mea & totius generis humani humiliando ſe, dignatus eſt ad terram deſcendere, & in vtero tuo virginali incarnari. O Virgo Mater, aufer à me miſero tantam ingratitudinem tuis ſanctiſſimis deprecationibus, vt me ipſum humiliem cognoſcendo, gratiarum actiones referam corde contrito & humiliato, vt in fine gloriam obtineam ſempiternam. Amen.

Contemplatio XVI.

De Eodem.

1. O Fœliciſſima ſuper omnes, beatiſſima Virgo Maria, *Verbum caro factum eſt, in te, & habitauit in nobis*: Naſcens ſine dolore, & ſine corruptione, Ex te *Verbum caro factum eſt*, ſcilicet de carne tua, quæ ſpecialiter caro vocatur Verbi Dei: & dicitur, *Filius caro factus eſt*, nec dicitur, *Verbum homo factum*, ſed *Verbum caro factum eſt*: oſtendens æternam generationem Filij, quia Verbum coæternum eſt menti, & licèt Verbum mentale ad hominum notitiam non perueniret, cùm in vocem incorporari non poſſet, factum eſt caro: nomine autem *carnis* deſignatur humana natura, conſtans ex opere & anima. Et ideò potiùs dicitur *caro* quàm *homo*, vt ſignificaretur quod Verbum totam ex carne vna naturam humanam aſſumpſit: ne ſi diceretur, Verbum factum homo, ex duplici carne ſicut aliorum hominum, ipſius caro generata videretur. *Verbum* igitur *caro factum eſt*, conſtans ex corpore, & anima, & ſic concurrerunt tria; ſcilicet, Verbum, anima, & caro. Sicut autem in illa ſumma Trinitate, Trinitas eſt perſonarum, & vnitas eſſentiæ; ita & in iſta ſecunda Trinitate eſt Trinitas ſubſtantiarum, & vnitas perſonæ; & ſicut Trinitas perſonarum, vnitatem non ſcindit eſſentiæ; nec vnitas eſſentiæ, pluralitatem minuit perſonarum: ita & hîc nec pluralitas ſubſtantiarum, perſonæ diuidit vnitatem, nec vnitas perſonæ, ſubſtantiarum reſecat pluralitatem. *Ioan. 1. 14.*

2. Venit ergo Filius naturalis, vt filios adoptionis præpararet. Venit primus ad nouiſſimum, vt nouiſſimus exaltaretur ad primum, venit ſplendor gloriæ ad vmbram mortis, venit *figura ſubſtantiæ*, ſiue ſignaculum quod ſignauit Pater, vt reformaret ſimilitudinis ſignaculum. Chriſtus eſt *ſplendor Patris*, quia ſicut ſplendor ſolis naſcitur à ſole, & ipſum demonſtrat; ſic Dei Filius à Patre naſcitur, & eum demonſtrat & notificat; eſt etiam Chriſtus *figura ſubſtantiæ eius*, ſcilicet Patris; non tamen *figura eius*, ſed *figura ſubſtantiæ eius*, id eſt, Patris eſt Filius, *ſpeculum*, & imago Patris, quia

Filius in quo cognoſcitur Pater, eadem ſubſtantia eſt cum Patre. Venit igitur *ſpeculum ſine macula*, ad formam peccati deformatam. Venit igitur ad illuminandum tenebras peccatorum; & totum hoc nobis datum eſt per te Genitricem Dei Mariam.

3. Sed tantum Sacramentum & Myſterium, ego peccator miſerabilis non cogitaui, nec memoriâ tenui. Imò à memoria recedit; quia cor vagum & iniquum habui, & habeo ad terrena proſtratum, peccatis & vitiis coinquinatum & ſordidatum luto concupiſcentiæ & iniquitatis. Ora, Virgo pia tuum natum, meum fratrem factum, vt indulgere dignetur; cor meum eleuet ad meditandum tantum & tam ineffabile Sacramentum, vt ipſum hîc meditando fideliter, in fine ipſum placatum, æternaliter facie ad faciem videam. Amen.

Contemplatio XVII.

De Eodem.

1. O Arbor ſalutifera, & pretioſiſsima Virgo Maria, *fructus* vteri tui virginalis, ſcilicet benedictus Filius tuus, *dulcis gutturi meo*; quia eſt
Cant. 2. 3. optimi coloris, & viuifici vigoris, odore alliciens, ſapore reficiens, colore iucundans, & vigore corroborans, tactu lenis, aſpectu delectabilis, guſtu ſuauis, durabilitate perennis. Hunc appetit eſuriens ſine tormento, manducat ſine faſtidio, ipſo ſatiatur ſine ſuperfluo, per eum ſanatur ſine recediuo. Fructus optimus, & ſapidiſsimus, & ſuauiſsimus, & iucundiſsimus, omne delectamentum in ſe habens, & omnis ſaporis ſuauitatem. Iſte fructus ſuauiſsimus eſt, quia præuenit eum Deus Pater in benedictionibus dulcedinis.

2. Iſta benedictio fuit immunitas peccati, & impotentia peccandi, caruit enim originali peccato, quod probat tua virginitas; & actuali, quod probat
1. Pet. 1. 19. Patris diuinitas, ideò vocatur *Agnus immaculatus*. Fuit iſta benedictio, conſummata virtutum perfectio; licet enim in Baptiſmo infundantur virtutes in pueris, non tamen conſummatæ ſunt; quia non poſſunt adhuc eas conſequi operando: ſed benedictus fructus tuus, Ieſus Chriſtus habuit con-
Iſa. 4. 1. ſummatas: & ideò ſcribitur, *Apprehendent ſeptem mulieres*, id eſt, omnes virtutes, *virum vnum*, id eſt, Chriſtum, qui in inſtanti ſuæ conceptionis fuit vir perfectus. Fuit iſta benedictio, omnis ſapientiæ, & ſcientiæ plenitudo. Virtus enim perficit affectum, ſapientia intellectum: & benedictus fructus tuus, Virgo Maria, perfectus fuit in vtroque: eius enim ſapientia vniformiter cognoſcit præſentia, præterita, & futura. Fuit iſta benedictio plenitudo fruitionis; quia ab inſtanti conceptionis ſuæ, Deo plenè fruebatur ſecundùm mentem quæ deitati perſonaliter erat vnita, & immediatè coniuncta; & mirabilius eſt quòd ſecundùm eandem animæ partem, ſimul

patiebatur, & fruebatur. Fuit ista benedictio diuersarum naturarum vnio; quæ talis fuit, vt Deum faceret hominem, & hominem Deum. Fructus tuus, Virgo Maria Mater, fuit admirabilis, quia, cùm esset diues, voluit pro nobis fieri pauper; cùm esset semper in gaudio, voluit pro nobis pati, & mori; cùm esset summus Pontifex, voluit iniquus reputari, & cùm vno solo verbo posset saluare mundum, quia ipse dixit, & fecit tamen tot & tanta voluit sustinere.

3. O benedicta Virgo Maria Mater, intercede pro me nefandissimo peccatore, vt *ascendam ad palmam, & apprehendam fructus eius, ascendam ad palmam*, hoc est, eleuem mentem ad te, pia Virgo per deuotam orationem, vt *Cant. 7 8.* tuæ vitæ, quantum humana mea fragilitas sufficiet, imitationem, & tuum fructum pretiosissimum hîc apprehendam per veram fidem, & in gloria per veram cognitionem, & fruitionem, per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Contemplatio XVIII.

De Eodem.

1. O Dei & hominum benignissima Mediatrix, Virgo Maria, tu tantam gratiam inuenire meruisti quòd extrema in infinitum distantia adunasti, naturam diuinam videlicet & humanam. Nam ante tuum fœlicem ortum, Virgo Maria, in tantùm erant diuisæ, quòd nullus quantumcunque perfectus, sub natura humana existens, poterat post mortem naturam diuinam intueri; quia natura diuina erat diuisa quam plurimùm ab humana. Sed tu, gloriosissima Virgo Maria, per reparationem humani generis, per satisfactionem paterni sceleris, per destructionem æterni funeris, per reformationem supremi fœderis, has duas naturas, sic in infinitum diuisas, non in vno regno, castro, vel domo, sed in benedicto vtero tuo virginali adunasti, quæ vnio tam admirabilis fuit, quòd à creatura non valet explicari.

2. Et sic, benedicta Virgo Maria, figurata fuisti per illam clementissimam Reginam Esther, quæ pacem reformauit inter Regem Assuerum, & populum Iudæorum, destruens pessimas Amani cogitationes, quas in mortem Iudæorum fuerat machinatus; vnde de te cantat Ecclesia, *Virgo Deum & hominem genuit, pacem Deus reddidit, in se reconcilians ima summis.* Tu, sanctissima Virgo Maria, duo extrema per naturam incompatibilia, copulasti. Constat namque quòd Virginitas & Maternitas sunt incompatibilia per naturam, imò ex eodem supposito (sicut loquuntur) mutuò se expellunt, tanquam contraria: & tamen tu, pretiosissima Virgo Maria, ista in te adunasti, ideò de te cantatur, *Te deprecor, ô clemens Domina, Per te tecta sint mea crimina, De qua sola fœlici fœmina, Prædicantur hæc duo nomina, Virgo Mater.* De te cantat etiam Ecclesia, *Genuit puerpera*

Eccl. in Missis votiuis de Beat.

Ead. in Hymno ex D. Bernar.

Eadem in Laudi dies Na. Christi. *Regem, cui nomen æternum; & gaudia matris habens cum virginitatis honore, nec primam similem visa est, nec habere sequentem.*

3. Tu, sacratissima Virgo Maria, duo extrema inter se discrepantia adunasti, scilicet misericordiam, & iustitiam, seu veritatem: dicebat namque misericordia, numquid in finem misericordiam suam abscindet, cùm tamen misericordiâ Domini plena sit terra? contra iustitia dicebat, quòd Adam peccauit, & mori debebat secundùm iustitiam, quia scriptum est *In quacumque hora comederis, morte morieris.* Sed tu, benignissima Virgo Maria, has duas dominas in tuo sacratissimo vtero adunasti, dùm Deum Filium concepisti, & inter eas concordiam fecisti. O piissima Mediatrix, intercede pro me miserrimo peccatore ad tuum Filium benedictum, vt secum concordando ei obediam, & vitam habeam sempiternam. Amen.

Psalm. 76.9. Psalm. 32.5. Genes. 2.17.

Contemplatio XIX.

De Eodem.

1. O Benedicta Virgo Maria, te mediante gloriosissimus Filius tuus suam nimiam nobis charitatem ostendit, nobis, inquam, semini nequam, filiis sceleratis, & perditis. Cùm enim adhuc inimici eius essemus, cùm mors antiqua iniquum exerceret dominium, cui, omne semen Adam lege primordialis culpæ erat obnoxium, recordatus est vberis misericordiæ suæ, & prospexit de sublimi habitationis suæ in hanc vallem plorationis & miseriæ. Vidit namque afflictionem populi sui, & tactus dolore cordis intrinsecùs apposuit cogitare super nos cogitationes pacis, & redemptionis. Vnde cùm esset Filius Dei Deus verus, Deo Patri & sancto Spiritui coæternus & consubstantialis, in luce habitans inaccessibili, portánsque omnia verbo virtutis suæ, non despexit in hoc nostræ mortalitatis ergastulum suam altitudinem inclinare vt nostram absorberet miseriam, nósque repararet ad gloriam: poterat namque gloriosissima Virgo Maria, si voluisset, ad consummandum opus nostræ salutis vnum ex Angelis suis destinare, sed ipse ad nos venire dignatus est, per mandatum Patris, cuius nimiam charitatem experti sumus in eo.

Isa. 1.4.

2. Venit autem non locum mutando, sed præsentiam suam nobis per carnem exhibendo. Descendit à regali solio sublimis gloriæ in te, humillimam Virginem Mariam, virginalis continentiæ voto sigillatam, & in tuo sacro vtero sola sancti Spiritus inenarrabilis virtus, & concipi ipsum fecit & nasci in vera humanitatis natura; ita vt nec maiestatem diuinitatis, nec integritatem virginitatis in te Matre benedicta, violaret natiuitatis occasio. O immaculata Virgo Maria, quàm amanda & admiranda est ista dignatio! Deus immensæ gloriæ, vermis fieri voluit! Dominus omnium, conseruus conseruorum appellari non despexit! & Dominus vniuersorum, qui nullam

habet indigentiam, inter ipsa natiuitatis initia non horruit abiectissimæ paupertatis degustare incommoda! & quia, benignissima Virgo Maria, locum non habebas in diuersorio, neque cunabula, quæ teneritudinem tui benedicti Filij reciperent, in vili præsepio sordentis stabuli, eum humiliter reclinasti, & panniculis inuoluisti. *Luc. 2. 7.*

3. O misericordissima Virgo Maria, illum digneris assiduâ prece exorare pro me nefandissimo peccatore, vt peccata mea misericorditer deleat, vitam virtuosam in præsenti mihi concedat, & in futuro suâ exuberanti clementiâ gloriam sempiternam. Amen.

Contemplatio XX.

De Eodem.

1. VNigenitus Dei Patris factus est Vnigenitus Filius tuus, sacratissima Virgo Maria, illum Virgo concepisti, illum Virgo peperisti. Concepisti Virgo Maria, sine libidine, & peperisti clausa. Vir non transiuit per te, sed Dominus Deus imprægnauit te. Ipse generans, ipse generatus est. Auctor fuit generationis nostræ, qui generatur. Ipse creans, ipse creatus, ipse genitor, ipse genitus, ipse factor, ipse factus. O miracula! O prodigia! Deus est, qui generat, Virgo es tu Maria, quæ concepisti, Virgo quæ peperisti: Tu vt mater paris illum, qui de nihilo cuncta creauit, sine viro peperisti hominem Deum. Nascitur de te fœminâ homo sine viri semine Deus; & pro nobs efficitur paruulus dierum antiquus.

2. O admiranda dignatio! fit in tempore, qui est ante tempora; nascitur de fœmina qui creauit omnia; immensus, fit breuis, excelsus, humilis; factor, factura; & creator, creatura. Factus est creatura de matre nascendo, qui est æternus creator, vnum cum Patre & flamine sancto. Hunc peperisti, beatissima Virgo Maria, Virgo decora, Virgo speciosa: tota pulchra es, & tota decora, flos florum, pulchritudo virginum, sanctimonialium gemma, nuptiarum fiducia, viduarum gloria, regina mundi, domina cœli. O gloriosissima Virgo Maria, qualem nobis peperisti! Iste numquam principium habuit, qui cuncta principia fecit. Verumtamen in stabulo nascitur, & à te, beatissima & fœlicissima Mater, puellarum gloria, meorum delictorum venia, in præsepio reclinatur; quia non erat tibi cedrina domus, nec lectus eburneus, in quo pareres Creatorem & Redemptorem nostrum. Sed velut exul & peregrina in aliena domo mundi Dominum peperisti: & tanquam fœmina pauper, non sericis eum, sed pannis vilibus inuoluisti, & in præsepio collocasti: quem vt peperisti, statim vt Deum & Dominum adorasti.

3. O stabulum fœlix & præsepe beatum; in quo nascitur Christus, & reclinatur omnium Deus. Ibi sunt non obstetrices, sed Angelicæ potestates;

& pro solatio mulierum, fuit tibi Virgo Maria, solatium Angelorum, & decies centena millia exultantium. Ibi vagiebat Christus in stabulo, & fiebat lætitia magna in cælo: plorabat ipse in præsepio Christus, & tamen de ipso exultabat multitudo militiæ cælestis exercitus, resonans gloriam Deo in altissimis, & in terra pacem nuntians hominibus bonæ voluntatis.
Luc. 2. 14. O sanctissima Virgo Maria, impetra à benedicto Filio tuo mihi miserabili peccatori, veniam & remissionem de peccatis, & gratiam in præsenti benè viuendi, vt æternam gloriam merear obtinere. Amen.

Contemplatio XXI.

De Eodem.

1. O Fœlix fœmina, inter cunctas fœminas benedicta gloriosa Virgo Maria! quia tuus sacratissimus vterus fuit reclinatorium Dei, templum Spiritus sancti, lectus eburneus Christi, thalamus Maiestatis diuinæ, triclinium regis felicitatis æternæ. Hic est omnium Saluator Iesus de te Virgine Maria natus; hic est omnium Dominus; hic est vita quæ nunquam moritur; hic gloria quæ numquam finitur; & tamen, tu immaculata Virgo Maria, tantam magnificentiam, tantam excellentiam, auctorem gloriæ, doctorem vitæ, creatorem omnium, factorem cunctorum, Dominum vniuersorum, Deum altissimum, Deum, qui benefecit tibi, in stabulo, in pannis, & in præsepio concludis.

2. O intemerata Virgo Maria, pacem annunciauit Angelus hominibus bonæ voluntatis; quia per te bonitas cæli nata est in terris: descendit in te pax vera de cælo, & inde Angeli gratulantes decantant, *Gloria in altissimis Deo*. Exultant Angeli, & tu Virgo Maria, contremiscis Mater Dei effecta. Gaudent Angeli de Christo tripudiantes securè, ante quem tu Mater stas cum magno tremore. Portas tu Mater Christum, lactas tu Virgo Mater, Filium tuum, & cum timore exultas, & in exultatione timida perseueras. Tu portas portantem, lactas lactantem, pascis pascentem, & non solùm te, sed omnia, in quibus est spiritus vitæ. O fœlicissima Virgo Maria, beatus est venter, de quo noster fortis sibi gladium fecit, & inimicum nostræ salutis peremit, populum suum à captiuitate perpetua liberauit. Tu tota pulchra Virgo Maria, tu tota delectabilis, tu tota formosa. Nullâ maculâ fuscaris; omni decore vestiris, omnium sanctitate ditaris; super omnes Virgines pulchra in carne, super omnes Angelos & Archangelos sancta in mente, cunctas fœminas vincis pulchritudine carnis; superas omnes Angelos & Archangelos excellentiâ sanctitatis. Tu plena Deo, tu plena Spiritu sancto: illum in corde, illum in ventre, beata Virgo Maria portasti; illum portasti in vlnis, lactasti vberibus sacris totius amoris vinculo astrinxisti: in ipsius oscula toties irruisti, quoties voluisti.

(margin beside paragraph 2: Luc. 2. 14.)

5. O beata & verè beata! ô fœlix, & nimis fœlix! Christum in potestate habebas, & faciebas de eo, quidquid in animo tuo sedebat. Totus erat tuus, quia Filius tuus. Credo, propter quod & loquor, quod præ immensitate amoris de eo, osculis, & amplexibus saturari non poteras, & quid dicam Domina mea. Per Christum Filium tuum benedictum est tota spes mea, tota salus mea, tota vita mea, & dulcedo mea; sint mihi, Virgo Maria, ista omnia, te exorante, ad salutem corporis & animæ sempiternam. Amen.



PARS IX.

DE GAVDIIS GLORIOSÆ VIRGINIS MARIÆ, QVÆ HABVIT IN HOC MVNDO & aliis quæ nunc habet in Cœlo.

Contemplatio I.

De Annuntiatione Virginis Mariæ.

1. O Pvella virginea, non minùs mente quàm corpore speciosa: Virgo speciosa corpore, sed speciosior mente: flos redolens, & non deficiens, rosa sine spina peccati, fons aquæ salutaris exundans, arbor fructifera peccatores ab æstu tentationis obumbrans, speculum sine macula, virtutum semita, omni laude dignissima, sacratissima Virgo Maria, tibi congaudeo; gaudium tuum immensum ad memoriam reduco, ipsum refero, de ipso gratias ago Deo respexit enim humilitatem tuam nuntium tibi misit non terrenum, sed cælestem; non in vico, sed in cubiculo, non te vagante, sed orante; illum nempe sanctum Gabrielem iucunda noua, ac inaudita portantem, te concepturam Filium Dei non virili semine, sed sancto Spiritu operante.

2. O nouitas gaudiosa! ô celebris lætitia! ô immensa iucunditas! ô dulce

colloquium! sanctum solatium! verba consolatoria! venit Angelus ad te Virginem de cælo ad terram, vt tu creatura tuum conciperes Creatorem; vt de filia fieres Mater, & in te esset virginitas & maternitas, humanitas & diuinitas, Deus homo; & in tuo beatissimo & virginali vtero clauderetur quem totus mundus capere non potest. O charitas incomparabilis summi Patris! vt seruum redimeres, Filium tuum carnem nostram luteam & mortalem sumere ordinasti! O humilitas inestimabilis, quæ digna fuit in Luc 38. sacratis visceribus Dominum recipere dicendo fideliter, *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*! O verba dulcissima! verba melliflua, verba salutifera, verba omni suauitate repleta, omni gaudio plena, omni hilaritate aspersa! humanis gressibus portabatur creatura deifica, & in angusto pudoris cubiculo eum, quem cæli non capiunt, sancta Virgo gestabat inclusum! cælestis propago germinabat in vtero, & post in eximio partu de virgineo viscere coruscabat.

3. Mortali aluo, Virgo sacrata, suscepisti hospitem immortalem, & in terrestri hospitio cælestem imperatorem, & vnde hoc tibi, Virgo beatissima? vnde hæc tibi tanta credentia, vt Dei Filium conciperes, & post partum Virgo & Mater intacta permaneres? Credidisti verbis Angelicis, & perfecta sunt in te tibi dicta; venit super te Spiritus sanctus, & virtus Altissimi obumbrauit te; & factus est in te, qui fecit te, Deus homo, Filius hominis, Dei Filius, Creator creatura, immortalis mortalis, impassibilis passibilis; & non solùm propter te Virgo benedicta, neque propter me, sed propter te & me & totum genus humanum. O beata nox, in qua tantum mysterium est celebratum, quam tu, Virgo benedicta, transiuisti insomnem cum iucunditate indicibili. Grauidata fuisti hac nocte Filio Dei; Mater inuiolata meruisti fieri Saluatoris nostri, qui te principium nostræ redemptionis constituit. O Mater sancta Sanctorum, Mater vnica; dic mihi quæso, quibus manibus vel diuinitatis articulo in vtero tuo formatus est Filius, cuius Deus solus est Pater? dic obsecro te per eum qui talem fecit te, vt ipse fieret in te; dic mihi quid boni egisti, quantum pretium obtulisti? quos patronos habuisti? quæ suffragia præmisisti? quo sensu, vel quâ cogitatione ad hoc, vt acciperes peruenisti? vt virtus & sapientia Pa-
Sap. 8 1. tris, qui atringit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter, totus vbique manens, & sine sui mutabilitate in vterum tuum veniens, ita castellum castum tui ventris incoleret, & ingrediens non læderet, & exiens incolumes custodiret? dic mihi quando ad hoc peruenisti? certè respondere potes, quia munus oblatum sibi fuit virginitatis promissio, non à te tibi data, sed ab authore omnium concessa; ac etiam vera humilitas, non enim
Luc. 1. 48. aspexit in te tunicam auro eleuatam, non ornamentum pomposo cultu auri radiantis, sed solùm respexit humilitatem tuam.

4. Sed quid faciam ego miser debitor, pluribus creditoribus obligatus? Tibi enim, sancte Gabriel, obligatus fui, quia de cælo ad terram descendendo noua mirabilia redemptionis, & saluationis meæ gloriosæ Virgini Matri portasti, & humiliter nunciasti. Tibi Virgo intemerata, debitor sum,

quia in verbis tuis fidelibus & sanctissimis, meam redemptionem in te suscepisti, & eius principium fuisti; sed quid tibi, dulcissime Iesu? qui propter me sic humiliari dignatus es, quòd de sinu Patris descendens in vtero virginali incarnari voluisti? heu miser, & omni miseriâ miserior! quid dicam, aut quid faciam? cùm sim tot debitis oneratus, & sim pauperrimus & omni inopiâ plenus, quòd, ne dicam omnibus, imò nec vni satisfacere possim? quis mihi accommodabit, vt tantis creditoribus satisfaciam? à quibus non habui dilationem pretij, neque debiti remissionem. Imò quod longè plus damnosum est, gratias non retuli de prædictis, saltem eo modo, quo debebam: & sic me illis ampliùs obligaui. Sed scio quid faciam: venio ad te sancte Gabriel, cum rubore: creatura Dei sum, sicut tu; creatus sum ad ipsum laudandum, sicut tu; & si propter me orare non vis, quia non sum dignus; ora saltem propter Dei honorem, ne laus ipsius perdatur in me. Tu verò gloriosa Virgo Maria, quæ Mater & Virgo es, Deum & hominem intra tua sacra viscera gestans, orare debes pro me, non propter merita mea, quæ nulla sunt: sed quia aduocata peccatorum existis. In quorum numero primatum teneo ego miser. Sed tu, benigne Iesu, carnem tuam odio non habeas, neque perdas in me pretium tuum; sed descendat super me misericordia tua, quæ ingratitudinem meam deleat, vitam meam emendet, & ad vitam æternam me perducat. Amen.

Contemplatio II.

De Visitatione Virginis Mariæ.

1. O Virgo Mater, Virgo Virginum, Mater intacta, Virgo virum nesciens, Virgo parem non habens, Mater singularis, gloriosissima Virgo Maria, tu tantâ dignitate meruisti decorari, vt Filium Dei conciperes, non ex virili semine, sed mystico spiramine. Hic benedictus Filius tuus, quem Spiritus sanctus, prout sibi placuit, compaginauit in tuo vtero virginali; subtiliter subtilem inimicum expugnare voluit: & quasi sub esca humanitatis hymnum celauit diuinitatis: vt ille, qui omnem carnem propter peccati debitum possidebat, carnem inueniret, quæ sibi prorsus nihil deberet, quam dum illicitè contingeret; meritò eam quam quodammodo licitè possidebat amitteret. Tantâ igitur, Virgo benedicta, dignitate dotata, honore sublimata, tanto gaudio repleta, tantâ virtute ornata, & tam benefico dono exaltata, profundam humilitatem seruasti, & charitatem mutuâ dilectione, corde & opere ostendisti. Tu festinanter viam ingrediens, in montana ascendisti, domum Zachariæ intrasti, Elizabeth sancto Ioanne Baptistâ fœcundatam miraculosè, humiliter salutasti.

2. O sancta & charitatiua visitatio humilitate repleta! venit puella ad

nonagenariam; sanctissima ad sanctam; Mater Dei, ad Matrem hominis; Mater incorrupta, ad Matrem corruptam; Mater sanctissimi Filij, ad Matrem peccatoris; Mater Domini ad Matrem serui; Mater Redemptoris, ad Matrem præcursoris; Mater complexum virilem ignorans, ad Matrem virum cognoscentem. Tu Mater sancto Spiritu omnipotente fœcundata. Illa Mater virili semine grauidata, ambæ miraculosæ matres, & ambe sancto Spiritu repletæ, sed, Virgo benedicta, quid amplius tibi accidit ad gau-
Ib. 44. dium, quia, *ex quo facta est vox salutationis tuæ in auribus Elizabeth, exultauit in gaudio infans in vtero eius.* Cognouit nondum natus, Filium tuum; benedictum esse suum Dominum, quem gestabas in vtero tuo virginali; quem etiam prædicauit posteum esse venturum. Te matrem cum Filio Mater benedixit, & tu in lætitia cordis canticum *Magnificat* originaliter inuenisti. O domus sanctificata! sanctum colloquium! statio beata! verba dulcia! non solatium acediosum, sed consolatorium! Mansisti Virgo Mater, cum Matre tribus mensibus, orationibus & colloquiis diuinis vacando. Non turbatur sponsus tuus Ioseph de tanti mora temporis, sed gaudet & lætatur, sciens te Matrem virginem Dei Filium in tuo vtero baiulantem.

3. O gloriosa Domina, non sic est in me misero peccatore, non sic: quia mea visitatio mundana fuit, non spiritualis, non humilis, sed superba; non ad sanctos, sed ad peccatores; non protuli verba vtilia, sed otiosa; non meritoria, sed detractoria; non semper vera, sed quandoque mendosa; non spiritualia, sed carnalia; non in laudem Dei, sed in laudem hominis, & quandoque mei ipsius. Adiuua me, piissima Virgo Maria, visita me tuis sanctis deprecationibus, sit mecum tua immensa misericordia tribus mensibus, id est, tempore triplici, sanitatis, infirmitatis, & mortis: vt anima mea intra corpus existens, gaudeat, & lætetur de gloriosissimo Filio tuo, ac ipsius infinitâ misericordiâ, quam sic in præsenti vita mihi concedat, vt in futura vita secum & tecum gaudeam; & exultem, & vobiscum maneam per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Contemplatio III.

De Natiuitate Christi, seu partu Virginis Mariæ.

1. O Benedicta singulari benedictione Mater, Virgo genitrix Dei, Regina cæli, ego miser superbus ad te venio, & tuum locum humilem mente visito: in quo summum gaudium habuisti de gloriosissimo Filio tuo Domino nostro Iesu Christo, quem mundo fœliciter peperisti, & solus ex te natus est, quem sine virili amplexu non per concupiscentiam carnis, sed per obedientiam mentis fœliciter concepisti, & in præsepio inter duo animalia reclinasti, & pannis pauperrimis inuoluisti, & tuis sacratissimis


vberibus plenis lacte castissimo de cœlo misso oblectasti. O admiranda nouitas! Deus factus est homo. Deus meus factus est frater meus. Virgo peperit, & post partum Virgo permansit. Genuit Virgo Filium, ancilla peperit Dominum suum, creatura peperit Creatorem fœcundis visceribus, in vtero clauso genuit genitrix suum genitorem. O admirabilis & inenarrabilis charitas! propter me superbum Deus voluit humiliari! Pœnalitates carnis voluit portare, peccato & ignorantiâ exclusis. Voluit inuolui, & includi arcto vtero virginali.

2. O inæstimabilis & stupenda humilitas, in stabulo & inter bruta animalia nasci voluit, qui totum mundum continet! iacet in præsepio, qui in cælis regnat! vbera sugit, qui Angelos pascit! pannis inuoluitur, qui immortalitate nos vestit! lactatur, qui adoratur! Locum in diuersorio non inuenit, qui templum in cordibus credentium sibi fecit! vt enim fortis fiat infirmitas, facta est infirma fortitudo. Factus est Rex seruus, Regni potestatem non amittens, neque serui passibilitatem: legi se submisit, qui legem cõdiderat: pauper effectus est Dominus omniùm: minoratus est paulominùs ab Angelis, qui Angelos creauerat: natus est temporaliter in terris, qui æternaliter nascebatur in cælis: in terris de Matre sine Patre, in cœlis de Patre sine Matre. In cælis sine principio, & in terris initium habens: factus est obediens, cui totus mundus obedire debebat. Obligauit se morti qui mortem destruebat, fœcundauit Matris vterum sine corruptione, & formatus inde exiens, Virginis integra viscera reseruauit. Hæc omnia fecisti, bone Iesu pro me misero, ex abundantia tuæ charitatis & humilitatis.

3. O Virgo Virginum, Virgo puerpera, quale fuit gaudium tuum in hac hora, quâ talem Filium genuisti, & virginalem pudicitiam non amisisti? gaudent & lætantur Angeli, voce sonorâ Deum laudant cantando, *Gloria in Altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* *Luc. 2. 14.* Annuntiant sanctis Pastoribus tantam gaudij nouitatem, gaudent sancti Pastores, festinant vt videant nunciata. O quàm beati fuistis sancti Pastores! & quàm beata fuit vobis ista nox, in qua talem Filium & talem Matrem meruistis videre! O dulcissima Virgo Maria communica mihi istud gaudium, particeps efficiar ipsius, gaudeat & lætetur cor meum, euanescant noxia ex corde meo, recognoscam humiliter tantum beneficium, non solùm tibi, sed etiam mihi datum.

4. Dominus tuus & meus, Filius tuus est, & Frater meus, de filia te Matrem fecit, & de seruo me Fratrem fecit. Morti temporali se subiugauit, vt tu & ego æternaliter viuere possemus. Fidem tibi & mihi dedit. Innumerabiles gratias tibi & mihi fecit, & in numero suorum te & me misericorditer aggregauit. Tu omnia suscepisti, & gratias reddidisti, & humilitatem seruasti: ego ingratus gratias reddidi, sed abiectâ humilitate superbiui. Ideo in te sunt gratiæ augmentatæ, & in me iustè & dignè diminutæ: Nolui enim *Psalm. 108. 18.* benedictionem, & elongabitur à me. O pretiosa Virgo Maria Mater, ob meritum tanti gaudij exora tuum Filium benedictum, quem genuisti, pro me misero peccatore & ingrato: tu enim soror & aduocata mea es: ideò

me audis: tu Mater istius benedicti Filij es; ideò exaudieris ab illo. O benedicte Fili, audi, & exaudi piissimam Matrem tuam pro me misero fratre tuo. Voca me ad tuum præsepium, vt consoler de tua natiuitate sanctissima, & purissima: cuius merita me purificent, & mens mea à terrenis segregata, in cælis nascatur, & reclinetur, vt ibi tecum viuere, & lætari valeam per infinita sæcula sæculorum. Amen.



Contemplatio IV.

De Apparitione, seu Epiphania Christi.

1. O Intemerata puerpera Virgo Maria singularissima, Mater incorrupta, nesciens virum, Creatorem tuum creaturam factum tenens inter sacratissima brachia tua amplexatum, cælesti Angelorum exercitu sociatum; dies gaudij & lætitiæ, dies consolationis & exultationis tibi fuit, quando tres Reges Orientales, nouâ stellâ ducente, tuum benedictum Filium in tuo sancto gremio adorarunt, & in mysticis muneribus sibi oblatis illum esse verum Deum & hominem ostenderunt. O Virgo benedicta; te mediante, ille qui priùs in sinu Patris latebat, nunc manifestus mundo apparuit, qui priùs per ora sacra Prophetarum se venturum prædixerat, cum humilitate se personali visione ostendit, qui priùs Dominus erat, se pro nobis seruum constituit, cui debitores eramus, pro nobis soluere debitum venit, non auro nec argento corruptibilibus, sed suo sanguine pretioso.

Math. 7. 12. 11. 2 11.

2. Gaude igitur Virgo Maria, gaude & lætare; quia quem in tuo vtero virginali meruisti portare, & tuo lacte virgineo lactare, hodie in carne mortali visibilis apparuit; tanti boni, tanti doni, tanti pretij tanti honoris, & tanti gaudij, tu, Virgo sacratissima, causa fuisti, & causam præbuisti; quia verbis Angelicis humiliter credidisti, & maximam humilitatem habuisti. Sed quantas & quales gratias tuo Filio benedicto, aut tibi retuli; Virgo Maria, de tanto beneficio & de tanto gaudio mihi hodie demonstratis? Ecce, vt cum veritate loquar, nullas aut modicas, & indecenter, tuo Filio & tibi non placitas, propter immunditiam cordis mei: & cum cogito istos infideles, & Filij tui benedicti notitiam non habentes, qui ad solum aspectum vnius stellæ nouæ de longinquis partibus venientes, Filium tuum benedictum adorarunt, munera obtulerunt; & qualis erat, talem ipsum esse fideliter crediderunt: confundor ego miser rubore, qui te stellam splendidam cognoscens, dirigentem me ad tuum Filium gloriosum, non de longinquis partibus, (cùm per fidem propè ipsum videam) ad eum recusaui venire. Viam ostendebas & ad alium me vertebam; viam clarificabas per miraculorum ostensionem, & oculos claudebam, ne lucem viderem; spiritum meum impellebas, & ego ipsum extinguebam.

3. O Virgo Virginum Mater pietatis & misericordiæ, erubesco ad te venire, qui tuum Filium benedictum & te illusi, & contempsi: sed in tua misericordia confido, tuam pietatem imploro, tuam clementiam deprecor, vt necessitatem meam aspicias, & aspiciendo subuenias. Duc me ad tuum Filium benedictum, vt ipsum adorando ei munera offeram, hoc est principaliter cor meum ab immundis cogitationibus & operibus, ac peccatis omnibus mundatum. Ora pro me misero iugiter illum, Virgo pia, vt hanc oblationem per ipsum misericorditer mundandam suscipiat, & mundata acceptabilis sibi fiat; vt non per viam peccatorum incedam sicut, proh dolor! consueui; sed per aliam viam, scilicet virtutum, vadam, & in regionem tuam, in qua tuum Filium placatum videam, & te stellam fulgentem aspiciam, vt gaudio magno complear per infinita sæcula sæculorum. Amen.



Contemplatio V.

De Purificatione Virginis, & Oblatione Christi.

1. VNde hoc, tibi gloriosissima Virgo Maria? vnde hoc tibi; vnde tibi tanta humilitas, vt nobilitate tui generis quodammodò spretâ, magnificentiâ maternitatis, & culmine tuarum virtutum non consideratis, mulierem te ostenderes peccatricem, quæ peccatum non feceras? maculatam te esse demonstrasti, & peccatorum maculas non nouisti, sed macularum expiatorem in tuo vtero virginali portasti: & tu ad Templum quadragesimo die post partum virgineum more mulierum purgandarum venisti, tuum Filium obtulisti, in sacris manibus iusti Simeonis posuisti, oblatione pauperum illum humiliter redemisti: vnde hoc tibi, Virgo gloriosa Maria? *Luc. 1. 22. 23. 24.* quæ repleta Spiritu sancto, & sanctificata antequam nata, purgatione non indigebas. Vnde hoc tibi, vt Filium tuum benedictum redimeres, qui tamen venerat redimere totum mundum?

2. O profunda humilitas vtriusque! ô suprema & incomparabilis obedientia! venistis vterque non soluere, sed adimplere legem, exemplum cæteris indigentibus, purificandi vos dedistis, qui purificatione non indigebatis, sed puritate omnimodâ relucebatis. Tuus Filius benedictus, puritatis est auctor, & tu etiam totius puritatis es Mater. Tuus Filius benedictus, puritatem hominibus confert, &, te mediante & suffragante, nobis puritas monstratur. Tuus Filius benedictus pietatem diligit & requirit; & quia tu Virgo Mater es purissima, te Filius diligit, & tu etiam cæteris benè viuere cupientibus puritatem ostendis. Nihil in te aliud est nisi purum, & fons tuæ puritatis ad nos riuulos suos fluens, & deriuans, nos peccatores purificat, & emundat, vt nihil in nobis sordidum remaneat, nisi quantum

nostra maxima malitia & iniquitas retinet. Non stat per te, Virgo gloriosa, quin sordes in nobis abluantur; ad hoc vigilas, ad hoc tendis, ad hoc laboras. Non cesset tua supplicatio exorare tuum Filium gloriosum.

3. O Virgo purissima, ascendat ad me tua supplicatio pia, quia plus cæteris peccatoribus purificatione indigeo: nam interiùs & exteriùs, ex omni parte meâ sum sordidatus, maculatus, & infectus. Recurro igitur ad lauacrum tuæ pietatis & clementiæ, vt intercedere digneris pro me misero iacente in luto vitiorum, apud tuum Filium benedictum, qui solus potest facere de immundo mundum, & me mundet & purificet à sordibus vitiorum, vt cum iusto Symeone psallere valeam canticum lætitiæ, & dicere spirituali consolatione repletus, *Nunc dimittis Domine seruum tuum in pace; quia viderunt oculi mei salutare tuum.* vt hîc per veram fidem ipsum videndo, in futuro facie ad faciem ipsum placatum & beneuolum valeam intueri per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Contemplatio VI.

De inuitatione Christi & Mariæ ad nuptias.

1. VOcata ad nuptias in Cana Galileæ, & inuitata, gloriosa Virgo Maria; cum benedicto Filio tuo, non renuisti domum pauperialem, & pauperum intrare dignata es; sedes Regina cæli & terræ inter pauperes & abiectos, stas innocens inter peccatores, Mater Creatoris inter creaturas, Mater Virgo inter matres corruptas, Virgo deifica inter mundanas mulieres. Sedes humilis humiliter, primos accubitus non quærens: suscipis illa pauca, quæ tibi apponuntur cum gratiarum actione, & sine murmure aut querelâ contenta manes de appositis, nec alia vltra petis. Sed quid amplius, Virgo benedicta, egisti? etiam charitate mota pauperum inuitantium ignominiam cooperuisti: vinum deficit, & vnde plus habeant, hoc ignorant pauperes inuitantes; sed tu, gloriosa Virgo Maria, compatiendo eisdem, denuntias hoc secretè benedicto Filio tuo, rogans eum humiliter, vt prouidere dignetur ignominiæ pauperum inuitantium, & defectum supplere potentiâ virtutis suæ; qui tuam deprecationem benignè audiens & & exaudiens iubet impleri hydrias aquâ, quæ mox in vinum conuersa est, & pauperes inuitantes sunt ab ignominia liberati. *Ioan. 2. 1*

2. O Virgo beatissima, charitate plenissima; hoc tua pietas procurauit, tua bonitas promouit, & tua humilitas impetrauit. Tua namque misericordia tanta est, quòd semper omnibus necessitatibus subuenis: omnibus occurris, omnibus prouides; nec alicui dees te humiliter & deuotè inuocanti, quæ semper manum porrigis adiutricem; imò sic affluens, & exuberans est tua immensa pietas, quòd etiam non inuocanti te præbes, suæ indigentiæ misericorditer succurrendo.

3. Sed piissima Virgo Maria, ego miser & sceleratus ad tuam clementiam venio, verecundiâ totus plenus; & tibi querimoniam facio de meipso: vocatus & inuitatus sum ad nuptias; quia benedictus Filius tuus per lauacrum sacri Baptismatis, me misericorditer vocauit, & inuitauit ad nuptias paradisi; sed excusaui me miserabiliter quòd villam emi; id est in magnam superbiam deueni, & iuga boum emi, id est, in magnam auaritiam terrenorum me prostitui; & vxorem duxi, id est, vitâ lubricâ me turpiter maculaui. Nihil ampliùs mihi restat, nisi vt voluntas inuitantis impleatur; id est, quòd ad illas nuptias vlteriùs non inuiter, neque intrem; nisi tua magna misericordia, Virgo Maria, me durum & rebellem, & turpiter excusantem intrare compellat; sic igitur, beata Virgo Maria, mihi digneris tuis intercessionibus subuenire apud tuum Filium benedictum, qui me inuitauit vt sic me vocet, inuitet & dirigat, quòd ad illas beatissimas, & perpetuas nuptias veniam, ibique maneam per infinita sæcula sæculorum. Amen. *Luc. 14. 18. 19.*

Contemplatio VII.

De Resurrectione Christi.

1. QVis cogitare potest, quæ lingua proferre valet, admirabile & inenarrabile gaudium tuum, beatissima Virgo Maria, nam more materno post cordiales gemitus & mœrores, post suprema tui animi suspiria & dolores, post varios & internos mentis singultus, & labores, post vberes fletus oculorum faciem tuam speciosam irrigantes, post gladium acerbæ tristitiæ animam tuam lamentabiliter & acriter perfodientem, quem de Filij tui passione in anima & corpore habuisti, huiusmodi gaudium successit tibi quãdo in die sacratissimo Paschæ, Filius tuus benedictus, resuscitatus tibi apparuit in corpore glorificato, & se vltra nihil passurũ ostendit; & ad cumulum gaudij tibi fuit, quod mortem nostram moriendo destruxit, & resurgendo reparauit vitam nostram. In carne, quam ex te susceperat præbuit nobis exemplum passionis, & resurrectionis; passionis ad firmandam patientiam, resurrectionis ad excitandam spem; vt duas vitas nobis ostenderet in carne quam suscepit de vita nostra mortali; vnam laboriosam, alteram beatam; laboriosam quam tolerare debemus, & beatam quam sperare debemus.

2. Hæc dies magni gaudij tibi fuit, Virgo gloriosa, dies exultationis, dies lætitiæ, dies consolationis; hæc dies quam fecit Dominus tibi, & benedictus Filius tuus, exulta, & lætare in ea, beatissima Virgo Maria, quia post luctum tibi arrisit iucunditas, post cruciatus te recreauit hilaritas, tristes metus fugauit placidum solatium; voces lugubres conuersæ sunt in dulce colloquium, radix tristitiæ emersa est è corde tuo, & magno iubilo repletum est totum. O Virgo amarissima, melos penitus extirpauit planctum oris tui. Discipuli in fugam conuersi propter crudelissimam captionem Filij tui

benedicti, ad te reuersi sunt lætantes, & absconsi præ timore tibi se præsentarunt; omnes tecum gaudent, & lætantur de gloriosissima resurrectione benedicti Filij tui; ô Virgo gaudens, & summo gaudio repleta perdideras Filium ex inuidia Iudæorum; nunc recuperasti eum cum magno triumpho; quia inimicos debellauit, & victos perpetuò dereliquit, infernum spoliauit, & sanctorum Patrum animas ab eius faucibus liberauit. Lætare igitur Virgo, & summè lætare, quia quæ seminasti in lacrymis, in exultatione metis; Risus tuus dolore ampliùs non miscebitur, nec extrema gaudij tui luctus de cætero occupabit; sed lætitia sempiterna super caput tuum erit; gaudium & lætitiam perpetuò obtinebis.

3. In tanto igitur gaudio & exultatione, Virgo pia, posita, recipe me miserum peccatorem sub tua protectione, & ora pro me beatum & iucundum Filium tuum vt me dignetur ob meritum suæ sacratissimæ Resurrectionis de morte spirituali resuscitare ad vitam, & de culpa ad gratiam, & immensi gaudij suæ beatissimæ resurrectionis participem me faciat; vt in die tremendi iudicij resuscitem, & glorificatus cum beatissimis sanctis eius, viuam per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Contemplatio VIII.

De Ascensione Christi.

1. VErba mea auribus percipe, gloriosissima Virgo Dei genitrix Maria, quia tibi exultanti coëxultare desidero, tibi gaudenti, congaudere affecto, lætus & lætè ad memoriam reduco ineffabile gaudium, quod de beatissima Ascensione gloriosissimi Filij tui, suscepisti in purissimo corde tuo. Reliquit terram, te vidente, & contemplante, benedictus Filius tuus, & cœlos petiuit, & penetrauit, dimisit mundum, & ascendit ad Patrem, ad eius dextram collocatus; non te derelinquens; quin fuit semper tecum. Ascendit cum magna iubilatione, Angelorum psallentium & lætantium exercitibus sociatus: ascendit in altum, cœlo patefacto, & mundo redempto, eleuatus candidâ nube, in voce tubæ cælestis, ad thronum quietis: vbi sedet in gloria Patris: captiuam prædam Sanctorum suorum ab infernalibus claustris potenti virtute liberatam ad gloriam secum duxit, paternam perficiens voluntatem. Exierat à Patre, vt genus humanum perditum redimeret, & saluaret; & legatione sibi commissâ laudabiliter & salubriter completâ triumphali veste indutus, ad Patrem suum rediit, cum ipso perpetuò regnaturus. Pacem tibi, Virgo Maria, ac etiam fidelibus in eum credentibus & spirantibus piâ consolatione reliquit.

2. Sed quid ampliùs nobis fecit benedictus Filius tuus? Ecce portam Paradisi olim generi humano per peccatum primorum Parentum clausam aperuit, & viam veniendi ad eius perpetuam gloriam, misericorditer patefecit

refecit. O generis humani exaltatio gloriosa! beata mutatio! magnifica deificatio! singulare priuilegium! donum inæstimabile! gratia incomparabilis! nouitas inaudita! misericordia latissima! merces sine merito! retributio gloriosa! iacebat genus humanum, ac ad inferos miserabiliter descendebat; nunc erectum est, & ad cœlum fœliciter ascendit, lætare & exulta genus humanum, caro tua exaltata est super choros Angelorum, & sedet ad dexteram Patris omnipotentis. Filius tuus, Virgo Maria, frater meus est;
frater meus, aduocatus meus est, quia *Aduocatum habemus apud Patrem*, 1. Ioan.
scilicet, *Iesum Christum* Filium tuum; aduocatus meus, Iudex meus est: 2.1.
quia, *Constitutus est à Deo Patre Iudex viuorum & mortuorum.* Hæc omnia Actor.
beneficia per te nobis veniunt, sacratissima Virgo Maria; Tu istorum bene- 10. 42.
ficiorum principium fuisti, tu Mediatrix, quia te mediante, nobis charitatiuè donata fuerunt. O Virgo benedicta, & super omnes benedicta, quale fuit istud gaudium, cùm Filium tuum gloriosum, partem scilicet corporis tui, post consolationes multiplices tibi datas, ascendere cum gaudio & gloria tuis beatis oculis suspexisti ad Patris sui omnipotentis dexteram eleuatum?

3. Non condemnes, Virgo sacrata, me miserum peccatorem, quia tantum gaudium tuum corde maculato contemplari præsumo, & linguâ impudicâ audeo nominare, quia gaudium tuum, gaudium meum est; consolatio tua, consolatio mea est; quia si de Filio tuo benedicto gaudes, & ego de fratre, aduocato, & iudice meo gloriosissimo, gaudio immenso gaudere debeo: quem ora, Virgo pia, deprecatione assiduâ, vt tuis meritis & intercessionibus suffragantibus, cùm depositio miseræ carnis meæ aduenerit, anima mea ad eum ascendat, qui creauit illam; & secura ac tecum permaneat per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Contemplatio IX.

De missione Spiritus sancti.

1. Laudo & magnifico te, benedicta Virgo Maria, quia summis & immensis donis illustrata fuisti. Quis enim tanti ingenij, tantæ memoriæ, tantæ fœlicitatis esse potest, vt inuestigare & enarrare valeat dona tui Filii benedicti? Non donum, sed dona, non pauca numero, sed innumerabilia, non modici valoris, sed pretij inæstimabilis & incomparabilis; non ex debito data, sed gratiosè; non vi aut aliâ violentiâ, sed amore gratuito, & exuberanti charitate. Quæ dies exultationis tibi fuit, Virgô omni gratia plena, cùm te & Apostolis in cænaculo manentibus, in oratione perseuerantibus, Filius tuus benedictus tibi & cæteris Spiritum sanctum in linguis
gneis misit, qui corda omnium inflammans, genera omnium linguarum Act. 2. 1.
docuit, timorem & tremorem humanum è cordibus omnium eiecit, corda 2. 3. 4.

in sui amorem roborauit, charitatem ad proximum ampliauit, corda à terrenis separauit, & ad cœlestia eleuauit.

2. O Virgo deifica, donis cœlestibus repleta, in terris manens corpore, & in cœlis mente. Hîc viuis solo corpore, sed Spiritu in cœlo iam habitas cum illo, qui te in mundo gubernat. Conuersatio tua tota in cælis est: nihil tibi commune cum terra. Nunc te possidet, qui te obumbrauit. Iam te tenet spiritu in altissimo cælo, quem tu genuisti in terris. In illo manes, quem tu in vtero tuo virginali baiulasti, Te nutrit gratiis, quem sacro lacte tuo fouisti, Tibi custodem specialissimum misit, quem tu maximâ diligentiâ custodisti, gubernatorem assiduum tibi direxit, quem tu multiplici prouidentiâ gubernasti, defensorem tibi constituit, vt ab aduersis te illæsam præseruaret, quem tu diligenti custodiâ à malis imminentibus præseruasti. O Virgo fœlicissima, & omni fœlicitate fœlicior, si benedictus Filius tuus cœlum ascendit, non propter hoc te dereliquit, sed etiam supremum consolatorem tibi misit, qui te numquam desereret, à te non separaretur, te continuè consolaretur, & à tuo seruitio non cessaret. O Virgo Maria, quàm plena es gaudiis & lætitiis, quàm præclara virtutibus! quàm redundans gratiis! quàm referta donis, quàm dotata cælestibus diuitiis! Non est tibi similis, nec fuit, nec erit in bonitate, in perfectione, in honore, & fœcunda virginitate, in humilitate, & in omni gratiarum affluenti receptione.

3. Sed ego, Virgo inclyta, propter sordes peccatorum meorum indignum me reddidi susceptione Spiritus sancti, quem indubitanter habuissem, si me ad recipiendum ordinassem. Non remansit in tuo Filio, gloriosa, quin eum miserit, sed in me misero, qui eum renui recipere, peccatis & vitiis me miserabiliter submittendo. Sed Virgo pia, plena charitate, delitiis spiritualibus affluens, extende super me gratiam tuam, & exora Filium tuum benedictum, vt sordes cordis mei misericorditer abluat, & gratiam sancti Spiritus super me infundat, vt de peccatis dolendo, conterendo, & satisfaciendo, viuam hîc per gratiam, & in futuro per gloriam per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Contemplatio X.

De Vita Virginis Mariæ, post Ascensionem Christi.

1. Vita tua in hoc mundo post gloriosam Ascensionem Filij tui, benedicta & gloriosa Virgo Maria, fuit sanctissima vita, non terrena, sed cælestis, non inclinata ad mundum, sed eleuata ad Deum: corpus quidem hîc, sed Spiritu Deo viuebas, plus mentem quàm corpus, recreabas, corpus namque solummodò ne deficeret sustentabas, sed spiritum alimoniâ spiritali replebas. Vita tua super Angelicam vitam fuit: quia Angeli spiritu, tu verò corpore, & spiritu Angelicam vitam duxisti, loca publica fugisti,

& in secreto cubiculo permanendo, Deo sine intermissione seruisti: turbas hominum more sanctarum Virginum expauisti, non quòd de inclinatione peruersa dubitares, cùm sanctificata sic fuisses, quòd inclinari non poteras ad peccatum, sed vt Deo cum maiori libertate seruires: Angelos tecum assiduè habuisti comites & custodes, qui ex præcepto diuino consolationes multiplices tibi dabant. Verba tua non otiosa fuerunt, sed omnia ad laudem Dei, & proximi vtilitatem. Vita tua tota sic fuit exemplaris, & virtutum radio sic enitebat, quòd, solo aspectu tuo sancto à peccatis, & peruersis cogitationibus retrahebas peccatores, mens tua sancta, nunquam ab oratione, & contemplatione cessabat, quamuis corpus interdum operibus fili, & acus vacaret, vt sic de labore manuum tuarum viuendo, benè tibi esset, & proximis onerosa non esses. Vita tua tota in paupertate fuit, quia temporalia despexisti.

2. O Virgo illustrissima, ex clara stirpe procreata, regium statum spreuisti, & humilitatem, ac paupertatem dilexisti, nihil in te fuit sublime vel altum, nisi mens, quæ semper eleuata fuit ad Deum. De te ipsa nihil præsumpsisti, sed crescentibus spiritualibus bonis, etiam humilitas in te creuit. Laboribus indefessis tuum sanctum corpusculum, vigiliis, abstinentiis, & meditationibus macerasti, non vt carnem subiiceres spiritui, cùm semper carni spiritus dominaretur, sed vt virtutes, & gratiæ diuini amoris in te augerentur, & Deo ampliùs complaceres, ad cuius dilectionem tuus animus ardebat: & vt etiam populum pretiosissimo sanguine Filij tui redemptum in eius beneplaçito conseruares, & acceptabilis esses. Loca sacratissima Passionis, Resurrectionis, Ascensionis, & alia benedicti Filij tui Redemptoris nostri, in eius beneplacito, accessu deuotissimo frequentabas, vt ipso sublato, & eleuato in cœlum ab oculis tuis, saltem ipsa loca, in quibus suam affluentem charitatem humano generi ostenderat, humiliter visitando, referre non cessares gratiarum actiones.

3. Sed, Virgo gloriosa, *Totâ die verecundia mea contra me est, & confusio faciei meæ cooperuit me*, dum considero vitam tuam arctissimam, quâ arctatione non indigebas, cum esses sanctificata, quare, peccare non poteras, nec inclinari ad peccatum. Et ego miser peccator, qui continuò pecco, & peccata multiplico, duco vitam meam in corporis voluptatibus, omni pœnalitate, quantùm in me est, exclusâ. Adiuua me, Virgo piissima, tuis intercessionibus, deprecando tuum Filium benedictum, vt vita mea miserabilis emendetur, & in bonum commutetur: peccata mea deleantur, & diuina gratia infundatur, & decursis huius vitæ curriculis, gloria sempiterna misericorditer mihi detur. Amen.

Psal. 43. 6.

Contemplatio XI.

De Assumptione Virginis Mariæ.

1. DIgnare me laudare te, Virgo sacrata, non spernas me impiissimum peccatorem, non abhorreas me indignum tuis laudibus; nec claudas labia mea, quamuis multis modis polluta, quæ te volunt laudare. Da mihi virtutem, vt non solùm ore, sed & mente te laudem, te magnificem, te extollam, tecum gaudeam de tuis beatissimis gaudiis tibi generosè à tuo benedicto Filio concessis. Inter cætera gaudia, maximum tibi gaudium fuit, tua sancta Assumptio; qua mundum immundum reliquisti, mundum vicisti, de mundo triumphasti, & ipsum virtuosè superasti, & conculcasti, ipsum abiecisti, & in ipso fuisti sine mentis læsione, sine cordis violatione, sine periclitatione, & demum carnis debitum exoluendo sine dolore, cœlos penetrasti. Filius tuus benedictus tibi obuiam venit cum ciuibus cœlestibus, cum laudibus, & canticis in sinu suo te recepit. O beatum gaudium! exaltata es, Virgo beatissima, super choros Angelorum, & ad dexteram gloriosi Filij tui collocata es: Regina cœli effecta es. Te ciues cœlici post sanctam Trinitatem honorant, laudant & glorificant. Quidquid vis, quidquid petis à tuo Filio benedicto, totum habes, totum obtines; non habes repulsam, non tibi aliquid denegatur, sed in omnibus tua petitio exauditur. Tanta est tua charitas, tua compassio, tua dilectio ad peccatores, quòd pro omnibus oras, omnibus intendis, omnibus subuenis; post Deum non est gloriæ tuæ similis.

2. O gaudium immensum! gaudium insuperabile! gaudium sempiternum! quo gaudes cum benedicto Filio tuo, sine aliqua temporis interpolatione. Nullus tibi inuidet, nullus tuos actus deprauat, nullus tibi iniuriatur, nullus tibi displicentiam facit; sed de te, & in te omnes gaudent & lætantur, seruiunt & obediunt. Hoc est placens benedicto Filio, hoc delectabile, hoc consolabile, hac suauitate plenum, hoc miro odore redolens, hoc dulcedine non vacuum. O Virgo beatissima, gaude, & semper gaudio magno gaude: quia per tuam sanctissimam Assumptionem habes, quod quærebas; possides quod volebas, tenes quod præstolabaris, Deo in cœlis iuncta es, quem in terris posita tota mentis intentione dilexisti, assumpta es, Virgo Maria, ad vitam perpetuam, ad gaudium indeficiens, ad pacis requiem, ad habitationem securam, ad delicias impassibiles, ad refectionem interminabilem, ad laudem inenarrabilem, ad diem non aduesperascentem, ad gloriam inaccessibilem, ad Filium tuum vniuersitatis factorem.

3. O Virgo virginum, mater Regis Angelorum, assumpta es in cœlum, gaudent Angeli, laudantes benedicunt Dominum. Ego verò miser assumptus sum ad mundum, de quo gaudent inimici, quia propter peccata mea

seruituti illorum me subiugaui. Adiuua me, Domina mundi, aduocata peccatorum, charitate repleta, gaudium supremum, & æternum possidens. Tua sancta deprecatio non me dimittat in luto aquarum multarum, sed subleuet mentem meam ad Deum, & ad te continuâ meditatione. Impetum mearum passionum cohibe, ferosque motus compesce: quoniam tu es veraciter Dei genitrix, vitæ dominatrix, & cunctorum Domina; ideoque te supplici prece deposco orbem terræ pacifica, fidemque corrobora; & memor tuæ beatæ consuetudinis, propitiatrix mihi semper esto apud tuum Filium gloriosissimum Saluatorem meum; vt animam meam cùm à corpore separata fuerit, in cælis recipiat, vbi secum & tecum permaneat per infinita sæcula sæculorum, Amen.

Contemplatio XII.

De Gaudijs quæ habet Virgo Maria in Cœlo.

1. Beatam te dicunt, gloriosa Virgo Maria, omnes generationes in terra & in cælo. Te laudant, te benedicunt, & te glorificant; tua gaudia spiritualia recolentes. Tu enim in cælis Regina coronata, exaltata es super choros Angelorum: tu ad dexteram benedicti Filij tui sedes, & collocata existis. Tu super omnes cælicolas post sanctam Trinitatem honorata es, & tibi Reginalem reuerentiam illi impendunt. Tu tantùm propitia es benedicto Filio tuo, & tam dilecta, quòd quidquid petis, mox impetras ab eodem: nec vnquam repulsa tibi datur, nec aliquid denegatur. Tanta est dilectio gloriosi Filij ad te, quòd inter placabilia sibi, qui te honorant & diligunt, placent sibi, & illos diligit singulari amore. Tu super omnes cæli ciues sanctæ Trinitati propinquior es, & super omnes sanctissimum Mysterium eius nosti, ac eius beatâ visione frui digna es.

2. Sed nonne est aliud, de quo, sanctissima Virgo, gaudeas? certè sic: quia certissima es quòd huiusmodi gaudia nùmquam deficient tibi, nunquam illa perdes, numquam à te subtrahentur, numquam à te poterunt separari, quin semper illis vtaris, illis fruaris, in illis delecteris, & tibi perpetuò durabunt: ô Virgo benedicta, gaude & semper gaude, semper gaudebis, quia gaudia habes, quibus perpetuò gaudere debes, omnis consolatio à te sublata est, quia gaudia perpetua inuenisti. Tua vita tota, gaudia sunt; nihil aliud habes agere, nisi gaudere ac frui gaudiis sempiternis, & pro peccatoribus tuum benedictum Filium orare.

3. Ora igitur gaudens, Virgo Maria, pro me miserrimo peccatore: quia in hoc miserabili mundo non gaudeo, sed tristor, non consolor; sed desolatione sum plenus; non rideo, sed flere debeo calamitates & peccata mea; & si quando gaudeo, gaudium inane est, & velut fumus euanescens, in luctum conuertitur & dolores: non cesses orare, piissima Virgo, tuum Filium

benedictum vt tristitia mea in gaudium conuertatur, & gaudium meum nemo tollat à me. Fac me deprecationibus tuis sanctissimis dignum, vt de tuis gaudiis sanctissimis gaudeam, & obtentâ veniâ peccatorum meorum, tuis beatissimis suffragantibus meritis, in cœlo gaudiis perpetuis misericorditer replear, vt tecum & cum omnibus Sanctis gaudeam, per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Contemplatio XIII.

De Beatitudine Virginis.

1. O Inter & super omnes mulieres benedicta, sanctissima Virgo Maria, beatitudines tuas nullus mortalium dignè explicare valet, præsertim ego iniquus peccator, plenus vitijs & peccatis, quæ sensus meos occupant, & detinent miserabiliter alligatos. Sed tua immensa pietas exuberet in me, vt te laudare valeam, te semper in mente habeam, te diligam, te exorem, tuam misericordiam implorem, tuas beatitudines referam corde puro; à te non separer, me suscipias, me defendas, ab hoste maligno me protegas, me non desinas adiuuare. Tibi meipsum commendo, curam de salute animæ meæ & corporis habeas, & neminem trepidabo; Si exurgat aduersum me prælium, semper in te sperabo; In te est spes mea & fiducia mea, & in beatissimo Filio tuo: à vobis tota salus dependet, & licèt tanto patrocinio non sim dignus, tua misericordia deprecans, & benedicti Filij tui misericordia exaudiens, supplebit defectus meos & meam miseriam, & fragilitatem iuuabunt.

Psalm. 26.3.

2. O benedicta, & beatitudinibus plena, gloriosa Virgo Maria, tuum Filium benedictum imitando pauper fuisti, non solùm bonis temporalibus, sed etiam spiritu; & ideò iuxta sententiam Saluatoris tibi dignè debetur regnum cœlorum, Tu mitis in hac peregrinatione constituta fuisti, vt tibi daretur terræ possessio, de qua dicitur, *Portio mea Domine in terra viuentium.* Tu iustitiam obseruasti, reddendo vnicuique, quod suum erat, Deo & proximo dilectionem, & tibi ipsi dignam seruitutem, declinando à malo, & faciendo bonum: ideò saturari meruisti visione & fruitione diuinâ. Tu desolationes & mala nostra, pietate mota luxisti, & nunc consolatione beatificâ repleris. Tu semper misericors fuisti, & misericordiam consecuta es sempiternam. Tu munditiam non solùm corporis, sed etiam animæ semper habuisti, dignè igitur tibi debetur, vt Deum semper facie ad faciem videas, & eius fruaris semper visione perpetuâ. Tu pacifica semper fuisti, & pacificos dilexisti, & ideò dignè Dei filia nuncuparis. Tu persecutiones ab iniquis Iudæis iniustè passa fuisti, & eas patienter recepisti, propter quod regnum cœlorum possides, & in æternum possidebis. Et si maledictiones aduersùm te falsi Iudæi mentiendo dixerunt, gaude & exulta, gloriosa Virgo

Psalm. 141. 6.

Maria, quia merces tua copiosissima est in cœlis, quam nunc habes, nunc tenes, nunc possides, nec à te aliquo tempore potest auferri, sed tibi perpetuò perdurabit.

3. O Virgo læta & lætitia plena, si alij peculiariter beatitudines possident, quanta est lætitia, quanta est exultatio tua, gaudiũ quantũ tuum, quanta est consolatio tua? quia non solùm particulariter, sed etiã vniuersaliter ipsas beatitudines obtinuisti, & obtinere meruisti. Nec mirum, Virgo beata, quia cæteris datæ sunt virtutes & gratiæ per partes, sed tu omnes generaliter habuisti; Quis enim, Virgo beata, inuestigare potest tuam gloriam, tuum præmium, tuam mercedem, tuum honorem, tuum decorem, tuam beatitudinem, & tuam gloriam immarcessibilem quâ in cœlis coronata existis? Ad ista consideranda humana fragilitas attingere non potest quia, *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit*, quod tibi benedictus Filius tuus donauit in cœlis. 1. Cor. 2. 9 & Isa. 64. 4.

4. Memento mei, piissima Virgo, quæ tantam gloriam meruisti obtinere. Memento mei in hac valle miseriæ positi. Ora benignissimum Filium tuum, vt educat me de carcere peccatorum meorum, in quo carceratus & cælatus sum, per iniquissimos inimicos meos, & vinculatus teneor. Exora ipsum humiliter, vt me liberare dignetur remittendo & indulgendo, nec vlteriùs aduersùm me præualeant inimici; sed ipsos deuincendo, sibi & tibi placitè seruiam hîc, & in futurum, per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Contemplatio XIV.

De Officio Aduocatæ, quod habet Virgo Maria.

1. VIrgo gloriosa, singulari virginitate, & salutari fœcunditate præclara, quæ nec primam, nec vltimam similem habuisti, nec in futurum habebis; ad te venire audeo cum in factis meis tibi contrarium me cognoscam. Tu enim bona es, ego malus; tu humilis, ego superbus; tu Virgo, ego corruptus; tu pia, ego impius; tu Dei amica, ego propter peccata mea inimicus; tu misericordiã plena, ego illâ vacuus; tu circumfusa virtutibus, ego omnibus vitiis cogitatione, consensu, & opere contaminatus; tu Deo obediens, ego inobediens, tu patiens, ego impatiens; tu Filium Dei mundo dedisti, ego ipsum abstuli mihi ipsi, tu ipsum glorificasti, ego ipsum blasphemaui, tu pœnitentiam egisti, ego voluptatibus me dedi, tu paupertatem temporalium elegisti, ego temporales diuitias concupiui, per te porta Paradisi aperta est, ego mihi ipsi ingressum ipsius prohibui, tu mundum contempsisti, ego ipsum dilexi, tu mentem semper ad superna eleuasti, ego meam ad terram prostraui, tu Dei beneficia recognouisti, ego iniquè oblitus fui, tu charitate ferues, ego frigidus sum in ipsa, tu digna es

omni laude, ego omni opprobrio, tibi dignè gloria debetur, mihi dignè pœna æterna; tu Deum honorasti, ego ipsum contempsi, tu laborasti, vt Deo placeres, ego laboraui, vt mundo placerem; tu innocentiam obseruasti, ego iniquitatem admisi; tu peccata abhorruisti, ego me illis immiscui mente prauâ, in te est omnis perfectio, ego sum in omnibus imperfectus; tu pro peccatoribus oras, vt non damnentur, ego meipsum trado damnationi.

2. Ecce, Virgo Maria, qualis sum, nec meam qualitatem possum plenariè explicare. Quomodo confugiam ad te, cùm sim tibi & tuis factis dissimilis & contrarius? quomodo diliges me, cùm similis diligat suum similem? aut quomodo audies me loquentem tibi, si non diligis me? quia nec iustè diligere debes. Sed, Virgo benedicta, quamuis ex prædictis venire ad te non audeam, ex sequentibus tamen cordis fiduciam de tua pietate suscepi: Virgo es & Dei genitrix, & propter peccatores effecta es Dei Mater, propter peccatores exaltata es super choros Angelorum, ad tantam gloriam ascendisti, vt pro peccatoribus intercederes; tu peccatorum aduocata existis, & onus huiusmodi officij in te benignè suscepisti; tu Regina cœlorum, & mundi effecta es, habens plenariam potestatem, & quidquid potest facere Filius tuus, tu illud potes ab ipso impetrare tuis precibus; tu dispensatrix es gratiarum diuinarum; nihil concedit nobis benedictus Filius tuus, quin pertransierit per manus tuas piissimas; à te dependet vita peccatorum; per te peccatores benedicto Filio tuo reconciliantur; tu misericordiæ es Mater; tu es tutissimum refugium peccatorum; à te nullus, quantumcumque magnus peccator despicitur, nullus repulsam patitur, nisi ex voluntaria malitia te deserat & fugiat, omnes peccatores ad te redeuntes manu piâ recipis, nec moram in hoc facis, nec dilationem concedis; sed sinum misericordiæ tuæ aperis omnibus, omnibus exaudibilem aurem præbes, viam vitæ ostendis peccatoribus, de quorum maioribus me cognosco.

3. Igitur audi me miserum peccatorem, Virgo pia; exerce tuum officium piissimum aduocationis ad Filium tuum benedictum; ipsum humiliter deprecando pro me miserabili peccatore, vt ipso piissimo officio suffragante, deleantur peccata mea, & gratia tui benedicti Filij hîc me præueniat, vt in futurum tecum viuam per infinita sæcula sæculorum. Amen.

PARS

PARS X.

DE SEPTEM VERBIS VIRGINIS MARIÆ, QVÆ REFERVNTVR AD SEPTEM DONA Spiritus Sancti.

Contemplatio I.

De primo verbo, Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?.

1. SPIRITVS sanctus docuit te, benignissima Virgo Maria, & verba tua prudentissima iusto sermone ornauit, vt dicere possis, *Iusti sunt sermones mei, & non est in eis prauum quid,* Prov. 8.
neque peruersum. Ideo primum verbum, quod locuta fuisti, 8.
fuit, *Quomodo fiet istud, quoniã virum non cognosco?* Et hoc verbum dictauit Luc. 1.
Spiritus sapientiæ, qui te repleuerat, & fuit verbum fortitudinis & casti- 34.
tatis. In quo primò requiris de voluntate Dei, nam audito virginitatis periculo, quòd Mater deberes fieri, nec modum reperires, quo hoc posset fieri saluo virginitatis proposito; non de re dubitans, sed de modo, rupto verecundiæ fræno quæsiuisti, *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* non enim dubitabas quin adimpleri deberet, quod ab Angelo audiueras; sed quo modo fieret non legeras, neque ab Angelo audieras quo ordine istud deberet adimpleri; & ideo quæsiuisti, quia hoc erat mysterium absconditum à sæculis, à Prophetis non prædictum, Angelo reseruatum, ideo dixisti ad Angelum, *Quomodò fiet istud, quoniam virum non cognosco.*

2. In quo ostendisti, Virgo Maria, magnam constantiam tuæ mentis, quia constanter respondisti, *quoniam virum non cognosco*, & in hoc contraria fuisti Euæ, quæ leuis fuit corde; quia citò credidit, & nec verbum, nec loquentem discutiens, facilè consensit; duplici funiculo trahebatur, quia promittebatur sublimitas, & suadebatur voluptas: ad quæ duo, homi-

nes facilè inclinantur, sed tu Virgo neutrum voluisti, quia humilis & Virgo fuisti; sed vtilitatem non solùm propriam, sed communem desiderans, prudenter quæsiuisti, *quomodò fiet istud*, quod tu dicis, vt Virgo concipiam & pariam Filium? *quoniam virum non cognosco*, id est, *votum habeo non cognoscere.* O fœlix propositum tuum, Virgo beatissima, in quo firmitas conuenit puritati: & quia vtrumque habuisti, id est, propositi puritatem, & consilij firmitatem, scribitur de te, *fortitudo & decor indumentum eius.* Decor est in proposito continentiæ, fortitudo in consilij firmitate.

3. Sed piissima V. Maria, ego fragilissimus peccator tuam doctrinam non fui secutus, sed doctrinam Euæ. Promiseram enim in Baptismo seruire Deo, & ipsum habere in Dominum; sed ad modicum verbum tentationis hostis antiqui, credidi, more Euæ; & Deo inobediens fui, & hostibus consentiendo multa peccata perpetraui iniquè. Succurre, Virgo piissima, succurre mihi in tantis periculis constituto; Ora benignissimum Filium tuum, vt abrenunciatis hostibus ad suam obedientiam me misericorditer trahat, vt sibi dignè seruiam, & vitam mihi concedat æternam. Amen.

Contemplatio II.

De secundo verbo, Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.

Luc. 1. 38. 1. CLementissima Virgo Maria, secundum verbum, quod ore tuo virgineo protulisti, fuit, *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Nam intellecto quòd posses concipere, & parere manens Virgo, respondisti, *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundũ verbum tuum.* Verbũ est timoris, qui collacteneus est humilitatis. In hoc verbo, gloriosa Virgo Maria, ostendisti promptam obedientiam, quia aperuisti verbis Angelicis auditum, & ab auditu tuo initium sumpsit reparatio nostra; vt intraret remediũ, vnde morbus irrepsit; & per eadem vestigia sequeretur vita mortem; lux tenebras, veritatis antidotum, sepentis venenum, & vitæ ianua, fieret auditus per quem intrauerat mors in mundum.

3. Inde per hæc verba, Virgo Maria, ostendisti promptam fidem & promptum consensum. *Ecce Ancilla Domini* non carnis, non mundi, non diaboli, sed Dei: Ideo, *fiat mihi secundùm verbum tuum,* non secundùm petitionem meam; quia non auderem petere, vt fierem Mater Dei. Nisi enim, Virgo benignissima, credidisses & sperasses posse fieri, vt futura esses, quod tibi promittebatur, non respondisses, *fiat mihi secundùm verbum tuum*; sic fuit firmatum pactum reconciliationis humanæ, & matrimonium diuinæ & humanæ naturæ, quia in hoc verbo concepisti Filium Dei. Præcessit autem verbum humilitatis gloriam conceptionis.

Hæc est, Virgo gloriosissima, gloria tua singularis, & excellens prærogatiua, quia Filium vnum eundemque cum Deo Patre meruisti habere communem. Fiat igitur mihi secundùm verbum tuum, id est, cum magna deuotione & humilitate promissum Angeli impleatur, & reconcilietur mundus in hoc verbo, beatissima Virgo Maria, instruimur humiliando nos coram Deo, eius gratiam postulare, quia scriptum est, *Indulgentiam illius* Iud. 8.
fusis lacrymis postulemus & humiliemus illi animas nostras. 14.

3. Sed, benedicta Virgo Maria, licèt instructus fuerim tuo exemplo petendi à Deo cum humilitate, tamen oratio mea non fuit humilis, nec cum humilitate processit, sed cum superbia & iactantia cordis & oris, & ingratitudine operis. Ideò non merui exaudiri, tanquam alienus & separatus à Deo. Sed, Virgo piissima, affectus tuus misericordissimus, quem habes ad peccatores suppleat defectu, meos, & humilitas tua suppleas superbiam meam; vt tuo exemplo ductus humiliter coram Deo quem assiduâ oratione deprecari digneris, vt mihi flagitia commissa remittat, & indulgeat; vitam humilem & tibi placitam mihi donet, per quam finaliter vitam etiam obtineam sempiternam. Amen.

Contemplatio III.

De tertio verbo; quando Virgo Maria salutauit Elizabeth.

1. EXurgens tu, humillima Virgo Maria, in montana cum festinatione Luc. 1.
ascendisti, & intrando domum Zachariæ, salutasti Elizabeth, quasi 40.
gratulans ei de dono, quod eam accepisse didiceras. Et hoc fuit tertium verbum, quod locuta fuisti, benedicta Virgo Maria; in quo ostenditur tua magna bonitas & beneuolentia: quia *salutare* idem est, quod *aliis salutem optare*. Tu Virgo Maria, salutem desideras peccatoribus, salutem eis procuras, salutem effectas, pro eis salutem postulas ex abundantia gratiarum tuarum. Sicut enim mare non potest exhauriri; omnes enim aquas recipit, & omnes aquas emittit, & semper plenum remanet; sic tu; Virgo Maria, recipis omnes aquas gratiarum, & plenitudinem vniuersorum bonorum, vt ea nobis distribuas sine diminutione plenitudinis tuæ: sicut guttæ pluuiæ dinumerari non possunt, sic neque tuæ gratiæ, maximè ex quo Filius Dei, sicut pluuia in vellus, descendit in vterum tuum virginalem. Et sicut aquæ maris salsæ sunt, & potatæ magis sitim accendunt; sic aquæ gratiarum tuarum, quas piissimè nobis distribuis, potatæ magis accendunt desiderium; Eccles.
sicut de teipsa dicis, *Qui bibunt me, adhuc sitient.* 24. 29.

2. Salutasti igitur, Virgo benignissima, Elizabeth, & est istud verbum intellectus, ad cuius prolationem intellexit Elizabeth te gloriosam

Luc. 1. 43. Virginem Mariã concepisse Dominum, vnde dixit, *Unde hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me?* Ad tuam etiam salutationem Ioannes clausus in vtero Dominum suum clausum in vtero virginali cognouit, & pro modulo suo gauisus est in occursum tuum. O benedicta Virgo Maria, in hoc verbo sancto tuo instruimur, quod proximis debemus optare salutem, & cum ipsis loqui de sua salute, quod est *salutare*; & de beneficiis iis impensis gratulari.

3. Sed ego miserrimus, & omni miseriã dignus contrarium confiteor me egisse, quia proximis meis salutem non optaui, sed dolorem; nec cum ipsis de eorum salute locutus fui, sed frequenter ad peccandum inuitaui; de bonis ipsorum non fui gauisus, sed potiùs de damno ipsorum, & hoc propter inuidiam; aut propter vindictam, & sic Deum offendi, & præcepta eius præteriui, non diligendo proximum, sicut meipsum. Et sicut egi cum ipsis, dignum & iustum est vt mecum agatur; sed quia salutem peccatoribus procuras, confidentiam & spem in te habeo, Virgo Maria, vt animæ meæ concedas salutem hîc, & in æternum. Amen.

Contemplatio IV.

De quarto verbo, Magnificat anima mea Dominum.

1. LOquela tua manifestam te fecit, beatissima Virgo Maria, quia dum Elizabeth salutasses, & ipsa te magnificasset, & laudasset: tu, Virgo humillima, humilitatem ostendendo, & laudes humanas respuendo, Deum magis magnificare curasti, dicendo, *Magnificat anima mea Dominum*: & hoc fuit quartũ verbum quod locuta es. Et fuit verbum sapientiæ, & humilitatis, & gratiarũ actionis: in quo docemur Deo gratias agere de perceptis eius beneficiis, & tribuere ei totum, quod est humilitatis; & magnificare potentiam eius; vnde dixisti, *quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen eius.* Magnum enim fuit tibi, vt Dei Patris Verbum carne tuâ indutum vtero gestares; magnum fuit, vt dum te ancillam confessa es, tu plasmatoris Mater fieres. Sed hæc omnia, & si magna sunt, impossibilia non sunt ei, à quo facta sunt, scilicet, *ei qui potens est.* Hæc enim sunt magna, vt tu creatura ederes Creatorem, tu famula gubernares Dominum, per te Deus redimeret mundum, & ad vitam mortuos reuocaret, vt per Virginem fieret Deus homo, fieret verbum caro, essetque dominator, subditus nascendo suæ ancillæ, quam ipse condiderat, sic quod tu ancilla, in subditum habebas Dominum, & Dominus ancillam in prælatum.

(Margin: Luc. 1. 46.; Ibid. 49.)

2. Fecit igitur tibi, Virgo Maria, magna; sed non dixisti qualia, quia cũ Dei omnia opera humani sensus capacitatem exuperent, præcipuè Sacramentũ

redemptionis, & incarnationis Verbi mysterium super omnia ineffabile esse constat. Nihil enim vnquam magis mirum factum est, quàm vt natura incomprehensibilis, corporis formam ita sibi vniret, vt nec minùs in ea esset quòd in se erat immensa nec minor se existeret, quia in illa fuerat tota. Hæc ergo sunt magna, & ineffabiliter magna quæ in te, Virgo Maria, facta sunt ad omnium salutem; & tibi facta sunt ad gloriam singularem, idcircò dixisti, *quia fecit mihi magna qui potens est*; absolutè igitur dixisti, *potens*, quia omnia potest. Potentem ergo confessa es, tu, Virgo Maria, Dominum; nec ampliùs dixisti, quia credi potest eius potentia, quia est; sed quanta est, aut qualis, comprehendi omninò non potest. Idcircò solùm confessa es potentiam, sed discutere non præsumpsisti, quia sciri non potest quanta est. Verissimè scitur quòd immensa est; summè enim potens est, quia potest omne, quod possibile est; nec ideò minus potest quia impossibilia non potest, quia impossibilia posse non est posse, sed non posse. *Ioan. 2. 3.*

3. Sed beatissima Virgo Maria, Dominum non magnificaui ego, sed blasphemaui & beneficia mihi collata non suæ gratiæ, sed meis meritis attribui, & de illis non fui humilis, sed superbus. Ora pro me, Virgo Maria, ora tu, quæ potens es, omnipotentem, vt suam omnipotentiam ostendat, & magnificet, mihi parcendo, & potentem me faciat contra hostes animæ meæ, vt ipsis deuictis, mihi tribuat misericordiam æternaliter salutarem. Amen.

Contemplatio V.

De quinto verbo, Fili vinum non habent.

1. O Charitate plenissima, gloriosissima Virgo Maria, benedicto Filio tuo quintum verbum locuta fuisti, dicens, *Fili vinum non habent*: & fuit verbum charitatis, pietatis, & compassionis; quia aliorum verecundiam tuam reputans, sustinere non potuisti nec dissimulare vini defectum: & licèt increpata fueris à Filio tuo, quoniam dixit, *quid mihi & tibi mulier*? Tamen tu mitis & humilis corde, nihil respondisti, nec tamen desperasti, sed ministros monuisti dicendo, *omnia quæcumque dixerit vobis, facite*. Vnde, Virgo Maria, primò pro homine Filium exorasti, sic docemur ab eo petere id quo indigemus, qui est sufficientia omnis boni, quòd autem respondit benedictus Filius, *quid mihi & tibi est mulier*? non negabat te Matrem suam, sed discernebat potentiam suam: quia non ex natura quam de te, benedicta Virgo Maria, acceperat; sed à potentia suæ diuinitatis habebat facere miracula. *Ibid 4.* *Ibid. 5.*

2. Et tu futura prænoſcens in ſpiritu, tanquam Mater Dei, & Dominicam præuidens voluntatem, ſollicitè miniſtros monuiſti, dicendo, *omnia quæcumque dixerit vobis, facite*: & tunc Filius pudorem tuæ increpationis releuans, & iam ſuam aperiens maieſtatem expectantibus miniſtris dixit, *implete hydrias aquâ*; & tunc aquam mutauit in vinum: quia ab initio eam creauit in vineis, indurauit in glaciem, Ægyptijs vertit in ſanguinem & Hebreis ſitientibus manare præcepit de rupe arida, quâ multitudinem innumerorum populorum ſtillicidijs noui fontis vice maternorum vberum nutriebat. Sicut igitur, benigniſſima Virgo Maria, per te impetratum eſt vinum in nuptijs, ſic impetras peccatoribus vinum gratiæ & deuotionis, & interioris conſolationis; tenebras illuminas, vias noſtras dirigis, tentationes comprimis, & ipſos aduerſarios compeſcis, rectè viuere cupientes exemplis tuis dirigis, errantes reducis, & periclitantes ad portum ſalutis deducis.

3. O miſericordiſſima Virgo Maria; ex vulneribus cordis mei defluit ſanies peccatorum, corrumpens & ſordidans animam meam. Vinum non habeo, vino indigeo; ſine illo curare non poſſum vulnera cordis mei. Impetra mihi, Virgo piiſſima, à benedicto Filio tuo iſtud vinum, ſcilicet pœnitentiæ & compunctionis, quo mundentur & curentur ipſa vulnera; vt corde mundato ſibi & tibi placidè ſeruire valeam, opera virtuoſa exercendo, exempla ſalutaria proximis oſtendendo, vt carnis miſeræ onere depoſito, anima mea ab omni malitia peccati mundata, in cælis collocetur regnatura cum Beatis. Amen.

Contemplatio VI.

De ſexto verbo. Quodcumque dixerit vobis facite.

1. QVis cogitare poteſt, benigniſſima Virgo Maria, immenſam pietatem tuam, quam non ſolum deprecantibus te, oſtendis, ſed etiam non petentibus, nec eam quærentibus, tribuis inceſſanter? Deficiente namque vino in nuptijs monuiſti miniſtros, vt quæcumque eis diceret benedictus Filius tuus, facerent: & iſtud fuit ſextum verbum, quod locuta fuiſti: & eſt verbum conſilij, quia Spiritus ſanctus te repleuerat, quia quidquid locuta es, aut ad tui humiliationem, vel ad Dei laudem, vel ad ædificationem proximorum referebas. Ideo de verbis tuis poteſt dici,
Prou. 16. 24. *fauus diſtillans verba compoſita*, quia ſicut in fauo eſt cera luminis inſtrumentum, & dulcedo mellis reficiens iuſtum; ſic in verbis tuis erat ſcientia veritatis illuminans intellectum, & omnimoda veritas, & ſumma pietas reficientes affectum. Medicinalia etiam erant gratiſſima verba tua, &

conſeruatiua more mellis; quia ſanabant, & tollebant verecundiam miniſtrorum in nuptiis; ſanabant etiam languores animarum, & præſeruabant à peccato. Tu, Virgo Maria, corde benigna, id eſt, benè ignita igne pietatis & charitatis, opere miſericors, ſermone modeſta, mente & corpore pudica, inuitabas miniſtros ad obediendum benedicto Filio tuo, vt ſcilicet facerent, quæcumque diceret eis.

2. In hoc verbo modeſtiſſimo, Virgo Maria, docemur ad diuinæ voluntatis impletionem alios quantum poſſumus inuitare; hoc eſt enim cõſilium Sanctorum, hoc eſt conſilium tuum, Virgo Maria, quod in te ipſa priùs oſtendiſti, voluntatem tuam diuinæ voluntati per omnia conformando. Nam tu, Virgo Maria, intelligens per Angelum quòd Filius Dei de te
volebat aſſumere carnem, ſtatim reſpondiſti obedienter, *ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum.* Hoc conſilium alijs oſtendiſti, quia Luc. 1. 38.
miſericors & piiſſima Virgo Maria, cupis ſalutem omnium: ſæpè enim quos iuſtè damnaret tui benedicti Filij iuſtitia, clementer liberat tua miſericordia. Ideò collocata es aduocata à dextris Filij tui, id eſt, in potioribus bonis eius: quia peroptimè congruit cum Rege iuſtitiæ Regina miſericordiæ.

3. Sed benigniſſima Virgo Maria, ego impijſſimus peccator ſum, quia Filio tuo benedicto & tibi non parui; conſilia audiui, ſed non cum affectu recepi. Imò illa inobedienter & proteruo animo reſpui; & conſilia impiorum & inimicorum audiui corde peruigili, & ſecutus fui, & ex hoc merui malum & non bonum, pœnam & non gloriam, mortem & non vitam æternam; niſi tua pietas mihi ſuccurrat, Virgo pia. Succurrat igitur mihi, vt conſilium tuum ſemper faciam, tanquam bonus miniſter animæ meæ, & quidquid mihi præcepit benedictus Filius tuus; vt in fine vitam obtineam ſempiternam. Amen.



Contemplatio VII.

De ſeptimo verbo, Fili, quid feciſti nobis ſic?

1. MAter intemerata, Virgo Maria, ſeptimum verbũ, quod ſecundùm Euangelium fuiſti locuta, fuit verbum dilectiſſimo Filio tuo directum, quando dixiſti, *Fili, quid feciſti nobis ſic?* ſcilicet, vt remaneres nobis Luc. 2. 48.
ignorantibus? *Ecce ego, & Pater tuus,* (ſcilicet putatiuus,) *dolentes*, ſcilicet de abſentia tua, *quærebamus te.* Iſtud verbum eſt ſcientiæ, quod magis attribuitur diuinis rebus quàm humanis. Et in hoc quod præmiſiſti, *Fili*, notatur in correctione manſuetudo. Et quòd ipſum in quantùm Deũ non auſa fuiſſes, Virgo benedicta, corripere; ſed in quantum Filium tuum; ideo dixiſti, *Fili*; præmiſiſti enim, Virgo piiſſima, *Fili, quid feciſti nobis ſic?* hoc notatur,

Virgo Maria, tua magna discretio, quia statim non increpasti benedictum
Ib. 49. Filium tuum, sed tantum quæsiuisti, quare sic fecisset. In hoc etiam quod dixisti. *Pater tuus*, cum illum de Ioseph non concupisses, sed de Spiritu sancto, claudebas impiis Sacramentum Incarnationis diuinæ, quia si ipsum cognouissent, non eum crucifixisent, & ita non fuissemus redempti. Vnde Filius tuus benedictus respondit humiliter, *quid est quod me quærebatis*? in hoc enim non increpat, quia quæritur, sed indicat vbi potiùs quæri debet, scilicet in diuinis: vnde subdit, *in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse.*

Ibid. 51. 2. Sed tu, beatissima Virgo Maria, non intellexisti verbum, quod locutus est benedictus Filius tuus, quia adhuc non capiebas mysteria. Et pòst descendit benedictus Filius tuus tecum, & venit Nazareth, vt sic exerceret illa quæ sunt Patris, tanquam Filius Dei & tanquam Filius tuus obedientiam tibi seruaret. Ideò sequitur, *Et erat subditus illis*: hoc singulariter, Virgo Maria, habuisti, vt videres tibi subditum, quem non solùm humana, sed etiam angelica natura veneratur & adorat Altissimum. In his verbis sanctissimis, Virgo Maria, instruimur delinquentes filios corripere, cùm tu corripueris non delinquentem; nec commendare coram eis si quid fecerint boni, sicut non legitur quòd tu Filium commendaueris; ideò quia erat in his, quæ Patris sui erant. In hoc, gloriosa Virgo Maria, quod dixisti, *dolentes quærebamus te*, doces & instruis nos quòd qui vult benedictum Filium tuum quærere, si ipsum perdiderit per peccatum, debet etiam quærere cum dolore.

3. Sed ego iniquissimus peccator frequenter perdidi eum propter multa peccata quæ nequiter perpetraui, sed ipsum non quæsiui cum dolore de peccatis meis. Sed, misericordissima Virgo Maria, ora illum, vt mihi clementer concedat, quòd cum dolore de peccatis meis ipsum quæram, & quærendo ipsum inueniam mihi misericordem, & inuentum ipsum custodiam, & facie ad faciem ipso fruar per infinita sæcula sæculorum. Amen.

PARS

PARS XI.

DE CHARITATE GLORIOSÆ VIRGINIS MARIÆ.

Contemplatio I.

De dilectione Virginis Mariæ ad Deum Trinitatem.

1. TV, beatissima Virgo Maria, Deum dilexisti, sicut omnes scripturæ prædicant diligendum. Dilexisti etiam Deum ex toto corde, quia cor tuum ad nullius rei dilectionem fuit inclinatum amplius, quàm Dei; nec delectata fuisti in aliqua spe mundi ampliùs, quàm in Deo; omne bonum tibi existimans esse in Deo, vt præ omnibus his diligeres solum Deum: nihil enim dilexisti præter Deum, aut nisi propter Deum. Dilexisti Deum, Virgo Maria, ex tota anima tua, non solùm ex toto corde, sed etiam ex tota anima tua, quia aliud est amor cordis, aliud est amor animæ: amor cordis, quodammodò carnalis est, vt etiam Deus carnaliter ametur, quod fieri non potest, nisi priùs recedatur ab amore omnis mundialis rei; amor enim cordis non intelligitur, sed sentitur in corde: quia quodammodo carnalis est: amor autem animæ, non sentitur in corde, sed intelligitur; quia amor animæ iudicium est. Dilexisti, Virgo Maria, Deum ex tota mente tua; quia omnes sensus tui Deo vacabant; tuus intellectus Deo ministrabat, tua voluntas circa Deum versabatur, tua cogitatio, quæ Dei erant, pertractabat, tua memoria, ea, quæ sola bona erant, retinebat, vt diceres 1.Cor.
cum Apostolo, *Psallam spiritu, psallam & mente.* 14.15.

2. Tu, Virgo Maria, dilexisti fortiter Patrem, cui attribuitur potestas; dilexisti sapienter Filium, cui attribuitur sapientia; dilexisti dulciter Spiritum sanctum, qui dulcedo est Patris & Filij; sicut enim est vna substantia in tribus personis: sic singularis & vnica fuit dilectio Virginis Mariæ in tribus proprietatibus supradictis; tua dilectio, Virgo Maria benedicta, ad Deum fuit inseparabilis, tanquam sponsæ ad sponsum, dilectæ ad dilectum, matris ad Vnigenitum, vt dicere posses, *Tenui eum nec dimittam.* Tua dilec- Cant 3.
ctio, Virgo gloriosa, ad Deum fuit insatiabilis: quia erat sicut ignis, de quo 4.

Ecc 24. 29 scribitur, *Ignis verò numquam dicit sufficit*: Gustaueras enim quia suauis est Dominus, qui dicit, *Qui edunt me, adhuc esurient*: Tua dilectio, pretiosæ Virgo Maria, ad Deum fuit singularis; quia extra Deum nihili quæsiuisti, dicendo, *Vnam petij à Domino hanc requiram in domo Domini*. Tua dilectio fuit incessabilis, id est, perseuerans; ideò dicebas, *In charitate perpetua dilexi te*. Tua dilectio ad Deum, benedicta Virgo Maria, fuit intenta & intima; intenta, quia per amoris desiderium semper in Deum perrexit, intima non superficialis: quia ad exteriora non effluxit.

Psalm. 26. 4. Ierem. 31. 3.

3. Sed, dilectione plena Virgo Maria, ego miser peccator Deum non dilexi, sed mundum & carnem, & circa complacentiam ipsorum laboraui, & tempus meum vsque nunc expendi, & pro istis, quæ modicùm mihi durabunt, Deum reliqui, qui mihi perpetuò duraturus erat. Ora illum, Virgo piissima, vt ad eius dilectionem me trahat, & ad hoc meum rebellem animũ compellat, vt eum hîc & in futuro diligam per infinita sæculorum sæcula.

Contemplatio II.

De dilectione Virginis Mariæ ad Vnigenitum suum.

1. Filium tuum vnigenitum, Deum & hominem verum, beatissima Virgo Maria naturaliter dilexisti. Plùs diligitur Filius ab illo parente, cuius virtus conceptiua superabundauit in conceptu eius, quàm ab alio. Ideò tu, Virgo Maria Mater, naturaliter plus dilexisti vnigenitum Filium tuum benedictum, quàm aliqua alia mulier; quia totam suæ carnis materiam à carne tua materna traxit Christus.

2. Tu, benedicta Virgo Maria, Filium tuum vnigenitum carnaliter in bono sensu dilexisti; quia Christi carnem tantâ deuotione, & tanto studio fouisti, & nutriuisti, vt amore carnis eius, ab amore carnis propriæ suspensa, omnes cordis tui affectiones prosterneres, & cum de carne propria administrasti conceptum, & de lacte proprio nutrimentum. Secundùm naturam assumptæ humanitatis esurientem pauisti, lacte virgineo sitientem potasti, infirmum pro infantia & iacentem, non solùm visitasti, sed etiam balneando, fouendo, & gestando frequentasti; cæteraque ei omnia humanitatis obsequia exhibuisti tandem comprehenso, & crucifixo, quasi in carcere posito, affuisti.

3. Tu, gloriosa Virgo Mater, vnigenitum Filium tuum spiritualiter dilexisti, quod est ex tota anima; quia *Spiritus est Deus, & qui adhæret Deo, vnus spiritus est cum eo*, virtute scilicet, amoris & gratiæ. Hæc enim vnio, quæ fit per amorem, spiritualis est: quia amor ignis est, qui materiam sibi cohærentem ignit, & in sui naturam conuertit: & quia tu, pretiosissima Virgo Maria, magis intimè quàm aliqua alia mater, Filio tuo vnigenito peramorem adhæsisti, dicens illi, *Adhæsit anima mea post te*, ideò spiritualiter vnum cum ipso facta es. Vnde dixisti, *Adhæsit anima mea*, non caro.

1. Cor. 6. 18.

Psalme 26. 9.

4. Tu, gloriosa Virgo Maria, Filium tuum vnigenitum dilexisti charitatiuè; quia tanta fuit dilectio tua ad peccatores, quòd quasi gaudenter quodammodò sustinueris mortem Filij tui, & cum ipso desideraueris (si necesse fuisset) mori ob redemptionem generis humani. *Sicut enim Deus propter nimiam charitatem, quâ dilexit nos*, dedit vnigenitum suum pro scelere nostro; ita & tu, benedictum fructum ventris tui pro peccatis animarum nostrarum. Vnde sicut *Deus sic dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret pro mundo*; sic tu, beatissima Virgo Maria dilexisti mundum, vt Filium tuum vnignitum dares pro mundo. Ephes. 2. 4. Ioan. 3. 16.

5. Ego verò ingratissimus peccator, obliuioni dans beneficia recepta à benedicto Filio tuo, eum non dilexi, nec in factis, dictis, & cogitationibus ei volui complacere, sed potiùs mundo, & carni meæ. Sed tu, Virgo pia, compati digneris mihi, & quia charitatiuè vnigenitum tuum Filium dilexisti, redde illum placatum mihi, vt eius misericordia meam ingratitudinem suppleat, & sic me disponat & ordinet, vt sibi placeam, & vitam assequar sempiternam. Amen.

Contemplatio III.


De dilectione Virginis Mariæ ad proximum.

1. Dilectione plena beatissima Virgo Maria, præceptum diuinum corde & opere obseruasti; quia proximum dilexisti, sicut teipsam, scilicet, ad seruiendum Deo, ad videndum Deum, & ad vitam æternam possidendam. Dilexisti, Virgo piissima, proximum gratis, non propter aliquam vtilitatem, quam inde consequi deberes; sed ipsum dilexisti cordialiter, sine spe alicuius emolumenti temporalis; quia bonorum meorum non eges, sed desiderabas vt tibi seruiatur, vt in nobis inuenias misericordiam, quam retribuere possis. Tu, gloriosissima Virgo Maria, proximum dilexisti, omne bonum nobis desiderando, pro nobis tuum Filium iugiter exorando, tam pro iustis ne pro cadant, quàm peccatoribus vt resurgant.

2. Nihil facere posset peccator, benignissima Virgo Maria, neque viuere posset sine tuo adiutorio, sine dilectione tua, sine deprecatione tua; quia semper pro peccatoribus intercedis, & benedictum Filium tuum assiduâ deprecatione oras: nam misericordiâ & beneficiis tuis pleni sunt cœli & terra; nec est qui se abscondat à calore tuæ dilectionis: quia quantò magis Deo, qui ignis est, fuisti proxima, tantò magis inflammata fuisti charitate & dilectione, quia ipse *Deus charitas est*: & quia plùs omnibus dilexisti, singulare miraculum Deus Pater in te operatus fuit, vt dicere posses, *Anima mea liquefacta est*, scilicet per incendium charitatis & dilectionis ad proximũ. Ignis enim charitatis & dilectionis suauitet ardet, sed non lædit; accendit, sed non consumit; & si consumit, hoc facit non ad læsionem sed ad pur- 1. Ioan. 4. 16. Cant. 5. 6.

gationem; culpam enim consumit, si inuenit, non naturam, sed eam purgat, fouet, & nutrit. Sicut è contrario, ignis concupiscentiæ nutrit & fouet culpam, & ex magna parte lædit & consumit naturam.

3. O beatissima Virgo Maria, da mihi miserabili peccatori ignem tuæ charitatis, & dilectionis; vt me calefaciat in amore Dei & proximi: quia frigidus sum glacie peccatorum; vt me illuminet ad incedendũ per viam rectam veritatis: quia tenebrosus sum: vt in me consumat culpam, & eam purget. Dilige me, benignissima Virgo Maria, sicut teipsam, id est, eo quo teipsam, scilicet & charitatis affectu & effectu; & in quo teipsam, scilicet in Deo, & propter quod teipsam, id est ad gratiam in præsenti, & gloriam in futuro: quia qui sic proximum diligit, legem impleuit; vt sic per tuam veram dilectionem, hîc gratiâ inflammatus, gloriam obtineam misericorditer sempiternam. Amen.



Contemplatio IV.

De dilectione Virginis Mariæ ad Deum & proximum.

1. PRæceptorum diuinorum magnifica obseruatrix, amantissima Virgo Maria, tantâ obedientiâ Deo subiecta fuisti, & tantâ cordis promptitudine eius voluntati parere & adhærere voluisti, quòd de præceptis ipsius nihil penitus detraxisti, sed omnia corde peruigili, opere continuo, absque vllâ diminutione inuiolabiliter obseruasti; Deum super omnia diligendo, & proximum sicut teipsam. *In his duobus, tota Lex pendet & Prophetæ*, ista Deo placent, repellunt hostem antiquum, peccata abhorrent, virtutes diligunt, & acquirunt, mundum spernunt, cœlum appetunt, carnis voluptatem reiiciunt, cor mundant, animam exaltant, nulli nocent, omnibus prosunt, iram Dei mitigant, bona spiritualia accumulant, irasci nesciunt, ad misericordiam inclinant, legem implent, prosperis non vincuntur, in aduersis per patientiam consolantur, merita augent, iustitiam Dei placant, semper gaudent, & delectantur, non in sæculo, sed in Deo, non in bonis, sed in malis, non temporaliter, sed æternaliter.

Matt. 22. 40.

2. Ista ducunt hominem per viam rectam ad ciuitatem cœlestem, ad quam recurrere quisque debet cum magno desiderio, & amore Dei & proximi. Nam amor per desiderium, de Deo, & cum Deo, & in Deum currere potest. De Deo currit, cùm de Deo accipit, vnde eum diligit: cum Deo currit, cùm eius voluntati in nullo contradicit: in Deum currit, cùm in ipso requiescere appetit, hæc namque ad Deum pertinent, potest etiam amor per desiderium & de proximo, & cum proximo currere, sed in proximum non potest. De proximo, vt de eius salute & profectu gaudeat; cum proximo, vt cum in via Dei comitem itineris & securæ peruentionis habere concupiscat; sed in proximum non potest currere, vt in homine spem, & fiduciam

suam constituat. Hæc est ordinata charitas, & præter ipsam, omne quod agitur, non ordinata charitas est, sed inordinata cupiditas.

3 O beatissima Virgo Maria, omnia ista tibi nota fuerunt, & ea in libro purissimi cordis tui affectualiter obseruasti, quia incomparabilis amor tuus per desiderium tuum de Deo, cum Deo, & in Deum cucurrit, & de proximo, & cum proximo, sed non in proximum. Ista à flore tuæ sanctissimæ iuuentutis per obedientiam diuinam pro lege suscepisti, & vt facilius adimpleres, mundum, & ea quæ in eis sunt, totaliter reliquisti; dum in triennis ætatis tuæ complemento, domum propriam deserendo, templum intrasti, & Deo per amorem adhæsisti, à quo te postea, nullo tempore separasti; fiducialiter ad eum accedendo, constanter inhærendo, familiariter percunctando, & nihil aliud corde & animo cogitando nisi de eo, totam te tradidisti in amorem ipsius. Quidquid cogitabas, quidquid loquebaris, quidquid agebas, totum erat de Deo, totum in Deo, & totum cum Deo; nihil aliud tibi sapiebat, nihil aliud quærebas, nisi illum, quem misericorditer inuenisti. Proximum etiam toto animo & opere dilexisti, quia connexa sunt dilectio Dei & proximi, quia neque dilectio Dei potest esse in aliquo, qui non diligit proximum, nec dilectio proximi in eo, qui non diligit Deum. Ista dilectio est ab omni mundana dilectione remota, quia est spiritalis, & propria Sanctorum, & specialiter super omnia, tua fuit, & est, Virgo benedicta.

4. Heu! miser, quid dicam, aut quid faciam? quia miserabilis dulcedo huius seculi me separauit ab amore Dei & proximi, cùm dilexi mundum, & ea quæ in mundo sunt, & ideò ab amore Dei, & proximi me voluntariè separaui, *Quia amicus huius sæculi, inimicus Dei constituitur.* Hæc enim dilectio à Paradiso deliciarum, in hoc miserabile exilium Adam & Euam proiecit. Nisi Dei dilectio defecisset, numquam diligere cœpissent malè suadentis serpentis consilium, imò nec credidissent; hos primos parentes secuta est mala concupiscentia mea, quæ præcepta diuina, ne adimplerem, impediuit. *Iacob. 44.*

5. O clementissima Virgo Maria, impetra mihi tuis benignis deprecationibus vt benedictum Filium tuum amem & diligam, quantum volo, & quantum debeo. Immensus est, & sine mensura debet amari; ardeam totus igne sui amoris, dulcedine suâ; desiderio suo, charitate suâ, iucunditate & exultatione suâ, pietate & suauitate suâ, vt totus sui amoris dulcedine plenus, totus flammâ charitatis suæ vaporatus, diligam eum ex toto corde meo, ex tota anima mea, ex tota virtute mea, & omni intentione meâ, cum multa cordis contritione, & lacrymarum effusione, & multâ reuerentiâ & tremore, habens semper eum in corde & ore, & præ oculis meis, semper & vbique: vt nullus in me adulterinis amoribus pateat locus, sed ipsum facie ad faciem, intuendo amem & diligam, per infinita sæcula sæculorum. Amen.

PARS XII.

DE TRIBVLATIONIBVS & doloribus Gloriosæ Virginis Mariæ.

Contemplatio I.

De desponsatione Virginis Mariæ.

1 O Singularis Sponsa, singulari virginitate desponsata, beatissima Virgo Maria, quæ Deo ordinante desponsata fuisti Iosepho viro iusto, non lubricâ intentione, nec carnali concupiscentiâ, sed consensu virgineo, & vt conceptus gloriosus vteri tui virginalis diabolo celaretur; & impudicitiæ infamia à te penitus tolleretur. Grauidata es, Virgo Maria sanctissima, sancto Spiritu operante; tumescit aluus tua virginea, suspicatur senex Sponsus, vnde hoc processit: non vult te traducere, sed occultè dimittere: O gloriosa Virgo Maria, iam in tenera ætate positæ, mundus incipit dare tibi quod suum est, scilicet temeraria, & mala iudicia; & tribulationes.

2. Sed Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis qui semper tecum fuit, te non reliquit, tibi non defuit; sed mox tibi voluit subuenire, misit Angelum suum consolatorem, intra secreta cubiculi, Ioseph admonet, ita dicens, *Ioseph, fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Credit iustus verbis Angeli, mutat propositum, traducit te Virginem Sponsam, vnitur in Deo amborum animus virgineus; intentione sincerâ; vnus alteri mutuâ, & pudicâ ac incorruptâ dilectione deuincitur. O sancta coniunctio animarum! ô vera amicitiâ! ô dilectio virginalis! exaltaris Ioseph in tam deifica coniuge tibi data. O Virgo Virginum, intacta permanent viscera vteri tui virginalis, ornata conceptu mirabili: prouidentia diuina adest, ne de te sinistra suspicio oriatur, qui te fecit, & grauidauit, te mente & corpore præseruauit, vt Virgo perpetua permaneres.

Math. 1. 20.

3. O Sponsa mente, & corpore speciosa, vides Sponsam deformatam, scilicet animam meam, quòd Sponsum suum, scilicet Filium tuum glorio-

ſiſſimum, dereliquit fornicando, & adulterando cum inimicis Sponſi benedicti; morte digna eſt, lapidari meruit, vltimum ſuppliciũ ſcilicet ignis infernalis ſibi iuſtè debetur, non ſolùm pro vno adulterio, ſed pro multis, non ſolùm pro modico, ſed pro magnis. Sed, beatiſſima Sponſa, ora Sponſum animæ meæ, vt ſibi indulgeat miſericorditer; & licèt frequenter peccauerit, confido tamen in verbis ipſius Sponſi benedicti, qui dicit, non ſolùm indulgendum peccatum vſque ſepties, ſed vſque ſeptuageſies ſepties. Illum iugiter exorare ne dubita veniam peccatorum: ipſam Sponſam ſibi reconciliet, & in cubiculum æternæ gloriæ ipſam miſericorditer introducat, ſecum manſuram, per infinita ſæcula ſæculorum. Amen. *Ibid. 18. 22.*

Contemplatio II.

De fuga in Ægyptum.

1. CVm te & facta tua aſpicio, glorioſa Virgo Maria, genitrix Dei puriſſima, me ipſum condemno, quia mundi proſpera diligenti animo perquiſiui, & aduerſa fugi toto poſſe. Imò ne mihi aduenirent, cupiui, & dum ſe obtulerunt, illa impatientiſſimè portaui; proſpera etiam animum meum in ſuperbiam erexerunt, & aduerſa per impatientiam fregerunt; ſed te, benedicta Virgo Maria, proſpera humiliauerunt, & aduerſa patienter in Deo firmauerunt. Quantum namque in te proſperitatis fuit, cùm Mater Dei effecta es, & propter hoc virginitatem non amiſiſti: ſed te ipſam in profundum humilitatis deieciſti. Quanta etiam in te aduerſitas fuit paſſiuè, cùm propter iniquum Herodem, qui tuum benedictum Filium quærebat ad perdendum, de nocte conſurgens, cum ipſo & Ioſeph, in Ægyptum fugiſti? ætati tuæ iuuenili non parcens, labores corporis, & timorem mentis, infatigabiliter ſuſtinuiſti; in terra remota, & inter ignotas diutiùs permanſiſti, vbi tecum nihil præter Filium tuum benedictum & Ioſeph, nec cum eis vnde viueres, habuiſti; imò nec vbi cum eis caput reclinares, inueniſti: & tamen omnia læto corde, & cum magna patientia ſuſcepiſti, & Deo gratias continuè reddidiſti. *Math. 2. 13.*

2. O Regina mundi; regnum mundi deſpiciens, & contemnens, & paupertatem amplectens, non habens vnde viuas cum benedicto Filio tuo, qui totum mundum fecerat & creauerat, & ſub pugillo tenebat. Timebas Regem, quòd interficeret Filium tuum benedictum, qui eſt Rex Regũ, & Dominus Dominantium; vigilabas ſollicitè ſuper cuſtodiâ ipſius, ne ab aliquo tolleretur. Intra domunculam & tugurium pauperrimũ clauſa manes, nec prodis in publicum præ verecundia iuuenilis ætatis, ignota inter ignotos moram trahis, ſine adiutorio humano, & quaſi exulata à patria. Ex his tamen tuus animus non triſtatur, ſed gaudet; in afflictione Deum laudat & benedicit, & Filium tuum benedictum recommendat deuotè.

3. Sed beatissima Virgo, & Mater Filij tui benedicti; ego miser in Ægypto sum positus, hoc est in tenebris peccatorum, inimicis multipliciter vallatus, quia à patria propria, hoc est à gloria cælesti exul factus sum. Quærit & persequitur me Herodes infernalis, ad perdendum me: Sed tu, Virgo gloriosa, sis mihi auxiliatrix; resistat ei virtus patientiæ tuæ; educ me de tenebris peccatorum; adiuuet me tua sancta intercessio. Exora tuum Filium gloriosum, vt sua magna misericordia super me descendat, & me liberet à vinculis peccatorum; vt ab omnibus mundatus, placidè hîc sibi seruiam, & in fine gloriam obtineam sempiternam. Amen.

Contemplatio III.

De amißione Christi in Templo.

1. VIrgo Dei genitrix mente & corpore purissima, legem adimplendo cum tuo benedicto Filio Domino nostro Iesu Christo, & iusto viro Ioseph Sponso tuo Hierosolymam ascendisti, Templum intrasti, festi solemnitatem diebus statutis ibidem celebrasti, & exinde ad propria humiliter redeundo, Iesus Christus Filius tuus gloriosus, quem in comitatu vicinorum esse credebas, in Templo remansit. O Virgo benedicta, anxia & desolata facta es, quia tuum Filium benedictum non inuenis; post diem completum quæris diligenter, & non inuenis, petis ab omnibus, & non est qui te sciat informare de illo; tristatur cor tuum & dolet, anxiatur mens tua, fundunt oculi tui riuulos lacrymarum; & quid agere debeas, hoc ignoras. Auxilium diuinum imploras; Deum Patrem crebris singultibus oras, vt Filium tuum præseruet à periculis, & eum incolumem tibi reddat. Festino gressu cum gemitibus retrocedis, Hierosolymam intras, Filium tuum quæris, Filium tuum petis, & illum non vales inuenire. Cùm celatur in te dolor, tristitia augmentatur, languet corpus tuum, & mens suspirat.

2. Sed pius Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui tribulatos consolari non cessat, tibi compatitur, tuæ anxietati subuenit, tuam deprecationem audit, & exaudit. Intras, Virgo pia, post triduum, Templum Dei, & illicò reperis benedictum Filium tuum sedentem in medio Doctorum, audientem & interrogantem illos: & dixisti humiliter illi, *Fili, quid fecisti nobis sic? ego & Pater tuus, dolentes quærebamus te.* O Virgo sanctissima, fuit hæc negligentia tua, vt sic Filium tuum relinqueres negligenter? Absit quòd vnquam fueris negligens circa custodiam ipsius: sed ita voluit, & fieri permisit benedictus Filius tuus: ideò respondit tibi humiliter obedientiâ filiali, *Et quid est quòd me quærebatis? nesciebatis, quia in ijs, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* sed verba ipsius, Virgo Maria, tunc non intellexisti, sed omnia in corde tuo reseruasti.

Luc. 2. 48.

Ib. 49.

3. O

3. O Virgo sanctissima, & omni pietate plenissima, quid faciam! ego miserrimus peccator perdidi Filium tuum benedictum non solùm ex negligentia mea, sed etiam ex iniquitate. Habebam eum in corde, & ipsum expuli per peccatum; &, quod mihi grauius est, non quæro illum ex duritia mea. Ora, Virgo pia, illum pro me peccatore: require eum vt veniat ad me; clementer impetra mihi triduum, scilicet contritionem, confessionem, & satisfactionem peccatorum meorum, quo ipsum in templo cordis mei sic valeam inuenire, & in futurum ipsum placatum & propositum mihi inueniam in æterna gloria, per infinita sæculorum sæcula. Amen.

Contemplatio IV.

De Morte Christi.

1. QVis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, vt tecum, mæstissima Virgo Maria, plorem & doleam, & tuæ tristitiæ compatiar, corde flebili & compuncto? fuisti namque plagâ crudelissimâ sic percussa in quacumque parte corporis tui, vt vix vitalis spiritus in te aliquatenus remaneret, nisi quia Deo Patri semper te humiliter commendabas, qui tibi semper in auxilium fuit. O Virgo desolata, dies ista tibi fuit dies tribulationis & angustiæ, dies aduersitatis & tristitiæ, dies calamitatis & miseriæ, dies desolationis & mæstitiæ, dies malignitatis & inuidiæ, dies proditionis & blasphemiæ, dies prauitatis & iniuriæ, dies rancoris & iracundiæ, dies peruersæ voluntatis & iniustitiæ. Talis tibi, Virgo Maria, fuit ista dies, cùm Filium tuum benedictum perdidisti, qui de sinu Dei Patris aduenerat, & in virginalem vterum tuum intrauerat, carnem nostram mortalem assumendo. Ierem. 9. 1.

2. O Virgo Maria, mente & corpore diris aculeis tribulationis cruciata & afflicta! quia vides tuum Filium olim gloriosum, nec ignominia plenum, olim accusatos excusantem, nunc per inuidiam accusatum; olim liberum, nunc inhumaniter captiuum & ligatum; olim speciosum præ filijs hominum, nunc sputis & lutis fœtidissimis, ac alapis nequissimis in facie crudeliter deturpatum, sic quòd totus leprosus apparebat; olim sanum, nunc ex multiplicatione flagellorum durissimorum infirmum; olim Dominum dominantium, nunc seruum seruorum; olim Regem Regum, nunc spinis acutissimis vsque ad cerebrum intrantibus coronatum, olim humiliter salutatum, nunc turpiter alapis & diris flagellis cæsum & salutatum; olim fortem, nunc debilem; olim viuum, nunc quasi mortuum, præ multitudine tormentorum: olim honoratum ab hominibus, nunc reprobatum & vilificatum: olim iudicantem alios, nunc iniustè iudicatum. Vides eum crucem baiulantem, & ex debilitate in luto cadentem, iniuriatum contumelijs & opprobrijs, percussum pugnis, lapidibus, baculis & lu-

tis vilissimis deturpatum, sanguine cruentatum, ductum ad locum fœtidissimum tormentorum, spoliatum, nudum, crucifixum, clauis terribilibus conclauatum, felle & aceto potatum, ab omnibus derisum, & pro suis inimicis orantem, testamento Ioanni Euangelistæ te in matrem, & ipsum tibi in Filium dantem.

3. O Virgo Maria, omni tristitiâ plena, lamentabilis fuit tibi hæc mutatio, Filius Dei Filius tuus erat; nunc Filius tuus Filius est piscatoris, Deus homo, Filius tuus erat, nunc homo purus, Filius tuus est: innocens & sine peccato, Filius tuus erat, nunc Filius tuus, in peccato natus est: dator omnium tuus Filius erat, & datus ab eo, nunc Filius tuus est: Dominus omnium, Filius tuus erat, nunc seruus eius, tuus Filius est: consolator omnium Filius tuus erat, nunc desolatus Filius tuus est; mater Dei hominis eras, nunc es mater puri hominis. O Virgo Maria, dolore plena, anima tua in amaritudine est, doloris gladius cor tuum transfixit, viscera tua cruciantur, animus tuus repletur tristitia, fundunt & emittunt oculi tui & irremediabiliter lacrymas, bullit cerebrum præ dolore, corpus tuum cruciatibus afflictum quasi exanimum iacet, dum hanc mutationem filialem consideras.

4. Vides insuper Filium tuum inter duos latrones in cruce pendentem, felle & aceto potatum, & proximum morti, & in omni parte sui corporis vulneratum, riuos sui sacratissimi sanguinis emittentem, latroni confitenti indulgentem, & omnia tormenta patienter portantem, qui Deo Patri suum spiritum commendans, & voce magnâ clamans, expirauit; vides etiam

Ioan. 19. 34. postea grauissimâ lanceâ latus eius crudeliter perforatum, vnde *continuò exiuit sanguis & aqua.*

5. O Virgo Maria Mater, & non Mater, Filium tuum perdidisti: te præsente, sine causa interfectus est: mortuus est, iustus pro iniustis; non iustitiâ, sed iniuriâ, odio, & rancore: Vnicus tibi erat, nec alium habueras, neque habere poteras in futurum: in illo tota tua consolatio erat, totus amor, & tota spes tua. Diligenter nutriueras eum, & cum laboribus multis: semper quæ placita fuerunt illi fecisti; nunquam sibi displicuisti, semper cum toto corde dilexisti: nunquam eius mandatum præteristi, semper ei obediens fuisti: & ipse te dilexit super omnem creaturam; subditus tibi fuit: à malis te illæsam seruauit; multis donis & gratiis te dotauit: nunquam te irritauit, semper tibi pacem voluit; numquam te turbauit, sed semper consolationes tibi dedit. Nunc ergo desolata, modico temporis spatio illum amisisti: nunc orbata es, vidua facta es, sola remansisti. Consolatio tua in desolationem conuersa est, & gaudium tuum in luctum. Non est dolor similis sicut dolor tuus. Tristitia impleuit cor tuum: non est qui consoletur te: omnes amici tui spreuerunt te, omnes fugerunt; quia viderunt ignominiam tuam. Facta es in derisum omni populo, facta es eis in opprobrium.

Psalm. 3. 3. Vident te, & mouent capita sua, & dicunt: *Non est ei salus in Deo eius.* Sed, Virgo Maria, hoc futurum sciebas; hoc Filius tuus prædixerat. Releuans mentem tuam ad Deum Patrem, ipsum laudando & glorificando, & gratias referendo, quia illi placuit, vt sic per mortem benedicti Filij tui,

redemptio humani generis fieret; hostis antiquus debellaretur, & vinceretur, & infernus sanctis Patribus spoliaretur. Virgo Maria voluntatem tuam voluntati diuinæ adiungis: quod Deo placet, tibi placet: gaudeo de redemptione humani generis, & de charitate ei impensâ per benedictum Filium tuum.

6. Hunc ergo exora, piissima Virgo Maria, pro me misero peccatore, vt per merita suæ sacratissimæ passionis, viuam hîc per gratiam, & in futuro per gloriam sempiternam. Amen.

Contemplatio V.

De Eodem.

1. GLoriosissima Virgo Maria, in vnigeniti Filij tui passione varias tributiones & dolores sustinuisti. Voluit namque benedictus Filius tuus, vt vniuersam Sanctorum pulchritudinem excederes: &, sicut *Virgo Virginum* appellaris, ita & *Martyr Martyrum* deberes appellari; quia verò, *Luc. 2. 33.* quidquid operatum fuit in te, totum nouum fuit, & singulare; ideò placuit benedicto Filio tuo, vt gloriosior Martyr existeres, & mirabilior appareres, & nouo & inaudito Martyrij genere esses decorata, & verè nouum & inauditum fuit tuum Martyrium; quia cùm alij Martyres passi fuerint in corpore, tu, Virgo Maria, passa fuisti in anima, & in corde iuxta prophetiam Simeonis dicentis, *Tuam ipsius animam pertransiuit gladius.* Non enim potuisti videre Filium, sine affectu materni doloris: Gladius siquidem passionis, qui pertransiuit corpus & membra Filij tui benedicti, id est, perfectè transiuit, per compassionem pertransiuit animam tuam genitricis Dei; & eius omnis plaga, fuit tribulatio, dolor & tristitia cordis tui. Alij enim Martyres, etsi tormenta sentiebant in corpore, interiori tamen consolatione refrigerabantur in mente; etsi enim corpora pertransibant gladij tormentorum pro Christo, tamen animæ eorum delectabantur in Christo. Filius tuus etiam simul patiebatur; quia fuit in via comprehensor. Sed benedicta tua anima, Virgo Maria, torquebatur in Christo, & totam tuam animam tribulationis & doloris vehementia possidebat.

2. Fuisti itaque, sacratissima Virgo Maria, plusquam Martyr; quia duplex pertulisti Martyrium, dum mortem Filij tui benedicti vidisti & eius salutifero exemplo tua membra sanctissima super terram mortificasti: quod genus Martyrij, alio illo, nimirùm quo membra cæduntur ferro, horrore quidem mitius, sed diuturnitate est molestius: & sicut non fuit dolor, sicut dolor ille, qui transiuit corpus & membra benedicti Filij tui, sicut ipse dicit, *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor similis, sicut dolor meus*, sic non fuit sicut dolor ille, qui tua viscera virginea, *Thren. 1. 12.* Virgo Maria, per compassionem pertransiuit.

3. O benignissima Virgo Maria, sentiam ego durissimus peccator & lapideus hunc dolorem. Ora illum, qui pro me sustinuit tantum dolorem, vt de peccatis meis doleam, & ei ac tibi compatiar de his, quæ pro me ambo misericorditer sustinuistis, vt in fine vobiscum gaudere valeam in æternum. Amen.



Contemplatio VI.

De Eodem.

1. CIrcumdata varietate fuisti, Virgo Maria, scilicet varietate tribulationum & dolorum, & verè tot, quot benedictum Filium vidisti patientem, hinc enim vidisti caput ipsius spinis coronari, hinc genas euelli, hinc vultum conspui, hinc os felle potari, hinc manus, & pedes configi, hinc latus post mortem lanceâ aperiri, caput expirantis in humeros inclinari. Verè beatissima Virgo Maria, circumdata fuisti varietate tribulationum & dolorum; & poteras dicere cum Susanna, *Angustiæ mihi sunt vndique*, & cum Dauid, *Vndique angustiæ me premunt*.

Daniel. 13. 22. Paralip. 21. 13. In 1. resp. 1. noct. Assumpt B. Virg. Eccl. 24. 18.

2. Tunc etiam sicut canitur de te, *Circumdabunt te flores rosarum*, id est, infinita martyriorum genera, quæ figurantur in rosis; quarum rubor significat martyrium. Propter hoc appellaris *Rosa plantata in Ierico*; quia in te fuit summa perfectio amoris, & martyrium intensissimi doloris. Quãtò enim diligebas ardentiùs, tanto es vulnerata profundiùs. Non enim fuit talis Filius nec fuit talis Mater; non fuit tanta charitas, sicut inter te sacratissimam Matrem, & benedictum Filium tuum. Non fuit tam indigna mors, non fuit dolor tantus. Sciebas namque tu, inuiolata Mater, qualis erat tuus gloriosissimus Filius, & vnde conceptus, & quomodo: & ideò, quantò ipsum dilexisti tenerius, tantò vulnerata fuisti profundius, nihil habens consolationis, sed totum habens tribulationis & doloris, nam absorpta sunt sacratissima viscera maternis doloribus, vltra quod homo vel Angelus perpendere posset; non tamen vsque ad desperationem. Martyres namque passi sunt propter fidem, sed tu, piissima Virgo Maria, passa fuisti propter charitatem, ideo de te scribitur, *vulnerata charitate ego sum*; & sicut charitas maior est quàm fides, quia *maior horum est charitas*; sic tuum martyrium, patientissima Virgo Maria, excellit martyria Sanctorum. Alij martyres diuersis gladijs martyrizati sunt, tu, Virgo Maria, eodem gladio quo Filius tuus benedictus. Alij martyres diuersis ictibus, sed tu, beata Virgo Maria, eodem ictu, quo gloriosissimus Filius tuus.

Cant. 2. 5. secundum LXX. 1. Cor. 13. 13.

3. O beata Virgo Maria, pro me peccatore ista pertulit benedictus Filius tuus, & tu impetra mihi ab ipso tuis sanctissimis deprecationibus, vt gratias quantũ mea fragilitas patietur, referam sibi, & tibi; vt vobis in vita præsenti placeam, & post mortem vitam habeam sempiternam. Amen.

Contemplatio VII.

De Eodem.

1. COmpatiendo tibi, gloriosissima Virgo Maria, & tuæ tribulationi & dolori, benedictus Filius tuus fuit tibi vmbraculum meridiani: nam in meridie Sol feruet & claret; & Sol persecutionis in passione Filij tui fuit, quasi in meridie: quia nulla euidentior & grauior potuit esse persecutio tibi gloriosæ Virgini Mariæ, quàm videre mortem Filij tui proprij benedicti, & maximè talis Filij, qui erat vnicus tibi, Virgo Maria, fuit namque tibi sanctissimæ Virgini Sol persecutionis in meridiano, quia Sol in meridiano exurit terram; sic enim Sol, id est, Christi persecutio exurit terram, id est, terrenos, scilicet Apostolos, qui erant terreni; quia percusso Pastore dispersæ sunt oues gregis.

2. In te sola Virgo Maria, stetit Ecclesia nec te combussit feruor meridiani, & tibi Virgo Maria, fuit tunc Flius tuus benedictus vmbraculum meridiani. Vnde dicere potuisti benedicto Filio tuo suscitato, *secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo*, Fili mi, *consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Vnde sic stabas juxta Crucem Filij tui, vt videres eum salutem hominum procurantem, morientem mundo, sed victurum Deo; non solùm considerabas dolorem Filij tui benedicti, sed etiam salutem mundi expectabas, licèt enim scires benedictum Filium tuum positum in statera Crucis, pretium esse sufficiens pro peccatis totius mundi; tamen si quis vellet calumniari pretium, hoc est, esse minus sufficiens dicere, præstò erat te ipsam impendere, dum tamen sic posses diuinæ voluntati te conformare. Numquam enim, ex quo Filium tuum benedictum concepisti, fuisti nisi in languore, tribulatione, & dolore, languisti enim timore à Natiuitate Filij tui benedicti vsque ad Passionem, cùm semper vitam ipsius appeti insidiis cognosceres. Languisti dolore & tribulatione toto tempore Passionis, donec rediuiuum recepisti. Languisti etiam amore post Ascensionem quodammodò in desiderio, quia ascendentem in cœlum non tenebas; propter quod dicebas, *Filiæ Ierusalem*, id est, vos virtutes Angelicæ, supernam Ierusalem inhabitantes, *nunciate dilecto meo*, id est, Filio meo, *quia amore langueo.*

Psalm. 93. 19.

Cant. 5. 8.

3. Nunc autem, fœlicissima Virgo Maria, cum ipso es, & cum ipso habitas sine dolore, sine tribulatione, & sine aliqua tristitia; sed cum magno gaudio, & exultatione, gloria & honore. Exora illum, misericordissima Virgo Maria, pro me tribulato peccatore, vt tristitiam & tribulationem meam conuertat in gaudium, quod nemo tollat à me in æternum. Amen.



PARS XIII.

DE PRÆROGATIVA GLORIOSÆ VIRGINIS MARIÆ.

Contemplatio I.

Quòd Virgo Maria fuit primiceria virginitatis.

PRÆROGATIVA I.

1. PVRISSIMA Virgo Maria, cùm primò factus est mundus per Creatorem, benedicta fuit fœcunditas, vt multiplicarentur homines; postea, cùm ab vno populo agnitus est Deus per legem, maledicta fuit sterilitas, vt multiplicarentur fideles postremò cùm instabat tempus in quo nunc ab omnibus gentibus Deus colitur, benedicta fuit virginitas, vt ad vitam cœlibem relicto carnali opere cuncti prouocarentur; nec fœcunditas carnis meritum, nec sterilitas dicitur esse culpa; nec per multitudinem filiorum, sed per merita virtutum, antiqui & moderni Domino placuerunt. Non ergo culpanda fuisti, Virgo Maria, nec accusanda de contemptu legis, in qua sterilitas maledicebatur. Imò sola singulariter es laudanda, quia prima legis verba non carnaliter sapienda considerans, elegisti, vt abiectio plebis in terra fieres, & opprobrium hominum, vt per munditiam integritatis in cælo fieres socia Angelorum: & prima inter fœminas præ amore castitatis maledictum legis in carne tua sustinuisti, quæ illum ex carne tua paritura eras, qui ipse in carne sua maledictum legis pro nobis suscipiens, nos à maledictione legis liberauit. Vnde tibi soli datum est, vt Filium Dei pareres, & Virgo permaneres: vt, quia prima fœcunditati virginitatem prætulisti, nunc & fœcunda esses in carne, & integra in virginitate.

2. Sed quare gloriosa Virgo Maria; post votum castitatis consensisti virum habere; cum propositum virginitatis nunquam mutaueris, nec in carnalem copulam consenseris? certè Virgo Maria, parentibus tuis nuptias tibi imperantibus inobediens noluisti esse, & ob hoc viro nubere consensisti spiritali, per Spiritum sanctum; qui te à principio, castitatis amore accen-

derat, fiduciâ confirmatâ & ſpe quam in Deum habebas, non dubia quòd tu diuina miſericordia ita cuſtodiret, vt poſſes voluntati parentum in matrimonio contrahendo obedientiam exhibere, & tamen nihil in eodem matrimonio inuentura eſſes, pro quo votum virgnitatis frangere poſſes. Suſcepiſti ergo coniugium, ſed non mutaſti virginitatis propoſitum. Et quia caſtitatem dilexiſti & obedientiam tenuiſti, inuenta eſt in te, & ſine detrimento virginitatis, coniugalis ſanctitas & ſine opprobrio ſterilitatis fœcunda virginitas: & ſic veraciter nomen aſſumpſiſti coniugis & perſeueranter votum tenuiſti virginitatis. O ſignifera & exemplar virginitatis! hæc eſt magna prærogatiua tibi conceſſa vt deſponſata eſſes, & Virgo permaneres, & ne ex oblatione virginitatis remaneres in opprobrio ſterilitatis, ſicut tu nouum feceras in terra benedicendo virginitatem, ſic & in te nouum fecit Dominus ſuper terram, quod nouum tota terra & totus mundus capere non poterat.

3. O beata Virgo Maria, ob meritum tantæ prærogatiuæ adiuuare me turpiſſimum peccatorem digneris, qui non in virtute, ſed in peccatis prærogatiuam accepi. Ora illum qui ſic eſt dignatus te eligere, vt mihi dignetur indulgere & vitam meam miſerabilem in virtuoſam commutare, per quam venire valeam ad gloriam ſempiternam. Amen.

Contemplatio II.

Quòd fuit ſine corruptione fœcunda, & ſine grauamine grauida.

PRÆROGATIVA II.

1. MAxima fuit illa prærogatiua, Virgo Maria, quia fuiſti ſine corruptione fœcunda, & ſine grauamine grauida. Nam in tuæ conceptionis initio, quando cæteræ mulieres miſerabiliùs affliguntur, tu intemerata Virgo, cum magna alacritate montana aſcendiſti cum feſtinatione, vt Elizabeth miniſtrares, quam ab Angelo audiueras concepiſſe. Aſcendiſti igitur cum feſtinatione, id eſt, non lento gradu, ſicut mos eſt grauatorum aliquo onere; ſed leuiter aſcendiſti, tu beatiſſima Virgo Maria, oſtendendo quòd ſine grauamine portabas Filium tuum benedictum. In Bethleem aſcendiſti, & imminente iam ſanctiſſimo partu tuo leuiter incedebas, portans in vtero tuo virginali pretioſiſſimum depoſitum. Portabas namque illum in quantum erat homo, & te portabat, in quantum ipſe erat, *Sub quo curuantur, qui portant orbem: portatque omnia verbo virtutis ſuæ.* Iob. 9. 13 Heb. 1. 3

2. Non te grauauit, beatiſſima Virgo Maria, benedictus Filius tuus in tuo vtero virginali exiſtens; quia de ipſo ſcribitur, quòd *onus eius leue eſt.* Nec mirum, glorioſa Virgo Maria, ſi te non grauauit quia vndæ maris Matth. 11. 30. pondus corporis ſui ſuſtinebant potentiâ virtutis, & tu ipſum ſolidiùs in tuo

vtero virginali sine grauamine portabas. Tu, Virgo Maria, illum portabas, & ille te regebat. O Virgo purissima, intrauit tuum vterum virginalem sine corruptione, quia Spiritus sanctus ministrauit substantiam: & tu, Virgo intemerata, non sensisti concupiscentiam; non suscepisti semen ex viro, sed fœcundus fuit tuus venter germinans in Filio. Fuisti, Virgo Maria, electa vt Sol; quem ignis non comburit, nec aqua emollit, nec gladius scindit, nec fœtor corrumpit, nec vitium obsistit: sic tu Virgo Maria, incorruptibilis fuisti. Tu porta clausa nominaris, quia semper fuisti clausa peccato cogitationis, peccato locutionis, & peccato operationis, & ideò scribitur, Virgo beata, *non intrabit in eam aliquid coinquinatum.* Hæc est igitur prærogatiua tua, pretiosissima Virgo Maria, vt esses fœcunda sine corruptione, & grauidata sine grauamine.

Ezech. 44. 2. Apoc. 21 27.

3. Sed benignissima Virgo Maria, ego miser & sceleratus fœcundus sum multis corruptionibus peccatorum, & grauatus magno pondere vitiorum: ex his prostratus iaceo, vulneratus, & maculatus diuersis generibus delictorum. Adiuua me, piissima Virgo Maria, ne sic moriar morte peccatorum, quæ est pessima. Ora tuum Filium benedictum, vt tollat à me grauamen, & pondus peccatorum per contritionem, confessionem, & emendationem: vt hîc per gratiam, & in fine per gloriam eleuer ad eum, & cum ipso permaneam in æternum. Amen.

Contemplatio III.

Quòd sine dolore peperit.

PRÆROGATIVA III.

1. O Virgo puerpera, benedicta Virgo Maria, quæ virum peperisti sine dolore, id est, sine naturalium læsione; virũ, inquam, peperisti, scilicet Saluatorem omnium sæculorum, & hoc sine dolore; quia natum statim pannis inuoluisti & in præsepio reclinasti, cùm tamen aliæ matres frequenter pereant in puerperio, aut vix remaneant semiuiuæ. Ideò Eua non peperit sine dolore, quia non concepit sine libidine: libido enim est causa doloris, & dolor effectus libidinis: ex effectu igitur causa inuenitur in eo quod dicitur, *in dolore paries filios.* E conuerso autem siue è contrario in conspectu tuo, Virgo Maria gloriosa, ex sublatione causæ perpenditur ipsius effectus sublatio; quia concepisti, Virgo, cum virginitate, & sic concepisti sine libidine; & quia concepisti sine libidine, portasti sine grauamine, & consequenter peperisti sine dolore: vnde dicitur:

Genes. 3. 16. Ex Hym S. Amb. de partu Virg. & habetur in Brev. Carth.

Veni Redemptor gentium,
Ostende partum Virginis,
Miretur omne sæculum,
Talis decet partus Deum.

Non

Non dicit, Virgo Maria, *ostende conceptum Virginis*, sed *partum*; qui tantus & talis est, vt Deum deceat, & quem omne sæculum debeat admirari. Ideò etiam dicit; *Ostende partum Virginis* : quia in partu Virginis plus aliquid declaratur quàm in conceptu. In conceptu namque tuo, Virgo Maria, fuisti sine coïtu grauida, in partu verò tuo tota incorruptio fuit ostensa: quia Virgo ante partum, Virgo in partu, & Virgo post partum fuisti. Hinc ergo optatur, vt partus tuus ignorantibus ostendatur; quia, si tu Virgo Maria, peperisses in sordibus & dolore; nec Deum deceret talis partus, neque esset aliquid de quo mundus deberet admirari.

2. Liberè igitur egit, Virgo Maria, benedictus Filius tuus, qui Deus vltionum est, liberè egit; quia inter omnes liber fuit à culpa ideò liberè egit *Psalm.*
in nascendo ex te, benedicta Virgo Maria, quia processit ex tuo vtero *93. 1.*
virginali tanquam sponsus alacer & exultans, & totus festiuus ad ducendam vxorem, id est; coniungendam sibi Ecclesiam in sua natiuitate processit de thalamo suo, scilicet de vtero tuo virginali, & propter hoc in hora, quâ natus est ex te, intemerata Virgo Maria, annunciatum est Pastoribus gaudium magnum ab Angelis, & cantatum, Gloria in excelsis Deo. Hæc igitur est, beatissima Virgo Maria, prærogatiua tua, vt sine dolore pareres Saluatorem ex tuo vtero virginali. *Luc. 2.*

3. Sed ego nefandissimus peccator, peperi vitia & peccata, cogitationes *14.*
sordidas quæ separauerunt animam meam à Deo, consensus prauos, & iniquos, opera maligna omni iniquitate plena. Succurre mihi, Virgo piissima, ob meritum tanti gaudij, quod in partu tuo habuisti. Ora partum tuum, vt mecum misericorditer agat, peccata remittendo, & virtutes conferendo, per quas ei & tibi placidè seruiam, & in futuro gloriam percipiam sempiternam. Amen.

Contemplatio IV.

Quòd fuit Virgo & Mater Dei.

PRÆROGATIVA IV.

1. NOn est talis mulier, tibi similis super terram, nec fuit, neque erit, sicut tu, beatissima Virgo Maria, quæ gaudia Matris cum virginitatis honore habuisti; quia Virgo & Mater Dei fuisti, & non alia. In hac enim prærogatiua dignitatis non communicat tibi homo, non Angelus, non *Psal. 3. 7*
aliqua creatura; sed sola cum Deo Patre dicere potes filio Dei Filius meus es *Gen. 2.*
tu sola potes de Christo homine; *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne* *23.*
mea. Filius autem tuus potest dicere tibi, *Pelle & carnibus vestisti me, ossibus* *Iob. 10. 11.*
& neruis compegisti me; quod propriè fuit, cùm tu, Virgo Maria, consensisti *Luc 1.*
quòd Filius Dei caro fieret in te, & ex te, cùm videlicet respondisti, *Fiat* *38.*

Genes. 2 24. Matth. 19. 5. 1. Cor. 6. 16. *mihi secundùm verbum tuum.* Ideò dicitur, *Erunt duo in carne vna*, duo, scilicet Christus & tu in carne tua vriginali; quia Mater & Filius in vna carne sunt. Hæc, beatissima Virgo Maria, gloria tua singularis est, & excellens prærogatiua, quod Filium vnum eundemque cum Deo Patre habere meruisti communem; Deus namque Filium suum, quem solum de corde suo æqualem sibi genitum, tamquam se, diligebat, dedit tibi & ex te fecit sibi Filium, non alium, sed eundẽ ipsum, vt naturaliter esset vnus idemq; Filius Dei, & tuus.

2. O Virgo Maria, quàm singulariter Virgo fuisti, & Mater Dei, & nulla alia; & si aliqua alia posset esse Virgo & Mater, adhuc tu, gloriosa Virgo Maria singularis remaneres, quia vnicum Dei Filium genuisti; quia sicut est vnicus vnico Patri, ita est vnicus Filius tuus; & ideò nulla alia, etiamsi Virgo pariat, vel eumdem, vel talem generabit: magnum igitur, Virgo Maria, tibi fuit fuisse virginem, sed maius & mirabilius in virginitate fuisse fœcundam, & post euacuationem tui vteri virginalis, habuisse vterum sigillatum, & hoc fuit *gratia super gratiam*: sed maximum tibi fuit, & ineffabile fuisse Matrem Dei. A sæculo enim non est auditum, quòd aliqua mulier, exceptâ te, gloriosa Virgo Maria, dicere Deo potuerit, *Filius meus es tu.*

3. O benignissima Virgo Maria, non potes dicere quòd ego sum Filius tuus per gratiam; sed dicere potes quòd tuus sum inimicus per peccatum; quia offendi multipliciter Filium tuum benedictum & te; reconciliare me digneris, sacratissima Virgo Maria, apud gloriosissimum Filium tuum, vt d mittat, & deleat misericorditer, quæ iniquè, & dolosè commisi; vt filius adoptionis efficiar, & hæreditatem acquiram sempiternam. Amen.

Contemplatio V.

Quod peccare non potuit, nec mortaliter, nec venialiter.

PRÆROGATIVA V.

1. O Sacratissima Virgo Maria, quanta, & qualis, & quantùm admirabilis fuit illa prærogatiua, quòd peccare nequires mortaliter nec venialiter, ex quo Filium Dei concepisti. Ideò de te scriptum est, *& sic in Sion firmata sum.* Sed præmittit, *coram ipso ministraui.* Tu, beatissima Virgo Maria, ministrasti, quando nominando te ancillam, in ipso momento consensum præbuisti, dicendo, *fiat mihi secundùm verbum tuum*; concepto igitur Saluatore, dicere potuisti, *firmata sum*, id est, in bono confirmata; & hoc *in Sion*, id est, in militante Ecclesia adhuc posita; quod fuit speciale priuilegium, & prærogatiua maxima. Alij enim Sancti in hac vita non sic firmantur, vt de cætero peccare non possint, sed tantùm in superna Hierusalem. At Spiritus sanctus superueniens in te, & virtus Altissimi obumbrans tibi, extinxit in te carnalem concupiscentiam, & abstulit cordis

Eccl. 24. 15. Luc. 1. 38.

ignorantiam; & ſicut lumen ignis conſumit tenebras, ſic virtus Altiſſimi, ſcilicet idem Filius Dei obumbrans tibi, contra omne incentiuum peccati præſtitit refrigerium, nam ſi lucida fuit nubes quæ obumbrauit diſcipulos, quàm lucida fuit nubes gratiæ, quæ obumbrauit te Matrem Chriſti? Et, ſi illud vmbraculum quod fecit tibi Filius vel Spiritus ſanctus, lucidum erat, ergo & lucem & vmbram exhibebat: lucem ad pellendam ignorantiam; vmbram, ad extinguendam concupiſcentiam.

2. Mira igitur fuit illa obumbratio Spiritus ſancti, quæ ſub vno momento deterſit, & exterminauit à te, tam ignorantiam quàm concupiſcentiam mali: & quòd integrè in te concupiſcentiæ fomes extinctus fuit, probat profectò quòd cum virginitatis integritate poſtmodum concepiſti & peperiſti: & quàm profunda illuminatio fuit, probat, quòd illud tantæ profunditatis ſacramentum tam veraciter, & tam velociter credidiſti, quod ſapientibus huius mundi vix aliquando per tot & tanta miracula perſuaderi potuit. Virgo Maria, ſic plena fuiſti Spiritu ſancto, quòd locum vacuum in te peccatum non inuenit. Spiritus ſanctus non te dereliquit; & ita ad te acceſſum habere non potuit malignus ſpiritus, & ideò nihil inquinatum incurrere potuiſti, quia impoſſibile erat quòd de cætero poſſes peccare. Tu etiam, Virgo Maria, Gabrielem ad tui cuſtodiam deputatum habuiſti, qui interpretatur *Fortitudo Dei*, quo patrocinante nihil in te proficere poterat inimicus nec ſolum vnicum Angelum habuiſti tecum, ſed etiam infinitos. Ideò dicitur, *Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis,* *Pſalm. 90.11.*
ſcilicet cogitationibus, locutionibus, & omnibus actionibus.

3. Sed, beatiſſima Virgo Maria, ego peccator prærogatiuam habui diſcernendi inter bonum & malum; & fortitudinem abſtinendi à malo, & faciendi bonum, diuinâ gratiâ iuuante; vt ſic ſaltem præcauerem ab omni peccato mortali; ſed ſic fui miſerabilis quòd à bono opere abſtinui, & ad peccandum me laxaui; & ſic prærogatiuam mihi miſericorditer à Deo datam non cuſtodiui. Ora pro me, piiſſima Virgo Maria, ne cum malis operibus meis finiam vitam meam, ſed ipſam emendem per meam operationem virtuoſam vt vitam obtineam ſempiternam. Amen.

Contemplatio VI.

Quod omnes virtutes & gratias habuit in ſuperlatiuo gradu.

PRÆROGATIVA VI.

1. O Virtuoſiſſima Virgo Maria, ſcriptum eſt de te, *Omnia poma noua & vetera, dilecte mi, ſeruaui tibi.* Virtutes, & opera virtutum appel- *Cant. 2. 13.*
lantur *poma* propter refectionem, quia ſunt cibus animarum propter ſanitatem, cibus enim ſunt infirmantium; propter odorem, quia delectant,

confortant & refouent, audientes curremus in odorem vnguentorum, id est, virtutum. Tu, preciosissima Virgo Mater, vniuersas & singulas virtutes & dona gratiarum habuisti in altiori gradu, sed alij sancti singuli singulas. Vnde Noë *Iustus* dicitur, Abraham fidelis, castus Ioseph, Moyses mansuetus, Iob patiens, Dauid humilis, Salomon sapiens, Elias zelator legis & huiusmodi. Vnde de quolibet sancto canitur illud, *non est inuentus similis illi*: quilibet illorum præcellebat alios Sanctos sui temporis in aliqua speciali virtute. Sed tu, excellentissima Virgo Maria, supergressa es super omnes Sanctos veteris & noui Testamenti, non in quibusdam sed in singulis virtutibus.

Eccles. 44. 20.

2. Tu, benedicta Virgo Maria, affluens deliciis Angelorum, virtutes singulorum in te habuisti. Cùm enim officium Angelorum sit ministrare, quodammodò in te Angelorum formam expressisti, dum Elizabeth ministrasti; tu, Virgo Maria, ministrasti minora cum Angelis, qui minora nunciant, cùm dixisti ministris nuptiarum *Quodcumque dixerit vobis, facite*. Tu, Virgo Maria, majora cum Archangelis ministrasti, cùm Apostolis deficientibus in Passione Filij tui, imperterrita iuxta crucem stetisti, licèt gladio Passionis fueris transfossa. Tu, Virgo Maria, Sanctos principatus exemplasti, cùm per humilitatem, dæmonis superbiam deiecisti. Ideò dicitur quòd contriuisti caput serpentis, quod est superbia. Tu, Virgo Maria, Potestates exemplasti, cùm per paupertatem Spiritus, cupiditatem totius mundanæ potestatis contempsisti. Tu sanctas Dominationes exemplasti, cùm per virginitatis pudicitiam, immunditiam voluptatis calcasti, quia in te spiritus dominabatur carni; & fomes extinctus erat. Tu Virgo Maria, Thronos in te descripsisti, cùm sedes summi Regis facta fuisti, qui dixit tibi, *Veni electa mea, & ponam in te thronum meum*. Tu Virgo Maria, Cherubim qui interpretantur *plenitudo scientiæ*, rectè transformasti, cùm illum in te receperis, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi. Tu, Virgo Maria, Seraphim, qui interpretantur *ardentes* exemplasti, quia cum desiderio ardenti Filium tuum prosecuta es ascendentem clamans, *trahe me post te*. Et cùm visa es dixisse Angelis orando, *nunciate dilecto meo, quia amore langueo*.

Ioa. 2. 5.

Eccl. in comme. Virgin.

Cant. 1. 3.

Ibid. 5. 8

3. Hæc est igitur, Virgo Maria, tua maxima prærogatiua, quòd in terra & in cœlo omnes & singulos in virtutibus præuenisti. Sed ego præueni omnes peccatores in peccatis; & quæ alij particulariter commiserunt, ego miser vniuersaliter aut cogitatione, aut delectatione, aut consensu, aut opere commisi. Adiuua me, virtuosissima Virgo Maria, vt merita tuarum virtutum, demerita peccatorum meorum & pœnas tollant, & auferant; vt virtuosè hîc viuendo, virtutem & sapientiam Dei misericorditer videam, per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Contemplatio VII.

Quod Virginis Mariæ dignitas excellit dignitates omnium Sanctorum & cœlestium virtutum.

PRÆROGATIVA VII.

1. TVa dignitas, dignissima Virgo Maria, excellit non solum dignitates omnium Sanctorum, sed etiam omnium Cœlestium virtutum; Tu, benedicta Virgo Maria, superior es Angelis in gloria, quia plus meruisti. Tu Virgo Maria, superior es in honore, quia Filius tuus super Choros Angelorum te collocauit. Tu, Virgo Maria, superior es virginitate, quia in carne fragili, quod non Angeli, sine carnis vitio vixisti. Tu, Virgo Maria, superior es reuelatione, quia Dominus secretum suæ Incarnationis priùs tibi, quàm alicui Angelorum reuelauit, excepto duntaxat Gabriele, qui vtique tantæ inter suos inueniri potuit excellentiæ, vt tali & nomine dignus haberetur & nuncio. Tu, Virgo Maria, superior es contemplatione Dei, quia cùm sis resuscitata, vt verè creditur, Regem gloriæ in decore suo vident oculi tui, non solùm intellectuales, sed etiam corporales, quales Angeli non habent, qui oculis intellectualibus solummodò vident. Tu, Virgo Maria, superior es Angelis, quia Filius Dei nusquam Angelos apprehendit, id est, naturam Angelicam, sed semen Abrahæ apprehendit, in te, & ex te, ministerio sancti Spiritus. Tu, Virgo pia, superior es Angelis, quia nulli Angelorum dixit aliquando Pater, *Filius meus es tu*, sed hoc dicit Filio tuo in Baptismo, & in Transfiguratione. Tu, Virgo Maria, superior es Angelis, quia nulli Angelorum subiecit Pater orbem terrarum, sed Filio tuo benedicto de quo scribitur. *Omnia subiecisti sub pedibus eius*; & *quia omnia subiecit sub pedibus eius, nihil dimisit non subiectum ei.* *Hebr. 2. 17. Ibid. 1. 5 Ibid. 2. 8 Sap. 8. 1.*

2. Tota verò tua prærogatiua, Virgo Maria, ab excellentissima prærogatiua benedicti Filij tui deriuatur. Sed vnde hoc tibi, sanctissima Virgo Maria? vnde tibi tanta prærogatiua? certè, Virgo prudentissima, à Domino est, qui potens est; ideò tibi magna; magna scilicet in terris, exaltans te super omnes homines; magna in cælis, exaltans te super omnes Angelos, magna in infernis, subiiciens tibi vniuersas Potestates. Tuum imperium attingit à mari vsque ad mare, quod etiam ex dono Filij tui benedicti, attingit à fine vsque ad finem fortiter, & cum eo disponit omnia suauiter.

3. Sed, beatissima Virgo Maria, sicut locus tuus est celsior loco Angelorum, sic locus mihi debitus est inferior loco aliorum peccatorum, si iustitia mihi mera fiat, secundùm peccata nefandissima quæ commisi. Subueniat mihi misero misericordia tua, Regina cœlorum. Ora benedictum Filium tuum, vt ab illo inferiori loco me excipiat misericorditer, & sic ad benefaciendum me compellat, vt locum gloriæ obtineam sempiternæ. Amen.

Contemplatio VIII.

Quod Filius Dei, beatæ Virgini similis fuit secundùm humanitatem.

PRÆROGATIVA VIII.

1. O Copiosissima spiritualibus deliciis, beatissima Virgo Maria, tu conspicua bonitate, diserta sapientiâ, tremenda cunctis viuentibus potestate: genere illustris; formâ desiderabilis; immensitate incomprehensibilis, æternitate indeficiens. Tu Virgo existens, in Matrem Domini electa es, vt immensus de te mundissimâ & purissimâ nasceretur; & vt, sicut in cœlo patrem habebat immortalem, æternus, sic in terra Matrem haberet virginem incorruptam. Et quia in cælo qualis Pater, talis Filius; ideò in terra qualis Mater, talis Filius, in cælo cum Patre æternus & immensus, in terra cum Matre Virgo & humilis, in cœlo imago Patris, in terra imago Matris; & ideò beatissima & gloriosissima, Virgo Maria, prærogatiua tua ex eo est, quòd Filius Dei secundùm humanitatem dignatus est fieri tibi consimilis: & ideò etiam te talem fecit Matrem suam, secundùm quod Deus, qualis fieri voluit ex te Matre secundùm quod homo. Propter hoc de te, Matre & benedicto Filio tuo dicitur, *Vitis frondosa, simul fructus adæquatus est ei.* Vitis frondosa simul id est, tu, Virgo Maria, fructus, id est Christus, adæquatus est ei, propter hoc etiam dicitur de Christo, *Non est bonum esse hominem solum: faciamus ei adiutorium simile sibi.* Et vt præmissa fierent Virgo Maria, ab æterno prædestinata fuisti, & electa; quia scribitur, *Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis.* Tu à sanctis Patriarchis & Regibus fuisti generata, vnde canitur, *Natiuitas tua ex semine Abrahæ, orta de tribu Iuda, clara ex stirpe Dauid.* Tu Virgo Maria, à perditionis massa separata es in vtero sanctificata, quia, *Sanctificauit Dominus tabernaculum suum.* Tu, Virgo Maria, fuisti cum charitate cumulata, ab vno de summis Archangelis officiosissimè salutata, saluâ virginitate Mater effecta, virtute fidei omne bonum assecuta, loco summi magistri ad docendos Apostolos substituta, in morte temporali, mortis nexibus non depressa.

Oseæ 10. 1.
Genes. 2 18.
Prouer. 8.23.
Eccl. in Officio Natiu. V. M.
Psalm. 45. 5.

2. Hæc est, benedicta Virgo Maria, immensa prærogatiua tua, quam, dum benè contemplor, in meipso confundor; quia multiplicatis magnis criminibus & peccatis, nec deuotè, nec vt deberem contemplari valeo. Sed auxiliatrix propitia esto mihi, benignissima Virgo Maria, deprecando Filium tuum benedictum, qui cor meum sic mundare dignetur, vt te & tuas beatissimas prærogatiuas contemplari valeam, vitamque meam emendem, vt gloriam adipiscar sempiternam. Amen.

Contemplatio IX.

Quòd ab omnibus generationibus, Virgo Maria est benedicta.

PRÆROGATIVA IX.

1. Beatam *te dicunt omnes generationes*; benedicta Virgo Maria, quia omnibus generationibus vitam & gloriam genuisti; in te Angeli gloriam, iusti gratiam, peccatores veniam inuenierunt in æternum. Meritò in te respiciunt oculi totius creaturæ; quia in te, per te, & de te benigna manus omnipotentis, quidquid creauerat recreauit. Beatam igitur te dicunt omnes generationes, scilicet generationes cœli, id est, Angelorum, quia per te sunt redintegrati: generationes terræ beatam te dicunt, Virgo Maria, quæ te præcesserunt, scilicet Patriarchæ & Prophetæ, quia per te ab inferno sunt excitati; beatam te dicunt, Virgo Maria, generationes terræ, scilicet Apostoli & Sancti, qui tecum corporaliter conuersati sunt: quia per partum tuum sunt redempti, beatam te dicunt, Virgo Maria, generationes terræ omnes, quæ sequuntur, vt nos, quia sumus per te gratiâ illustrati. Beatam te dicunt omnes generationes, quæ perierant, prima sine patre & matre, vt in Adam; secunda de patre sine matre, vt in Eua; tertia de patre & matre, vt in Noë; quarta autem generatio de matre sine patre, quæ fuit in Christo, liberauit tres prædictas. *Luc. 1. 48.*

2. Beatam igitur te dicunt omnes generationes, scilicet generatio cordis, generatio oris, & generatio operis; quæ te beatam dicunt, & prædicant, vt tibi dicatur *Generatio & generatio laudabit opera tua, & potentiam tuam pronuntiabunt*. Generationes enim cordis, quæ sunt fides, spes, & charitas, humilitas, & obedientia, timor, & reuerentia. Respiciunt, Virgo Maria, ad tuam dilectionem; generationes autẽ oris, quæ sunt laudatio, honorificentia, prædicatio, salutatio, & gratiarum actio, respiciunt ad tuam venerationem, Virgo benedicta; generationes operis, quæ sunt munditia, erogatio, pura manuum eleuatio, & bona operatio, respiciunt ad tuam imitationem, bonam operationem, & gloriam nominis tui; vt dicere valeant, *Omnia quæ intra me sunt, benedicunt nomen sanctum tuum.* *Psalme 144. 4.* *Psalm. 102. 1.*

3. Sed, beatissima Virgo Maria, generationes cordis mei te non dilexerunt, sed carnem, & mundum, & peccata plurima dilexerunt; generatio oris mei te non honorauit sed potius honorauit, transitoria, & caduca huius mundi; generationes operis mei te imitari noluerunt per virtuosam operationem, sed ego eas miser dedicaui ad multorum vitiorum iniquam perpetrationem. Succurre mihi digneris, piissima Virgo Maria; exora Filium

tuum benedictum, qui me dignetur sic ab omni sorde mundare, vt omnes generationes meæ, ipsum & te diligant corde, honorent sermone, & per bona opera quantum poterunt, imitentur, vt hîc gratiam & in futuro gloriam percipiam sempiternam. Amen.



Contemplatio X.

De Assumptione Virginis Mariæ.

PRÆROGATIVA X.

1. O Inenarrabilis prærogatiua tua, beatissima Vrgo Maria, de qua scriptum est, *Ingressa est Regina Saba in Hierusalem, cum comitatu multo.* Tu, gloriosa Virgo Maria, dicta es *Regina Saba*, quæ interpretatur, *conuersio* vel *intercessio*. Tu peccatores conuertis, & eorum affectus per charitatem incendis; ingressa es igitur in Hierusalem supernam, quæ est conuersio peccatoris, in qua facie ad faciem vides illum, qui est pax nostra, scilicet Christus Filius tuus benedictus, qui in effusione pretiosissimi Sanguinis sui, pacificauit nos Deo Patri. Ingressa es cum comitatu multo; quia cùm fuisti assumpta ad cœlum ad æthereũ thalamum, tibi obuiam fuit tuus Filius benedictus, & Angeli, & Sancti. Tibi igitur obuiam venit benedictus Filius tuus, qui te præcesserat ad cœlestia regna, vt tibi pararet, sicut Discipulis suis promiserat, in æthereis mansionibus, locum immortalitatis; vt Regina misericordiæ cum Filio tuo Rege iustitiæ regnares in perpetuum. Et ideò de te in Assumptione tua canitur, *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum?* Non enim posset inniti dilecto, nisi præsens esset dilectus.

3. Reg. 10. 1. — *Cant. 8. 5.*

2. In tua insuper Assumptione intersunt Angeli, te Dominam, & sororem ipsorum suscepturi, quia vitam Angelicam, imò plusquàm Angelicam duxisti in terris, in carne viuendo præter carnem. Et per tuum partum redintegratus est numerus Angelorum ex casu luciferi diminutus. Intersunt etiam sancti Patriarchæ, de quorum stirpe descendisti; quia *Natiuitas tua de semine Abrahæ, orta de tribu Iuda, clara ex stirpe Dauid.* Isti per tuum partum extracti sunt de inferno & ad paradisum introducti; per te enim ipse Deus Rex noster ante sæcula, disposuit operari salutem in medio terræ, quæ dispositio sanctos non latuit Patriarchas. Interfuerunt etiam sancti, qui quod prædixerant de partu tuo glorioso & redemptione humani generis in te & per te gratulabantur impletum, gratias agentes, quia per te fideles inuenti sunt, sicut petierunt, dicentes, *Da mercedem, Domine, sustinentibus te, vt Prophetæ tui fideles inueniantur. Da mercedem*, id est, te gloriosam Virginem Mariam; *sustinentibus te*, id est, expectantibus aduentum tuum; vt *Prophetæ tui*, qui hoc promiserunt; *fideles*, id est, veraces, *inueniantur.*

Eccl. in officio Natiu. V. M. — *Eccl. 36. 18.*

niantur scilicet impletâ eorũ promissione. Interfuerũt etiã Apostoli viuentes in carne, tuas exequias deuotis laudibus, obsequiosâ reuerentiã celebrantes ad quorum etiam preces Filius tuus benedictus te, vt asseritur, à mortuis die tertiã suscitauit. Interfuerunt etiam sancti Martyres, cum quibus tibi non defuit gloria martyrij; imò maior; quia in ea parte, quæ impassibilis est, scilicet in anima passa es; illi autem in corpore. Interfuerunt etiam Confessores, quorum temperantia, sobrietas, & contemplatio non defuit tibi, sed & Filij tui potentiam & impensam tibi multiplicem gratiam confessa es, dicens, *Fecit mihi magna, qui potens est*; & hæc fuit confessio laudis diuinæ. Interfuerunt etiam sanctæ Virgines, beatæ adolescentulæ, adhærentes tibi familiariùs, currentes in odoribus vnguentorum tuorum, & sequentes te quocumque ieris, sicut scriptum est, *Adducentur Regi Virgines post eam.* *Luc. 1. 49. Psalm. 44. 15.*

3. Hic est comitatus magnus, & multus, cum quo tu Regina cœlestis in supernam Hierusalem, intrasti. Sed mens mea, Virgo Maria, non ascendit ad supernam Ierusalem, sed potiùs descendit ad terrestrem, hoc est ad terrena vitia & peccata, quæ cogitauit, quibus consensit, ac quę frequenter opere consummauit; sed tu, pia Virgo, ob meritum istius sanctissimæ prærogatiuæ, ora tuum Filium benedictum, vt hîc sic me misericorditer ordinet & disponat, vt finito huius vitæ ergastulo, supernam Hierusalem introëam, ibi sine fine regnaturus. Amen.

Contemplatio XI.

De eadem Prærogatiua Assumptionis.

1. QVantum in terris, gloriosa Virgo Maria, adepta es gratiæ præ cæteris, tantùm in cœlis obtines gloriæ singularis; quia sicut *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se*, ita contemplari non potest, nec inuestigari humanitùs, quid tibi genitrici & diligenti se præ omnibus præparauit. Si enim in domo Patris mansiones multæ sunt, tibi Matri in tua Assumptione, splendidiorem & sublimiorem locum tuus Filius benedictus concessit; quia dignum erat, & valdè dignum per omnia, quòd, sicut meritis, sic & præmiis antecederes Sanctorum ordines vniuersos; vt dicere posses, *Introduxit me Rex in cellaria sua*: nam contentus est cellario suo quilibet ordo Sanctorum, id, est, suâ mansione. Sed tu, beatissima Virgo Maria, speciali priuilegio in omnia es introducta; quia sicut merita, ita & præmium omnium assecuta fuisti. *1. Cor. 2. 9. Is. 64. 4. Cant 1. 3.*

2. De tua namque gloriosissima Assumptione canitur, *Vidi speciosam, sicut Columbam, ascendentem desuper riuos aquarum.* Aquæ namque istæ, sunt virtutes Angelicæ, & cœlestes populi, qui inuitantur quotidie ad laudes Creatoris sui, sicut scribitur, *Aquæ, quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini.* Riui aquarum sunt ordines Angelorum, scilicet Angeli, & Archangeli, *Eccles. in 1. resp. Assum. Psalm. 144. 4.*

Principatus, Virtutes, Potestates, Dominationes, Throni, Cherubim, & Seraphim, & ordines Sanctorum, scilicet Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines, & omnes Iusti: propter enim priuilegium tuæ sanctissimæ Assumptionis gloriosior super ordines vniuersorum Sanctorum ascendisti, nec tantum super eos, sed in altiorem quemdam locum desuper ascendisti: Vnde *Ascendisti super Cherubim*, quod interpretatur *Plenitudo scientiæ*, quia nulla humana scientia attingere potest quantùm ascendis, vel ad quam gloriam non determinat, quò, ascendisti, sed vnde: vsque eò enim te prosequi potuit, qui hoc dixit; & tunc quasi euanuisti ex oculis eius, vt quò ascenderes, capere non potuerit, vel dicere ei non licuerit.

Psalme 17. 11.

3. *Ascendisti* igitur *super Cherubim, & volasti*, id est, velociter ascendisti: volasti namque ab humano intellectu, volasti super pennas ventorum, id est, in præsenti, volasti super virtutes & merita sanctarum animarum, quæ venti dicuntur, sicut scribitur, *Qui fecit ventis pondus*, id est, *animabus corpus*. Sed in tua beatissima Assumptione volasti super pennas Angelorum & Sanctorum: nunc audis cum gaudio, *Maria, ecce Filius tuus*: ecce, quem genuisti, quem in tanta vides maiestate fulgentem. Nam aliquando ab eodem audisti in statu longè alio tibi dici, *Mulier, ecce Filius tuus*. Sed hæc prima iam abierunt, ideò in tua benedicta Assumptione, cum multo fœnore restituta es, & præsentiâ benedicti Filij tui gaudes, & gaudebis in æternum.

Iob. 28. 25.

Ioan. 19. 26.

4. Sed, misericordissima Virgo Maria, confiteor me indignum in cœlum ascendere, ac benedictâ Filij tui præsentiâ frui, cùm iniquus peccator sim, omni descensu infernali dignus. Tu verò, piissima Virgo Maria, ad tantam gloriam assumpta, vt pro peccatoribus intercederes. Ora pro me tuum Filium gloriosum; qui per suam clementiam deleat in me pondus peccatorum meorum, vt ad suam gloriam liberè ascendere possim, ibique manere per infinita sæculorum sæcula. Amen.

Contemplatio XII.

De eadem Assumptionis Prærogatiua.

1. QVanta admiratione de tua Assumptione, Virgo Maria, homo peccator admirari potest, cùm Angeli de ipsa admirentur, dicentes, *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum?* Non quærunt, *qualis est ista*, vel *quanta*, sed *quæ*, quia de qualitate & quantitate ipsius, quoad gloriam, ad quam ascendisti, Virgo Maria, ipse Iesus, à quo datum est illis te videre, eos certos effecit. Vnde mirando quærunt, non dubitando, *quæ est ista*? id est, quàm admirabilis, quàm delicata, quàm præcellens omnes creaturas, quàm magnis præconiis extollenda, quantâ

Cant. 8. 5.

admiratione dignissima, quæ non solùm totum mundum, sed totum cœlum circumquâque suauitatis inæstimabilis odore perfundit. Ascendisti igitur, Virgo gloriosa, de gratia ad meritum, & de merito ad præmium; ascendisti de gratia benignitatis, ad gloriam genitricis, non cuiuslibet, sed Dei; ascendisti de humilitate ancillæ; ad dignitatem Reginæ: ascendisti de sterilitate virginitatis, ad fœcunditatem genitricis, Virgo purissima permanens; ascendisti de mundo ad cœlum, super choros Angelorum, vsque ad dexteram benedicti Filij tui sedentis in throno: ascendisti de deserto, cuius contemnens concupiscentias & delectabilia, spiritualibus adhæsisti deliciis.

2. Ideò dicitur, beatissima Virgo, quòd ascendisti *deliciis affluens*, id est, abundantiâ deliciarum, quæ sunt dona specialium charismatum, & principales Spiritus sancti consolationes, quibus, Virgo gloriosa, repleta fuisti, istæ etiam deliciæ sunt priuilegiatæ misericordiæ opera, quibus refecisti benedictum Filium tuum, & ei exhibuisti de propria substantia tua; ascendisti, beatissima Virgo Maria, innixa super dilectum tuum, quasi superior dilecto tuo, vt sic te matrem reuerenter Filius tuus susciperet. Non enim euacuabitur in præsentia præceptum illud diuinum *Honora Patrem & Matrem*, sed perfectissimè adimplebitur, incepit enim Filius tuus facere & docere. Et tibi, Virgo, vices rependit: nam innixus tibi matri, descendit in terram in Incarnatione; & tu mater innixa Filio, ascendisti in cœlum in tua Assumptione. Innixus fuit Filius tuus super te, quando assumpsit ex te carnem in vtero tuo virginali formatus; & tu innixa fuisti super eum, dum ad dexteram eius ascendisti. Tu, Virgo gloriosissima, innixa fuisti super dilectum tuum, ei attribuens quidquid boni habebas, ideò dicebas; *Fecit mihi magna qui potens est.* Priùs, benedicta Virgo Maria, deliciis affluxisti, & posteà innixa es super dilectum tuum; nam ne perderes delicias affluentes, non tuis meritis, sed ipsius innitebaris gratiæ, & in futurum præmium sperabas.

Exod. 20.12.
Act. 1.2.
Luc. 1. 49.

3. Sed, beatissima Virgo Maria, ego nefandissimus peccator non delicijs supernaturalibus sed corporalibus affluo, quæ animam meam miseram ad committendum multa peccata prouocant, & inclinant, & ad ipsorum consummationem me inducunt, & ideò indignum me fateor in cælum ascendere, sed potiùs descendere ad infernum; nisi tua misericordia per intercessionem assiduam adiuuare me dignetur, vt iram benedicti Filij tui mitiges, eius pietatem & clementiam mihi impetres, adiuuare me igitur digneris, orando ipsum assiduè, vt peccata mea deleat, misericorditer gratiam tribuendo in præsenti, & gloriam in futuro æternam. Amen.



PARS XIV.

DE CERTIS VOCABVLIS GLORIOSÆ VIRGINIS MARIÆ.

Contemplatio I.

Beata Virgo, Mater.

1.  Beatissima Virgo Maria, ſcriptum eſt de te, *Ego Mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & ſanctæ ſpei.*
Eccl. 24. 24. Tu, Virgo Mater es *dilectionis*, id eſt, Chriſti, qui dicitur *dilectio*, quaſi duo ligans quoad duas naturas, ſcilicet Deum homini, & hominem aſſumptum Deo in vnitate perſonæ, cùm Verbum caro factum eſt. Per dilectionem enim, quam habuit ad genus humanum, colligauit ſibi naturam humanam, quia dilectio eſt diligentis & rei dilectæ, quaſi quædam vnio, potiſſimùm in bonis; & naturaliter illud, quod amatur, in ſui naturam ſuum conuertit amatorem; per dilectionem etiam, quam
1. Cor. 6. 17. habet ad nos, colligat nos ſibi ipſi: quia, *Qui adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt cum eo.* Tu, glorioſa Virgo Maria, es etiam *pulchræ dilectionis*; quia dilectores & amicos tuos, Chriſto Filio tuo, qui eſt pulcherrimus, facis ſimiles, ſimilitudinem Filij in eis per gratiam refigurans, quam peccando amiſerant. Tu Virgo Maria, *Mater es pulchræ dilectionis*, id eſt, Chriſti, qui pulcher ſcilicet ſplendor gloriæ, & ſpecioſus formâ, non ſolùm præ filiis hominum, ſed etiam præ millibus Angelorum: qui etiam ſolus pulchrè diligit; & à quo pulchra dilectio; quia charitas forma eſt deaurata, ſiue pulchritudo virtutum.

2. Tu, benedicta Virgo Maria, Mater es timoris, id eſt, Chriſti, qui ſolus
Math. 10. 28. timendus eſt, vt ipſemet dicit: *Nolite timere eos qui occidunt corpus; ſed illum timete qui poteſt corpus & animam perdere in gehennam.* Timendus igitur eſt, ne peccando amittatur. Tu, Virgo Maria, Mater es timoris, docens fugere, quod fugiendum eſt; quia tu prima non ſolùm peccatum, ſed & occaſiones peccatorum declinaſti; quod patet per hoc, quòd magnificata per conceptum Filij, te humiliaſti, & obſequium Elizabethæ præbuiſti, illud
Eccl 3. 20. adimplendo, *Quantò magnus es humilia te in omnibus.* Tu, Virgo Maria,

Mater es *timoris*, qui in te præparauit locum Creatori, & Spiritui ſancto, *Luc. 1.*
quando expauiſti excellentiâ angelicæ ſalutationis: ideò dictum eſt tibi, *30.*
Ne timeas, Virgo Maria.

3. Tu Virgo *Mater es agnitionis*, id eſt, Chriſti, quia Chriſtus dicitur Agnus, ab agnoſcendo; quia cùm immolaretur in cruce, agnouit Patrem obedientiâ, Matrem cuſtodiâ, familiam miſericordiâ; Patrem agnouit obedientiâ, dicens, *Non mea voluntas, ſed tua fiat*, te Matrem agnouit cuſtodiâ, *Luc. 22. 42.* aſſignans te Ioanni, & dicens *Mater ecce Filius tuus*, familiam agnouit miſericordiâ, cuius peccata, id eſt, pœnam peccatorum, miſericorditer *Ioan. 19. 26.* pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, Tu Mater es, Virgo Maria, *agnitionis*, id eſt reuelationis fidei, quæ ſola fidei reuelatio ad te, & in te, facta eſt: quia tu dediſti exemplum credendi, quod credendum eſt: & ideò dictum eſt tibi, *Beata quæ credidiſti.* Tu es Luna exemplo fidei mundum tenebro- *Luc. 1. 45.* ſum illuminans, tu es ſtella exemplo fidei Magos ad Chriſtum adducens, tu es aurora, terminans noctem infidelitatis, & diem, id eſt, lucem fidei adducens; tu lucerna gratiæ & fidei poſita ſuper candelabrum.

4. Tu, Virgo Maria, Mater es ſanctæ ſpei, quia exemplo tuæ ſpei docuiſti quid ſperandum: noſti enim quòd vnum eſt neceſſarium, & quod primò quærendum eſt regnum Dei, tu non ſolùm fuiſti exemplum ſpei, ſed ſanctæ ſpei, quòd immobilis, cadentibus etiam ſtellis de cœlo, id eſt, Diſcipulis à fide recedentibus, tu ſola remanſiſti fixa in firmamento, id eſt, in Chriſto, non enim extincta fuit in nocte diuinæ Paſſionis, lucerna tua, id eſt, fides.

5. Ego verò miſer peccator, non habui ſanctam fidem, quia in iniquitate ſperaui, committens multa ſcelera, & confidens ex hoc de diuina indulgentia, & ſic dupliciter peccabam. Deprecari digneris pro me peccatore, Virgo Maria, vt Filius tuus efficiar per gratiam, per quam hîc benè viuam, & in futuro gloriam percipiam ſempiternam. Amen.

Contemplatio II.

Beata *Virgo* Amica.

1. OMnium Dominus dilexit te, glorioſiſſima Virgo Maria, ideò *Amica* nominaris; nam Deo ſeruiſti, non in timore, ſed in vinculo charitatis, *In cant. Cant. paßim.* nullum aliud emolumentum quærens ex tua dilectione quàm ipſum dilectum. Tu, Virgo Maria, amica Dei es, quia voluntatem tuam diuinæ voluntati per omnia conformaſti, & in hac conformatione ſeu conformitate, vera amicitia certiſſimè comprobatur, quia idem velle & idem nolle, vera amicitia eſt, vnde intelligens per Angelum, quod Filius Dei de te volebat carnem aſſumere, ſtatim Angelo reſpondiſti *Fiat mihi ſecundùm verbum* *Luc. 1. 38.*

tuum; Tu amica Dei es, beatissima Virgo Maria, quia omnia præcepta amici tui Iesu Christi adimplesti, quod proprium amantium. Vnde dicitur, *Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis.* Tu, Virgo Maria, amica Dei es, quia tu Filio tuo benedicto ad mundi redemptionem coadjutrix fidelissima extitisti: quando ei de carne tua virginali tunicam texuisti, quam pro salute omnium Deo Patri sacrificium in cruce obtulit, in odorem suauitatis.

Ioan. 15. 14.

2. Tu, Virgo Maria, amica Dei es, quia nec in prosperis, nec in aduersis benedictum Filium tuum deseruisti, nec ab eo deserta es, vnde dicitur, *omni tempore*, id est, in aduersis & prosperis *diligit, qui amicus est*, re & nomine: vera enim amicitia est iunctura animorum amantium, quæ non solùm verbis, sed etiam factis contrahitur: nec beneficiis exterioribus pascitur, sed amore; quia totus fructus ipsius est in amore, nec amicum deserit in tempore aduersitatis suæ, sicut etiam egisti, benedicta Virgo Maria, quia verissima amica Dei fuisti, non deserendo Filium tuum gloriosum; nam dum in vltima necessitate esset positus, amici & amicæ ipsum dereliquerunt. Sed tu, benignissima Virgo Maria, ipsum non reliquisti; sed ad pedem ipsius Crucis remansisti; & vulnera, quæ ipse reciperet in corpore, tu, Virgo Maria, suscepisti in mente; quia sicut lancea militis perforauit eius latus, sic doloris gladius tuam animam pertransiuit. Tu, gloriosa Virgo Maria, amica Dei es, quia ipsum in omnibus honorasti; & quidquid boni habuisti, ei totum attribuisti, dicendo, *Gratiâ Dei sum id quod sum.* Tu etiam, Virgo Maria, honorata fuisti ab illo, quando te exaltauit super choros Angelorum, & collocauit ad dexteram ipsius.

Prouer. 17. 17.

1. Cor. 15. 10.

3. Sed, piissima Virgo Maria, ego iniquus peccator, amicum huius sæculi me feci, diligendo mundana & transitoria huius vitæ; imo, quod longè mihi damnabilius est, peccata dilexi, peccatis adhæsi, & in peccatis continuaui; & sic inimicum Dei & tui me miserabiliter constitui. Reformare digneris tuis sanctissimis precibus, gloriosa Virgo Maria, amicitiam quam per Baptismum contraxeram cum benedicto Filio tuo; vt in vnione spiritus seruiam ei, & opera faciam quæ cum ipso veram amicitiam conseruent, & meritum augeant, vt in fine præmium obtineam sempiternum. Amen.

Contemplatio III.

Virgo Maria Soror.

Cant. 4. 9.

1. VUlnerasti cor meum, Soror mea, verba sunt, Virgo gloriosissima, benedicti Filij tui loquentis ad te. Vulnerasti namque cor ipsius, non vulnere doloris, sed vulnere charitatis, ipsum ad amorem tuum delectabilem attrahendo, vt te profundè diligeret toto corde. Tu, beatissima

Virgo Maria, Soror Christi es, quia Filius est Dei Patris per naturam, & tu specialis, imo specialissima Filia eiusdem Patris es, per gratiam. Vt tantò sis specialior Soror Christi, quoniam ambo vnus sanguis & vna caro effecti estis. Vnde dicitur, *erunt duo* (scilicet Christus & tu) *in carne vna* *Genes. 2.* virginali. Tu, Virgo Maria, Soror Christi es per castissimam, sinceram & *24.* feruentissimam dilectionem quæ solet esse inter fratrem & sororem. Tu etiam es per naturæ identitatem conformis & connaturalis ei, & hæreditatis æternæ comparticeps; summè etiam dilecta ab eo, quia *Nemo car-* *Ephes. 5.* *nem suam odio habuit*; & simile à suo simili noscitur, & ab eo diligitur. *29.* Quanto igitur tu, Virgo Maria, naturæ mundioris es, ac moribus & virtutibus Christo es similior, tantò ampliùs ab eo dilecta es tanquam specialis soror.

2. Tu, benedicta Virgo Maria, Soror es populi Christiani per naturam, quæ summa gloria est populo Christiano; si esset qui aduerteret, habere scilicet Sororem Reginam Angelorum, & Hominum; imò, quod plus est, habere Sororem Sponsam Patris, Matrem Filij, Amicam Spiritus sancti, & Reginam cœlestis regni; vbi plenariam habes potestatem quoscumque volueris introducere, quidquid volueris impetrare, quidquid à benedicto Filio tuo petieris, obtinere. Ideò potes dicere cum benedicto Filio tuo, *Matth.* *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra*; & *in Hierusalem*, scilicet su- *28. 18.* *Eccl. 24.* perna, *potestas mea*. *15.*

3. Tu, gloriosa Virgo Maria, Soror es Angelorum; in carne enim præter carnem vixisti: quia tua vita fuit Angelica, non humana; vnde Angeli dicunt de te, *Quid faciemus Sorori nostræ in die, quando alloquenda est; in die scilicet illa, quando eam alloquetur Angelus Gabriel.* Sed respondent statim dicentes, *Si murus est, ædificemus super eam.* Tu, Virgo Maria, murus es, ad mala fortiter repellenda à te & aliis. Tu murus es quantum ad virtutes, quibus malis resistitur, vt sunt patientia, fortitudo & magnanimitas. Tu murus es rursum, quia infamiam non admittis; Tu murus es nobis ad defensionem & conseruationem; Tu murus es propter firmitatem propositi conseruandæ virginitatis; Tu murus es super quo sancta Trinitas ædificauit.

4. Tu, benedicta Virgo Maria, Soror es Patriarcharum, & Prophetarum, *Cant. 8.* qui dicunt de te, *Soror nostra paruula est, & vbera non habet.* Tu Virgo Ma- *9.* ria, paruula es per humilitatem mentis, mundaque & pura tanquam iuuencula, quæ vbera non habet. Sed ego iniquissimus peccator, qui licèt frater tuus sim (quia ex ijsdem parentibus prioribus descendimus) tuus frater nominari non debeo; quia degeneraui immiscendo me miserabiliter diuersis iniquitatibus & peccatis: sed, Virgo piissima, compati mihi digneris indignissimo Filio tuo, & pro me iugiter Filium tuum exorare, vt sic vitam meam disponat, quòd tibi & sibi placeam, & tecum viuam in æternum. Amen.

Contemplatio IV.

Virgo Maria, Filia.

1. SPiritus sanctus, dilectissima Virgo Maria, te familiariter instruens dicebat tibi, *Audi Filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum Patris tui.* Tu, prudentissima Virgo Maria, audisti, vt posses credere ijs, quæ tibi dicenda erant ab Angelo; quia *fides ex auditu*; Audisti, Virgo Maria, non sicut Eua, quæ sibilum serpentis audiuit in Paradiso, & ideò in toto mundo pullulauit damnatio, sed audisti verbum Dei, quia *Beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Audisti, Virgo Maria, non linguam carnis, quæ suggerit delectabilia; non linguam mundi, quæ suggerit vana, non linguam diaboli, quæ suggerit iniqua, sed linguam Angeli Gabrielis, annuntiantis salutifera, & dicentis, *Aue gratiâ plena, Dominus tecum.* Audi igitur Filia nuntiationem Patris, quia *Benedicta Filia tu à Domino, & vide*: Vidisti namque fragilitatem tuam secundùm naturam nostram humanam, & sic te ipsam humiliasti in oculis tuis, & Deum exaltasti; vidisti etiam scripturas Prophetarum, quæ in te complebantur. Vidisti præmia iustorum, & supplicia reproborum, & sic verbis admonita es, & exemplis instructa; igitur. *Inclina aurem tuam*; inclinasti etiam piissimam aurem tuam, vt humiliter obedires diuinæ voluntati; vt sic mediante obedientiâ conciperes Filium Dei per fidem dictorum: & ne de te ipsa præsumeres, dictum est tibi *Obliuiscere populum tuum, & domum Patris tui*; quia nec populum augere prolis multiplicatione, nec domui Patris relinquere curasti hæredem, sed quidquid honoris in populo, quidquid de paterna domo terrenarum rerum habere potuisses, omnia arbitrata es vt stercora, vt Christum lucri faceres; nec, gloriosa Virgo Maria, fefellit te intentio, quia Christũ Filium tibi vendicasti, qui propositum tuæ pudicitiæ non violauit, ideò fuisti *Gratiâ plena*, quia gratiam virginitatis non perdidisti, & insuper fœcunditatis gloriam acquisiuisti, & in his consistit maximè decor, de quo sequitur, *Concupiscet Rex decorem tuum*, id est, te decoram omni pulchritudine virtutum, quia tota pulchra es, & macula non est in te, & ideò subiungitur, *Omnis gloria filiæ Regis ab intus.* Tu, Virgo Maria, filia Regis fuisti secundùm carnem, quia de te scribitur, *Regali ex progenie Maria*, Filia es etiam Regis Dei Patris per creationem & gratiam. *Omnis gloria eius ab intus*, scilicet, quando Christum gestabas in tuo vtero virginali. Gloria tua ab intus, id est, conscientia tua pura, si enim gloriam foris quæreres, intus gloriam, quam Rex concupisceret, non haberes. Gloria tua ab intus, Virgo Maria, quia tanquam Virgo prudens, oleum, id est, nitorem bonæ conscientiæ, pietatis; & misericordiæ, habuisti in vase

Psalm. 44. 11. — *Luc. 11. 28.* — *Luc. 1. 28.* — *Iudith. 13. 23.* — *Eccl. in Offic. Natiu. B. Vir.*

vaſe triplici, ſcilicet cordis, oris, & operis, cum lampade integerrimæ virginitatis.

3. O Beata Virgo Maria, natus fui filius iræ, ſed miſericordiâ benedicti Filij tui per Baptiſmum factus fui Filius gratiæ; ſed pòſt ex grauitate & malitiâ meâ, iterum factus fui propter peccata, quæ commiſi, filius iræ. Adiuuet me, Virgo pia, tua clementia, orando tuum Filium benedictum, vt me faciat de filio iræ, filium gratiæ, vt cohæres tecum efficiar in hæreditate æternâ. Amen.

Contemplatio V.

Virgo Maria, Sponſa.

1. VIrgo prudentiſſima, & ſingulari dignitate dotata, glorioſa Virgo Maria, vocat te benedictus Sponſus tuus dicens, *Veni de Libano, Sponſa mea.* Tu, benedicta Virgo Maria, Sponſa Dei es; quia ſicut Sponſus eligit Sponſam vt ſibi placeat; ſic Deus, Virgo puriſſima, te elegit, ſicut canit Eccleſia dicens, *Elegit eam Deus, & prælegit eam*: quia ſine exemplo placuiſti Domino; & ſicut Sponſa ornatur diuerſis ornamentis, ſic tu, Virgo Maria, ornata fuiſti diuerſis donis Spiritus ſancti; & tunc concupiuit Rex decorem tuum. Sicut Sponſa coniungitur viro, ſic tu, ſpecioſiſſima Virgo Maria, coniuncta es Ieſu Christo per verba de præſenti, cùm dixiſti; *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum.* Sicut etiam Sponſa in thalamum Sponſi introducitur, ſic tu, benedicta Virgo Maria, introducta es in thalamum tui Sponſi Ieſu Chriſti, in tua Aſſumptione. Tu, Virgo Maria, à tuo Sponſo dotata fuiſti duplici dote. Gratiâ primò, vnde dicta es *Gratiâ plena,* & tandem gloriâ in excelſis, quia *Gratiam & gloriam dabit* Dominus.

Cant. 4. 8.

In Offi. B. V.

Luc. 1. 38.

Pſalm. 83. 12.

2. Tu Virgo ſpecioſa, Ieſu Chriſto dotem etiam dediſti: ſcilicet de carne tua puriſſima & mundiſſima, carnem in qua paſſus fuit pro redemptione generis humani; Tu, Virgo Maria, Sponſa Ieſu Chriſti, ſponſo tuo benedicto fidem ſeruaſti, qui cùm tempore Paſſionis ſuæ fides Apoſtolorum concuſſa vacillaret, tu velut Sponſa fidelis Sponſo, ſine fidei titubatione conſtanter adhæſiſti; Tu, glorioſa Virgo Maria, Sponſa Dei es, non ſolùm propter amoris affectionem, ſed etiam propter dominium; nam ſicut Sponſa poſt Sponſum, ſecundum locum habet in domo, ſic tu Sponſa Virgo Maria, poſt Chriſtum ſecundum locum habes in vniuerſo; & in bonis Sponſi maiorem obtines portionem: ſic namque te concupiuit Sponſus tuus, & tu Virgo Sponſa eius deſiderium induxiſti, quòd ad noſtram infirmitatem eſt humiliatus omnipotens, &, qui eſt vita viuentium, tradidit ſe ipſum ſponte ad mortem. Tu, pretioſiſſima Virgo Maria, deſponſata

fuisti fabro, vt per hoc innueretur te esse Sponsam illius artificis, *Qui fabricatus est auroram & solem.*

3. O beatissima Virgo Maria, Sponsa Dei dignissima, animam habeo mihi datam à Deo, quæ per Baptismum Sponsa ipsius effecta est, ab omni labe peccati mundata, virtutibus dotata, diuersis gratiis adornata, fidei annulo subarrhata; in Sponsi thalamum, id est, in Ecclesiam militantem, introducta. Sed ego sceleratissimus peccator, iniquitate plenus, ipsam abstuli Sponso, & in adulteria prostraui, diuersa, & nefandissima peccata, & vitia committendo; & ex his separata à Sponso, est infidelis facta, vitiis deturpata, à Sponsi thalamo eiecta, & inimicis Sponsi spontaneè subiecta. O piissima Virgo Maria, ora tuum benedictum Sponsum, vt animam meam sibi & tibi reconciliet, & indulgeat, vt in eius thalamum sic introducatur, vt perseuerans ipsius thalamum consequatur æternum. Amen.



Contemplatio VI.

Virgo Maria, Vidua.

1. TV, gloriosissima Virgo Maria, *Vidua* nuncuparis attestante Euangelio per hoc quòd commendata fuisti beato Ioanni Euangelistæ, & sic tunc Ioseph mortuus fuerat, cui priùs se, & te Matrem commiserat Filius tuus: non enim grandem te dimisisset, qui te iuuenculam conseruauit. Tu, Virgo Maria, es illa Vidua designata per illam Viduam Euangelicam,
Luc. 21. 2. quæ tantùm duo minuta misit in Gazophylacium, & plus cunctis diuitibus posuit, iuxta Dominicam sententiam. Virgo prudentissima Maria, vnum minutum, quod obtulisti, fuit tua admirabilis humilitas, quæ in reputatione tui ipsius summè minutam te fecit. Aliud minutum, fuit tua fides, comparata grano sinapis. Hæc duo minuta, dulcissima Virgo Maria, posuisti: quia in Gazophylacio, id est, Christo, in quo sunt omnes thesauri, sapientiæ & scientiæ Dei, hæc abscondisti: primum minutum fuit cùm dixisti: *Ecce*
Luc. 1. 38. *Ancilla Domini*: secundum minutum fuit, cùm dixisti, *Fiat mihi secundum verbum tuum*, & quia plus cæteris obtulisti, benedicta fuisti; nam omnibus aliis humilior & fidelior fuisti; & ideò plus meruisti; Nam Dominus non considerat quantum datur ei, sed ex quanto; plus enim attendit dantis charitatem, quàm muneris quantitatem; & secundùm charitatis intentionem retribuit gloriam vel coronam.

2. Tu, benignissima Virgo Maria, designata es per illam Viduam;
4. Reg. 4. quæ vasa vacua impleuit oleo ad præceptum Elisei? Ista vasa vacua fuerunt cogitationes tuæ, & opera tua, quæ vacua fuerunt amore terrenorum, & immunditiâ mortalis, & venialis peccati. Ista vasa clausa fuerunt inferiùs per contemptum temporalium, aperta superiùs per appetitum cælestium; hiantia per gratiæ desiderium, & capacia per profunditatem humilitatis, &

latitudinem charitatis. Ista vasa, piissima Virgo Maria, implesti ad præceptum Elisæi, id est, Christi, oleo scilicet pietatis & misericordiæ, quod viuificat peccatorem. Istud oleum sanat à malo, & instruit in bono, & lætificat in vtroque. Tu, misericordissima Virgo Maria, sanas peccatores per oleum gratiæ, instruis incipientes per oleum sapientiæ, proficientes & perfectos per oleum lætitiæ, quod est securitas conscientiæ.

3. O beatissima Virgo Maria, anima mea misera, Vidua effecta est per operum mortificationem; quia opera bona, quæ ipsam satiabant, Deo mortua sunt, quia frequenter in mortalibus peccatis ferebatur. Imò mea misera anima non solùm est Vidua, sed etiam mortua per peccatum. Resuscita eam piissima Virgo Maria, tuis sanctissimis intercessionibus, quibus adiuuantibus viuificetur, & Sponso suo Iesu Christo Filio tuo benedicto reconcilietur, & secum maneat per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Contemplatio VII.

Virgo Maria, Mulier.

1. BEnedicta es tu, pretiosissima Virgo Maria, inter omnes mulieres: quia Eua sic fuit infirma mulier, quòd expauit Deum, & quasi durum fecit; & ille quasi oblitus fuit misericordiæ suæ erga naturam humanam. Sed tu, Virgo Maria, fuisti Mulier fortis; quia sic Deum emollisti & placasti, quòd ferè oblitus fuit punitionis & vindictæ erga hominem, quem vt ad eum, à quo per peccatum recesserat, Filius reduceret, ipsum Filium formauit, & creauit Deus Pater ex tuo vtero virginali seruum sibi. Verè Eua fuit mulier infirma, quæ statim infirmata fuit ad primum verbum diaboli; Sed tu, Virgo Maria, Mulier fortis fuisti, corroborata ad verbum Angeli, & quando ex te virgine formatus fuit Christus considerans humanam naturam etiam in vtroque sexu. Oportebat vt de muliere salus procederet; vt peccato responderet remedium ad honorem Dei & gloriam, & vt vbi abundauit delictum, superabundaret & gratia. Tu, Virgo Maria, illa Mulier es, de qua dictum est serpenti; *Ponam inimicitias inter te & mulierem*; quia contriuisti caput serpentis; quod superbè erigebat, exultans de homine deiecto. Contriuisti caput ipsius, id est, vitium capitale, quod est superbia, initium omnis peccati, pede tuæ humilitatis, & concupiscentiam carnalem pede virginitatis; & hi duo pedes portant animam fidelem in Paradisum.

Rom. 5. 20.

Genes. 3 15.

Eccl. 10. 14.

2. Tu es illa fortis mulier, quæ à Salomone quærebatur, dicente, *Mulierem fortem quis inueniet?* Sed, donec ventum est ad te, non inueniebatur; Tu enim fortis fuisti contra carnem per virginitatem, contra mundum per paupertatem, contra diabolum per humilitatem, contra omne genus peccati per patientiam, quia aduersa omnia æquanimiter sustinuisti, & *Prou. 31. 10.*

prospera omnia pro amore Sponsi tui, viriliter contempsisti: Tu, Virgo Maria, illa es vnica mulier Hebræa, quæ fecit confusionem in domo Nabuchodonosor; mulier scilicet vna, singularis dignitate, & pietate, charitate, & præsidio; es namque mulier *Hebræa*, id est, *transiens* ad maternitatem de virginitate; de Ancilla ad Reginam; de Filia Dei in Matrem; nec aliqua ita perfectè transiit mundum transeuntem, & concupiscentiam ipsius. Tu, Virgo Mater, fecisti confusionem in domo Nabuchodonosor, hoc est, in inferno, cuius lymbum euacuasti per Filium, qui captiuis cœlum aperuit. Tu es illa mulier Chananæa, egressa de finibus Tyri & Sidonis, id est de profundo secularis conuersationis, quæ quotidie clamas ad Dominum pro filia, id est, pro peccatrice anima, quam in te misericorditer transformas, dicens, *Miserere mei, Fili Dauid*.

Iudith. 14. 16

Math. 15. 22.

Eccl. 36. 27.

3. O immaculata Mulier, & Mater incorrupta; scriptum est, *Vbi non est Mulier, ingemiscit egens*; nam vbi tu non es per gratiam, non potest esse nisi miseria, gemitus, & egestas. Anima mea, Virgo Maria, misera peccatrix est, multis & innumerabilibus peccatis obnoxia, in magna egestate constituta. Ora pro illa, & clama ad Filium tuum benedictum incessabili deprecatione, vt ab ipso misericorditer audire merearis, *O Mulier, magna est fides tua; fiat tibi sicut vis*; vt sic te adiuuante, & deprecante, curari valeam à peccatis, & æternam gloriam obtinere. Amen.

Contemplatio VIII.

Virgo Maria, Virgo.

1. O Virgo immaculata, & semper Virgo Maria, tu ferum contra nos Monocerotem seu Vnicornem mansuescere fecisti in tuo vtero virginali: sicut enim vnicornis est animal sæuissimum, & tantæ fortitudinis, quòd nullâ arte venatorum capi potest, imò vnico cornu, quod gestat in fronte, quæque disrumpit obstantia; sed per virginem tantùm mitescit, quòd à venatoribus capi potest: Inest enim ei naturaliter quòd visâ virgine in sinu illius se reclinat, & suæ ferocitatis oblitus cum mansuetudine requiescit. Sic Filius Dei Patris, cuius potestati, quæ per cornu designatur, nemo resistit, sæuus & indomitus videbatur, cùm pro sola cogitatione superbiæ, Luciferum cum suis de cælo; & pro morsu pomi, Adam & Euam expulit à Paradiso, mundum deleuit diluuio, Sodomitas igne & sulphure demersit in infernum. Sic in cœlo & in terra, iste Vnicornis sæuiebat; donec tu, gloriosa Virgo Maria, ipsum in huius mundi castellum intrantem, suscepisti in domum tuam, hoc est in gremium vteri tui virginalis, velut Vnicornem in sinu, & ipsum vestisti carne virgineâ, in qua incomprehensibilis secundùm diuinitatem capi dignatus est à venatoribus Gentilibus, & Iudæis, & addictus spontaneæ occisioni, se passus est crucifigi.

2. Tu, gloriosa Virgo Maria, fuisti Virgo disciplinata in cogitatu, in auditu, in respectu, in olfactu, in gustu, in risu, in loquela, in tactu, in incessu, & in omni motu, vt de te dicatur, *Disciplina tua donum Dei est.* Quæ disciplina abscondita fuit non solùm quoad homines, sed etiam quodammodò quoad Angelos. Qui licèt sublimiùs & subtiliùs intelligant aliis creaturis, Dei sapientiam, & tuam dignitatem; non tamen plenè eam percipiunt: quia solus Christus dignitatem Matris suæ plenariè comprehendit. Tu, Virgo Maria, fuisti Virgo constans, & in proposito animi perseuerans, quia, sicut incepisti, sic semper in bono proposito perseuerasti. Signata es per Annam Matrem Samuelis, cuius vultus non sunt in diuersa mutati. Tu, Virgo Maria, fuisti Virgo modesta, & tua modestia fuit nota omnibus hominibus, in superfluis resecandis per temperantiam, in sensibus refrænandis per prudentiam, in rationabiliter te habendo ad proximum per iustitiam, in æquanimiter tolerando aduersa per fortitudinem.

Eccl. 26. 17.
1. Reg. 1. 18.

3. Sed Virgo Virginum, benedicta Virgo Maria, ego peccator iniquissimus, non sum Virgo, sed corruptus in omnibus, indisciplinatus, inconstans in omni proposito boni; absque modestia quacumque, ad terrena totaliter inclinatus; & à cœlestibus mente & animo multipliciter elongatus. Adiuua me benignissima Virgo Maria, vt castus fiam tuis intercessionibus, & constans ac perseuerans, vt benedictum Filium tuum placatum videam, & gloriam percipiam sempiternam. Amen.

Contemplatio IX.

Virgo Maria, Princeps.

1. TV, benedicta Virgo Maria, *Princeps* nominaris: Princeps namque es, quia Filia Principis, id est, Dei Patris. Tu, Virgo Maria, Princeps es, id est, Mater Principis, scilicet Christi, qui dicitur *Princeps Regum terræ*; Tu, benignissima Virgo Maria, Princeps dicta es Ecclesiæ à tota sancta Trinitate, per te Princeps huius mundi, id est diabolus, qui dicitur Princeps, id est, Principium captiuitatis, eiicitur foras, scilicet à cordibus electorum. Iste enim Princeps primam mulierem captiuauit; sed à te, beata Virgine Mariâ Principe, captiuatus est: quia scriptum est de te, quòd conteres caput eius: & non solum semel, sed quotidie etiam id facis, quando tuo adiutorio diabolus expugnatur. Tu, Virgo Maria, Princeps es, quasi principium capiens, id est illum, qui dicit, *Ego sum principium, qui & loquor vobis.* Tu, Virgo Maria, es Princeps, id est, primum capiens, scilicet illum, qui dicit, *Ego sum primus & nouissimus.* Tu, Virgo Maria, Princeps, scilicet à principio; quia Christo dedisti principium essendi secundùm naturam humanam, quam assumpsit ex te: ideò tibi potest dicere, *Pelle & carnibus vestisti me, ossibus & neruis compegisti me.*

Apoc. 1. 5.
Gen. 3. 15.
Ioan. 8. 25.
Apoc. 1. 17.
Iob. 10. 11.

2. Tu, gloriosa Virgo, Princeps es à principatu, quia cœlorum sedes Regina in tua sanctissima Assumptione, & sola cum Deo principatum tenes in cœlo, & in terra, in mari, & in omnibus abyssis. Tu, laudabilis Virgo
Is. 32. 8. Maria, es illa Princeps de qua scribitur: *Princeps ea, quæ digna sunt Principe, cogitat*, scilicet cogitationes pacis, & non afflictionis. Vnde, sicut Filius tuus benedictus est Princeps Regum terræ; sic etiam tu, Virgo Maria, nominaris *Princeps Regum terræ*, quia ad tuum principatum sanctissimũ pertinent illi, qui vt regnent in cœlo, regnant in terra, & benè regunt se & suos subditos.

3. O clementissima Virgo Maria, Princeps cæli & terræ, quid ego peccator sceleratissimus faciam? quia Princeps mei ipsius non fui ad benè operandum, nec ad virtuosa opera exercendum, sed Principi huius mundi me miserabiliter submisi, & subiugaui, diuersa & infinita peccata committendo, & ipsius prauas, & nequissimas, & tuo benedicto Filio, & tibi odibiles tentationes recipiendo, & executioni ipsas toto posse, cum magna diligentia mandando; nisi tu, piissima Virgo Maria, mihi miserabili peccatori succurras, promissionem mihi factam de æterna hæreditate consequi non potero, neque per iustitiam debebo. Sed adiuuare me digneris, misericorditer deprecando tuum Filium benedictum, vt mea flagitia deleat, & virtutes sic mihi tribuat, vt sub vtriusque vestrum principatu, hîc in terra, & in futurum in cœlo, viuam per infinita sæculorum sæcula. Amen.

Contemplatio X.

Virgo Maria, Regina.

1. O Semper laudabilis, semper extollenda, semper glorificanda, semper magnificanda, semper veneranda, & semper timenda, beatissima Virgo Maria. Tu Regina mundi appellaris, propter Reginæ largitatem; largiris namque seruis tuis dona gratiarum, vestes virtutum, thesauros
Prou. 8. 18. meritorum, & magnitudinem præmiorum: & ideò potes dicere, *Sunt mecum diuitiæ & gloria*. Tu, Virgo Maria, Regina es propter protectionem; protegis enim nos sub pallio virginitatis, & humilitatis: nam humilitas tua & virginitas, sunt alæ tuæ, latæ per vtriusque virtutis plenitudinem; &
Psalm. 16. 8. ideò tibi potest & debet dicere quicumque fidelis, *Sub vmbra alarum tuarum protege me, à facie impiorum, qui me afflixerunt*, quia in vmbra alarum
Psalm. 56. 2. tuarum sperabo, donec transeat iniquitas, in vmbra virginitatis, contra incendium luxuriæ, protegar, & in vmbra humilitatis contra ventum inanis gloriæ, seu tempestatem superbiæ.

2. O Regina cœli & terræ, regnum Dei in duobus consistit, scilicet in misericordia & iustitia. Filius tuus benedictus sibi quasi retinuit iustitiam, velut dimidiam partem regni; Tibi autem, Virgo piissima, concessit misericordiam, quasi aliam dimidiam partem regni. Et ideò benedictus Filius tuus

dicitur *Sol iustitiæ*, & tu *Regina misericordiæ*: & hæc diuisio figurata fuit in Regina Esther, cui Rex Assuerus obtulit dimidiam partem regni sui. Sic etiam fecit tibi Rex Assuerus, id est, Christus, qui quamuis regnet in misericordia & iudicio, tamen ante te, clementissima Virgo Maria, non erat dimidiatum regnum, nec erat dimidiata misericordia cum iustitia, quia major sentiebatur seueritas iustitię, quàm clementia misericordiæ, nunc autem Virgo benignissima, dimidiaretur regnum, si æquali librâ iustitiam senriremus, & misericordiam: sed quia plus exigit infirmitas, & diuinam atque tuam decet largitatem dare plusquàm petatur, largitur gloriosissimus Filius tuus, & tu tuis precibus sanctissimis, regnum hîc dimidium, vt scilicet misericordia superexaltet iudicium.

3. O Regina pietatis: & misericordiæ, priuatum me sentio hîc viuendo prædicto regno, & in finem subiturus sum alteram partem regni, scilicet iudicium; & nisi pars tua ipsius regni scilicet misericordia me adiuuet, iudicium recipiam, non ad saluationem, sed ad damnationem, propter infinita scelera, quæ commisi. O dulcissima Virgo Maria, ora tuum benedictum natum, vt peccata mea in finem non reseruet, sed hîc ipsa misericorditer deleat, pœnitere me, & emendare ipsa faciat, vt securus eius iudicium intrando, sententiam reportare valeam salutarem. Amen.

Contemplatio XI.

Virgo Maria, Cœlum.

1. EXcelsa supra sidera, Virgo Maria, de celsitudine tua loquitur benedictus Filius tuus, dicens, *Cœlum & Terram ego impleo. Cœlum*, id est, animam tuam per gratiam, *& Terram*, id est, corpus tuum per naturam. Nam *Dominus in cœlo*, scilicet in tuo vtero virginali *Parauit sedem suam*, scilicet Spiritus sancti. Tu, Virgo Maria, *Cœlum* nominaris à *cœlando*, quia sicut in cœlo arcana Dei cœlantur: sic in tua pudicitia virginali custodiens secreta Christi, quæ noueras, nulli diuulgare volebas, sed ipsum quando vellet diuulgare reuerenter expectabas. Tibi soli datum est scire, quæ tibi datum est experiri. Tu *Cœlum* nominaris, quia sicut, *In principio creauit Deus Cœlum & Terram*, sic tu, Virgo Maria, fuisti primarium opus ipsius, dignitate & præfiguratione.

Ierem. 23.24.

Psalm. 102. 19.

Gen. 1. 1.

2. Tu *Cœlum* nominaris, quia sicut cœlum est altissimum, sic tu, Virgo Maria, altissima fuisti per mundi contemptum; quia quidquid terrenum est, longè deseruisti, & bonis super cœlestibus sublimiter adhæsisti: vt dicere posses, *Cœlum sursum, & Terra deorsum. Cœlum sursum*, id est, anima tua, quæ carni dominabatur, *& Terra deorsum*, id est, caro tua, quæ animæ famulabatur. Tu Virgo Maria, *Cœlum* nominaris, quia cœlum calidissimum est, cum sit igneæ naturæ: sic tu, Virgo Maria, per vehementiam

Prou. 25. 3.

charitatis, & abundantiam spiritus, tota facta es ignea; ex quo clausisti illum in vtero tuo virginali, qui ignis est illuminans, & calefaciens. Tu, Virgo Maria, *Cœlum* nominaris: quia sicut cœlum decoratum est, & ornatum vniuersitate luminarium; sic tu, Virgo Maria, decorata es & ornata vniuersitate gratiarum & virtutum, per quas illuminas intellectus Fidelium, & inflammas eorum affectus.

3. Tu, Virgo Maria, *Cœlum* nominaris, quia sicut cœlum est extensum & dilatatum, sic tu, Virgo Maria, extensa es & dilatata per misericordiæ immensitatem, & beneficiorum largitionem: quia omnibus omnia facta
Psalm. es; vt, quantùm in te est, lucrificias vniuersos. Tu, Virgo Maria, *Cœlum*
147.14. nominaris: quia sicut cœlum pacificum est, (fines namque eius posuit Deus pacem:) sic tu, Virgo Maria, pacifica fuisti & nullus motus sensualitatis repugnans rationi turbauit pacem tuam, & ideò *In pace factus est locus eius.*
Psalm. Et sicut cœlum solidum est, sic tu, Virgo Maria, solida es per mentis con-
75.2. stantiam & fidei firmitatem.

4. O beatissima Virgo Maria, ego impurissimus peccator non possum nominari *Cœlum*, sed potiùs *Terra*, quia totus sum terrenus, & prostratus in terram, lambens terram, cupiens terram, amplexans terram, diligens terram, & ea quæ in ipsa sunt. Sic quòd oculos mentis meæ non leuo ad cælum, nec ad ea, quæ ibi continentur. Adiuuare me digneris purissima Virgo Maria, tuis assiduis deprecationibus, vt relictis terrenis, ad cœlestia mentem eleuem, ibi mentem meam teneam, illa diligam, ab illis nunquam me separem: sed sicut illa suffragante tuâ clementiâ hîc per gratiam contemplabor, sic in futurum illa per gloriam possideam sine fine. Amen.

Contemplatio XII.

Virgo Maria, Firmamentum.

Gen. 1.6 1. IMmaculata Virgo Maria, scriptum est de te, *Fiat Firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis.* Tu, pretiosissima Virgo Maria, *Firmamentum* nominaris: quia sicut firmamentum in dispositione mundi nouissimum fuit, & supremum, sic tu, Virgo Maria, fuisti nouissima & vltima creaturarum Dei, in oculis tuis per humilitatem. Ideò su-
Matth. prema facta es, & præcellens omnes creaturas per exaltationem: quia, *Qui*
23.12. *se humiliat, exaltabitur.* Tu, Virgo Maria, ad instar firmamenti, diuisisti
Gen. 1.6 aquas ab aquis, per *aquas* intelliguntur deliciæ: diuisisti igitur aquas superiores, id est, delicias cœlestes, quas semper habuisti super te per desiderium; aquas verò, id est, delicias terrenorum seu carnalium voluptatum, habuisti sub pedibus per contemptum; quia labiles sunt, nec vnquam permanent in eodem statu; & omnis humana fœlicitas multis amaritudinibus est respersa.

2. Tu,

2. Tu, Virgo Maria, *Firmamentum* nominaris: quia tuis amatoribus diuidis aquas ab aquis, id est, illos, qui priùs erant fluxibiles per peccata & vitia, eleuas à fluxu vitiorum ad desiderium æternorum: quando scilicet de puluere egenum, & pauperem de stercore eleuas, pauperem spiritu seu humilem, vt sedeat cum Principibus; id est, cum Angelis in cœlestibus. Vnde licèt Deus semper benedicatur ab omnibus; tamen specialiter in te benedicitur; sicut scriptum est, *Benedictus es Domine in firmamento cœli*, id est, in te Maria; cùm enim eius opera omnia benedicant ei; quoniam nulla tam despecta creatura est, quæ non aliquo singulari beneficio laudem Dei videatur concinere; excellentiùs tamen benedictus est in firmamento cœli, id est, in te Maria, non solùm quia tu cæteris creaturis singulariter præemines, verumetiam quia luminarium tuorum; id est, virtutum ornatu multiplici, instar firmamenti miram Dei potentiam in te mirabiliter ostendis: quæ luminaria producta sunt, non tantùm vt nocte luceant, sed vt distinguant diem & noctem, id est, vitia & virtutes, & illuminent terram, id est, terrenos, sicut de firmamento dicitur.

1. Reg. 2. 8. — *Ibid.* — *Dan. 3. 56.*

3. Sed, gloriosissima Virgo Maria, in omni perfecto proposito & bona operatione firmata, ego nequissimus peccator firmamentum bonum non habui in bonis operibus continuandis, sed potiùs in vitiis & peccatis, in illis firmatus fui hactenus, & sum vsque ad diem præsentem. Succurrat mihi misericordia tua, Virgo Maria, vt firmamentum tuarum virtutum & misericordiarum, ac tuarum deprecationum me miserum peccatorem adjuuet; vt relicto firmamento malarum operationum & cogitationum, in bonis operibus me confirmet, & faciat perseueranter insistere: vt diuinâ misericordiâ suffultus, supra firmamentum cœli ascendens, regnum gloriæ obtineam sempiternum. Amen.

Contemplatio XIII.

Virgo Maria, Sol.

1. ELecta es vt Sol præclarissima Virgo Maria: quia sicut Sol cæteris sideribus claritate luminis & maiestate præfertur; sic tu, Virgo Maria, in cœlesti gloria Sanctis omnibus honore & gloriâ superposita es. Tu, Virgo Maria, *Electa es vt Sol*. id est, vt Solis Conditor: quia ille electus est in millibus hominum, tu, Virgo Maria, electa es in millibus fœminarum; Tu *Electa es vt Sol*, ad illuminandum, scilicet intellectum per veram cognitionem; & ad inflammandum affectum per veram dilectionem. Tu *Electa es* à Deo *sicut Sol*, quia sola sine exemplo placuisti Domino nostro Iesu Christo: *Electa es vt Sol*; in magnitudine & potestate, in vtilitate, in claritate, & calore. *Cant. 6. 9.*

2. Tua magnitudo, Virgo Maria, tua est humilitas; quia in humilitate omnis animæ quantitas mensuratur; fides tua est, potestas tua; quia fides potestas animæ est: nam quantũ habet quisq; fidei, tantùm habet potentiæ. Si parùm habet fidei, parùm habet potentiæ; si multùm, multùm; si omnem fidem, omnem potestatem. Potens igitur & viua fuit tua fides, Virgo Maria, quia vnico verbo operata fuisti illud, quod numquam auditum fuerat neque in cœlo, neque in terra, quando in Incarnatione benedicti Filij tui, respondisti Angelo, *Ecce Ancilla Domini: fiat mihi secundùm verbum tuum.* Vtilitas tua, est misericordia tua, quâ post misericordiam tui Filij benedicti nihil est vtilius humanæ creaturæ. Claritas tua, est puritas tua: calor verò charitas, quia charitas est animæ caliditas.

Lu.c.1. 38.

3. Tu, Virgo Maria, Sol nominaris, qui dicitur, quasi *sua omnibus largiens*; quia, tu, Virgo benedicta, quidquid habes, quantùm in te est, communicas & bonis & malis. Malis enim veniam impetras, & gratiam iustis multiplicas & conseruas; &, sicut Sol fulgore suo totum illustrat orbem terrarum; sic tu, piissima Virgo Maria, fulgore miraculorum, totum illustras orbem terrarum, & illustrabis vsque ad diem iudicij: quia de te scriptum est, *Vsque ad futurum sæculum non desinam*: & sicut Sol est Rex siderum; sic tu, Virgo Maria, Regina Virginum, imò Sanctorum omnium. Sicut etiam Sol non crescit, nec decrescit: sic tu, Virgo Maria, non creuisti per elationem, nec vnquam decreuisti per pusillanimitatem. Fuisti etiam clara, velut Sol, per sapientiam; pura, per continentiam; fulgida, per famam, calida, per charitatem, & exaltata, per Christi conceptionem.

Eccles. 24.14.

4. O benignissima Virgo Maria, clarifica me tenebrosum densitate peccatorum; calefacias me frigidum, liquefacias cor meum asperum & durum, munda me sordidum, ac multis vitiis & peccatis deturpatum, vt finito ergastulo huius vitæ, Solem iustitiæ videam, & illo frui valeam per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Contemplatio XIV.

Virgo Maria, Luna.

1. FEcit *Deus duo luminaria magna; luminare maius*, scilicet Solem, id est, Christum, *vt præesset diei*, id est, Iustis; *& luminare minus*, scilicet Lunam, id est, te Virginem Mariam, *vt præesset nocti* ad illuminandum peccatores. Ideò Filius tuus benedictus dicitur *Sol iustitiæ*; quia ab ipso est omnis iustitia; Tu, Virgo Maria, mater misericordiæ diceris, impletâ à Deo misericordiâ erga peccatores, sicut mater erga filios misericors est. Deus autem peccatores non audit, sed tu, Virgo Maria, Mater Dei ipsos non repellis. In Sole enim, id est, in benedicto Filio tuo, est feruor, id est iustitia puniens; & splendor, id est, misericordia parcens; in Luna verò, id est

Genes.1. 16.

in te, gloriosa Virgine Maria, est splendor misericordiæ, sine feruore seueritatis; quia non offendis oculos infirmos te respicientes, sicut feruor Solis.

2. Tu, Virgo Maria, Luna nominaris; quia, sicut Luna crescit & decrescit; sic tu, Virgo Maria, creuisti & decreuisti; creuisti namque de virtute in virtutem; sed decreuisti per humilitatem in tua reputatione: quia quantò maior fuisti, tantò ampliùs te humiliasti; vt coram Deo gratiam inuenires. Vnde, sicut corporaliter crescebas, sic etiam spiritaliter decrescebas. De bono in melius, & de virtute in virtutem crescebas, & implebatur sanctificatio tua, & apparebas corniculata, sicut Luna noua: hæc cornua sunt humilitas mentis, & virginitas carnis; quibus, scilicet cornibus, id est, virtutibus, tam spiritalia quàm corporalia ventilabas. Eras enim semilunium ante conceptum Saluatoris, illustrans alios radiis bonorum exemplorum, quando scilicet nutriebaris in Templo; tu verò fuisti Luna plena, quando vocata fuisti ab Angelo gratiâ plena, & maximè, quando imprægnata facta es, *Pulchra vt Luna*, illuminata respectu diuinitatis, quo meruisti beatificari ab omnibus generationibus. Cant. 6. 9.

3. Tu, Virgo Maria, es *Pulchra vt Luna*, quæ quasi naturaliter est obscura, sed recepto in se solari splendore accenditur lumine alieno, & ideò dicitur *Luna* quasi *lux aliena*. Sic tu, Virgo Maria, adhuc in infirmitate corporis constituta, suscepto in te Spiritu sancto tanquam illius summæ maiestatis radio vero lumine, scilicet Dei Filio fœcundata fuisti. Et sicut Luna Sole recedente, mundum illuminat; sic tu, Virgo Maria, Sole iustitiæ transeunte de mundo ad Patrem, per mortem corporalem, fide tuâ totam illustrasti Ecclesiam in triduo dominicæ sepulturæ.

4. O lucidissima Virgo Maria, in nocte tenebrosa ego miser constitutus sum obscuritate nimiâ peccatorum circumseptus; per viam caliginosam gradior, in qua quotidie inimico procurante cespitare cogor. Adiuua me, Virgo Maria: illumina cor meum obscurum, duc me lumine claritatis tuæ per viam, in qua ambulo: vt insidiis antiqui hostis procul pulsis, per viam mandatorum dominicorum incedam, & ad fœlicissimum terminum veniam præstolatum. Amen.

Contemplatio XV.

Virgo Maria, Stella.

1. Stella nominaris, pretiosissima Virgo Maria, Stella namque est fixa in firmamento cœli. Sic tu, Virgo Maria, fixa fuisti in firmamento sacræ scripturæ, per iugem meditationem legis diuinæ, & in bonis cœlestibus per desiderium & amorem æternorum, tanquam vera Filia Abrahæ, cui promissum erat, *Multiplicabo semen tuum, sicut stellas cœli*. Tu, Gen. 22. & 17.

Virgo Maria, stella es, quia clara & lucida sanctitatis exemplo, illuminas mundum multiplici virtutum radio: clara etiam per vitæ puritatem, non habens in te aliquam maculam. Tu, Virgo Maria, Stella es: quia tota ignea per charitatem, maximè ex quo illum concepisti, qui est ignis ardens. Tota etiam ignea es per virtutum vniuersitatem: nam virtutes igneæ sunt naturæ, & ideò sursum trahunt; quia locus ignis, sursum est.

2. Tu, Virgo Maria, Stella es: quia sicut stella se paruam ostendit; sic tu, Virgo Maria, parua apparuisti per humilitatem, cùm te obtulisti in ancillam, quæ postulata eras in Matrem. Et sicut stella tempore gelicidij lucet & scintillat clarissimè, sic tu, Virgo Maria, tempore gelicidij, id est, Passionis benedicti Filij tui, quando cæterorum charitas refriguit, tu sola, quasi de nocte totam Ecclesiam illustrasti; & per excellentissimam conuersationem semper corruscasti, & rutilasti, & sicut stella aspectum, & effectum habet ad terram. Sic tu, Virgo Maria, ad terram, id est, ad terrenos, quorum procuras negotia maximè seruorum & amatorum tuorum.

3. Tu, Virgo Maria, *Stella* nominaris; quia sicut stella habet motum continuum, sic tu, continuo motu fuisti de virtute ad virtutem, de vno bono ad aliud, de actiua vita ad contemplatiuam. Sicut stella firmamentum exornat; sic tu, Virgo Maria, totam Ecclesiam tanquam pulcherrimo lumine exornas, siquidem tota pulchra es, & ex omni tui parte lucida; quia de te
Cant. 4 7. scribitur, *Tota pulchra es Amica mea, & macula non est in te.* Non enim habuisti maculam, neque rugam; sed pulcherrima fuisti à planta pedis vsque ad verticem capitis. Pulchra namque in tua Sanctificatione, pulchrior in tui benedicti Filij Conceptione, & pulcherrima in beatissima Assumptione. Tu, Virgo Maria, *Stella* nominaris, quia sicut stella illumi-
Iob 37. nat noctem, sic tu, clarissima Virgo Maria, noctem illam solitariam, nec laude dignam, quæ ab Eua fluxerat, vsque ad te, illuminasti: nam in gloriosissimo ortu tuo, omnia meliorari inceperunt; quia tu repleta gratiâ Septiformi, replesti nos, plenitudinem gratiæ refundendo, nisi steterit per nos.

4. O stella clarissima Virgo Maria, inclina ad me miserum peccatorem humilitatem tuam, & charitatem abundantem. Immitte radium tuæ lucis, qui noctem cordis mei illuminet, peccatorum tenebras effugando, vt lumen inaccessibile & æternum, facie ad faciem aspiciam, per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Contemplatio XVI.

Virgo Maria, Stella matutina.

1. O Stella matutina, Virgo Maria ſplendidiſſima, lucens antequam dieſcat; quia ortus tuus præceſſit ortum Ieſu Chriſti, benedicti Filij tui, qui lux eſt, & dies. Tu, benedicta Virgo Maria, es illa ſtella, quæ vincenti
promittitur in præmium, ſcripturâ atteſtante, *Vincenti dabo ſtellam matu-* *Apoc. 2.*
tinam, in cuius ortu, ſcilicet quando gratia & dilectio tua oriuntur in corde *28.*
iuſti, fugantur fures, id eſt, dæmones, quibus tu, Virgo Maria, es *Terribilis* *Cant. 6.*
vt caſtrorum acies ordinata, & ideò vigiles ſunt alacriores, & quicunque de *9.*
ſua ſalute eſt ſollicitus.

2. Tu, Virgo Maria, *Stella* nominaris *matutina*: quia ſemper fuiſti in mane oriens, & nunquam tetendiſti ad occaſum peccati; ſed ſemper ſplendida Stella fuiſti illuminando populum, qui ambulabat & ambulat in tenebris peccatorum, & licèt Luna & omnes ſtellæ ſuperueniente Solis lumine non appareant, ſed abſorbeantur à ſplendore Solis, tamen tu, Virgo Maria, Stella matutina lucebas, & luces cum Sole, nec ad lumen Solis propriam claritatem amiſiſti. Sed tu, Virgo Maria, quæ peperiſti Solem, luces cum Sole, id eſt, benedicto Filio tuo: &, quantò maiori dignitate rutilat Filius tuus benedictus, tanto maiori dignitate ſplendes tu Mater, & licèt longè ſis minor Filio, ſicut ſtella minor Sole, hoc tamen gaudes priuilegio, quòd omnis anima Deo comparata ſuam reprimit claritatem; ſed quia honor Filij honor eſt Matris, in excellentia Filij tui benedicti lucet excellentia tua; quia Mater es, quæ tantum Filium meruiſti generare.

3. Tu, Virgo Maria pretioſiſſima, *Stella* nominaris *matutina*: nam ſtella materia incorrupta eſt; quia cuncta corpora citra luminaria ſubiacent corruptioni: ſed ſola natura ſtellarum mundo manente non poteſt corrumpi.
Sic Virgo, materia tua incorrupta permanet, de qua natus eſt ſecundùm
carnem ille cuius animam Deus non reliquit in inferno, nec dedit Sanctum *Pſalm.*
ſuum videre corruptionem. Tu etiam ſecundùm carnem penitus expers *15. 10.*
corruptionis fideliter es credenda, quæ incorruptâ virginitate de te genuiſti *Act. 2.*
eum, qui omnis incorruptionis eſt cauſa: & ſicut ſtellæ incorruptibiles ſunt *27.*
de natura, ſic tu, ſacratiſſima Virgo Maria, incorruptibilis es de gratia: & etiam ſine corruptione putredinis & incinerationis in corpore de mundo, vt piè creditur, aſſumpta fuiſti.

4. Aue *Stella matutina*, Stella mirabilis, Stella laudabilis, Stella deſiderabilis: trahe me corruptum ad te incorruptam, me gratiâ vacuum ad te plenam, vt de plenitudine repleatur anima mea. Trahe me imperfectum,

ad te perfectam, vt cùm venerit, quod perfectum est, per te euacuetur quod ex parte est. Trahe me paruum, ad te magnam, vt per te in eo crescam, cuius magnitudinis non est finis. Trahe me debilem ad te virtuosam; vt cùm ceciderim, non collidar; sed tu, Mater diuinæ pietatis, supponas manum tuam nunc & in perpetuum. Amen.

Psalm. 144.3.



Contemplatio XVII.

Virgo Maria, Stella maris.

1. AVdi me miserum peccatorem, clementissima Virgo Maria, audi me miserum ad te clamantem. Tempore tuæ primæ ac salutiferæ salutationis nominata es *Stella maris*: quando in cœlis nulli homines erant beati, & in mundo nulli aut paucissimi iusti; sed omnes aut ferè omnes in mari, id est, in amaritudine peccatorum, ignorantiæ tenebris inuoluti: & ideò stella maris, id est, miserorum, nuncupata es, quòd ad hoc ordinata es ab æterno, vt per te Dominus, in quantùm in ipso est, omnium misereretur, & omnes miseri fluctuantes in amaritudine criminum in te refugium inuenirent, quæ lucem genuisti fluctuantibus in hoc mari.

Eccl. in Antiph. Alma redemp.

2. *Stellæ maris* nominaris, quòd sicut stella, in mari nauigantibus est rectæ viæ indicium; sic tu, benignissima Virgo Maria, in hoc mundo fluctuoso viuentibus, aliis rectam viam humilitatis, aliis castitatis, aliis bonæ operationis, aliis contemplationis, seu cuiuslibet virtutis, ostendis. Tu, gloriosa Virgo Maria, *Stella maris* nuncuparis, quia nauigantes mare mundi spatiosum, vbi sunt reptilia absque numero, & animalia pusilla cum magnis, te veram *Stellam maris* inter omnes stellas, id est, Sanctos, præcipuè cognoscunt, ad te frequentiùs spiritalibus oculis respiciunt, te perditam solicitiùs requirunt, secundùm te, iter suum dirigunt. Tu namque, Virgo piissima, rectè viuere cupientes, exemplis tuis dirigis, errantes reducis, & periclitantes ad portum salutis deducis.

Psa. 103. 25. 26.

3. Tu vera *Stella maris*, stellis cæteris præeminens altitudine, quia vniuersis cœlis & creaturis altior es: Nam cæteri Sancti migrantes à corpore, recipiuntur inter Choros Angelorum; sed tu, Virgo Maria, quadam excellenti maiestate gloriæ exaltata es super omnes Choros Angelorum, & super omnes ordines beatorum. Tu Virgo Maria, es *Stella maris* cæteris præeminens immobilitate, quoniam quasi in centro firmamenti constituta, cæteris vario motu modò ad Ortum Solis, modò ad Occasum tendentibus, tu immobilis persistis: Videmus namque filios hominum, de quorum numero ego miserabilis sum, suâ mobilitate quotidie corruere: sed tu immobilis & immutata permanes: ideò castellum nominaris, fundatum supra firmam petram, quæ est Christus.

Luc. 10. 38.

4. Adiuua me, benignissima Virgo Maria, quia in hoc mari æstuoso, fluctuo totâ die, & per deuia incedendo magnis & infinitis periculis quatior. Illumina me radio claritatis, dirige me per rectam semitam; vt ad portum salutis valeam peruenire. Defende me ab omni periculo mentis & corporis; vt securè veniam ad iudicium, auditurus misericorditer à piissimo Iudice sententiam salutarem. Amen.

Contemplatio XVIII.

Virgo Maria, Aurora.

1. RESplendens *Aurora* es, pretiosissima Virgo Maria, *Aurora* es alba Cant. 6.
ab albedine dicta, quia tota candida es, & fuisti interiùs, & exte- 9.
riùs per sanctimoniam carnis, & spiritus. Tu *Aurora* ab *auro* dicta; quia fuisti aurum mundum virgineæ puritatis, aurum ignitum feruentissimæ charitatis, & aurum optimum sapientiæ & bonitatis. Tu, Virgo Maria, *Aurora* es, id est, *aurea hora*, quia adduxisti ætatem auream, id est, tempus misericordiæ. Tu, Virgo Maria, *Aurora* nominaris, quasi *aura rorans*; nam precibus & meritis tuis sanctissimis, percipimus auroram, id est, refrigerium & rorem gratiæ, contra incentiuum vitiorum. Tu, Virgo Maria,
Aurora es, quasi *aura roris*: quia in conceptu tuo descendit in te Filius Dei, Iudith.
quasi ros. Tu es illa concha quam Gedeon, id est, Christus impleuit rore 6. 38.
expresso de vellere, & de illa plenitudine, quam contulit, omnes accepi- Ioan. 1.
mus gratiam pro gratia. Ad hæc enim non cessas ipsa cordis concaua per 16.
humilitatem rore gratiæ adimplere, & Christus, qui dicitur ros, venit per te in humanum cor.

2. Tu, Virgo Maria, *Aurora* es quasi *auium hora*, quia sicut tunc aues incipiunt garrire & modulari, sic etiam per te incipiunt fideles & tibi deuoti cantare laudes Deo, & tibi, facis etiam obmutescere aues nocturnas, id est, dæmones, & malos ac obstinatos peccatores; quia per te obstructum est os loquentium iniqua. Tu, Virgo Maria, es *Aurora*, quæ noctem finit, & diem inchoat: sic tu fuisti finis legis, & inchoatio gratiæ. Nox quidem longa fluxerat ab Eua vsque ad te, quam finisti in beatissimo ortu tuo: nam
per Euam nox præcessit, quia *à muliere factum est initium peccati*; & per te Eccl. 25.
dies appropinquauit. Ante te, Virgo Maria, erat nox ignorantiæ, & nox 33.
culpæ; sed, tu inchoasti lucem noui Testamenti contra noctem legis, &
illum peperisti, qui manifestauit veritatem contra noctem, & lucem gra- Isa. 9. 2.
tiæ contra noctem culpæ, & sic per te, populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam. Vnde sicut impossibile est de tenebris noctis venire ad lucem diei, nisi mediante aurorâ, sic impossibile est de tenebris vitiorum venire ad lucem gratiæ nisi mediante intercessione tuâ.

3. O clementissima Virgo Maria, intercede pro me miserabili peccatore, tenebris peccatorum detento. Educ me de istis tenebris, vt venire possim ad lucem gratiæ, vt luce inaccessibili fruar per infinita sæculorum sæcula. Amen.

Contemplatio XIX.

Virgo Maria, Lux.

Gen. 1. 3. 1. O Lucidissima Virgo Maria, de te intelligi possunt, quæ dicta sunt à Deo, *Fiat lux, & facta est lux*. Tu, Virgo Maria, Lux es propter speciositatem tuam: quia nulla creatura post Filium tuum vnquam fuit, nec erit, pulchrior te; quia speciosior es Sole, & super omnem dispositionem stellarum, luci comparata inueniris prior. Nam nihil purius luce reperitur, in qua tua simplicitas & innocentia denotatur: nihil luce iucundius, in qua operum tuorum munditia demonstratur: nihil luce clarius, in qua lumen exemplorum tuorum ostenditur; & nihil humanæ vitæ iucundius luce, in qua doctrina & sapientia verborum tuorum notantur: vt munditia ad virginitatem, claritas ad opinionem, gratia ad sermonem referatur.

Sap. 7. 29.

2. Tu, Virgo Maria, lux es propter claritatis diffusionem absque tui diminutione, quia peperisti Christum sine corruptione. Tu, Virgo Maria, lux es propter tuam incorruptibilem puritatem, quia inquinari non potes; nihil enim inquinatum incurrit in te. Tu, Virgo Maria, lux es, quia visibilia facis ea, quæ priùs non apparebant, ante faciem Filij tui misericorditer statuens illos, qui priùs longè stabant ab eo. Et sicut lux angustissima foramina illustratione suâ manifestat in domo existentibus; sic tu, Virgo Maria, minima peccata, tuæ gratiæ infusione facis perceptibilia iis, qui conuertuntur ad tuum Filium benedictum. Et sicut lux illuminat oculos; sic tu, Virgo Maria, oculos, id est intellectum & affectum, qui sunt oculi animæ, videlicet intellectum cognitione Dei, & tui, & affectum dilectione
Gen. 1. 4. Dei & proximi. Vnde *Vidit Deus lucem, quod esset bona; & diuisit lucem à*
Matth. 19. 17. *tenebris*: sicut enim nullus bonus nisi Deus solus, sic nulla fœmina tibi comparata inuenitur perfecta. Nam sicut Deus est super omnia benedictus,
Luc. 18. 19. sic tu, Virgo Maria, super omnes mulieres es benedicta.

3. Tu, Virgo Maria, figurata es per illam lucem primariam quæ creata creditur ibi, vbi Sol oritur; de qua factum est corpus Solis: sic de tua sub-
Ioan. 1. 9 stantia formatum est corpus Filij tui benedicti, qui est lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum. Tu Virgo Maria, es illa lux, quæ Iudæis oriri visa est. Emitte Lucem tuam, Virgo clarissima, quæ me tenebrosum peccatorem illuminet, & clarum me reddat ante aspectum Filij tui benedicti, vt stolâ immortalitatis indui merear pe infinita sæcula sæculorum. Amen.

CON-

Contemplatio XX.

Virgo Maria, Dies.

1. APpellauit *Deus lucem diem*, beatissima Virgo Maria, quoniam scilicet placuit ei quòd, te Mariâ Virgine nascente, inciperet mundo diescere tenebroso; vt per diem de die, id est, Filium tuum benedictum de te matre incorruptâ & intactâ, illuminaret omnem hominem venientem in hunc mundum. Vnde sicut quasi per trium horarum spatia, scilicet mane, meridie, & vespere, dies completur: sic quibusdam gradibus meritorum, quasi quibusdam spatiis horarum, completa est perfectio claritatis & sanctitatis tuæ: vt de te dicatur, *Vespere, mane, & meridie narrabo & annunciabo.* Gen. 1.5. Ioan. 1. 9. Psalm. 54. 18.

2. Huius diei mane, quando celebrior inter homines fieri solet salutatio, designatum est, quando dictum est tibi *Aue*, & ab ista salutatione quasi inchoauit aurora huius diei coruscare, & incepisti mundo diescere. Quinque millia annorum ambulauerant in tenebris & caligine peccatorum, & ignorantiæ, pro delicto primorum parentum: & interea respexit Dominus humilitatem tuam, & tanquam domesticam & familiarem, quasi ex parte sua te fecit ab Angelo salutari. Tunc enim Dominus mandauit salutes Iacob, id est, tibi Virgini gloriosæ, quæ simul & semel vitia omnia supplantasti. Quasi meridies fuit huius diei quando dicta es *plena gratiâ*: quia sicut meridies plenitudinem caloris habet & lucis, sic tu, gloriosissima Virgo Maria, tunc te ostendisti recepisse omnem plenitudinem charismatum, quæ animam tuam illuminauit per cognitionem, & calefecit per amorem. Vespere fuit huius diei quando dictum est tibi, *Dominus tecum*, qui à primis parentibus recesserat per peccatum, & tu, Virgo Maria, dixisti, *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*: & sic, Virgo Maria, per fidem concepisti. Vnde sicut ad vesperam Sol terris propinquior efficitur: sic in verbis prædictis ventris tui virginei hospitio Deus miraculosè illabitur. Psalm. 43.5. Luc. 1. 28. Ibid. 38.

3. Et sic factum est *vespere & mane dies vnus*, id est, singularis: vespere in refrigerio carnis Christi, mane in illuminatione Spiritus sancti, vespere in fine veteris Testamenti, mane in initio noui, dies vnus, id est, singularis & solus in quo Creator hominis factus est Filius hominis, assumendo nubilum nostræ carnis. Duo dies in die vna, sicut duo in carne vna, tu Christo carnem offerens, Christus carnem induens. Et sic in te fine exemplo virginitas fuit, & in Filio singularis & vnica humilitas. Huius diei sunt horæ duodecim, per quinque & septem diuisæ: quinque pertinent ad sensus tui corporis virginalis, & septem ad mentem tuam virginalem, propter septem animæ tuæ gratias, quæ de fonte Spiritus septiformis processerunt riuulo vniformi. Gen. 1.8

4. Fac me tuis deprecationibus, Virgo Maria piissima, discere per gratiam, ne vlteriùs nocte caliginosâ detinear vitiorum, sed ad diem perueniam non vesperascentem; & cum eo maneam per infinita sæculorum sæcula. Amen.

Contemplatio XXI.

Virgo Maria, Nubes.

Psalm. 104.39. 1. CAritate plenissima, Virgo Maria, de te scriptum est, *Expandit nubem in protectionem eorum, & ignem vt luceret eis per noctem.* Tu, benignissima Virgo Maria, es illa *Nubes* à Deo facta & ordinata, vt peccatores protegeres, & defenderes: duo enim officia à Deo tibi data sunt: quia sicut Nubes protegit nos, & defendit à feruore Solis: sic tu, piissima Virgo Maria, tanquam *Nubes* protegis nos à feruore iræ, & vindictæ Solis iustitiæ: & ideò tanquam suspensa inter Terram & Solem, nos illuminas tuis beatissimis orationibus & exemplis tanquam ignis; quoniam tu es lux ostendens lucem virtutum. Et etiam nos protegis contra diabolum, quasi igneus murus, & contra vitia & peccata.

Luc. 1. 28. 2. Tu, Virgo Maria, es illa *Nubes* aquosa per gratiarum & omnium charismatum abundantiam: ideò dicta es *plena gratiâ.* Tu, Virgo Maria, es illa *Nubes*, quæ vento ducitur & agitatur, id est, gratiâ Spiritus sancti, quæ te traxit, reduxit, circumduxit, docuit & custodiuit; onerata aquis sapientiæ salutaris, nam Spiritus sapientiæ docuit te Angelo respondentem, Spiritus pietatis traxit te ad Elizabeth, Spiritus intellectus docuit te, & te duxit cum benedicto Filio tuo descendere in Ægyptum. Tu, Virgo Maria, es illa *Nubes* humectans, & fœcundans fructus terræ, id est, refrigerans ardorem concupiscentiarum, & fœcundans homines ad benè operandum. Ardorem etiam Solis iustitiæ, id est, iram & indignationem, tuis sanctissimis precibus modificas & refrigeras; ne peccantes illicò feriat. Tu, Virgo Maria, *Nubes* lucida es per gratiæ illustrationem, & sanctæ conuersationis exemplum. Tu *Nubes* rubicunda per pulchritudinem naturalem, & verecundiam virginalem, feruentissimam charitatem, & patientiam singularem. Tu, Virgo Maria, es *Nubes* nigra per humilitatem; quæ dicitur quasi *humi latens*: & etiam *Nubes* nigra, id est, obscurata tribulatione, & denigrata ex compassione, & doloribus Filij tui benedicti patientis: quando Filij Dei, & tui, non erat species, neque decor.

3. Ego verò, sacratissima Virgo Maria, ardorem nimium sentio in cogitatione & opere, ardorem, scilicet non amoris, sed peccati: ad quem me quotidie inflammat perfidus & antiquus hostis. Adiuua me, gloriosissima Virgo Maria; obumbra me & refrigera gratiâ tuâ ab æstu tanti ardoris, & impetra mihi tuis deprecationibus, ardorem tui amoris, vt sub vmbra vtriusque hîc viuendo, terram possideam viuentium in æternum. Amen.

Contemplatio XXII.

Virgo Maria, Terra.

1. FRuctifera & benedicta *Terra* tu es, beatissima Virgo Maria, quia tu es illa *Terra* de qua formatus est homo, scilicet nouus Adam Iesus Christus Filius tuus benedictus. Tu es illa *Terra* fluens melle virginitatis, & lacte fœcunditatis. Tu es illa *Terra* promissionis, promissa Iudæis, reddita Christianis. Tu es illa *Terra*, in qua qui seminat, centuplum accipiet: qui enim ibi seminat, scilicet orationes, & exempla salutaria in præsenti vita, multam retributionem recipiet: quia tu, benignissima Virgo Maria, cõuertis quosdam ab errore viæ suæ, quosdam pacificas benedicto Filio tuo, quibusdam das gratiam continendi; facis quosdam humiles, quosdam largos, quosdam misericordes, quosdam pacificos; quibusdam largiris vestimenta virtutum, & quosdam sapientes constituis. Ista est, Virgo Maria, centuplatio eorum, qui seminant in tali terra, qualis tu es.

2. Hanc *Terram* solus Deus inhabitauit, solus eam coluit, & ipsius Filium ceu *Terra* benedicta, fructificasti; vt de te dicatur, *Terra dedit fructum* *Psalm.*
suum. Et benè *suum*; quia nec Terra alia digna extitit portare talem fructum; *66. 7.*
nec talis fructus Terræ alij competebat: Ideò dicitur, *fructum suum*, id est, tibi congruum: quia tibi soli Virgini congruebat parere Deum, & soli Deo Matrem habere Virginem. Et sicut terra maledicta in opere Adam, fructus dedit maledictionis, sic è conuerso, tu *Terra* benedicta dedisti fructũ benedictum. Tu igitur *Terra* benedicta dedisti fructum; sed non vendidisti, quia non habebamus pretium. Dedisti namque fructum in tempore suo, id est, in tempore gratiæ. Nec solùm, piissima Virgo Maria, semel dedisti fructum, sed iugiter das ipsum peccatoribus remedium.

3. Tu es illa *Terra*, de qua dicitur, *Domini est Terra*, scilicet illius propria, *& plenitudo eius*, id est, virtutes, & dona gratiarum: quia dicere potes, *Gratiâ Dei sum id, quod sum.* Tu es illa *Terra*, de qua est orta veritas, scilicet humanæ carnis, quam sibi vniuit benedictus Filius tuus, dante Deo benignitatem nostræ redemptionis. Tu, Virgo Maria, es *Terra* plena per mansuetudinem & iustitiam, & montuosa per summam excellentiam, & conuallosa per duplicem humilitatem. Tu, Virgo Maria, *Terra* es, in qua omne ædificium fundatur, quia quidquid boni facere volumus, in te fundare debemus per fidem Incarnationis, cuius ministra fuisti. Et sicut ferè quidquid viuit, viuit de Terra; sic, quidquid viuit per gratiam, viuit per te Virginem Mariam, quæ genuisti vitam.

Psalm. 23. 1.
1. Cor. 15. 10.

4. Adiuua me, gloriosissima Virgo Maria, vt omnes cogitationes, locutiones, & actus mei fundentur in te, vt hîc viuendo per gratiam, in futuro viuam in *Terra* viuentium. Amen.

Contemplatio XXIII.

Virgo Maria, Mons.

Psalm. 67. 15. 1. MOns es dicta, beatissima Virgo Maria, ab eminentia omnium charismatum, & virtutum, *Mons*, inquam, in *quo beneplacitum fuit Deo habitare in eo* nouem mensibus corporaliter, & in quo, secundùm quod Deus, *habitabit in finem*, id est, sine fine, sine termino, & sine mensura. Tu, Virgo Maria, es *Mons coagulatus* per integritatem virginitatis, *Mon pinguis* pinguedine charitatis, adipe deuotionis, vbertate fœcunditatis, oleo misericordiæ, & pietatis, & melle contemplationis. Tu es
Ioan. 4. 20. *Mons*, in quo debent adorare veri Adoratores. Tu, Virgo Maria, es ille *Mons domus Domini, eleuatus super omnes colles*, id est, Sanctos; quos om-
Isa. 2. 2. nes dignitate transcendis, & qui omnes inferiores te sunt. Tu, Virgo Maria, es *Mons præparatus in nouissimis diebus, mons domus Domini in vertice montium*, scilicet eleuatus super omnia, ad quem fluunt omnes Gentes.

2. Tu, Virgo Maria, es *Mons* latus in pede per humilitatem, quæ est fundamentum tuum, latius & profundius quàm omnium Sanctorum. Tu, Virgo Maria, es *Mons* angustus in cacumine propter Filij Natiuitatem, cuius modus incomprehensibilis est, & sine exemplo singularis. Sicut Mons exaltatur super terram, sic tu, Virgo Maria, exaltata fuisti super omnes puras creaturas in imprægnatione benedicti Filij tui, per quem fuisti Virgo Mater. Sicut enim Mons quidquid venit de sursum, priùs suscipit, & inde descendit ad valles propinquas; sic tu, gloriosissima Virgo Maria, in Incarnatione benedicti Filij tui, suscepisti prior omne datum optimum, & de plenitudine tua accipiunt humiles propinquiores tibi per veram dilectionem. Mons namque est receptaculum ferarum: quia,
Psalm. 103. 1. *Montes excelsi ceruis, petra refugium*. Sic tu, piissima Virgo Maria, es tutissimum refugium illorum, qui fugiunt à facie arcus, id est, diuini iudicij; & illorum, qui mundum fugiunt; quia de mundo non sunt; quos mundus exagitat detractionibus, & maledictis. Tu, Virgo, es *Mons* Olíueti, sic dictus propter copiam oliuarum: sic tu, Virgo Maria, copiosissima es in misericordia copiosa; quia Deus te cumulauit plenitudine gratiarum, & fecit te Matrem misericordiæ.

Dan. 2. 38. 3. Tu, Virgo Maria, es ille *Mons*, de quo *sine manibus*, id est, opere virili, abscissus est ille lapis, id est, Christus Iesus Filius tuus benedictus, quem sacratissima Virgo Maria, exora deuotis precibus pro me miserrimo peccatore qui non sum mons per eleuationem mentis ad Deum, sed potiùs sum vallis per inclinationem ad mundum, & ad ea, quæ in mundo sunt: vt suffragantibus tuis precibus, & meritis, ad *Montem* qui est Christus, valeam peruenire. Amen.

Contemplatio XXIV.

Virgo Maria, Fons.

1\. FOns *patens es*, benignissima Virgo Maria, patens amicis & pœnitentibus per misericordiam & charitatem, & subministrans plenitudinem gratiarum. Tu es ille fons, *Qui ascendebat de terra irrigans superficiem terræ.* Gen. 2. 6. Sicut enim fons ille est abyssus aquarum multarum, ex qua fontes & flumina oriuntur: sic tu, benignissima Virgo Maria, es abyssus multarum gratiarum, ex qua peccatores hauriunt gratiam incessanter. Tu, Virgo Maria, es *Fons signatus* à tota Trinitate; *Fons signatus*, quia Christum ita Cant. 4. 12. signasti quòd diabolum, & multos Angelos latuit eius miraculosa Incarnatio. Tu, Virgo Maria, es ille *Fons Siloé, cuius aquæ fluunt cum silentio*, id est, Isa. 8. 6. intermissiuè; quia tua beneficia non iugiter fluunt ad quemlibet; sed quando vis & quantùm vis. Et sicut fons quantùm descendit, tantùm ascendere potest: sic tu, humillima Virgo Maria, inferiùs omni creaturâ descendisti per humilitatem; & exaltata fuisti in conspectu Dei in tua Assumptione beatissima super omnem creaturam puram post benedictum Filium tuum.

2\. Tu, misericordissima Virgo Maria, es fons scaturiens, ab imò sursum lapillos eleuans, sed non grandes lapides; lapillos eleuans, scilicet humiles peccatores, quos eleuas de profundo peccatorum ad statum gratiæ, sed non eleuas grandes lapides, id est, obstinatos peccatores, & grandes superbos in oculis suis: & ideò de te dici potest, *Esurientes* gratiam conuersationis, *Reples bonis, & diuites*, qui non credunt se gratiâ indigere, *dimittis* Luc. 1. 53. *inanes.* Et sicut fons modicus longo fluento innotescit: sic tu, clementissima Virgo Maria, modica es per exuberantem humilitatem, sed longa fluenta tui fontis sunt maxima copia beneficiorum, quæ deriuas & exhibes omnibus creaturis inuocantibus te deuotè. *Fons aquam* priùs latentem in terra manifestat, sic dulcissima Virgo Maria, per te apparuit nobis benignitas & humanitas Saluatoris mundi, qui est terra viuentium, & nobis erat Deus absconditus. Tu, Virgo Maria, pietate plenissima, fons nominaris, quia sicut fons habet temperatam aquam quolibet tempore; sic, piissima Virgo Maria, temperatam gratiam habes, quâ feruorem refrigeras vitiorum, & calefacis corda peccatorum congelata, & spem veniæ tribuis desperatis. Ex te beatissimo fonte emanant riuuli gratiarum, recreantes quoscumque ex eis haurire humiliter aquam gratiæ cupientes.

3\. O fons pietatis & misericordiæ, fons dulcedinis ac clementiæ, irriga terram aridam & siccam cordis mei: fluant riuuli gratiarum ad me immundissimum peccatorem, abluantur sordes animæ meæ; vt omnibus mundatis, fontem viuum & indeficientem perenniter apprehendam. Amen.

Contemplatio XXV.

Virgo Maria, Puteus.

Cant. 4. 15. Eccl. 24. 29.

1. Misericordissima Virgo Maria, *Puteus aquarum viuentium* potes appellari: quia à potatione *Puteus* dicitur; & de te scribitur; *Qui biberit me adhuc sitiet*. Puteus namque es, Virgo Maria, aquarum viuentium, id est, gratiarum & doctrinarum; quæ vitam præstant hîc per gratiam, & per gloriam in futuro. Puteus profundus est: sic tu, prudentissima Virgo Maria, profunda es per sapientiam inattingibilem, & per gratiarum miram profunditatem, quam fragilitas humanæ conditionis non attingit. Puteus obscurus est: sic tu beatissima Virgo Maria, obscura es, quia nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, nec lingua hominis effari potuit, quantùm gratiæ, quantùm charitatis, quantùm pietatis largitus est Deus gloriosæ Virgini Mariæ.

2. Puteus formatur lapidibus ab imo vsque ad summum: Isti lapides in te sunt, Virgo Maria, virtutum vniuersitas, bitumine charitatis, & cæmento humilitatis indissolubiliter colligata: quibus virtutibus, tu Virgo Maria, eras confirmata in omni bono. Hunc puteum foderunt multipliciter Patres antiqui, tuam historiam sub figuris & ænigmatibus reuelando: inter quæ omnia maximè profundum est mysterium Incarnationis. Tu, benedicta Virgo Maria, *Puteus* altus es, super quem requieuit & quasi humiliatus

Ioan. 4. §. 11.

resedit Iesus Christus Filius tuus benedictus, fatigatus ex itinere nostræ redemptionis. Puteus in viscera terræ descendit; sic tu, gloriosa Virgo Maria, profundiùs omni creaturâ descendisti per humilitatem: ideò copiosiùs plena fuisti à Spiritu sancto, plenitudine gratiarum.

3. O clementissima Maria, quomodò ego miserabilis peccator extrahere potero aquam à tali Puteo? scio quò *Puteus* altus est, id est, profundus; ad quam profunditatem, humanæ conditionis fragilitas non attingit. Sed quid faciam ego iniquissimus peccator, gloriosissima Virgo Maria? quia sitio, & aquâ istâ, id est gratiâ, indigeo, & non habeo, cum quo hauriam istam aquam, da mihi piissima Virgo Maria, situlam seu hydriam, cum qua hanc aquam haurire valeam de isto beatissimo Puteo, hydriam seu situlam concauam humilitate, quæ capax est gratiæ, & sola meretur impleri;

Psalm. 41. 3.

vt tibi, Virgo Maria, dicam per humile cordis mei desiderium, *Sitiuit in te anima mea*, quæ es fons & *Puteus* aquæ viuæ. Da mihi hydriam humilitatis, vt possim recogitare omnes annos meos in amaritudine animæ meæ, & loqui ad te, licèt sim puluis, id est, imbecillis; & cinis, id est, consumptus peccatis; vt hîc istâ aquâ repletus, aquam vitæ habeam in æternum. Amen.

Contemplatio XXVI.

Virgo Maria, Flumen.

1. TV flumen es, beatissima Virgo Maria, de quo dicitur, *Fluminis impetus lætificauit Ciuitatem Dei.* Tu, Virgo Maria, lætificas Ciuitatem Dei, id est, vtramque Ecclesiam & Fidelem animam. Et sicut flumen loca vicina fœcundat; sic tu, bonorum largissima Virgo Maria, fœcundas conscientias tibi per amorem adhærentes. Fœcundas namque eas verbis sanctarum Scripturarum, cogitationum & meditationum, floribus honestorum desideriorum, foliis sanctorum verborum, fructibus bonorum operum, virore vernantium exemplorum. Et sine isto flumine omnia arescunt, & sicut flumen nutrit pisces, & maximè squamosos; sic tu, Virgo Maria, nutris viros iustos, habentes squamas & pinulas virtutum: in hoc sanctissimo *Flumine*, scilicet in te natus est ille *Piscis* vnicus, & sempiternus Iesus Christus Filius tuus benedictus; qui quasi piscis, captus est in aquis generis humani, hamo nostræ mortalitatis, vt vitam nobis conferret sempiternam. In quo inuentus est stater redemptionis nostræ. *Piscis* enim dicitur *à pascendo*; quia caro eius noster est cibus. Flumen existentes in naui vehit: sic etiam, tu Virgo Maria purissima, existentes in naui Ecclesiæ sanctæ Catholicæ per fidem veram, vehis ad portum salutis æternæ. *Psalm. 45.*

2. Tu, Virgo Maria, *Flumen* es Phison, habens ortum à Paradiso & in arenis eius gemmæ pretiosæ inueniuntur: sic tu, sacratissima Virgo, ortum habes ab eo, qui est Paradisus deliciarum, & in te gemmæ pretiosæ inueniuntur, & dona gratiarum, per quarum opera præmia æterna donantur. Flumen in suo ortu paruum est, sed postea multùm augmentatur: sic tu, inuiolata Virgo Maria, parua fuisti in principio per humilitatem; sed tandem supergressa es Angelicam dignitatem. Nec ex augmento alueum, qui est misericordia, vmquam mutasti: sed iugiter defluis: quia in gratia sancti Spiritus perseuerans, continuò nos irrigas: Tu, incontaminata Virgo Maria, es illud *Flumen Iordanis*, in quo Naaman septies se lauando curatus fuit à lepra, quia peccatores à lepra peccati curantur, si septies in te lauentur; primò scilicet tibi obsequium impendendo, secundò nomen tuum magnificando, tertiò totam spem in te ponendo post Deum, quartò amicorum tuorum defectus supplendo, quintò per orationem deuotam se tibi humiliter ostendendo, sextò sua negotia tibi commendando, septimo omnes virtutes optando. *Gen. 2. 11.* *4. Reg. 5. 10.*

3. O misericordissima Virgo Maria, tuis deprecationibus laua me à lepra peccati, in tuo sanctissimo *Flumine*; & mundatum me repræsenta tuo Filio benedicto, vt gloriam possideam sempiternam.

Contemplatio XXVII.

Virgo Maria, Aquæ-ductus.

Eccl. 24. 41. 1. TV, ſacratiſſima Virgo Maria, omni pietate pleniſſima, es quaſi *Aqua ductus exiens è Paradiſo*. Tu, namque, Virgo Maria, exiuiſti de duplici Paradiſo. Nam tamquam aquæ-ductus à Patre, qui eſt Paradiſus cæleſtis, exiuiſti; per creationem, à quo nobis attuliſti aquam viuam, id eſt Ieſum Chriſtum Filium tuum benedictum Deum & hominem. Exiuiſti, Virgo Maria, è Paradiſo terreſtri, hoc eſt ab Eccleſia militante per mortem corporis directa in cœlum; velut quidam *Aquæ-ductus* aquas miſeriarum & tribulationum totius generis humani illuc ducens, benedicto Filio tuo exponens, & pro eis intercedens.

2. Tu, benedicta Virgo Maria, es *Aquæ-ductus* longiſſimus, excellentiâ meritorum: Nam vehementis deſiderij feruore, deuotionis puritate, & orationis aſſiduitate *Fontem* attingis tam ſublimem, cuius plenitudinem tamquam *Aquæ-ductus* de corde Patris excipiens, nobis dediſti illum non prout eſt, ſed prout capere poteramus. Verè longiſſimus *Aquæ-ductus* fuiſti, cuius ſummitate aquarum quæ ſuper cælos ſunt, *Fontem* potuiſti attingere, vt haurires ſuper Angelos, & refunderes hominibus aquam viuam, id eſt, fluenta gratiarum; quarum nondum norant homines *Aquæ-ductum.*

3. Tu, glorioſiſſima Virgo Maria, es *Aquæ-ductus* integerrimus, per inuiolatam fidem; mundiſſimus, per integritatem & omnimodam caſtitatem occultus per ſolitudinis dilectionem; concauus per veram humilitatem, fœcundus, id eſt, abundans aquis, per gratiarum plenitudinem; iocundus per æternitatis deſiderium & amorem, non plumbeus, ſed magis aureus, per Regiam nobilitatem & eximiam charitatem. Per hunc *Aquæ-ductum* venit ad nos Chriſtus occultus in tuo vtero virginali; vt myſterium
Eccl. 15. 3. diabolo celaret. Ad hoc venit, vt nos mundaret, reficeret, & potaret aquâ ſapientiæ ſalutaris, ſicut per occultum aquæ-ductum deducitur aqua ad neceſſaria ciuitatis; per hunc etiam aquæ-ductum, quòd de fonte ſuperno hauris Virgo Maria, aſſiduè influis vinum compunctionis, lætitiæ & deuotionis in cellarium noſtræ mentis. Tu, clementiſſima Virgo Maria, es ille aquæ-ductus, quem præcepit Holofernes incidi; quia per illum influebat fons quidam in ciuitatem Bethuliæ, qui interpretatur *Domus doloris.* Tu igitur, Virgo Maria, pretioſiſſima fuiſti velut aquæ-ductus in Eccleſiam & Fidelem animam deriuans dona gratiarum, quæ diabolus incidere conatur cùm tuum auxilium nobis auferre nititur. Inuidet autem non quoad te ſolùm, ſed quoad nos, & hoc maximè, quia es aquæ-ductus ſuperior, quia per te deriuatur ad nos gratia à Deo.

4. Ego

4. Ego verò, benignissima Virgo Maria, sum domus doloris, propter multitudinem peccatorum meorum, propter quæ aruit cor meum. Fluat igitur ad me miserrimum tua gratia, Virgo pia, quâ fœcundetur cor meum & irrigetur, vt fontem viuum æternaliter apprehendam. Amen.

Contemplatio XXVIII.

Virgo Maria, Piscina.

1. Piscina, quæ est aquarum collectio, tu es, excellentissima Virgo Maria, quia sicut *Piscina* est collectio aquarum sine piscibus, sic tu, splendidissima Virgo Maria, es velut *Piscina*; quia in te fuit congregatio omnium aquarum, id est, gratiarum, & scientiarum sine piscibus mundanarum curiositatum. Tu, speciosissima Virgo Maria, es illa *Piscina* probatica,
in quam *Angelus Domini descendebat secundùm tempus, & mouebatur aqua,* Ioa.5.3.
& sanabatur vnus. Tempore enim Incarnationis, *descendit Angelus* magni 4.
consilij in te, Virgo Maria, & *mota est aqua*: quoniam ad nouam salutationem turbata fuisti, Virgo Maria, & *sanatus est vnus,* id est, quotquot crediderunt Deum trinum & vnum, & *vni*, id est, Christo, adhæserunt per fidem suæ Incarnationis. Et ideò de te cantatur intemerata Virgine Maria;

Tu piscina puritatis,
Rore plena pietatis, Eccl. in
In quam Deus maiestatis, Hymno
Voluit descendere.
In quam reus est conuersus,
Si contritus est reuersus,
Se disponat erit tersus,
A peccati vulnere.

2. Tu, purissima Virgo Maria, Piscina es quinque porticus habens, id est, quinque principalia genera misericordiæ; primum, quòd conuertis errantes in via; secundum, quòd illuminas in tenebris ambulantes, cùm sis Stella & Luna; tertium, quòd viuificas mortuos, cùm sis vena vitæ, id est, dilectionis; quartum, quòd spem infundis desperatis; ideò dicis, *In me est omnis* Eccl.24
spes vitæ; quintum, quòd multis, quorum lata erat sententia, impetrasti ab 24. 25.
altissimo Filio tuo spatium pœnitendi. O misericordissima Virgo Maria, in iis quinque porticibus iacebat multitudo languentium, cæcorum, claudorum qui dirigi, aridorum qui humectari desiderabant, & expectabant aquæ motum, id est, motum tuæ misericordiæ, vt sanarentur à languoribus suorum peccatorum.

3. Sed, benignissima Virgo Maria, ego infirmus sum non solùm triginta octo annos habens in infirmitate mea, imò etiam quinquaginta: & hæc

infirmitas ad mortem est. Sum namque cæcus, viam salutis nolens aspicere: sum claudus, nolens per viam mandatorum Dei incedere, & sum aridus, non habens humorem alicuius deuotionis aut contritionis. Multis infirmitatibus subiaceo peccatorum; & in hoc corruptissimo meo corpore iacet languens misera anima mea. Non inuenio qui me languentem mittat in *Piscinam*, vt sanari possim: &, vt veriùs loquar, tantæ indurationis & rebellionis sum, quòd frequentiùs & inuitatus vt intrarem, intrare distuli, malens hanc miserabilem infirmitatem & periculosam sustinere. Adiuua me, clementissima Virgo Maria, tuis sanctissimis intercessionibus, vt *Piscinam* intrem & sanitatem recipiam ab istis periculosis infirmitatibus peccatorum; moueatur aqua, id est, tua misericordia, & veniat super me miserum, vt me sic dignetur curare, vt viuere valeam in æternum. Amen.

Contemplatio. XXIX.

Virgo Maria, Arca.

Exod. 25. 10. Num. 10. 33.

1. VIrgo Maria, tu *Arca* es *fœderis Domini*, quia fœderasti nos Trinitati. Nam Patri attribuitur maiestas, Filio sapientia, Spiritui sancto benignitas siue bonitas. Patrem offenderamus per superbiam, Filium per insipientiam, Spiritum sanctum per malitiam: quæ omnia in primo peccato concurrerunt; scilicet superbia, quâ Adam voluit esse sicut Deus; insipientia, quâ credidit fieri sicut Deus; malitia, quâ contradixit ei quod præceperat Deus, vel consensit ei, quod prohibuerat Deus. Sed tu, beatissima Virgo Maria, *Arca fœderis* fuisti: nam per humilitatem reconciliasti nos Patri, quoniam ipse respexit humilitarem ancillæ suæ. Filio nos vniuisti, & iunxisti, quoniam credendo ipsum concepisti, & per te Spiritu sancto nos repleuit, qui te impleuit, vt de plenitudine tua omnes acciperemus gratiam pro gratia. Sic, gloriosissima Virgo Maria, *Arca fœderis* es, quia per te Dei fœdus ad nos firmatum est: nam antequam fieret hæc Arca, id est tu, Virgo Maria, eramus inimici, & firmatum erat Chaos magnum inter nos, & Deum; vt, qui vellent hinc transire ad eum non possent, & ideò per te Virginem Mariam venit Dei Filius ad nos; factus est *Emmanuel*, id est, *nobiscum Deus*, vt tam Filius quàm tu, Mater inuiolata reduceres nos ad Patrem, & reduxisti, & sic fœdus sempiternum conclamatum est, scilicet pax hominibus bonæ voluntatis: quia *Christus est pax nostra, qui fecit vtraque vnum*, id est, & quæ in cælis, & quæ in terris: in se reconcilians ima summis.

Luc. 1. 48. Luc. 16. 26. Matth. 1. 32. Ephes. 2. 14.

2. Tu, piissima Virgo Maria, es *Arca propitiationis*: quia Mater es & Regina misericordiæ: Mater illius, & Filia, qui est Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, & qui est propitiatio pro peccatis nostris. Tu es, Virgo Maria, *Arca propitiationis*: quia tuis precibus, meritis, &

2. Cor. 1. 3. 1. Ioan. 2. 2.

interceſſionibus propitiatur Dominus omnibus iniquitatibus noſtris; cùm enim pro peccatoribus tuo benedicto Filio te ſemper opponas, nihil tibi poteſt negare tuus benedictus Filius, aut enim iubes nato, aut oras Patrem, & ſemper exaudiri mereris pro tua reuerentia.

3. Tu, ſancta Virgo Maria, es *Arca Teſtamenti*, de qua ſcribitur. *Apertum eſt Templum Domini in Cœlo, & viſa eſt Arca Teſtamenti eius in Templo eius.* Et ſicut *Arca* dicitur ab *arcano*; ſic tu, Virgo Maria, es Arca, id eſt, ſecretum Dei: qui te Arcam clauſit; clauſit, & nemo aperit. In hac Arca, id eſt, in te Virgine Maria Ieſus Chriſtus cuſtoditus & celatus fuit diabolo, & ſeculi principibus: quia, *Si eum cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* Tu, Virgo Maria, es illa *Arca*, in qua ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei abſconditi: ideò de te canitur, Apoc 11. 19. 1. Cor. 2. 8. Coloſſ 2. 3.

Aue diues Arca Chriſti,
Quæ theſaurum effudi
Quo ditantur omnia.ſti

4. O clementiſſima *Arca*, pauper & egenus ſum: communica mihi illum theſaurum indeficientem, vt anima mea ditetur in æternum. Amen.

Contemplatio XXX.

Virgo Maria, Thronus.

1. O Dilectiſſima Virgo Maria, glorioſiſſimus Filius tuus te humiliter vocauit, dicens: *Veni Amica mea, & ponam in te Thronum meum.* Tu, benedicta Virgo Maria; *Thronus* nominaris: quia, ſicut thronus firmiter & aptè eſt compactus, ſic tu, Virgo Maria, indiſſolubili internarum virtutum concatenatione compacta fuiſti, quæ connexæ mutuo ſe roborabant. Hæ ſunt Virginitas, Simplicitas, Sollicitudo, & omnes Cardinales & Theologicæ Virtutes. In hoc *Throno*, Virgo Maria, Regem æternum, qui cùm in forma Dei eſſet, exinaniuit ſemetipſum, in carne humiliatum per Incarnationem beatiſſima ſuſcepiſti, & in te hominis formam aſſumpſit, in qua iudiciariam poteſtatem ſuſcepit. Eccl. in Communi Virginum.

2. Tu, glorioſa Virgo Maria, es ille Thronus grandis, quem ſibi fecit Salomon de ebore; ebur eſt os ſine carne: ſic tu, Virgo Maria, fuiſti ſine carne, id eſt, ſine vitioſitate aut concupiſcentia carnali. Nam in carne, præter carnem vixiſti. Ebur os eſt ſine pelle: ſic tu, Virgo Maria, fuiſti ſine pelle, quia numquam glorіata fuiſti in pellibus, id eſt, in exterioribus: nam gloriam mundi ſpreuiſti cum ſuis oblectationibus. Ebur eſt os ſine pilis; ſic tu, Virgo piiſſima, fuiſti ſine pilis, id eſt, ſine ſuperfluitatibus, per quos ſignantur fatui reſpectus, riſus indiſcreti, verba otioſa, tactus illiciti, diſcurſus erronei; fuiſti etiam ſine pilis, id eſt, ſuperfluitate corporali: quia 3. Reg. 10. 18.

fuiſti pauperrima; Ebur eſt ſiccum: ſic tu, virtuoſiſſima Virgo Maria, fuiſti ſicca: quia in tua ſanctificatione, & Spiritus ſancti ſuperuentione, qui ignis eſt, nihil relictum eſt humoris noxij, nihil caloris aduſti; nec de ſemine viri, ſed myſtico ſpiramine concepiſti. Ebur eſt os durum: ſic tu, conſtantiſſima Virgo Maria, dura fuiſti, quia es impenetrabilis omnibus iaculis inimici, & faciem tuam poſuiſti vt petram duriſſimam ad verbera quæ patiebaris in benedicto Filio tuo flagellato. Ebur eſt os candidum: ſic tu, pretioſiſſima Virgo Maria, fuiſti candida interiùs per humilitatem, innocentiam, & puritatem; & exteriùs per perfectam caſtitatem; Tu *Thronus* es Salomonis, ſanctiſſima Virgo Maria, qui interpretatur pacificus: quia ille Rex pacificus nouem menſibus in te *Throno* beatiſſimo requieuit. Ideò dicitur *Thronus eius ſicut dies cæli*, qui æterni ſunt; & qui incircumſcriptibilis erat ſecundùm diuinitatem, in te ſedit, & circumſcriptus euaſit.

Pſalm. 88.30. *Hebr. 4. 16.*

3. Accedam igitur ego miſerabilis peccator, non ad Tribunal Iudicis, ſed ad *Thronum gratiæ*; id eſt, ad te Virginem Mariam plenam gratiæ, vt gratiam inueniam in auxilio opportuno: hîc te miſerante ac intercedente gratiam inueniam, & remiſſionem omnium peccatorum, & in futuro inueniam te adiuuante gloriam ſempiternam. Amen.


Contemplatio XXXI.

Virgo Maria, Thalamus.

1. THalamus, qui eſt locus nuptiarum, nominaris tu, ſacratiſſima Virgo Maria, quia in vtero tuo virginali, Dei Filius humanæ naturæ tanquam Sponſus Sponſæ abſque fœditate & immunditiâ copulatus eſt. *Thalamus* tuus interior, Virgo Maria, eſt mens tua virginalis, quam tota ſancta Trinitas inhabitauit. *Thalamus* tuus exterior eſt tuus vterus immaculatus; per quem venit Deus in mundum. *Thalamus* tuus ſuperior eſt vita beata, in qua amplexata à Sponſo tuo benedicto, reſides æternaliter. Tu, Virgo Maria, es *Thalamus* pulchrè diſpoſitus, in quo ſunt duo parietes ſeſe è regione reſpicientes, ſcilicet Virginitas, & Maternitas. Hic *Thalamus* habet profundum humilitatis, longum fidei, altum ſpei, & latum charitatis. Habet etiam oſtium ab Oriente, per quod ingreſſus eſt verus Oriens, qui nos viſitauit ex alto. Fuit clauſus ab Aquilone, à quo panditur omne malum: quia nihil coinquinatum aut nociuum in te potuit intrare. Fuit grandis ad ſuſcipiendum eum, qui replet cœlum & terram. Fuit excelſus: quia ab omni terrenitate remotiſſimus, & cœlo propinquiſſimus, multoque
3. Reg. 10.20. decore venuſtus: *Non enim fuit tale opus factum in vniuerſis regnis.* Tale, id eſt, ſimilis ſubtilitatis, ſimilis admirationis, ſimilis ſpecioſitatis, ſimilis famoſitatis, ſimilis fortitudinis, & ſimilis ſanctitatis, gloriæ, & honoris.

2. Fuit etiam hic Thalamus clausus & munitus tam fortiter, quòd Leo rugiens ei nocere non potuit. Nec vnam quidem rimulam inuenire potuit, quâ posset introspicere subtilis astutia inimici. Fuit iste *Thalamus* admirabilis ratione eorum, quæ facta sunt in eo. Ibi enim facta est illa beatissima copula diuinæ naturæ & humanæ. Factus est Leo, Agnus; Deus, Homo; Æternus, Temporalis; Antiquus dierum, Puer; Verbum, Infans, Immortalis, Mortalis, Immensus, Paruulus, Creator, Creatura; qui fecit hoc, quod factus est; & qui primò fecerat hunc *Thalamum*, posteà factus est in eodem *Thalamo*: quia homo natus est in te, & ipse fundauit te Altissimus, & processit ex te, tanquam Sponsus de *Thalamo* suo: Fuit insuper mundus iste *Thalamus*, virginitatis decore, adornatus virtutibus diuersis; quietus, quia nihil ibi fuit contradictionis inter carnem & spiritum: nihil rebellionis inter rationem & sensualitatem. Fuit aromaticus, quia repletus omnibus aromaticis speciebus, id est, donis & virtutibus; vt toti Trinitati esset odoriferus. *Psa. 86. 5. Psalm. 18. 6.*

3. O salutifera Virgo Maria, erubesco loqui de te, quia thalamum cordis habeo corruptissimum, & fœdissimum ob multitudinem peccatorum meorum: non sum dignus te nominare, de te loqui, aut cogitare. Sed compati mihi digneris orando pro me illum quem in sanctissimo tuo thalamo portasti, vt sic thalamum mentis meæ purgare à peccatis, & ornare virtutibus dignetur, vt vitam ingrediar sempiternam. Amen.



Contemplatio XXXII.

Virgo Maria, Domus.

1. DOmus es, sumptuosissima Virgo Maria, *Domus* inquam, quam sibi fecit verus Salomon, id est, Christus Rex pacificus; quia *Sapientia ædificauit sibi Domum*. Cuius fundamentum fuit suprema paupertas; quadratura fuit, timor; quia dictum fuit tibi; *Ne timeas Maria*: desiderium, quia dixisti, *Fiat mihi secundùm verbum tuum*: dolor in Filij tui Passione, vnde dictum est tibi; *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*: gaudium de tui benedicti Filij Resurrectione. Paries Orientalis, fuit spes æternæ beatitudinis, Occidentalis, fuit memoria mortis, Meridionalis, temperantia in prosperis; Aquilonaris, patientia in aduersis. Profundum Domus, fuit humilitas, longum, fidei perseuerans firmitas, latum, charitas, altum spei proceritas, & excessus contemplationis. Tectum, patientia contra aëris intemperiem, & sicut domus est defensio à caumatibus, ita tu protegis à tentationibus diaboli inuisibilibus, & à pluuiis, id est, à tentationibus carnis ferè continuò spiritum impugnantibus. Ab his enim defendimur, quasi sub tegmine huius *Domus* tuæ. Ostium hujus *Domus*, Virgo piissima, *Prou. 9. 1. Luc. 1. Ibid. 38. Luc. 2. 35.*

fuit mentis obedientia. Per hoc ostium intrauit ille verus Rex Salomon Iesus Christus benedictus Filius tuus in te.

2. Tu, beatissima Virgo Maria, es *Domus* orationis, de qua dicit benedictus Filius tuus, *Domus mea*, scilicet tu, Virgo, *Domus orationis es*; quia tu, benignissima Virgo Maria, assiduè oras pro populo Christiano. Tu, sanctissima Virgo Maria, es *Domus* continens medicinam, id est, Christum contra morbos peccatorum, & arma virtutum contra carnem, mundum & diabolum: contines ergo arma humilitatis, contra superbum diabolum; arma paupertatis, contra cupidum mundum; & arma virginitatis, contra lubricam carnem. Tu, Virgo Maria, es *Domus* speciosissima carentià omnis mali, & ornatu omnis boni, & etiam ornatu omnis virtutis interioris, & omnis bonæ operationis exterioris.

3. O beatissima Virgo Maria! miserabilis domus mentis meæ ruinam minatur; quia quotidie per inimicos debellatur. Plena est spurcitiis diuersorum vitiorum, ignis validus ibi accensus est cupiditatis & lubricitatis. Sed, piissima Virgo Maria, confido & firmiter spero, quòd in multitudine misericordiæ tuæ introibo in *Domum* tuam, per veram fidem & dilectionem ad tuum Filium & ad te. Maxima siquidem misericordia est Dei, infundere gratiam diligendi te, Matrem suam. Sic exoro, vt te diligam, & *Domum* cælestem possideam in æternum. Amen.

Contemplatio XXXIII

Virgo Maria, Porta.

1. O Fœlix cæli porta, fœlicissima Virgo Maria, tu es illa *Porta* quæ respiciebat ad Orientem; quæ erat clausa, & antequàm tu, Virgo
Ezech. 40. 22. Maria, porta fieres, eras quasi murus continuus diuidens inter nos & Deum: & ideò pauca aut nulla commercia celebrabantur Angelorum & hominum. Sed postquam tu, Virgo Maria, fuisti facta *Porta*, factum est admirabile commercium & deinceps terrena fuerunt cælestibus sociata. Eua fuit Porta Occidentais, quæ fuit principium ortus nostri ad occasum
Eccl. 25. 33. & mortem; quia à muliere initium peccati factum est, & per illam omnes moriuntur. Sed tu, superlaudabilis Virgo Maria, *Porta* fuisti Orientalis; quia per te ingressus est in mundum verus Oriens, id est, Christus; & per te nobis oritur gratia, & patet accessus ad verum Orientem, qui ortus est ex te. Tu etiam es principium ortus nostri ad vitam. Tu Porta cæli, quia
In Hym. O gloriosa. per te cæli Rex venit in mundum: Ideo canitur de te, *Tu Regis alti ianua.*

2. Tu, clarissima Virgo Maria, Porta lucis es; quia per te verus Sol iustitiæ terram, id est, Ecclesiam illustrauit, & fidelem animam radiis gratiarum. Vnde dicitur de te, *Porta lucis fulgida*. Eua siquidem fuit Porta tenebrarum: quia per eam intrauerunt tenebræ culpæ & pœnæ, & totius

miseriæ. Nobis etiam *Porta lucis* es, benignissima Virgo Maria, quia per te egredimur ab illis tenebris, & ingredimur ad lucem, quæ est Christus; & ad lucem gratiæ, & virtutis, & meritorum, & beatitudinis æternæ. Et ideo de te Virgine Maria cantatur,

Aue lucis ianua,
Portarum præcipua,
Patens Regis gloriæ;
Qui seruauit veniens,
Non confregit exiens,
Portas pudicitiæ.

3. Ecce, speciosissima Virgo Maria, designata es per illam *Portam* Templi, quæ dicebatur *Speciosa*, ad quam debemus sedere, exemplo illius claudi quem sanauit ibi beatus Petrus, dicens ei, *In nomine Iesu Christi Nazareni, surge & ambula*: Hæc namque duo, benignissima Virgo Maria, summè sunt duo nobis necessaria, scilicet surgere à peccato, & ambulare de virtute in virtutem passibus fidei, & bonorum operum, qui claudicamus à semitis nostris. *Act 3.*

4. O largissima Virgo Maria! per portam Euæ frequenter ingressus sum, & ingredior omni die, tenebris vitiorum me inuoluens, & sic te portam lucis & misericordiæ mihi clausi, & eius ingressum mihi ipse prohibui. Nunc me sentio extra ciuitatem, & pluuiæ expositum, & luporum dentibus lacerandum. Adiuua me, piissima Virgo Maria; aperi mihi ianuam pietatis & misericordiæ; vt introductus in eam ab omni malo perpetuò sim securus. Amen.

Contemplatio XXXIV.

Virgo Maria, Fenestra.

1. CÆli *fenestra facta es*, gloriosissima Virgo Maria: *Fenestra*, inquam, ferens lucem, & *Fenestra* quasi *ferens nos omnes*. Tu siquidem, benignissima Virgo Maria, tuis precibus, meritis & exemplis educis ab angustia & tenebris peccatorum in latitudinem, & lucem virtutum, seruientes tibi, & tuos amatores. Et sicut mediante fenestrâ illustratur solari iubare domus interior: sic te aperiente os tuum ad orandum pro nobis, illustrantur conscientiæ nostræ glorioso lumine Saluatoris. *Eccl. in Hymno. O gloriosa.*

2. Tu, Virgo Maria, figurata es per fenestram crystallinam, quam fecit sibi Noë in Arca; quia sicut crystallus rore humectata & Soli subiecta incorrupta parit igniculum: sic tu, gloriosissima Virgo Maria, rore Spiritus sancti madefacta saluo flore virginitatis peperisti Christum lumen Ecclesiæ. Ideo canitur de te,

Ead. in Prosa.

Sic crystallus fit humecta,
Atque soli sic subiecta,
Scintillat igniculum.
Nec crystallus soluitur;
Nec in partu frangitur
Pudoris signaculum.

Per hanc fenestram transitum habuit Columba, quæ cessationem indicauit diluuij; & tu cunctis Ecclesiæ fidelibus, quæ *Arca* est, attulisti spem salutis. Tu, benedicta Virgo Maria, vitrea *Fenestra* es, illuminans totam Ecclesiam exemplo tuæ puritatis, quæ notatur in vitro: quia ad instar Fenestræ vitreæ, sine tuæ læsione integritatis, suscepisti in conceptu, & emisisti in partu solem iustitiæ: de quo canitur,

Vt solis radius intrat innoxius
Fenestram vitream: sic Dei filius,
Imò subtiliùs, aulam virgineam.

3. Tu beatissima Virgo Maria, figurata es per Fenestras Templi obliquas, id est arcuatas desuper; quarum exterioritas erat angustior propter tempestatum repulsionem, & inferioritas diffusior propter luminis illustrationem. De te, benignissima Virgo Maria, canit Sancta Mater Ecclesia,

Genes. 8. 8.

Intrent vt astra flebiles,
Cœli fenestra facta es.

4. O clementissima Virgo Maria, ego miserabilis peccator, non audeo pulsare ad ostium, quod est Filius tuus benedictus, & eius ianitor est iustitia: sed ad te *Fenestram* piissimam clamo, & vt inde, eleemosynam accipiam, paupertatem meam notifico. Nuda est omnibus virtutibus anima mea, famelica cibi spiritualis, infirma & sauciata vulneribus peccatorum, ac spoliata armis spiritalibus. Sic enim nuda, famelica, infirma, sauciata, spoliata iacet, inimicis vallata; ad te Fenestram clamo: porrige eleemosynam; & si non de ferculis, saltem de micis, quæ cadunt de mensa Domini: id est tribue aliqua fragmenta gratiarum, vt taliter viuens per gratiam, ad conuiuium cæleste valeam peruenire. Amen.

Contemplatio XXXV.

Virgo Maria, Scala.

1. ILla Scala tu es, gratissima Virgo Maria, quam vidit Iacob; quæ stabat super terram, & cacumen eius tangebat cœlos: & Angeli descendebant & ascendebant per eam, & Deus erat innixus super scalam. Tu, gloriosissima

riosissima Virgo Maria, fuisti *Scala*; cuius pes fuit paupertas, quia contempsisti omnia carnalia, & mundana: cacumen fuit excelsa contemplatio vsque ad cœlum, non solùm aëreum, sed etiam sydereum & empyreum; scilicet vsque ad sedentem in throno diuinæ Maiestatis; latera sunt virginitas & maternitas, quæ non facerent scalam, nisi coniungerentur scalones, siue gradus; qui fuerunt fides, spes, charitas, puritas, voti firmitas, humilitas, obedientia, prudentia, modestia, misericordia, compassio, pietas, benignitas: & cæteræ virtutes. Vnde, sicut mediante scalâ de alto descenditur ad imum, & ab imo ascenditur ad summum; sic te mediante, Dei Filius benedictus descendit ad nos illectus humilitate tuâ, & ideò de te dicit sancta Mater Ecclesia, *Facta es Maria Scala cœlestis, per quam Deus descendit ad terram.* Per te autem, pijssima Virgo Maria, nos misericorditer ascendimus in cœlum; qui per Euam cecidimus in miseriam huius mundi. *Eccles.*

2. Tu, purissima Virgo Maria, *Scala* cœlestis es, tangens cœlum, & per tuas sanctissimas orationes hauris aquam viuam superiùs de fonte vitæ, qui apud Deum est; & inde refunditur inferiùs misericorditer nobis miseris. Sicut illa *Scala*, scilicet Iacob, stans super terram, tangebat cœlum; sic te mediante, terrena cælestibus vniuntur. Per scalam, Virgo benedicta, ascendebant & descendebant Angeli, id est, propter scalam. Angelus enim descendit ad te visitandum, & noua nuntiandum; quia *Missus est Angelus Gabriel à Deo in Ciuitatem Galileæ*, Angeli etiam ascendebant, *Luc. 1. 26.* sancta tua desideria, sanctas orationes, & pias locutiones Domino nuntiantes, quod est officium Angelorum. Per hanc *Scalam*, id est, per tuas preces & intercessiones piissimas, merita, & exempla, ascendunt contemplando, & descendunt strenuè operando. Et sicut tu, Virgo Maria beatissima, innixa fuisti super dilectum tuum in Annuntiatione; sic & ipse in Incarnatione innixus fuit tibi. Et qui imitantur te in præsenti, in morte ruunt ad amplexandum eum, qui erat innixus *Scalæ*, quasi tenens eis *Scalam* per gratiam, ne à seruitio vel dilectione tuâ impulsu vel tentatione aliquâ corruant & sicut ianuas seruientes tibi: sic negligentes, & paruipendentes seruitium tuum, de quorum numero me esse sentio, permittis cadere priùs in peccatum, deinde in infernum.

3. Sed, Virgo pijssima, sicut necesse est ascendentes *Scalam* se tenere manibus, & pedibus: sic fac me tenere pedibus, id est, affectibus, vt te diligam: & manibus, id est, operibus, vt quamdiu vixero, operer tibi placita, & per te *Scalam* ascendam in cœlum, ibíque maneam in æternum. Amen.

Contemplatio XXXVI.

Virgo Maria, Ciuitas.

Psal. 86. 3. Luc. 1. 48. 1. O Quàm *Gloriosa dicta sunt de te Ciuitas Dei.* Tu, sanctissima Virgo Maria, es *Ciuitas*, quam beatam dicunt omnes generationes, quæ nominaris *Ciuitas* quasi *Ciuium vnitas*, id est sensualitatis & rationis plena concordia. Ciues huius Ciuitatis sunt sanctæ cogitationes, deuotæ affectiones, feruentia desideria; & huiusmodi Ciues regebantur consilio Spiritus sancti, quia Ciues sunt consilio regendi, & aduersarij fugandi, & fugiendi. Fuit igitur in te, sacratissima Virgo Maria, *Ciuium vnitas*; quia caro non concupiscebat aduersus spiritum, nec spiritus aduersus carnem: (Galat. 5. 17.) nec aliquid rebellionis aut contradictionis fuit in corpore tuo, vel animâ; & ideò summus habitator in te pacificè est hospitatus, & ibi factus est in pace locus eius; & sic tu, Virgo sacratissima, *Ciuitas* sancta digna fuisti tanto Rege, tanto Pontifice, tanto fundatore, & tanto habitatore. (Psal. 75. 3.)

Psal. 86. 1. 2. Fundamenta huius Ciuitatis in montibus sanctis fuerunt, id est, in Patriarchis, Prophetis, & Regibus: de quibus, Virgo Maria sanctissima, originem traxisti. Fundamentum etiam, Virgo Maria, fuit ipse Christus, qui est lapis angularis: qui te sustentauit in gratia & virtute. Murus Ciuitatis, fuit prudentia contra luxuriam, sobrietas contra gulam, paupertas contra auaritiam, fortitudo contra acediam, benignitas contra iram, charitas contra inuidiam, & humilitas contra superbiam. Fuit murus defensionis tibi Christus, quia si Dominus in circuitu populi sui, multò fortiùs in circuitu Matris suæ. Murus fuit Angelicæ custoditionis; quia *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te.* Fuit murus omnimodæ virtutis, quia virtutes muri sunt custodientes animam, & munientes eam. (Psal. 117. 22. Matth. 21. 42. Act. 4. 11.)

3. Fossatum fuit profundum, paupertate, timore, & humilitate; vacuum prosperitate mundanâ, dilatatum charitate, superiùs latum desiderij extensione, Ciuitatem circuiens forti defensione. Nam tale fossatum non timet incursiones diaboli. O *Ciuitas* sanctissima, *Ciuitas* secura! Beatus qui in te habitat, qui in te viuit; quia in te est pax, pietas, & bonitas, virtus, lux, honestas, gaudium, lætitia, dulcedo, amor, concordia; & nulla indigentia: & *Sicut lætantium omnium habitatio est in te.* O iucunda *Ciuitas* supra montem posita, ad illuminandum nos. Qui te respicit oculo interiori, cognoscit mundi vanitatem, suam vilitatem, Dei bonitatem. (Psal. 86. 7.)

4. Sed ego impiissimus peccator hactenus non inspexi te, sed miseros oculos cordis mei clausi, ne viderem Dei bonitatem, & meam fragilitatem: sed benè corde peruigili aspexi mundi vanitatem. O beatissima *Ciuitas*, *Ciuitas refugij*, suscipe me errantem, custodi me trementem, salua me ad te redeuntem: vt ad Ciuitatem supremam Hierusalem perueniam, tuis meritis & intercessionibus benedictis. Amen.

Contemplatio XXXVII.

Virgo Maria, Turris.

1. ESto *mihi*, potentissima Virgo Maria, *Turris fortitudinis à facie inimici*: quia tu benignissima Virgo Maria, *Turris* nominaris propter altitudinem: quia sicut Turris altissima est, sic tu altissima fuisti & eminens propter contemplationem cælestium & eminentiam scientiæ de æternis, nam in cœlo mente conuersabaris cum Angelis, & cœlos attingebas stans in terra. Turris etiam rectitudinem habet; & tu, dignissimâ Virgo Maria, rectitudinem & dilectionem intentionis ad Deum semper habuisti, & rectitudinem iustitiæ; quia nunquam ad sinistram per aduersa,& numquam ad dexteram per prospera declinasti; nunquã retrò reflexa fuisti ad mũdana, & nunquam aliquâ tentatione inflexa. Turris habet fortitudinem; & tu, sanctissima Virgo Maria, fortis mulier fuisti, & tibi tota innititur Ecclesia militans, & per fortitudinem fidei, spei, & charitatis, totam sustentas Ecclesiam; & tuis sanctis deprecationibus das lapso virtutem & robur multiplicas, sicut Turris munit & roborat existentes in ea. *Psal. 60. 4.*

2. Turris habet quadraturam, & aliquando rotunditatem: sic tu, benignissima Virgo Maria, quadraturam habuisti, quæ fides fuit integra, spes firma, charitas feruens, & vna operatio perseuerans. Et ista latera æqualia sunt: quia quantùm quis credit, tantùm sperat, quantùm sperat, tantùm diligit, quantùm diligit, tantùm operatur. Habuisti etiam rotunditatem: quia quemadmodum cœlestia corpora sunt rotunda, sicut est cœlum, Sol, Luna, & Stellæ, per quæ figuratur æternitas principio carens & fine, cuius appetitum & desiderium rotunditas figurat: huiusmodi appetitum & desiderium tu, dilectissima Virgo Maria, habuisti præ omnibus creaturis.

3. Turris est præsidium, & est defensio habitantium in Ciuitate: sic tu, prudentissima Virgo Maria, es præsidium & defensio peccatorum, qui in cunctis necessitatibus & angustiis necesse habent ad Turrem inexpugnabilem confugere & dicere. *Sub tuum præsidium confugimus sancta Dei genitrix.* Tu es, piissima Virgo Maria, *Turris*, defendens pauperes, humiles, & amatores pacis & concordiæ. Tu, humillima Virgo Maria, es illa *Turris*, quam ædificauit Dominus in medio vineæ suæ, id est, ad defensionem totius Ecclesiæ Catholicæ, ne diripere̅tur Racemi eius, id est, Fideles vel fructus bonorum operum. *Eccl. in Ant.* *Matth. 21. 231 Marc. 1.*

4. Sed, clementissima Virgo Maria, ego prauissimus peccator, dissipatus sum, & fructus operum meorum reductus est ad nihilum: quia in peccatis existens, operatus sum ea, & frequenter non rectâ intentione. Suscipe, Virgo pia, & introduc me in *Turrim*, hoc est in mememoriam deprecationum tuarum, vt protectus à te, gloriam percipiam sempiternam, Amen.

Contemplatio XXXVIII.

Beata Virgo, Murus.

Cant. 8. 10. 1. MVro tuo inexpugnabili circuncinge me, gloriosissima Virgo Maria, quia *Murus* nominaris. Murus namque dicitur, quia munit & tuetur interiora ciuitatis, ne ab hostibus diripiantur. Tu, sacratissima Virgo Maria, es Murus muniens ciuitatem Dei, id est, Ecclesiam Catholicam, ne bona interna eius, scilicet opera bona, gratiæ, & virtutis diripiantur à dæmonibus, vel vitijs; & ne fideles Ecclesiæ ducantur à diabolo captiui in peccatum, vel infernum; aut ne spolientur armis, & vestimentis virtutum. Tu, benedicta Virgo Maria, es *Murus* inexpugnabilis, qui non potest suffodi, perfodi, aut transcendi; non potest suffodi, quia fundatus est super firmam petram, id est, Christum; non super arenam in terra, per amorem terrenorum. Tu, beatissima Virgo Maria, *Murus* inexpugnabilis non potes perfodi, propter patientiæ firmitatem, quam ostendisti in Passione benedicti Filij tui; nec etiam potest transcendi, propter humilitatis altitudinem cœlos attingentem; ideò inexpugnabilis *Murus* nominaris.

2. Tu, pijssima Virgo Maria, es *Murus* firmissimus propter propositi seruandæ virginitatis firmitatem. Tu, *Murus* quantùm ad virtutes quibus malis resistitur; *Murus* ad mala fortiter repellenda à te, & alijs, per fortitudinem & magnanimitatem. Tu *Murus*, deorsum infima non admittens. Tu *Murus*, vt sis alijs in defensionem & conseruationem. Tu *Murus* tantæ defensionis & firmitatis, quòd super te ædificauit tota sancta Trinitas. Tu, speciosissima sancta Maria, es ille igneus *Murus* in circuitu Hierusalem, id est, Ecclesiæ, de quo tu dicis cum Filio tuo benedicto, *Ero Murus igneus in circuitu eius*; quia tu *ignis* appellaris, illuminans cæcos, calefaciens frigidos, incuruans duros, desiccans humidos in terrenis, & restringens fluidos ad peccandum. Zachar. 2. 5.

3. Tu, amantissima Virgo Maria, es ille *Murus* aqueus propter abundantiam gratiarum, quando filijs Israël transeuntibus mare rubrum, aquæ erant pro muris à dextris & à sinistris. Per has aquas significantur gratiæ, quas habemus per te, quæ veros Israëlitas, id est, veros Christianos, videntes benedictum Flium tuum & te, fide & dilectione duplici muro custodis contra Ægyptios, id est, dæmones & peccata, & ipsos Ægyptios interficis, & submergis. Exod. 14. 29.

4. Sed, piissima Virgo Maria, vilipendendo te, *Murum* fortissimum me exposui ipsis Ægyptiis dæmonibus, ipsorum tentationes recipiendo voluntariè, & ad effectum perducendo. Pœnitet me, Virgo pia, sic egisse,

ſed non pœnitet, vt debet. Adiuua me per tuam miſericordiam, eruendo me à faucibus eorum, & muni me tuo *Muro* inexpugnabili, in quo tutus ab hoſtibus maneam in æternum. Amen.

Contemplatio XXXIX.

Virgo Maria, Nauis.

1. IN miſerabilibus fluctibus & periculis maris huius mundi conſtituti ſumus, beatiſſima Virgo Maria: impugnamur quotidie principaliter à quatuor ventis tentationum. Ab Oriente inſufflat ventus ſuperbiæ, qui non permittit, vt originem & natiuitatem noſtram videamus. Ab Occidente impugnat nos ventus negligentiæ, vt mortem noſtram nobis propinquam, & incertam non cogitemus; neque vitam noſtram, quæ ventus & fumus eſt, emendemus. Ab auſtro flat ventus proſperitatis, deſideriorum mundanorùm, & carnalium, longæuam vitam nobis promittentium, vt de ſalute animæ ac de cœleſtibus non cogitemus, neque de peccatis pœnitentiam agamus. Ab Aquilone inſufflat ventus aduerſitatis, nos inducens ad impatientiam, triſtitiam, & deſperationem, ad blaſphemiam Dei, & ad vindictam proximi. Inde inſurgunt dæmones ventos diuerſos vndique adducentes diuerſarum tentationum, malarum cogitationum, & conſenſuum, ac prauarum operationum. Et ſic hinc inde agitati in hoc tempeſtuoſo mari miſerabiliter ſubmergimur.

2. Sed tu, glorioſiſſima Virgo Maria, facta es Nauis, per quam poſſumus fœliciter nauigare per hoc mare, vnde de te ſcribitur, Sapiens *Facta eſt quaſi Nauis inſtitoris de longè portans panem ſuum.* Tu, Virgo Maria, *Nauis* facta es à diuina Trinitate compaginata omnium virtutum firmitate, Prou. 31. 14. ac plenitudine omnium gratiarum, & omnium bonorum operum. Inſtitor fuit Spiritus ſanctus, qui te gubernauit, & ornauit virtutibus pretioſis, ſcilicet auro ſapientiæ, argento eloquentiæ, pomis odoriferis ſanctæ opinionis, cibarijs omnium ſcripturarum, & mandatorum Dei, carnibus agni immaculati, oleo miſericordiæ & pietatis, ſale diſcretionis, lacte benignitatis & doctrinæ, ſpeciebus aromaticis omnium virtutum, igne diuini amoris, operto tamen humilitatis cinere, lignis bonæ operationis. Et ad iſtas merces cuſtodiendas fuit in te cor humile, ſpiritus manſuetus, mens tranquilla, verecunda frons, demiſſa ſupercilia, oculi columbini, auditus obediens, os taciturnum, labia ſine morſu, lingua veridica, guſtus moderatus, tactus promptus ad bona opera, modeſtus inceſſus, pedes prohibiti ab omni via mala, & ſenſualitas ex toto ſubiecta rationi; Tu, Virgo Maria, *Nauis*, portaſti Panem de longè: quia de cælo venit Panis Angelorum, & fuit coctus in clibano tui vteri virginalis igne Spiritus ſancti, & ſecundò fuit coctus in ara Crucis, vbi induruit per ignem Paſſio-

nis: & sic fuit bis coctus, qui competit nauigantibus.

3. O Nauis tutissima, sine qua nullus potest euadere pericula huius maris, suscipe me, ne submergar impulsu tantorum ventorum, qui vndique me concutiunt & impellunt; & velut arundinem agitant hinc & inde. Fac me in te per deuotionem & dilectionem intrare, vt tutè nauigando per hoc mare, cum tranquillitate ad portum perueniam salutis. Amen.

Contemplatio XL.

Virgo Maria, Hortus conclusus.

Cant. 4. 12. *Apoc. 3. 7.* 1. *Hortus conclusus* es, beatissima Virgo Maria, conclusus namque & firmatus illâ claue veri Dauid; qui claudit, & nemo aperit. Hac claue firmauit cor tuum contra omnem concupiscentiam, quando inspirauit tibi votum & desiderium perpetuæ virginitatis: aperuit etiam tibi intellectum ad credendum, & affectum ad diligendum. Aperuit autem tibi quando verba Angelica audiuisti, & prudenter cogitasti qualis esset ista *Luc. 1. 30.* salutatio, id est, quàm noua, dulcis, & admirabilis: aperuit etiam cor tuum ad credendum verbis Angelicis: aperuit etiam cor tuum ad consensum exprimendum, & humiliter exorandum, vt fieret, quod tibi promittebatur, & ad gratias agendum de beneficijs perceptis, & ad totum attribuendum datori quando dixisti. *Fecit mihi magna qui potens est.* Tu, pretiosa Virgo *Ibid. 49.* Maria, Hortus es plantatus: nam Deus Pater plantauit in te lignum vitæ, id est, Christum in Incarnatione, secus decursus aquarum nostræ mortalitatis, vt in te operaretur fœcunditatem, & custodiret illæsam virginitatem.

2. Tu, gloriosa V. Maria, es *Hortus* planus, & æqualis, vt faciliùs irrigari possis imbribus gratiarum. Planus etiam per mansuetudinem, humilitatem, simplicitatem, & benignitatem; quarum virtutum merito; fluentis omnium gratiarum es irrigata, & infusa. Tu, piissima Virgo Maria, es *Hortus* aromaticus; & flante Austro iugiter fluunt ad nos aromata tua. Austrum, est spiratio Spiritus sancti, quo perflante huiusmodi Hortum, defluunt ad nos aromata tuorum beneficiorum. Tu, pijssima Virgo Maria, es *Hortus* humidus, humectatus & madefactus, omnium liquoribus gratiarum; quasi lignum transplantatum super aquas, quod ad humorem mittit radices suas, & non timebit, cùm venerit æstus.

3. Tu, speciosa Virgo Maria, es *Hortus* vmbrosus: ad hoc enim obumbrauit tibi virtus Altissimi, in Filij Conceptione, vt tuis precibus, meritis, & exemplis obumbrares peccatoribus contra feruorem diuinæ iracundiæ, & æstum cuiuslibet prauæ concupiscentiæ. Tu, excellentissima Virgo Maria, *Hortus* es mirabilis super omnes, quia Virgo peperisti Deum. Fuisti mirabilis in flore, quæ retinuisti florem, fructum proferendo, nec propter fructum florem amisisti. Fuisti in fructu mirabilis; cuius fructus fuit Iesus

Christus, qui ex te sola, & in te sola Matre conceptus est sine pruritu, & fœtore coïtus.

4. Tu, sacratissima Virgo Maria, es *Hortus* securus, qui non patet malignantibus, id est, dæmonibus & vitijs; vt inde violenter possint extrahere eos, qui ad te confugiunt: non enim est, qui de manu tua possit eruere. Custodi me igitur, misericordissima Virgo Maria, à laqueis dæmonum, & vitiorum: vt in te & per te *Hortum* bonorum operum, ad illum perueniam lætus, qui tribuit misericorditer gaudia sempiterna. Amen.

Contemplatio XLI.

Virgo Maria, Flos.

1. O Flos florum, speciosissima Virgo Maria: tu Flos mundissimus & odoriferus in virginitate quoad carnem, in humilitate & deuotione quoad animam, & in vtroque quoad Diuinitatis inhabitationem. Tu Flos tenuis in triplici substantia, scilicet corporali, per abstinentiam & carnis macerationem; spirituali scilicet in anima, per summam humilitatem; terrenâ, per voluntariam paupertatem. Tu Flos teres per mansuetudinem, per peccatorum compassionem, per dilectionem præcipuam. Tu Flos speciosus, id est, omnimodâ speciositate plenus, qua superlatiuè participas pulchritudinem omnium Florum, quia quidquid pulchritudinis habent cæteri Sancti in parte, habes tu, pretiosissima Virgo Maria, in toto. Tu Flos concauus per humilitatem: in hac autem concauitate, id est, merito humilitatis tuæ, quam respexit Deus, attulisti nobis mel diuinitatis: per humilitatem enim, & virginitatem placu isti Domino, sed per fidem con-
cepisti: nam per aurem concepisti, id est, per fidem auditorum à te; quia *fides* Rom. 10
ex auditu. Ideò *mel & lac sub lingua tua*. 17.

2. Tu es Flos vernalis, & concepisti Florem in tempore Florum, hoc est Cant. 4.
in vere. Vnde ad te concepturam Dei Filium dirigitur sermo, *Surge, prope-* 11.
ra Amica mea, & veni: iam enim hyems transiit; Flores apparuerunt in terra Cant. 3.
nostra: Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis. Post hye- 10. 11. 12.
mem namque, id est, niuem, beatissima Virgo Maria, concepisti benedi- 14.
ctum Filium tuum; & ostendisti faciem tuam, cùm in voce Angeli vere- Luc. 1. 38
cundata fuisti, & turbata. Sonuit vox tua in auribus Domini, cùm dixisti, Eccl. in
Ecce Ancilla Domini: fiat mihi secundùm verbum tuum. Et in hoc verbo Laud.
concepisti: in hac autem responsione melliflua, inæstimabiliter delectatus Fest. Na
fuit Dominus; & ideò sequitur, *Vox enim tua dulcis*. Conceptus etiam tiu. B.
fuit Flos iste, & nutritus in Nazareth, quæ interpretatur *Flos*. Congruum M. V.
enim fuit, Florem in Flore concipi, de flore nasci, & in Flore nutriri, & in tempore Florum, hoc est in vere nunciari.

3. Tu, sanctissima Virgo Maria, es Flos lenis & suauis ad tangendũ, lènitate & mãsuetudine; quæ maximè patet in aduocatione peccantiũ. Reuocas

enim dulciter auersos à te, suscipis hilariter reuertentes ad te; & semper pro peccatoribus oras libenter; & tibi supplicantibus das gratiam affluenter. Tu Flos leuis peccati immunitate: fuisti namque sine pondere peccati, quod animam deprimit in gehennam. Fuisti etiam leuis obedientiæ adimpletione. Tu es Flos tempora venustans; quia de te canitur, *Cuius vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias* scilicet militantem & triumphantem. Tu, Virgo Maria, sicut Flos es, qui non visus spargit odorem; & licet tu non videaris in præsenti intuitu corporali, spargis tamen odorem gratiarum, & virtutum tuarum super nos.

4. O piissima Virgo Maria, sparge super me misero peccatore odorem gratiæ tuæ, quo recreari valeam in æternum. Amen.

Contemplatio XLII.

Virgo Maria, Lilium.

Cant. 2. 2. 1. MVndissima Virgo Maria, benedictus Filius tuus de te dixit; *Sicut Lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Lilio te comparat ratione candoris, qui significat innocentiam, & peccati immunitatem. Et sicut lilium spinis, inter quas nascitur, præstantius est absque comparatione; sic tu, Virgo Maria, Iudæis, de quibus nata es. Et ideò de te canitur, *Sicut spina rosam, genuit Iudæa Mariam.* Imò in tua comparatione spinæ *Eccl. in Pros.* reputantur animæ sanctæ, & virtutes Angelicæ. Et sicut lilium candorem suum retinet inter spinas; & quantò magis ab illis pungitur, meliorem emittit odoris fragrantiam: sic, candidissima Virgo Maria, dum à nequam Iudæis in Filio tuo benedicto pungebaris, semper retinuisti mentis innocentiam, & animi puritatem; non reddens malum pro malo, nec pro maledicto retribuens maledictum. Imò cùm tuam mentem pertransisset gladius Passionis, & tota perpuncta fuisti, vt diceres *Angustiæ sunt mihi vndi-* *Dan. 13. 22.* *que*; tunc visa es dixisse, *Cum esset Rex in accubitu suo*, id est, in humiliatione *Cant. 1. 11.* Crucis, *Nardus mea dedit odorem suum*, scilicet patientiæ & virtutum; & compassio tui cordis pro summo martyrio tibi reputatur. Et hoc secundùm illa verba, *Sicut Lilium inter spinas, sic Amica mea inter filias*: quasi dicat Filius tuus benedictus; sicut ego, qui sum Lilium innocens inter *Psal. 117. 12.* spinas, id est, inter Iudæos, qui circumdederunt me sicut apes, & exarse- *Luc. 1. 49.* runt igne iræ & odij aduersùm me, sicut ignis in spinis: sic Amica mea, id est, tu, Virgo Maria, inter Filias, id est, inter Synagogam & Gentilitatem, quæ me crucifixerunt; & animam Matris meæ confixerunt, dilacerauerunt, & compunxerunt.

2. Sicut Lilium totum quod habet odoris, fructus, & amœnitatis transmittit ad summum, & collocat in capite suo; sic tu, sanctissima Virgo Maria, diuinæ Trinitati, quidquid boni habuisti, attribuisti, dicens, *Fecit mihi*

mihi magna qui potens est. Sicut Lilium dolores mitigat, & ardores extinguit: sic tu, clementissima Virgo Maria, precibus tuis & exemplis nobis peccatoribus & miseris seruis tuis, noxias refrænas & extinguis concupiscentias, & mitigas dolores animæ, consolationes transfundendo in eam; vt tibi verissimè dici possit, *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ*, pijssima Virgo Maria, *lætificauerunt animam meam.* *Psal. 93. 19*

3. Sic igitur, Virgo Maria, à te peto, sic flagito, sic humiliter exoro, corde flebili deposco, vt me amaritudine dolorum & peccatorum plenum, consolari digneris, tuum Filium deprecando, vt peccata remittat, virtutes mihi tribuat, & in fine gloriam æternam. Amen.

Contemplatio XLIII.

Virgo Maria, Rosa.

1. TV Rosa aromatica es, purissima Virgo Maria, propter odorem vnguentorum tuorum, id est, tuarum virtutum. Tu Rosa rubicunda, per verecundiam virginalem, & per pulchritudinem naturalem; quia *Tota pulchra es, & macula non est in te.* *Cant. 4. 7.* De spina nascitur Rosa non spinosa; & tu, sanctissima Virgo Maria, nata es de Iudæis incredulis bene credula. Tu, Virgo Maria, Rosa es rubicunda per Dei & proximi charitatem: nam igneus color designat charitatem. Rosa frigida est: & tu, beatissima Virgo Maria, frigida es per exclusionem praui amoris; & quia omnibus tuis exemplis & meritis malarum concupiscentiarum feruorem refrigeras, maximè in seruitoribus tuis. Rosa in granis est crocea; sic & tu, Virgo Maria, affectu intimæ charitatis, quia tibi cura est de omnibus; quia dicis, *Testis est mihi Deus, quomodo vos omnes cupiam in visceribus Christi* Filij mei benedicti. *Phil. 1. 8* Rosa restringit; & tu, Virgo Maria, restringis tuis orationibus fluxum cuiuslibet vitij, maximè in amatoribus tuis. Rosa est capitis confortatiua: sic tu, Virgo Maria, confortas caput, id est, mentes peccatorum, qui ad te deuotè, & ad tuam misericordiam recurrunt. Rosa est oculorum clarificatiua: sic tu, Virgo Maria, clarificas oculum mentis meæ dirigendo nos in viam mandatorum Dei.

2. Rosa est Regina omnium florum, quia purpurei coloris est, & purpura Regibus conuenit: sic tu pijssima Virgo Maria, es Regina Virginum, & decus Mulierum, sicut Rosa florum: & ideò de te dicitur, *Ostende mihi faciem tuam, quia facies tua decora:* *Cant. 2. 14.* Rosa est omnium florum suauissima: sic tu, Virgo Maria, omniùm mulierum & hominum es suauissima. Ideò de te scribitur, *Quid ad Mariam trepidet accedere humana fragilitas? nihil austerum in ea, nihil terribile: tota suauis est omnibus.* *D. Bern. serm. in Signum magnū.* Rosa est omnium flo-

rum delicatissima ad olfaciendum: sic tu, Virgo Maria, quia dicitur de te, *Speciosa facta es*, scilicet ad intuendum; *Et suauis*, scilicet ad tangendum & olfaciendum. Rosa spinis adhæret, licèt omnino dissimilis: & tu, gloriosa Virgo Maria, peccatoribus, qui sunt spinæ, adhæres pietate, & compassione, licèt omnino à peccato sis immunis. Rosa priùs clausa, ad solis radium aperitur: sic etiam tu, beatissima Virgo Maria, nam cùm vouendo virginitatem consensum omni conceptioni clausisses, & generationi; Soli tamen iustitiæ aperuisti, cùm intellexisti quod Filium Dei posses concipere & patere, manens Virgo. Rosa antequam marcescat, carpitur: & tu, benignissima Virgo Maria, antequam benedicta caro tua putredine marcesceret, ad vtriusque stolæ immortalitatem de mundo assumpta, vt piè creditur, fuisti.

Ecclesia in laud. officij B. M. in Sabbato

3. O misericordissima Virgo Maria, Rosa fragrantissima; sentiam ego putridus & infectus odorem tuarum orationum, per quas mundari valeam ab omni infectione peccati, & fragrantiam virtutum redoleam, in præsenti per gratiam tuam, & in futuro gloriam obtineam sempiternã. Amen.

Contemplatio XLIV.

Virgo Maria, Viola.

1. *FLos campi* tu nominaris, beatissima V. M. flos namque campi, qui propriè est Viola, miri odoris dicitur. Tu verò, gloriosissima Virgo Maria, redoles & fragras propter multitudinem vnguentorum tuorum, id est, virtutum, & gratiarum tuarum, & charismatum, quæ redolent inter vniuersos fideles Christianos; & maximè inter tuos seruitores deuotos. Viola ante omnes florens apparens, serenitatem temporis venientem designat, quia nascitur incipiente tempore vernali de terra inculta: similiter tu, beatissima Virgo Maria, prima votum emisisti perpetuæ virginitatis, & quasi in principio nascentis Ecclesiæ apparuisti in tempore vernali; quando omnia è terra nascentia quodammodò renouantur: nam à te incipit reparatio mundi. Viola est flos paruulus & inclinis: sic tu, perpetua Virgo Maria, paruula fuisti per humilitatem, & inclinis per obedientiam. Viola terræ adhæret; sic tu, dulcissima Virgo Maria, terræ adhæres, id est, terrenis peccatoribus per compassionem, pietatem, & affectum misericordiæ.

Cant. 2. 1.

2. Viola subtilis & suauis odoris est: similiter tu, amœnissima Virgo Maria, subtilis & suauis es per suauem & redolentem opinionem Deum & Angelos, & homines delectantem. Viola temperatæ proprietatis est: sic tu, sanctissima Virgo Maria, temperatæ complexionis fuisti, per omnimodam modestiam: quia regebaris cum moderatione rationis. Viola ardores febrium refrigerat: sic tu, benignissima Virgo Maria, ardores vitiorũ & quarumcumque tentationum hostiliũ refrigeras; incentiua fomitis domas;

calorem iracundiæ, auaritiæ ac cæterorum vitiorum, tollis, & aufers de cordibus tibi deuotè famulantium.

3. Viola noxios & corruptos purgat humores: sic tu, Virgo Maria, malos humores, scilicet peccata, quæ corrumpunt animam, tuis sanctis orationibus & exemplis purgas & euellis à mentibus spiritualiter languentium infirmorum. Viola membra desiccata & arida humectat: sic tu, piissima Virgo Maria, corda & membra arida, & frigida, tepore, pigritiâ & desidiâ, ad bene operandum humectas, & emollis ad exercitium bonorum operum; & deuotionis & charitatis pinguedinem subministras. Viola solidam radicem habet, & nihil aliud habet durum; radix solida tua, Virgo Maria, fuit fides, cuius solidissima constantia apparuit in Passione benedicti Filij tui. Ex Viola fit & componitur syrupus violaceus, qui singulis ægritudinibus est medicinalis, ac summum & inæstimabilis pretij medicamentum. Tu, misericordissima Virgo Maria, ægros sanas, debiles iuuas, sanos conseruas, & ab omni infirmitate liberas.

4. Liberare me digneris, ô piissima Virgo Maria, quoniam infirmus sum; & anima mea propinqua est morti. Sana eam vt tuo pio interuentu, hîc & in æternum viuat. Amen.

Contemplatio XLV.

Virgo Maria, Cedrus.

1. TV, excellentissima Virgo Maria, *Cedrus* appellaris: quia de te ipsa dicis, *Quasi cedrus exaltata sum.* Nam cedrus arbor est procera, & eminentissima super omnes arbores, & dicitur *Rex arborum.* Tuæ dignitati hoc competit, laudabilis Virgo Maria, quia Mater Dei facta fuisti, nec priùs similem habuisti, nec in futurum habebis. Hæc est singularis gloria tua, & excellens prærogatiua. Cedrus est arbor annosa: sic etiam tu, benedicta Virgo Maria, quæ licet in exordio noui Testamenti; & in conceptu benedicti Filij tui fueris iuuencula, tamen in figuris veteris Testamenti, & Prophetijs, quasi senex eras & annosa. Cedrus arbor est medullosa: similiter tu, Virgo Maria, per pinguedinem charitatis, & vbertatem pietatis. Cedrus fuit materia Tépli constructi; sic tu, purissima V. Maria, materia Templi fuisti, scilicet corporis Dominici, de purissimo sanguine tuo fabricati manu Sapientiæ Dei, & operatione Spiritus sancti: in quo scilicet Templo habitauit Diuinitatis plenitudo corporaliter: ideò dicis, *quasi Cedrus*, id est quasi Christi Mater. (Eccl. 14. 17.) (Coloss. 2. 9.)

2. Sed quia *Domum Dei decet sanctitudo*, oportuit quod sine corruptione conciperes; quod competit cedro, quæ est imputribilis: ideò excellis omnes mulieres, sicut Cedros omnes arbores. Cedrus magnas & profundas habet radices, & profundissimè radicatur. Sic tu, magnifica Virgo Maria, (Psal. 9. 25.)

magnas radices habuisti, id est, parentes, de quibus orta es secundùm carnem, scilicet Abraham, Iesse, & cæteros, qui magni fuerunt in Populo & coram Deo. Radices tuæ spiritales fuerunt excellentissimæ virtutes, quas omnes habuisti in superlatiuo. Radix enim humilitatis tuæ sic in profundo radicata est; quòd in immensum creuerit, scilicet vsque ad conceptionem Filij Dei, qui erat in sinu Patris.

3. Cedrus est præcipui odoris; similiter & tu, odorifera Virgo Maria, nam tui odoris suauitas non solùm mundum circumquâque perfundit, sed etiam totam supernam Ciuitatem aspersit vsque ad nares Domini perueniens; vsque ad illum, qui in sinu Patris expectauerat & desiderauerat hunc odorem; quia in aliquo Angelorum talem non poterat inuenire. Cedrus odore & succo, fugat & extinguit serpentes: sic odor & succus tuarum virtutum, gratiarum & orationum, salutifera Virgo Maria, fugant dæmones & prædam auferunt ab eis, id est, peccatores, quos ducunt captiuos peccatis & vitijs. Succus etiam est pietas tua, Virgo Maria, quam nobis tribuis omni die.

4. Erue me, misericordissima Virgo Maria, ex manibus hostium, qui me multis peccatis ligatum conantur deducere ad infernum. Sentiam suauitatem odoris, scilicet gratiarum tuarum, quibus hîc protectus, in fine ad gloriam perueniam sempiternam. Amen.

Contemplatio XLVI.

Virgo Maria, Palma.

Eccl. 24. 18. 1. De te ipsa dicis, altissima Virgo Maria, *Quasi Palma exaltata sum*. Nam plenitudo sanctitatis in duobus consistit: vnum est rei mutabilis contemptus, aliud est rei immutabilis affectus. Per ista duo, Virgo Maria sanctissima, meruisti sicut palma exaltari; quia corporalia perfectè contempsisti, & Deum perfectè amasti: quia sicut Palma in altum creuisti per altissimam contemplationem, & dilectionem. Palma figuram habet aspersorij aquæ benedictæ. Tu, Virgo Maria beatissima, aspersorium fuisti repletum aquis gratiæ Spiritus sancti. Hoc aspersorium apprehendit, id est te, Iesus Christus Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech; quia in te semen Abrahæ apprehendit; & prædictâ aquâ aspersorium implens, populum vndique aspersit; sicut promiserat, *Effundam super vos aquam mundam*, quia de plenitudine eius omnes accepimus. Palma amarissima (Ezech. 36. 25.) est in radice, sed dulcissima est in fructu: similiter tu, gloriosissima Virgo Maria, amarissima fuisti in radice Iudæorum, quæ Deo suo erat gens amarissima, sed fructus tui vteri virginalis, scilicet benedictus Filius tuus, fuit nobis dulcissimus in amaritudinibus peccatorum nostrorum dulcorandis.

2. Palma est arbor victoriosa, & designat victoriam: similiter tu, potentissima Virgo Maria, victoriosissima fuisti; quia mundum paupertate, carnem virginitate, & diabolum vicisti humilitate. Pro nobis etiam pugnas quotidie contra hostes inuisibiles, & tuo adiutorio de ipsis triumphamus: nam ante te numquam apparuit victoria: sed omnes tanquam deuicti in carcerem trudebantur. Tuus etiam vterus virginalis fuit arbor victoriæ, ex quo processit propugnator noster ad saluandum. Palma inferiùs est aspera, & contemptibilis, & rugosa: sic tu, Virgo Maria, in hoc mundo fuisti humillima, & aspera in abstinentia vitæ, & multas sustinuisti asperitates, & miserias, tribulationes, & contemptus, præsertim in benedicti Filij tui acerbissima Passione. Palma inferiùs angustatur, & superiùs dilatatur: sic etiam deifica Virgo Maria, angusta fuisti inferiùs, & stricta circa pœnas corporis, & contemptum mundanorum; sed superiùs dilatata & ampliata fuisti, in his quæ pertinent ad animam, & ad dilectionem Dei & proximi. Tuus intellectus dilatabatur æterna cogitando, affectus ea amando; & de bonis proximi congaudendo, & de malis compatiendo,
dicendo semper, *Meditatio cordis mei in conspectu Domini, & omne desiderium meum ante eum.* Psal. 18. 15. Psal. 37. 10.

3. Sed, clementissima Virgo Maria, ego nefandissimus peccator diffusus sum, & largus inferiùs per inclinationem & appetitum inordinatum, & voluntarium ad terrena, & carnalia, & restrictus sum superiùs de cœlestibus ac salute animæ meæ modicè cogitãdo. Adiuuare me digneris, piissima Virgo Maria, vt oppositum operando, cor meum ab inferis suspensum dilatetur, & eleuetur ad superna, quæ in fine possideat per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Contemplatio XLVII.

Virgo Maria, Cypressus.

1 QVasi Cypressus in monte Sion, beatissima Virgo Maria, nominaris. Eccles. 24. 17.
Cypressus namque arbor medicinalis est, & medetur corporibus; similiter tu, piissima Virgo Maria, medicinalis es: quia genuisti salutem animarum fidelium, scilicet Iesum Christum Filium tuum benedictum, qui est Medicus vulnerum nostrorum; quia ipse intimâ charitate motus languores nostros tulit super lignum Crucis. Cypressus proprietatis est calidæ, sic tu, gloriosissima Virgo Maria, es complexione calida per dilectionem, quia Filium tuum benedictum cordialiter diligis, & creaturas propter eum. Cypressus est arbor recta: sic tu, benignissima Virgo Maria, recta fuisti, non declinando ad dexteram prosperitatis, neque ad sinistram aduersitatis. Recta etiam fuisti, quia numquam inclinata fuisti per amorem mundanum, vel aliquod peccatum. Recta insuper fuisti per paupertatem, quæ

est rectitudo animæ, quia diuitiæ faciunt hominem tortuosum.

2. Cypressus membra mollia indurat & confirmat: sic tu, dulcissima Virgo Maria, corda mollia ad peccandum, induras, & confortas, ne peccent: ideò clamamus quotidie ad te, *Succurre miseris; iuua pusillanimes.* Cypressus nullo impulsu, nullâ vetustate comam deponit. Sic tu, prudentissima Virgo Maria, nullo impulsu alicuius tentationis, comam quæ ornat caput, id est, virtutes ornantes animam, deposuisti, sed totum Christo capiti tuo attribuisti: quia te non extulit fœlicitas, nec depressit afflictio. Cypressus durum habet fructum: sic fructus tui vteri virginalis, sacratissima V. Maria, est durus in Sacramento indignè recipientibus; quia tales ipsum sumunt ad iudicium & condemnationem. Cypressus ramos suos colligit per rotundum, & eleuat sursum: sic tu, benedicta Virgo Maria, ramos tuarum virtutum & gratiarum non dispergis hinc inde per vanitatem, sed ad tuum sublime, quod est Deus, semper colligere voluisti. Cypressus fluxum sanguinis restringit: sic tu, beatissima Virgo Maria, fluxum vitiorum & peccatorum clementer restrinxisti, & restringis quotidie intercessionibus & orationibus tuis sanctissimis.

Eccl. in Festo B. M. ad Niues.

3. Cypressus est arbor altissima, omnibus supportandis; quia infrangibilis est, & numquam oneribus cedit: sic tu, potentissima Virgo Maria, numquam cessisti oneribus tribulationum, quas patiebaris in te, & in Filio tuo benedicto: sed per charitatem eximiam patienter sustinuisti, & infatigabiliter & quasi infrangibiliter nostræ humanæ infirmitatis onera sustines & supportas. Supportare igitur digneris, misericordissima Virgo Maria, infirmitates animæ meæ, quas patior; & tuis sanctissimis precibus eas sana, vt sanitatem animæ & corporis obtineam sempiternam. Amen.

Contemplatio XLVIII.

Virgo Maria, Balsamum.

Ecclesi. 24.20.

1. Balsamum *aromatizans*, nominaris tu, odorifera Virgo Maria, per quod intelligitur charitas tua. Nam sicut odor Balsami omnes excedit odores; sic tua charitas, piissima Virgo Maria, excedit omnium Sanctorum virtutes vniuersas. More Balsami, tuæ charitatis odorem longè diffudisti, ad superna scilicet per perfectum desiderium, & ad inferiora per perfectam misericordiam & compassionem peccatorum. Tua perfecta charitas omnes excedit odores, sicut Balsamum aromatizans; vnde, cùm sit armarium singularum & vniuersarum virtutum, & habeas ignem feruentissimæ charitatis, necesse habes odorem tuum procul diffundere, & ideò charitas tua dicitur *Balsamum aromatizans*: odorem enim dedisti, sed non vendidisti; volens vt omnes gustent gratis odorem tuæ charitatis, & currant in odorem vnguentorum tuorum, quæ sunt super omnia aromata. Et sicut

odor Balſami excedit odorem omnium vnguentorum, ſiue aromatum: ſic tu odores excedis omnium Angelorum, & Sanctorum. Nam per te, & in te facta eſt concluſio totius maledictionis, quam Eua induxit in mundum; ſed per te & in te, Virgo Maria, venit plenitudo totius benedictionis. de qua omnes accepimus: &, ſi non accipimus, non ſtat per te, ſed per nos.

2. Igitur odor tuus, id eſt, delectabilis & iucunda opinio ſanctitatis tuæ, comparatur *Balſamo non mixto*, ſed puriſſimo. Miſcetur enim Balſamum, *Ibid. 21.* & corrumpitur cum oleo cyprino vel melle: ſic vita noſtra miſerabilis corrumpitur, cùm geritur pro oleo laudis humanæ. Sed tu, piiſſima Virgo Maria, dixiſti, & dicere potuiſti, *Oleum peccatoris non impinguet caput meum.* *Pſal. 40. 5.* Sicut Balſamum facit corpus mortuum, ſi inde vngitur, videri quaſi viuum, & nullâ putredine permittit illud corrumpi; ſic odor miſericordiæ, & virtutum, & exemplorum tuorum, beatiſſima Virgo Maria, facit per peccatum mortuos in ſpe veniæ reſpirare, & quamcumque virtutem habet Balſamum purum & merum ad conſeruandum corpus, habet odor virtutum tuarum ad viuificandam animam, & conſeruandam à putredine vitiorum. Perducis etiam amatores & ſeruitores tuos ad gloriam reſurrectionis, quæ incorruptibilitatem veram tribuit corporibus mortuis.

3. O miſericordiſſima Virgo Maria, ego peccator ſum corruptus, & quaſi mortuus; viuifica me, & ſalua me tuis ſanctiſſimis precibus & meritis. Conſerua me à putredine peccatorum, nec me deſerat odor gratiarum tuarum, vt gloriam reſurrectionis percipiam ſempiternam. Amen.

Contemplatio XLIX.

Virgo Maria, Arbor.

1. ARbor illa tu es, beatiſſima Virgo Maria, de qua ſcribitur, *Quia erat Arbor in medio terræ, & eius altitudo nimia; magna Arbor, & fortis;* *Dan. 4. 7. & 17.* *& proceritas eius contingens cœlum: aſpectus eius vſque ad vniuerſos terminos terræ; folia eius pulcherrima, & fructus eius nimius: & eſca vniuerſorum in ea: ſubtus eam habitabant animalia & beſtiæ; & in ramis eius conuerſabantur volucres cœli & ex ea veſcebatur omnis caro.* Tu ſanctiſſima Virgo Maria, es *Arbor in medio terræ*, id eſt, in medio Eccleſiæ, omnibus communis, ſine perſonarum acceptione: Tu es namque lignum vitæ in medio Paradiſi. Altitudo tua fuit humilitas nimia: nam altũ cõmune eſt ad ſurſum & deorsũ: ideò dicitur *Puteus altus*, id eſt, *profundus*. Altitudo igitur, ſiue profunditas, eſt tua humilitas nimia: profundè enim eras radicata, & inde humorem gratiæ plus habebas, & firmiùs ſtabas. Tu es *Arbor magna & fortis*, magna, meritis; fortis, operibus bonis; alta, fide & humilitate; magna, charitate; fortis, patientiâ, alta, ſpe. Tu es *Arbor cuius proceritas tangit cœlum*, ſpe videlicet, & cæleſti conuerſatione, quia in corpore humano Angelicam ducebas vitam.

2. Tu es *Arbor, cuius aspectus vsque ad terminos vniuersæ terræ:* quia oculi tuæ miserationis etiam vltimos peccatores non despiciunt, sed eos benignè respiciunt; etiam vsque ad terminos vniuersæ terræ, id est, in quibus finita & terminata est omnis terrenitas, vt in sanctis & pauperibus spiritu. Tu es *Arbor, cuius folia sunt pulcherrima*, id est, verba tua irreprehensibilia, in quibus non fuit aliquid prauum, neque peruersum. Pulchritudo igitur foliorum, fuit discretio verborum tuorum, quæ operabantur salutem peccatoribus.

Ecclesia in Missa de B. V. 3. Tu es *Arbor, cuius fructus nimius*: quia Virgo Maria, *Quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera factus homo.* Tu es *Arbor, in qua est esca vniuersorum*, id est, Angelorum, & hominum: quia per te homo manducauit panem Angelorum. Esca est etiam magna scientia tua, & abundans doctrina. Tu es, *Arbor subter quam habitabant animalia & bestiæ;* quia quantumcumque animalis & bestialis per peccatum quis fuerit, si ad te toto corde cõfugerit, ipsum protegis ab æstu Solis, id est ab ira benedicti Filij tui, & incendio gehennæ, & feruore concupiscentiarum carnalium & desideriorum sæcularium. Tu es *Arbor, in cuius ramis conuersabantur volucres cæli*, id est, spirituales viri, quorum conuersatio in cælis est. Rami etiam sunt virtutes & exempla tua. Tu es *Arbor, ex qua pascebatur omnis caro*: quia, scilicet sanctissimis vberibus tuis nutritus est ille, qui dat escam omni carni: imò ille, qui dedit se escam timentibus se.

Psal.77 25.

Psal.135. 25.

Psal.110 5. 4. O beatissima Virgo Maria, fac me miserrimum peccatorem requiescere subter te *Arborem* pulcherrimam, vt ibi refrigerari valeam ab incendio vitiorum, quæ animam meam vrunt & inducunt ad gehennam perpetuam. Da mihi, Virgo Maria purissima, refrigerium: vt exclusis vitijs, sub tua pietate quiescam, & te miserante opera miritoria agam, per quæ obtineam vitam æternam. Amen.

Contemplatio L.

Virgo Maria, Lignum.

1. BEnedictus Filius tuus, sacratissima Virgo Maria, sic loquitur de te; *Exaltaui Lignum humile*, id est, te Virginem Mariam in Matrem suam, & Reginam Paradisi. Et hoc merito tuæ humilitatis; *Sicut humiliauit Lignum sublime*; id est, diabolum, qui superbiendo voluit exaltari. Tu es, gloriosissima Virgo Maria, *Lignum vitæ*, quod viridius erat cæteris lignis: sic tu sanctior es cæteris Sanctis: quia viror designat sanctitatem. Non enim data est ad mensuram tibi gratia, sed superexcellenter datum est tibi à Filio tuo quidquid dari potuit puræ creaturæ. Tu, benedicta Virgo Maria, *es Lignum*, quo dulcorata est aqua amara, id est, multiplex miseria, vel

Ezech.17

Gen.2.9

Exod.15. 25

vel tribulatio; quâ totum mundum respersit prima Mater: sed tu, Virgo pijssima, amaritudinem nostræ perditionis conuertis in dulcedinem salutis æternæ, Filio tuo benedicto mediante.

2. Tu, benedicta Virgo Maria, es *Lignum plantatum secus decursus aquarum*, id est, secus peccatores fluxibiles, quasi aquæ, penes quos firmiter *Psal. 1. 5.*
radicata es affectu compassionis, & misericordiæ. *Lignum* esse diceris propter soliditatem constantiæ, plantatum per stabilitatem secus decursus aquarum, per sapientiam & gratiam: scriptura siquidem nomen *aquæ* sumit pro sapientiæ magnitudine, pro gratiarum multitudine, pro scripturarum diuersitate. Tu igitur *Lignum* fructiferum dedisti, *Pomum* salutiferum, id est, Christum contra pomum intoxicatum toxico inobedientiæ, de quo dictum fuerat Adæ, *In quacumque die comederis morte morieris* Sed *Gen. 17. 2.*
in tuo gloriosissimo *Pomo*, inuenta est theriaca, quâ toxicum illud effugatum est. Istud benedictum *Pomum* est pulcherrimum visu, delectabile tactu, suauissimum olfactu, sanum gustu, & sanatiuum effectu. Tu, Virgo Maria purissima, hoc *Pomum* benedictum obedientiâ fidei concepisti, quo sublatum est de medio nocumentum pomi illius noxialis.

3. Tu, sanctissima Virgo Maria, huiusmodi fructum benedictum produxisti iuxta genus suum, id est, benedictum. Tu enim eras benedicta in mulieribus, & ideò digna fuisti illũ fructificare, qui est super omnia benedictus in sæcula. Produxisti igitur illũ, tu pulchra, pulcherrimum; tota dulcis dul- *Rom. 9. 5.*
cissimum, tota suauis, suauissimum; tota delicata, delicatissimum; tota colorata, coloratissimum; tota viuifica, viuificentissimum; & tota sapida, sapidissimum. Ora igitur illum, clementissima Virgo Maria, tuis assiduis intercessionibus, vt à me mortiferum venenum peccati auferat, & illo *Fructu* benedicto frui merear per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Contemplatio LI.

Virgo Maria, Virga.

1. TV Virga, beatissima V. Maria, à *Viriditate* seu virore dicta es. Nam egrediens à *Virga* viriditatem sanctitatis & munditiem habuisti; quia sanctificata in vtero fuisti; & ideò nata fuisti tota sancta; nec postea inclinata per peccatum vel amorem terrenorum. Virga de terra modicum occupat, sic tu, Virgo Maria, modicam terram occupasti; quia in paupertate semper vixisti. Virga tenuissimo cortice tegitur: sic, gloriosissima Virgo Maria, tecta fuisti subtiliter per amorem secretæ & solitariæ vitæ; designata per Saram vxorem Abrahæ latitantem in tabernaculo. Virga semper tremula est: sic tu, sanctissima Virgo, tremula fuisti, id est, Deum timuisti *Prou. 31.*
filialiter, & castè: ideò de te scribitur, *Mulier timens Deum ipsa laudabitur*, *30.*

Timuisti enim audiens salutationem Angelicam; ideò dictum tibi fuit, *Ne timeas Maria.* Luc. 30.

2. Virga leuis est & sursum erecta: sic tu, Virgo Maria, leuis fuisti per contemptum temporalium: omnis enim res quantò magis terrenorum quantitatem participat, tantò ad terram faciliùs se inclinat: & ideò amor terrenorum reddit ponderosum: sed quantò minùs terrenus est, tantò faciliùs se in altum leuat, amor enim Dei, *ignis* appellatur, qui naturaliter tendit sursum: sed mundanus amor, velut terrenus amor, trahit deorsum; propter hoc iustissima Virgo Maria, leuis eras, & ad ea quæ sursum sunt, iugiter te erigebas per dilectionem Dei & proximi. Virga, ex quo crescere incipit, iugiter crescit, donec perueniat ad perfectum crementum: similiter tu, benedicta Virgo Maria, semper creuisti de virtute in virtutem ex multitudine charismatum & gratiarum: & ideò dicta es *Gratiâ plena.* Numquam
Ibid. 28. tamen crescere desines, quoad reuerentiam, laudem, & amorem ex memoria beneficiorum tuorum. Virga leui statu auræ mouetur, & agitatur: sic tu, gloriosissima Virgo Maria, leui aurâ deuotæ orationis flecteris, & leui tactu bonæ operationis ad nos miseros peccatores. Virga florida, si deorsum flectatur, secum inclinat florem suum: sic tu, benedictissima Virgo Maria, inclinas te ad orationes nostras, & tecum flectis *Florem* tuum, scilicet vnigenitum tuum, orando vt nobis miseris indulgeat, & misereatur.

3. Virga quasi Mediatrix est inter radicem & fructum: sic tu, benedicta Virgo Maria, Mediatrix es inter nos & Filium tuum: quia sicut Filius tuus est Mediator Dei & hominum; scilicet inter nos & Patrem: sic tu inter nos & Vnigenitum tuum. Tu Mater Regis, tu Mater serui, tu Mater Dei, tu Mater hominis, tu Mater rei, tu Mater iudicis, sic Mater vtriusque, scilicet Dei & hominis per gratiam; & ego miser peccator ne discordiam habeam cum Filio tuo propter inobedientiam, pacifica mihi illum tuis precibus, vt vitam æternam acquiram. Amen.

Contemplatio LII.

Virgo Maria, Myrrha.


1. *Quasi Myrrha electa odorem dedisti suauitatis*, gloriosissima Virgo Maria. Nam arbor *Myrrha* designat Iudæam propter amaritudinem peccatorum. Ab ista arbore effluxit gutta Myrrhæ, scilicet tu, gloriosissima Virgo Maria: vt possis dicere, *Sicut Myrrha dedi odorem suauitatis*: quia *Myrrha* præcipui odoris est. Tu, beatissima Virgo Maria, *Myrrha* es electa. Illa enim *Myrrha* dicitur *electa*: quæ sine vulnere manat ab arbore, & illam amaram carnis mortificationem designat, quã præfert anima nullo peccati vulnere sauciata. Talem *Myrrham* distillasti tu, odorifera V. Maria,

quæ licet peccati vulnus non haberes, temet ipsam tamen multipliciter mortificare voluisti. *Myrrha* corpora peruncta seruat à corruptione: sic tu, sanctissima Virgo Maria, per gratiam meritorum & exemplorum, & orationum tuarum, seruitores tuos, & alios tibi deuotos à corruptione vitiorum.

2. *Myrrha* restringit humores à capite affluentes, similiter tu, beatissima Virgo Maria, cogitationes & tentationes, quæ sunt caput peccati, per assiduas deprecationes euellis & restringis. *Myrrha* consumit putredinem vulnerum: sic tu, pijssima Virgo Maria, animas peccatorum putrefactas iteratione multiplici vitiorum, sanas, & in eis consumis putredinem & fœtorem tuis sanctissimis orationibus, & exemplis, & à recidiuis defendis. *Myrrha* spinæ est similis: & per spinas intelliguntur peccatores: tu verò, gloriosissima Virgo Maria, apparuisti quasi spina, quando legem totam de mulieribus, quæ de viris conceperant, & consuetudinem obseruasti; *Myrrha* est arbor in Arabia, quæ interpretatur *Vespera*, & *Myrrha* interpretatur *Amaritudo*. Tu, benedicta Virgo Maria, interpretaris *Mare amarum*, propter multas amaritudines quas sustinuisti in Filio, & fuisti Arbor *Myrrha* in vespera sacratissimæ Passionis benedicti Filij tui. Luc. 2. 22. 23. 28.

3. *Myrrha* est arbor quinque cubitorum, quæ crescit in altum: sic tu, pretiosissima Virgo Maria, per quinque cubitos creuisti in altum. Primus cubitus fuit sanctificatio tua in vtero materno; secundus fuit tua Natiuitas beatissima; tertius fuit gloriosa Annunciatio tibi facta per Gabrielem Archangelum, quòd benedictum Filium Dei conciperes in vtero tuo virginali operante Spiritu sancto; quartus fuit quando more purgandarum mulierum post partum ad Templum accessisti, & benedictum Filium tuum obtulisti, & in manibus sancti Simeonis tradidisti; quintus fuit quando deuictis hostibus transitoria huius miseri mundi reliquisti; & ad cœlum ascendisti. Isti quinque cubiti te leuauerunt, & ad dexteram tui benedicti Filij collocauerunt.

4. O *Myrrha* electa, da mihi Myrrham amaritudinis, vt de commissis doleam, & pœnitentiam agam. & anima mea à putrefactione peccatorum conseruetur. Da mihi odorem suauitatis gratiarum & misericordiarum, & piarum orationum tuarum; quæ me in altum per contemplationem eleuent, & finaliter mihi regnum tribuant sempiternum. Amen.



Contemplatio LIII.

Virgo Maria, Lectulus.

1. DEsignata & figurata es, beatissima Virgo Maria, per lectulum Salomonis, quem *Sexaginta fortes* ambiebant *ex fortissimis Israel, tenentes gladios, qui erant ad bella doctissimi, vniuscuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos*. Lectulus Salomonis, id est, veri, & pacifici Iesu Cant. 3. 7.

Christi tu es, sanctissima Virgo Maria, quia in te deitatis inclinato capite Dei Filius requieuit velut in lectulo. Cùm autem omnes spiritus cœlestes sint administratorij & mittantur in ministerium propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis; & non solùm ad ministerium hominum minores mittantur, sed etiam superiores de ordine Seraphim, qui propter charitatis ardorem dicuntur, *Flamma ignis*, vel *ignis vrens*: ostendis tu, Virgo Maria, quòd ad tui custodiam & obsequium, non inferioris, sed superioris dignitatis Angeli deputati sunt; cùm lectulum, id est te, ambiant *Sexaginta fortes de fortißimis Israel* diligenti custodiâ, & obsequiosâ reuerentiâ: Angelici nempe spiritus, fortes inter fortissimos spirituum, qui pro eo quod assiduâ contemplatione Deum intuentur, Israëlis nomine designantur. Quorum fortitudo, prudentia, & obsequij promptitudo demonstratur; cùm dicitur, *Omnes tenentes gladios*: in quibus significatur potestas debellandi spiritus malignos. Et cùm dicitur, *ad bella doctißimi*; ostenditur eorum prudentia ad obuiandum contra omnes insultus dæmonum: & sic per ministerium Angelorum repulsa est à te, Virgo Maria, omnis tentatio inimicorum.

Psa'. 104. 4.

2. *Lectulus tuus*, id est, vterus tuus virginalis, sacratissima Virgo Maria, floridus est per intemeratam virginitatem; in quo benedictus Sponsus beatissimam copulam celebrauit, quâ humanæ naturæ dignatus est misericorditer copulari. Tu es, Virgo Maria, *Lectulus* non *Lectus*, propter humilitatem. Floridus fuisti *Lectulus* omniũ florum, id est, virtutũ varietate: ibi rosa excellentissimæ charitatis, ibi lilium singularissimæ castitatis, ibi viola omnimodæ humilitatis. In hoc sanctissimo *Lectulo* Iesus Christus gloriosissimus requieuit sine strepitu prauorum motuum, aut aliquarum malarum cogitationum. Tu, benignissima Virgo Maria, es *Lectulus* sacratissimus, quoad nos: quia sicut in Lectulo quiescimus; ita per te ad virtutes attingimus, in quibus anima requiescit, quæ priùs in via laborabat.

3. O misericordissima Virgo Maria, audi me miserum peccatorem. Lectulum meum, id est, animam meam ex diuina ordinatione fortes Angeli custodiebant: sed ex mea malitia, ipsos, quantùm fuit in me, eieci; & inimicos capitales intromisi, qui circumdederunt animam meam; & non permittunt me quiescere, sed vrgent aduersùs commoda animæ laborare. Adiuua me, clementissima Virgo Maria; expelle illos à me vi tuarum deprecationum, & introduc mihi ordinatos à Deo, quibus suffragantibus anima mea in virtutibus requiescens, in æterna æterni Regis tabernacula finaliter collocetur. Amen.

Contemplatio LIV.

Virgo Maria, Vena aquarum viuentium.

1. *Vena es aquarum viuentium*, sanctissima Virgo Maria; quia quidquid venit beatitudinis ab illo magno mari, id est, ab illa infinita *Ierem. 17.13.*
Dei bonitate Trinitatis, ad genus humanum, totum per hanc *Venam*, id est te, beatissimam Virginem Mariam, defluxit, & defluit omni die. Tu, benignissima Virgo Maria, es *Vena vitæ*, sicut est sanguis; quia, sicut vita carnis occultè decurrit per venam: sic benedictus Filius tuus, qui est vita animarum nostrarum, occultè venit ad nos per te Virginem Mariam. Ideò de teipsa dicis: *In me est omnis spes vitæ & virtutis*; in te est namque spes vitæ; quia per te speramus habere vitam, in te est omnis *Spes vitæ* habendæ, & *Eccl. 24. 25.*
continuandæ. In te est spes nostra, *Spes* scilicet *vitæ & virtutis*, per fiduciam impetrandæ: quia tu es Arcus in nubibus in signum iustificationis: quia iustificati ascendunt per te ad æternam gloriam. In te est omnis *Spes* & antiquorum, & nostra, nec in aliquo alio ponenda est spes, nisi in benedicto Filio tuo, & te; quia *Maledictus homo qui Spem suam ponit in homine.* Tu es, *Spes vitæ* æternæ habendæ, & *virtutis* ijs, qui pugnant contra vitia, In te est ille per carnis assumptionem à quo est *Spes vitæ* triplicis, vitæ naturæ, vitæ gratiæ, & vitæ gloriæ.

2. *Spes* etiam es *virtutis*; quia ipse, qui dat lapso virtutem, & ijs, qui non habent fortitudinem, robur multiplicat, etiam dedit tibi omnes virtutes Theologicas & Cardinales: quas etiam virtutes sperantibus in te subministras tuis orationibus & exemplis. Et sicut Adam & Eua fuerunt vena mortis: sic, gloriosissima Virgo Maria, fuisti & es *Vena vitæ*, id est, ad obtidam nobis vitam sempiternam. Tu, benedicta Virgo Maria, es *Vena* occulta per sacratissimam conuersationem: vnde in thalamo clausa inuenta fuisti à Gabriele Angelo. Tu, benignissima Virgo, *Vena* es tenuis per voluntariam paupertatem; *Vena* concaua per veram cordis humilitatem, *Vena* subtilis ad declarandas nobis fallaces astutias inimici: quia tanta est pietas tua & amor ad salutem nostram, quòd semper vigilas ad custodiam populi Christiani, quem tuis sanctissimis precibus & exemplis defendis. Per te enim *Venam* misericordiæ venit ille *Fons* æternus ad nos abluendum à peccatis, irrigandum virtutibus, & fœcundandum bonis operibus & exemplis. *Gen. 9. 13.*

3. O *Vena vitæ*, pietatis, & misericordiæ, aridum est cor meum: riga illud aquâ illius æterni *Fontis*, cuius aquæ non deficiunt. Durum est cor meum; mollifica illud liquore gratiæ illius sacratissimi *Fontis*. Sterile & infertile est cor meum: fœcunda illud floribus sanctarum cogitationum, &

fructibus bonorum operum; vt per te *Venam aquæ vitæ* perueniam ad *Fontem viuum*, à quo recipiam perpetuò aquam salutarem. Amen.

Contemplatio LV.

Virgo Maria, Castellum.

Luc. 10. 38. 1. TV, *Castellum* nominaris, sacratissima Virgo Maria, propter humilitatem; quia *Castellum* dicitur à *Castro* diminutiuè, in quo humilitas designatur. Et licet tu, beatissima Virgo Maria, *Castrum* esse dicaris: magis tamen *Castellum* appellaris propter humilitatem: quia virtus humilitatis fuit tibi specialissimum, potentissimum, & fortissimum munimentum. Tu, beatissima Virgo Maria, *Castellum* nominaris à fortitudine: ratione maximæ charitatis, quæ in te fuit: Ideò scribitur, *Quòd fortis est, vt mors, dilectio.* Tu, sanctissima Virgo Maria, *Castellum* es; quia casta & humilis, & in charitate fundata, & firmata. Tu benedicta Virgo Maria, *Castellum* es propter vteri virginalis diuersorium angustissimum contra impetum inimici tyranni: munitissimum, & fundatum super firmam petram, quæ est Christus. Tu, dilectissima Virgo Maria, *Castellum* es, quoad te, & *Castrum* quoad nos: quia omnibus impugnatis à triplici concupiscentia, vel ab hoste multiplici, fidele & inexpugnabile refugium es, si ad te refugitur sapienter.

Cant. 8. 6.

2. *Castellum* etiam fuisti ipsi Christo, in quo ipse se recepit propugnator veniens ad saluandum nos, & ad debellandum hostem, qui custodiebat atrium suum. Rogauerat autem genus humanum propugnatorem cœlestem, dicens, *Apprehende arma & scutum, & exurge in adiutorium meum:* & exaudita est oratio ipsius. In ingressu huius *Castelli* apprehendit etiam tunc arma, & scutum, id est, animam & carnem, vt contra diabolum exurgeret nobis in adiutorium: carnem & animã, ad hoc vt se à diabolo vindicaret. Retribuit enim indignationem, & vicem reddidit pro vice. Nã sicut diabolus indignatus, quòd homo locum haberet à quo ceciderat, duxit eũ in perditionem: sic Dominus indignatus, quòd homo locum haberet, ad quem ceciderat diabolus, ipsum reduxit à perditione ad salutem. Vicem quoque pro vice reddidit; quia deprædatus fuit diabolum, de potestate eius hominem eripiendo; sicut diabolus ipsum fuerat deprædatus.

Psal. 34. 2.

3. Tu, pretiosa Virgo Maria, es *Castellum*, quia Castellum dicitur quælibet turris, & murus in circuitu eius, quæ duo ad inuicem se defendunt, ita vt hostes per murum ab arce, & à muro per arcem arceantur. Tale igitur *Castellum* fuisti tu, potentissima Virgo Maria, quia virginitas mentis & corporis quasi murus ita te vallauit vndique, vt nullus vnquam esset libidini accessus, nec sensus tuus aliquâ carnis corrumperetur illecebrâ.

4. O benignissima Virgo Maria, grauissimè impugnor ab hostibus, di-

uersis tentationum telis: non valeo eis resistere propter eorum nimiam importunitatem: nescio quò fugiam; quia vndecumque me sequuntur & aduersantur. Ad te confugio, Virgo Maria, refugium miserorum. Introduc me in domum misericordiæ tuæ; vt ibi saluer: & inimici mihi non noceant, sed in gratia benedicti Filij tui & tua viuens, gloriam obtineam sempiternam. Amen.

Contemplatio LVI.

Virgo Maria, Virgula fumi.

1. COmparata es, beatissima Virgo Maria, *Virgulæ fumi ex aromatibus*: quia, sicut *Virgula fumi* gracilis est; sic tu, benedicta Virgo Maria, gracilis fuisti per paupertatem, quia omnia corporalia contempsisti; vel, si ea aliquando habuisti, largiter erogasti. Gracilis fuisti per carnis extenuationem: quia licet numquam peccaueris, semper in pœnitentia permansisti. Gracilis fuisti, quia cœlestibus extenuata disciplinis & subtilis vitâ contemplatiuâ fuisti; vt sine obstaculo transires per arctam viam; & intrares portam angustam, quæ ducit ad vitam. *Virgula fumi* liberè alta petit: sicut tu, pretiosissima Virgo Maria, alta petisti per subtilitatem contemplationis, & rectitudinem intentionis. Virgula agilis est: sic tu, gloriosissima Virgo Maria, agilis fuisti; leui enim cursu, & leui saltu omnes vitiorum spinas & foueas transilisti. Virgula leuis est: sic tu, sanctissima V. Maria, leuis fuisti, id est, sine ponderositate peccati, & ideò continuò ferebaris desiderio æternorum. Virgula flexibilis est: sic tu, humillima Virgo Maria, flexibilis fuisti per humilitatem, quoad te, per obedientiam, quoad Deum; & per compassionem & pietatem; quoad proximum.

Cant. 3. 6.

Math. 7. 14.

2. Virgula fumi obscura est: sic tu, benignissima Virgo Maria, obscura fuisti per tribulationum multitudinem, quas passa fuisti amore benedicti Filij tui, & ideò dicebas, *Nolite me considerare quòd fusca sim, quia decolorauit me Sol*, id est, gloriosissimus Filius meus. Tu, dulcissima Virgo Maria, es *Virgula fumi ex aromatibus*, scilicet per bonam operationem & deuotionem Dei & proximi: vnde Virgula fumi de igne procedit, quia desiderium ex amore venit. Tu enim ardore Spiritus sancti accensa, sic ascendendo profecisti in gratia, sic ascendisti in gloria, quòd velut euanescens, omnem humanam cogitationem excedisti: ideò dicta fuisti *Virgula fumi*, quæ naturaliter ascendit, & quasi occultè: quia visibiliter ascendens disparet in momento. Similiter & tu, Virgo Maria, disparuisti; quia quantùm ascenderis, ratio humana non capit. Modus enim ascendendi occultus fuit, quia vtrum in sola anima, an in anima simul & corpore ascenderis, præelegit Ecclesia plus nescire, quã temerè definire: tamen piè creditur quòd in corpore & anima glorificata ad dexterã benedicti Filij tui collocata existis.

Cant. 1. 5.

3. O misericordissima, V. Maria, fumus vitiorum excæcauit oculos mentis meæ, fumus tribulationum spiritalium & corporalium lachrymosum reddiderunt cor meum: ne cognoscerem me ipsum, & in quibus deficio vel proficio. Adiuua me, pijssima Virgo Maria: tolle & aufer à me huiusmodi fumum; vt videam quæ agenda sunt, & illa opere compleam, ad laudem & honorem tui benedicti Filij, ac vtilitatem animæ meæ sempiternam. Amen.

Contemplatio LVII.

Virgo Maria, Vas.

V*As admirabile*, & nouum es, sacratissima Virgo Maria; quia numquam tale inuentum est: in quo fuerunt multa mirabilia, & multæ nouitates. Tu, Virgo beatissima, es *Vas* eximium, propter continentiam, quia tu continebas tuum continens: & licèt nullum aliud Vas possit se maius continere. Tu, tamen, Virgo Maria, continuisti illum, quem totus non capit orbis, & à quo tu ipsa continebaris. Tu *Vas admirabile* propter continendi modum: quia cùm Deus sit in omni creatura per essentiam, & in solis iustis per gratiam, his duobus modis in te fuit, & nouo & mirabili modo per vnionem. Tu es, Virgo Maria, *Vas admirabile*, propter operositatem, quæ superat materiam. Fuerunt namque in te omnes varietates virtutum & donorum, omnes sculpturæ desideriorum sanctorum, & omnes picturæ sanctarum cogitationum. Tu, Virgo Maria, es *Vas admirabile*, propter recipiendi & emittendi modum ineffabilem & singularem: quia contra morem aliorum vasorum, nec fractum, nec apertum est in recipiendo vel emittendo: recepisti enim & emisisti cum integritate, vt stella radium, & flos odorem. Tu, Virgo Maria, es *Vas admirabile, opus Excelsi*,
Eccle. 43 2. in quo bene fabricando studuit excelsus Dominus.

Psal. 73. 14. 2. Tu es *Vas* illius artificis, qui fabricatus est auroram & Solem: opus excogitatum ante secula, consummatum in fine seculorum. *Vas* profundissimum, per humilitatem; solidissimum, per patientiam; integerrimum, per virginitatem; amplissimum, per charitatem; purissimum, per omnimodam puritatem; capacissimum, per desiderium: & ideò balsamum diuinæ gratiæ dignum & congruum est continere. *Vas* capax gratiæ adeò, & maximè per humilitatem, quòd sola meruisti impleri, vt tibi & toti mundo sufficeres copiosè. Vas quod seipsâ impleuit operata Dei sapientia, & ob vasis inæstimabilem pulchritudinem, in te nouem mensibus corporaliter habitauit. Vas, (inquam) de quo dicitur, *A Domino factum est istud, &*
Psal. 117 23. *est mirabile in oculis nostris* quia in te fuit consors contrarietas contrariorum, scilicet mortalitatis & immortalitatis, virginitatis & fœcunditatis: & quod mirum fuit, rationis & fidei. Tu, benedicta Virgo Maria, *Vas esc*

admirabile

admirabile, quod cœlestis auri faber, qui ſapientiâ ſuâ de luto aurum fecit, formauit de luto humanæ naturæ, non tamen luteum, ſed verè aureum: de quo etiam vaſe manente integro, ineffabiliter formauit poſtea Vas corporis ſui, & in hoc opere ſapientia Dei vicit malitiam diaboli, qui in primis parentibus aurum humanæ naturæ redegerat in lutum.

3. *O Vas miſericordiæ*, ad te recurro ego vas contumeliæ, plenum luto fœtidiſſimo diuerſorum vitiorum: ſed piiſſima Virgo Maria, ſcio te habere tantam miſericordiam, ex qua qui plus haurit, plus de ea in te inueniet. Digneris mihi eam dare, per quam mundare poſſim vas meum immundum; vt de vaſe contumeliæ, fiat vas gratiæ, & in fine cum omnibus Sanctis gloriam obtineam ſempiternam. Amen.



PARS XV.

DE BONIS QVÆ HABEBIMVS PER glorioſam Virginem Mariam.

Contemplatio I.

De primo Bono quod habebimus per Virginem Mariam.

1. PER te, clementiſſima Virgo Maria, eligimur & inuitamur & intramus ad cœnam magnam illius cœleſtis Patris-familias, de quo ſcribitur, *Homo quidam fecit cœnam magnam.* Luc. 14. 17. Homo iſte ſingularis eſt, qui veram carnem de te aſſumpſit. Singularis, quia ſolus Deus & homo, quia ſolus ſine peccato, ſolus ſine læſione maternæ virginitatis conceptus, ſolus ſine grauamine materni ventris portatus, ſolus natus ex vtero Matris abſque dolore parientis; quia ſolus morte ſuâ genus humanum potuit redimere, ſolus morte ſuâ, mortem potuit occidere, ſolus ab inferis electos ſuos ſubtrahere, ſolus in ſepulchro corruptionem non videre, ſolus inter mortuos eſſe liber, ſolus ſemetipſum à mortuis ſuſcitare, ſolus virtute propriâ corporaliter in cœlum aſcendere, ſoli datum eſt à Patre ad Patris dexteram reſidere.

2. Ibi etiam ſuis electis cœnam parauit. Nam ſicut cœna eſt refectio veſpertina circa finem diei; ſic cœna beatitudinis æternæ, plenariè dabitur electis poſt iudicium quod erit in fine mundi. In illa cœna electi mandu-

Sap.16. 20. cabunt panem, qui de cælo descendit; & habet in se omne delectamentum, & omnis saporis suauitatem: & est manna absconditum, quod Deus
Apoc. 2. 17. electis suis repromiserat. In illo delectabitur sensus inferior in contemplatione deitatis, & sensus exterior in visione humanitatis. Vinum huius cœ-
Deut.32 14. næ erit illud, de quo scribitur: *Sanguinem vuæ biberent meracissimum*. Nam vua Christus est, quæ nata est ex beatissima vite, id est, ex te gloriosissima
Eccl. 23. 24. Virgine Maria, quæ dicis, *Ego quasi vitis*. Hæc vua pressata fuit in torculari crucis, & inde eliquatum est mustum nostræ redemptionis; de quo Da-
Psal. 22. 5. uid dicebat. *Calix meus inebrians quàm præclarus est*: quod scilicet mustum vel sanguinem vuæ meracissimum, modò sumimus in Sacramento,
Cant. 5. 1. & tunc sumemus ineffabili modo; quoniam dicetur cuiuis, *Bibite & inebriamini*: fructus huius cœnæ erit ille benedictus fructus, de quo Elizabeth
Luc.1. 42. dixit tibi, beatissimæ Virgini Mariæ, *Benedictus fructus ventris tui*. Hic fructus modò emendus est pretio bonorum operum, vt ibi cariùs & delicatiùs comedatur; vt tunc animæ bonæ negotiatrici dicatur, *Date illi de*
Prou.31. 31. *fructu manuum suarum*, id est, bonorum operum.

3. O benignissima Virgo Maria, laborem tuum vacuum reddidi, quia ad hanc cœnam vocare me fecisti ad quam venire possem, si vellem, gratiâ Dei adiuuante: sed propter peccata mea, ingressum in ipsam mihi prohibui. Adiuuare me digneris, purissima Virgo Maria, ora tuum Filium gloriosissimum, vt mihi peccatori miserabili indulgere dignetur, meam vitam emendando, peccata remittendo, virtutes tribuendo misericorditer, per quas virtuosè operando, regnum consequi valeam sempiternum. Amen.

Contemplatio II.

De secundo Bono.

1. POtentissima Virgo Maria, te mediante, in illa cœna cælesti finientur miseriæ omnium. Vnde scribitur, *Auferet Deus omnem lacrymam ab omni facie*, id est, omnem causam lacrymationis, *auferet etiam*
Isa.25.8. *opprobrium populi sui*, id est, seruitutem diaboli; tunc enim finientur peccata, & claudentur in inferno velut in proprio loco, & ibi continuabuntur cum operarijs suis. Ibi finientur dolores, sicut scribitur de Beatis, *Non*
Apoc.7 16. *cadet super illos Sol, neque vllus æstus*. Finietur memoria impiorum, quia nomen impiorum delebitur, de quo scribitur *Nomen eorum delesti in æternum*
Psal.9.6. *& in sæculum sæculi*. Finietur omne maledictum: quia *Maledictum non erit*
Apoc.22 3. *amplius*. Tunc etiam Sancti confirmabuntur in bono, sicut Angeli post casum Luciferi: quia de cætero non peccabunt, nec volent, nec valebunt peccare.

1 Cor.13 10. 2. Tunc erit ibi plenitudo omnium gaudiorum: quia tunc veniet quod perfectum est, & euacuabitur quod ex parte est. Ideò dicit Dominus

fidelibus vniuersis, *Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est* Math.5.
in cælis. Tunc replebitur in bonis desiderium electorum, quibus Deus 12.
ostendet omne bonum, sicut promisit Moysi & Abrahæ: & tantum bonum, quod oculus non vidit, nec auris audijt, nec in cor hominis ascendit, nec propter immensitatem potest comprehendi, nec propter pretiositatem potest æstimari, nec propter pluralitatem potest dinumerari, nec propter ponderositatem potest ponderari, nec propter æternitatem potest finiri. Veniet namque Beatis gaudium à superiori de æterni Dei visione ab in- 1. Cor. 2.
feriori de corporis glorificatione, à posteriori de fine omnis miseriæ, ab an- 9.
teriori de æterna illius gaudij durabilitate, à dextris & à sinistris de iucunda societate, de qua cantabunt, *Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum.* Tanta namque erit ibi plenitudo gaudij, quòd homi- Psal. 132.
nes vndique circundabit & cinget. Sed nunc fide non attingitur, spe non 1.
comprehenditur, charitate non capitur, desideria & vota transgreditur; acquiri potest, æstimari non potest.

3. O benignissima Virgo Maria, ego iniquissimus peccator, priuatum me sentio plenitudine tanti gaudij propter infinitas iniquitates meas & delicta innumerabilia, quæ commisi; quæ me tanto gaudio reddiderunt indignum. Deprecare ergo pro me peccatore, Virgo piissima, tuum Filium benedictum; vt, sicut hoc gaudium fidelibus tuis procurasti, sic tuis sanctissimis deprecationibus, finitâ huius vitæ miseriâ, ad illud ineffabile gaudium me introducat misericorditer, vbi viuam & maneã sine fine. Amẽ.

Contemplatio III.

De tertio Bono.

OMne bonum per te, sacratissima Virgo Maria, habemus; & habere perpetuò speramus: si enim in hoc mundo ad senium veniamus, Ephes. 4.
tamen in futuro sæculo te mediante, senectus nostra in iuuentutem con- 13.
uertetur; quia ibi non erit senectus, neque senectutis miseria; sed omnes occurrent in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi; hoc Apoc. 21.
est in ætate quasi triginta annorum: erit tunc *Mensura hominis quæ est An-* 17.
geli Dei, qui apparet in ætate & specie iuuenis, non senis aut pueri. Tunc Sap. 5. 16
erit ibi vita sine morte; quia *Iusti in perpetuum viuent*, & *mors vltra non* Apoc. 21
erit: quia *oportet hoc corruptibile induere immortalitatem;* vnde promittit Do- 4.
minus suis Electis, *Ego viuo, & vos viuetis: & secundùm dies ligni*, vitæ scili- 1. Cor. 15
cet, *erunt dies populi mei:* quia in ætate, quâ Christus resurrexit, resurgemus 53.
omnes. Et tunc erit requies sine labore: ideò scribitur, *Amodò iam di-* Ioan. 14.
cit spiritus vt requiescant à laboribus suis Spiritus, id est, tota Trinitas bea- 19.
ta dicit suis Electis, vt requiescãt amodò, id est, adeptâ beatitudine gloriosâ, Isa. 65. 22.
à laboribus suis, id est, non alienis: quia sacratissima V. Maria, labor meus Apoc. 14 13.

Sap. 3. 15 sanabit me, quia *bonorum laborum gloriosus est finis*; id est, benè laboranti' Ideò promittitur fideli animæ, *Requiem dabit tibi Dominus Deus tuus semper, & implebit in splendoribus animam tuam.*

Isa 58. 11. 2. Cùm hoc obtinebit electus, habebit ibi securitatem sine timore & perturbatione. Dominus enim dexterâ suâ tenet Electos suos, & brachio sancto suo defendit illos, vt requiescant, nec sit qui exterreat eos. Per te, beatissima Virgo Maria, gaudium etiam habebunt sine tristitia, sine interruptione, & sine diminutione. Propter hoc dicitur, *Sicut lætantium omnium habitatio est in te*, ô superna Hierusalem: & quia delectatio huius gaudij non potest sufficienter exprimi, ideò dicitur, *Sicut lætantium omnium.* Et scio, Virgo Maria, quod principaliter concipietur illud gaudium de visione Dei; vnde scribitur, *Videbo vos, & gaudebit cor vestrum.*

Sap. 5. 17 Psal. 86. 7. Ioan. 16. 22.

3. O beatissima Virgo Maria, immenso dolore tristari deberet cor meum; quia tanta beneficia per te obtenta, propter peccata mea, si iustitia mihi fiat, perdidi. Ad laudes tibi referendas non surrexi. Indulgere mihi digneris, purissima Virgo Maria, exora Filium tuum benedictum, qui tantum bonum præparauit diligentibus se, vt mihi remittere dignetur delicta mea, de quibus pœnitentiam agam; & condignè, eius misericordiâ adiuuante, satisfaciam; & sic vitam meam in virtutem commutem, vt illa gaudia electis suis promissa consequar in æternum. Amen.

Contemplatio IV.

De quarto Bono.

1. PAcem inrer Deum & homines in mundo reformasti tu, Virgo Maria misericordissima: quam etiam in futuro electi obtinent, & perpetuò obtinebunt sine discordia & perturbatione quacumque. Nam ibi nihil aduersi quisquam; vel à se, vel ab alio patietur; sed omnes delectabuntur in multitudine pacis, quæ erit perpetua; quia regnum Die regnum est sempiternum, & potestas eius potestas æterna, & misericordia eius in miserationibus non in meritis nostris. Non erit ibi ampliùs sol ad lucendum per diem; sed erit electis Dominus in lucem sempiternam: nec vltra erit ibi nox; quando autem damnatis

Ioan. 8. 12. æternaliter aduesperascet, tunc æternaliter orietur Sol iustitiæ, qui non deficiet eis: ideò scribitur, *Qui sequitur me non ambulat in tenebris; sed habebit lumen vitæ*; qui est Deus Rex; cuius splendidissimâ contemplatione

Math. 13. 43. *Fulgebunt iusti, sicut Sol, in regno Patris eorum.* Deus enim lux est, quam non capit oculus; odor, quem non spargit flatus; cibus, quem non diminuit edacitas; amplexus, quem non diuellit satietas. Est namque perenne solatium, lumen meridianum, temperies vernalis, venustas æstiualis, abundantia autumnalis, quies & terminatio hyemalis. Ibi etiam erit pulchri-

tudo sine deformitate: quia iusti splendent, sicut splendor firmamenti; & quod modo refulget diuersis luminibus, tunc lucebit diuersis remunerationibus.

2. Tunc, id est, post iudicium, *Fulgebunt iusti sicut Sol*; cuius splendor nescit defectum: quia Christus est Sol, cui iusti configurabuntur: & ideò scribitur, *Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ*. Sed quid ampliùs, sanctissima Virgo Maria, erit tibi? corpus glorificatum cuiuslibet electi non detinebitur propriâ grauitate, vel alterius corporis oppositione; sed vbi volet Spiritus, ibi statim erit corpus; anima siquidem mouebit corpus suum, vbicumque voluerit in instanti ab Oriente in Occidentem; non propter indigentiam, sed ad suæ nobilitatis ostensionem. Motus etiam corporis tunc erit, sicut nunc motus animi. Tanta enim erit Sanctorum agilitas, & libertas, quòd omnia elementa erunt eis peruia, & penetrabilia; nec ipsos aliqua creatura poterit retinere. Sicut corpus Dominicum post Resurrectionem, nec sepulchrum potuit retinere, nec lapis superpositus obsistere, quin exiret. Erit enim tunc corpus iusti leue, sicut coruscatio: nec pedes ibit, sed more solaris radij, qui in momento ab Oriente patet in Occidentem. Philip. 3. 21.

3. Hæc & multa alia habebimus per te, gloriosissima Virgo Maria, sed nisi tuis sanctissimis orationibus me adiuues, à tanto bono ero alienus. Exora pietatem & misericordiam tui benedicti Filij, qui pondus peccatorum meorum auferat, vt ad illum locum beatificum velociter ascendam, & ibi quiescam per infinita secula seculorum. Amen.

Contemplatio V.

De quinto Bono.

1. O Dulcissima Virgo Maria, tu plenam & perfectam Dei dilectionem nobis procurasti in superna Ierusalem. Nam amouebitur multiplex impedimentum, quod modò est in dilectione nostra; Nam ibi erit illa perfecta dilectio sine velamine, sine dilecti auolatione, cum dilecti & optati securâ possessione, cum delectabili eiusdem fruitione, cum omnimodâ securitate: cum illa perfecta Dei dilectione erit sempiterna ipsius laudatio, quia, *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te*. *Exultationes Dei in gutture eorum*. Erit namque laus ista in ore iustorum sine labore & tædio, sine fictione & fastidio. Psal. 83. 5. Psal. 149. 6.

2. Erit ibi ista perfecta dilectio expressissima dilecti Dei assimilatio. Vnde scribitur, *Scimus quod cùm Christus apparuerit, similes ei erimus*. Erit autem hæc assimilatio, exterior quoad corpus; quia ipse *Reformabit corpus* 1. Ioan. 3. 2.

Philip.3 21. *humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Erit etiam hæc assi-
Rom.8. 29. milatio interior quoad animam; vnde scribitur, *Nam quos præsciuit,& prædestinauit conformes fieri imagini Filij sui.* Ex ista perfectissima dilectione, resultabit etiam dulcedo absque amaritudine, iuxta illud, *Quàm magna mul-*
Psal.30. 20. *titudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te!* De qua scribitur: *Non erit vltra domni Israel offendiculum amaritudinis & spina dolorem*
Ezech. 28.24. *inferens vndique per circuitum, & scient quòd ego Dominus Deus.* Erit etiam ibi æterna benedictio absque maledictione: vnde dicitur supernæ Ierusa-
Psal.47. 13. lem, *Confortauit Dominus seras portarum tuarum, benedixit filijs tuis in te:*
Psal 132 3. *& mandauit Dominus benedictionem & vitam vsque in sæculum:* & *omne maledictum non erit amplius.* Quia sicut fons semper scaturit aquas nouas, sic
Apoc. 22.3. ille fons dulcissimus pietatis & misericordiæ, nouas dilectiones, benedictiones, & consolationes electis suis iugiter subministrat. Vnde electi mirantur, nec deficiunt in illum quem prospiciunt, fruuntur nec fastidiunt, quo frui magis sitiunt.

§. 3. O benignissima Virgo Maria, vnde hoc mihi, vt sic fuerim corde durus, oculo cœcus, mente prostratus, memoriâ hebetatus, & circa salutem animæ sic remissus quòd tanta bona non cogitauerim, tanta dona mente non conceperim, tot cælestes delectationes electis promissas non fuerim contemplatus, nec ad illas cogitatione & operatione aduolauerim toto corde, nec pro ipsis habendis laborauerim toto posse? Heu! piissima virgo Maria, expauesco: quia promissa in obliuionem dando, miserabilem vitam duxi. Et animum meum solùm ad terrena & diuersa peccata totaliter inclinaui: succurre tantæ necessitati meæ, Virgo Maria, exorando pretiosissimum Filium tuum qui me eleuet de terrenis, & ad superna perueniat; atque soluto miseræ carnis vinculo misericorditer me perducat. Amen.

Contemplatio VI.

De sexto Bono.

1. INeffabile & inæstimabile gaudium per te nobis datum est, pretiosissima Virgo Maria, de Filij tui visione, cuius decorem diuinitatis, videbunt animi, & oculi glorificationem humanitatis. Hæc autem visio erit
Ioan.17. 3. intellectualis, primaria & comprehensiua: qnia *Hac est vita æterna, vt cognoscant te verè Deum & Iesum Christum.* Tunc enim cognoscet, quomodo Filius in Patre, & quomodo Pater in Filio; & quomodo Spiritus in vtroque. Cognoscetur Trinitas personarum, & vnitas substantiæ, quidquid autem deliciarum fuit in hoc mundo à principio eius vsque in finem, est ad illas delicias, & ad illud gaudium, quasi gutta aquæ, respectu totius maris. Tanta namque est illa species visionis diuinæ, gloriosissima Virgo Maria; quam nobis obtinuisti; quòd damnari mallent, si fieri posset, esse in omnibus pœnis inferni, & videre faciem Dei; quàm omnibus pœnis carere,

& eius speciem non videre. Absorberet enim delectatio illius visionis, omnem etiam summam miseriam, quæ excogitari posset. Et ideò grauius erit damnatis audire dicentem, *Ite à me maledicti in ignem æternum.* Tanta enim erit delectatio videre faciem Dei; quod si quis staret ante faciem eius, & ipsum videret, non reflecteret oculos ad alia intuendum per momentum: & eius visio mille annorum, videtur visio vnius horæ. *Math. 25. 41.*

2. O sanctissima Virgo Maria, si posset quis in hoc seculo per mille millia annorum, gaudere in iuuentute, quæ non senesceret, & in pulchritudine, quæ non marcesceret; in fortitudine, quæ non decresceret; in agilitate, quæ non pigresceret; in subtilitate, quæ non grossesceret; in amicitia, quæ non tepescere t; in abundantia, quæ non deficeret: tantò minus esset hoc gaudiũ, momentaneo gaudio de visione Dei, quantò minor vna guttula roris toto mari. Erit enim illa beatissima visio sine omni impedimento, sine obliuione, sine errore, sine ignorantia, sine caligine, sine discontinuatione, sine medio. Ista visio Dei est salus animarum, vita animarum, pastus animarum, gaudium cordis, diuinæ laudis materia, & illuminatio Beatorum, quia splendidissima contemplatione *Fulgebunt iusti sicut Sol, in regno Patris.* *Ibid. 13. 43.*

3. O felicissima procuratrix, Virgo Maria, quæ tanta gaudia nobis procurasti; & adhuc non desinis quotie procurare; ora tuum Filium benedictum, vt me miserrimum peccatorem, eiectum & separatum à tantis gaudijs cælestibus reconciliare dignetur, & misericorditer reducere ad illum beatissimum locum, quem propter mea peccata perdidi: vt illi & tibi seruiam per infinita secula seculorum. Amen.

Contemplatio VII.

De septimo Bono.

1. SCio, purissima Virgo Maria, quòd tuâ humilitate & fide mediantibus gaudium electorum prouenit à iucundissima visione glorificatæ humanitatis Christi. Perfectissimum nãque & omnimodâ suauitate & dulcedine plenum erit illud gaudium, videre hominem hominis conditorem. Tunc enim cognoscent electi; quomodo tu, intemerata Virgo Maria, facta fuisti Mater, manens Virgo quomodo sine corruptione fœcunda fuisti, & sine grauamine grauida; & sine dolore puerpera. Proueniet insuper, V. Maria, illud inenarrabile gaudium à cõsideratione vnionis humanæ naturæ ad diuinam: quia tunc electi cognoscent quòd frater eorum secũdùm carnem, Deus est. Tanta etiam erit vnitas capitis & membrorum, quòd membra honorem sui capitis, proprium reputabunt, & multiplicabitur huiusmodi immensitas gaudij ex iucundâ societate; & hæc societas constabit ex hominibus & Angelis.

2. O gloriosissima Virgo Maria, quale gaudium erit te videre Matrem Domini, choris comitatam virgineis, & exaltatam super Choros Angelorum. Ibi enim tunc tanta erit charitas inter electos, quod gaudia singulorum, vniuersi & singuli, propria reputabunt. Et illa cælestis hæreditas omnibus erit vna, & singulis erit tota: quia regnum cæleste quantò à pluribus participatur, tantò vberiùs possidetur. Nam illa beatorum ciuium supernorum societas, & admirabilis charitas eorum, facit vt nemo Angelorum, nemo Archangelorum, siue aliorum Sanctorum, alicuius Sancti inuideat gloriæ: sed totum in alio possidet vnusquisque, quod gratis præstatur omnibus. Vt honorificetur Deus in omnibus, adoretur ab omnibus, & ab omnibus glorificetur. Nam non sexus, non ætas, non dignitas generis, sed sola discernitur qualitas meritorum.

3. O sanctissima Virgo Maria, augmentabitur istud ineffabile gaudium ex corporis glorificatione cum suis dotibus; quæ erunt claritas, subtilitas, agilitas, & impassibilitas. Claritas erit in corpore respectu eius quod erit iuxta se: vt scilicet alia corpora clarificata in eius aspectu delectentur; quia
Math. 13 43. fulgebunt sicut Sol. Subtilitas erit respectu eius, quod erit infra se, vt scilicet corpora inferiora cedant corpori glorificato: quia corpus glorificatum illud non diuidit, per quod transit, nec ab illo diuiditur: sicut nec Sol materialis. Agilitas erit respectu eius; quod erit supra se, vt ad spiritum suum perfectam habeat obedientiam: ex hinc caro non concupiscet
Galat. 5. 17. aduersum spiritum, nec spiritus aduersus carnem, sicut modò. Impassibilitas erit respectu eius, quod erit conta se; ne scilicet ab aliquo possit lædi:
Apoc. 7. 16. ideò dicitur, *Non esurient, neque sitient ampliùs, & non cadet super illos Sol, neque vllus æstus; & mors vltra non erit.*
Ioan. 21. 4.

4. O misericordissima Virgo Maria, fac me tuis sanctissimis meritis & deprecationibus participem tantorum bonorum, vt hîc iustificatus per gratiam, in iudicio glorificatus appaream & gloriam possideam sempiternam. Amen.

Contemplatio VIII.

De octauo Bono.

1. QVid ampliùs ad cumulum gaudij sacratissima Virgo Maria, electis fecisti, vt perpetuò gaudeant, & gaudium eorum nemo tollat ab eis? Ecce, Virgo Maria, gaudium electorum augmentatur ex eo quòd vident se euasisse pœnas infernales: ideò dicitur, *Eruisti animam meam ex in-*
Psal. 85. 13. *ferno inferiori*: & quia vident hostes suos ibi cruciari, vnde scribitur, *Læta-*
Psal. 35. 11. *bitur iustus, cùm viderit vindictam.* Ex eo etiam, quia peccatum, quod maximè modò nocet hominibus, tunc clausum erit in inferno, quasi in

proprio loco suo : non enim post iudicium poterit peccatum remanere in cœlo, vel in terra ; sed cum damnatis descendet ad infernum. Omne enim ponderosum tendit ad centrum, & infernus est centrum peccati. Ideò scribitur, *Conterentur cum delinquente delicta.* Eccl 27

2. Adhuc, beatissima Virgo Maria, te adiuuante, electorum gaudium 3.
augetur, ex eo quòd à mundi miseria tunc erunt liberati. Nam transisse à morte ad vitam, vitæ gaudium duplicat, & hoc gaudium inueniebat ille, qui cum fletu & gemitu dicebat. *Hei mihi! quia incolatus meus prolongatus* Psalm.
est. Ideò *fiunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte. Quando veniam, & appa-* 119.5. Psalm.
rebo ante faciem Domini. Non eorum minuetur gaudium, sed augmentabi- 41.4.
tur ex eo quòd à mundi naufragio liberati sunt. Si enim naufragantes in Ibid. 3.
pelago corporaliter, tantùm gaudent ex euasione sua ; electi in infinitum plus gauisuri sunt, tàm corporis quàm animæ periculum euadentes.

3. O clementissima Virgo Maria, periculum probat transeuntium raritas, & pereuntium multitudo. Electorum etiam cumulatur gaudium ex hoc, quòd cùm tantæ infirmitatis essent, tamen de fortissimo & terribili hoste triumpharunt, sicut est inimicus humani generis, scilicet diabolus, de quo scribitur, *Non est potestas super terram, quæ comparetur ei; qui factus* Iob. 41.
est vt nullum timeret. Nos enim sumus vt locustæ, & hostes nostri vt gigan- 24.
tes : & ideò quia, virtuosè præualuerunt contra eos, ad maximum gaudium cedit eis : quia quantò maius periculum est in prælio, tantò maius gaudium est in triumpho.

4. O benignissima Virgo Maria, non sic est de me misero peccatore. Adhuc inter meos hostes habito, à quibus me poteram defendere gratiâ benedicti Filij tui & tuâ intercessione succurrentibus : sed nolui intelligere, vt benè agerem, & me defenderem : sed eorum voluntatibus frequenter me submisi : & sic gaudium per te mihi procuratum perdidi. Adiuua me, piissima Virgo Maria, redde me strenuum & virtuosum contra aduersarios meos, vt eos vincendo, te suffragante, gaudium sempiternum possideam cum Beatis. Amen.

Contemplatio IX.

De nono Bono.

1. O Quanta fœlicitas est, clementissima Virgo Maria, in regno cœlorum, te adiuuante nobis parata! vbi nullum erit malum, nullum aberit bonum. Vacabitur Dei laudibus, qui omnia erit in omnibus : nulla erit ibi desidia, nulla indigentia. Ibi vera gloria erit; vbi nec laudantis 1. Cor. 15
errore quisquam, nec adulatione laudabitur. Erit ibi verus honor, qui 28.
nulli negabitur digno, nulli deferetur indigno ; sed nec illum ambiet quisquam indignus. Ibi erit vera pax ; vbi nihil aduersi quisquam vel à se, vel

ab alio patietur. Præmium virtutis erit ipſe, qui virtutem dedit: & qui ſeipſum, quo melius & maius nihil eſſe poteſt, promiſit. Ipſe finis erit deſideriorum noſtrorum, qui ſine fine videbitur, ſine faſtidio amabitur, ſine fatigatione laudabitur. Ibi erit tanta requies, & tanta tranquillitas pacis, tantáque charitas & dilectio, quòd nulli ſuperiori nullus inferior inuidebit: ſicut non inuident Archangelis Angeli cæteri: ſicut vnum membrum modò non inuidet alij gloriam ſuam, vel honorem. Ibi vacabimus, & videbimus; videbimus, & amabimus, amabimus, & laudabimus.

2. Ecce quod erit in fine ſine fine. Nam quid aliud eſt noſter finis, niſi peruenire ad regnum, cuius nullus eſt finis? Illud gaudium à præſenti differt; quia hic non eſt perfectum gaudium, ſed ibi erit plenum & perfectum. Ideò ſcribitur, *Petite & accipietis, vt gaudium veſtrum plenum ſit*; præſens gaudium non eſt ſecurum, ſed futurum ſecurum erit, quia ſummum gaudium tale debet eſſe quòd non amittat homo inuitus. Nemo quippe poteſt confidere de tali gaudio, quod ſibi eripi poſſe ſentit, etiamſi retinere illud, amplectique voluerit. Quiſquis autem non confidit de gaudio, quo fruitur, in tanto timore amittendi beatus eſſe non poteſt, ſicut eſt de gaudio præſenti, cuius vſus dolore miſcetur, & eius extrema luctus occupat. Viſio igitur Dei quâ videbit electos, & videbitur ab electis, ſummum & perfectum, & æternum gaudium eſt. Ideò dicitur, *Et videbitis me; quia ego viuo, & vos viuetis*, & *videbo vos, & gaudebit cor veſtrum* & quia Deus æternus eſt, & eius viſio æterna, & gaudium erit æternum. Ideò ſcribitur, *& gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.*

Ioan. 16. 24. Prou. 14. 13. Ioa. 14. 19. Ioan. 16. 22.

3. O miſericordiſſima & piiſſima Virgo Maria, fac me gaudere tuis ſanctiſſimis deprecationibus ſuffragantibus. Ora illud ſupremum & ſempiternum *Gaudium*, quod in tuo virginali vtero humiliter portaſti, vt mihi talem gratiam hic viuendi concedere dignetur miſericorditer, vt eo frui valeam per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

Contemplatio X.

De decimo Bono.

1. GLorioſiſſima Virgo Maria, quis humanitùs cogitare poteſt, quanta erit vnio & concordia electis in æterna gloria, quam te operante & auxiliante, videbimus? Ibi namque tanta erit tunc concordia electorum, quanta nunc eſt in oculis noſtris: quò enim vnus oculus reſpicit, mox & illuc alius oculus neceſſario intendit, & quò ſe vertit vnus, ſtatim flectitur alius. Sic credo eſſe, piiſſima Virgo Maria, in gloria cœleſti. Quidquid enim vult Deus, volunt homo & Angelus: quidquid vult Angelus, volunt homo & Deus: quidquid vult homo, volunt Deus & Angelus: Tanto ſiquidem amore adhærent beati Creatori ſuo, & tanta eſt ibi vnio volunta-

rum, quòd si Pater videret Filium in tormentis, vel è conuerso; vel vir vxorem, vel è conuerso, non tamen dolebunt, sed gaudebunt, & grates referent Iustitiæ diuinæ: Si enim vel ad modicum dolere possent, iam non esset gaudium consummatum. Propterea scribitur electis, *Confortamini, & nolite timere: ecce Deus vester vltionem adducet retributionis.* Is. 35. 4.

2. Ibi etiam erit mutua electorum cognitio, sicut apparuit in Transfiguratione Domini, quando Petrus, Iacobus & Ioannes sine alicuius indicio cognouerunt facies Moysis & Heliæ, quos nunquam antea viderant. Math. 17. 1. 23. Vniuersi & singuli Iusti cæterorum Iustorum cognoscent nomina, gratiam, & merita: quasi cum illis semper habitassent. Cognoscent etiam damnatos in tormentis, & propter quod demeritum damnati sunt: & tam clausis oculis quàm apertis, cæteros electos, Angelos, & seipsos contemplabuntur, facies singulorum, omnia quæ erunt in nouo cœlo & in noua terra, delectabiliter aspicient; Nihil enim opertum, quod non reueletur, nihil absconditum, quod tunc non sciatur, & nihil clausum quod tunc non aperiatur. Math. 10. 26. Mali etiam cognoscent tam bonos quàm malos; & tam expressâ cognitione, vt ipsorum etiam merita nouerint, & nomina, sicut diues epulo cognouit Abraham & Lazarum in sinu eius. Luc. 16. 23. Post iudicium reprobi non videbunt bonos in gloria secundùm illud, *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei.* Vnde de mutua cognitione electorum scribitur, *Omnes qui viderint eos, cognoscent illos: quia isti sunt semen cui benedixit* Dominus, & de cognitione etiam Dei scribitur: *Omnes cognoscent me, à minimo vsque ad maximum, ait* Dominus, *quia propitiabor iniquitatibus eorum; & peccati eorum non ero memor ampliùs: & in illa die cognoscetis, quia ego sum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis.* Is. 61. 9. Ierem. 31. 34. Ioan. 14. 20.

3. O sanctissima Virgo Maria, exora illum tuis deuotis & humilibus deprecationibus, vt mihi donare dignetur per suam misericordiam, gratiam cognoscendi hîc omnia peccata mea, & ea emendandi, vt in æterna gloria, ipsum placatum mihi videam, & sicuti est, cognoscam. Amen.

Contemplatio XI.

De vndecimo Bono.

1. DVm ad memoriam reduco, corde concipio, & mente contemplor, beatissima Virgo Maria, qualiter gloriosissimus Filius tuus, gloriam suam intrauit, & suos electos intrare fecit: dolore æstuo, & quasi deficio in meipso: quia occultâ fide me video eius viam quodammodò abhorrere. Intrauit namque beatissimus Filius tuus gloriam suam, ignominiâ crucis & tormento amarissimæ Passionis: quia scriptum est, *Oportebat Christum pati: & ita intrare in gloriam suam.* Luc. 24. 26. Sic etiam, benedicta Virgo Maria, electi per multas passiones, tribulationes, & angustias beatificum ipsius regnum intrauerunt, Petrus & Andreas crucis suspendio intrauerunt, Paulus

capitis truncatione, Bartholomæus sui corporis excoriatione, Laurentius craticulâ; Vincentius equuleo, Blasius chardis ferreis, Ioannes Baptista capitis resectione, cæterique Martyres diuerso supplicio tormentorum: alij contemptu rerum temporalium, alij afflictionibus, abstinentiis, & diuersis pœnitentiis corporum.

2. Si, purissima Virgo Maria, sacratissimus Filius tuus promisit talia operantibus, gloriam suam; quid igitur faciam ego, Virgo Maria? aut qualem spem habere possum de intrando gloriam sempiternam? cùm nullum genus martyrij in me suscipiam, animi voluntate, nullam pœnam corporalem, nullam rerum temporalium abiectionem, vix aliquam mentis ad cœlestia eleuationem: sed semper habeo prostratam ad mundana & ad peccata diuersa: illa appeto, illa requiro, & ad habendum laborare non desino: illa amplector, & in illis delector; complacentiam & delectationem corporalem perquiro, & eam totis viribus concupiscendo, suscipio, & susceptam pro posse, ad effectum perduco. Vnde hîc delicijs temporalibus & in futuro spiritualibus frui cupio.

3. O piissima Virgo Maria, quanta est fatuitas mea! imò, vt veriùs loquar, dementia mea! vita mea miseria est, ignominiâ & stultitiâ plena, tota criminibus non virtutibus exposita; desperationi, non consolationi; quia non in via, sed per deuia ambulaui vsque nunc. Reduc me misericordissima Virgo Maria; ad viam directam, quæ ducit ad gloriam æternam. Amen.

Contemplatio XII.

De duodecimo Bono.

1. SAlutifera Virgo Maria, electi in æterna gloria sine vestibus ornati apparebunt, quem ornatum à Deo pro meritis recipient: non enim vestiti erunt, sed erunt nudi; sed omni decore fulgebunt: nec plus de genitalibus membris, quàm nunc de gloriosis oculis erubescent. Vniuersi enim & singuli amicientur lumine, sicut vestimento; virtutes etiam electorum, & operum merita erunt eorum indumenta. Vnde ratione virtutum dicitur Lucifero, habito respectu ad creationem eius, *Omnis lapis pretiosus, operimentum tuum.* Ratione etiam operum ipsius, & aliorum similium, dicitur, *Telas araneæ texuerunt: Telæ eorum non eis erunt in vestimentum, nec operientur operibus suis*, videlicet sicut iusti, sed potiùs operientur sicut diploïde confusione suâ. Salus etiam & iustitia erunt electorum vestimenta: sicut scribitur, *Induit me Dominus vestimento salutis, & indumento iustitiæ circumdedit me.* Induentur enim corpora eorum vestimento salutis, & animæ indumentis iustitiæ. Et sicut hîc diuersa est gratia, sic erit ibi diuersa gloria.

Ezech. 28 13. Isa. 59. 5.6. Psalme 108. 29. Isa. 61. 6.

in corporibus electorum. Et alium colorem habebunt Martyres, alium Confessores, alium Virgines, alium Pœnitentes, & alium Continentes.

2. Et hoc est quod eis promittit benedictus Filius tuus, Virgo Maria, dicens, *Venient, & videbunt gloriam meam, & ponam in eis signum.* [Ibid. 66. 18.] Habebunt etiam Martyres, coronas roseas; casti & continentes, liliaceas, humiles, violaceas, contemplatores, hyacinthinas; & qui sibi & aliis prosunt, purpureas. Vniuersi enim & singuli coronabuntur in Reges, ex quo congregati erunt ad Christum, & ex quo conuenerint in vnum: & singulis erit ipse corona. Vnde scribitur, *In die illa erit Dominus exercituum corona gloriæ, & sertum exultationis residuo populi sui,* [Ibid. 28. 5.] erit etiam *Corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in domo Domini.* [Ibid. 62. 3.]

3. Sed, Virgo Maria, scio quòd tunc non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit: [2. Tim. 2. 5.] à quorum numero, Virgo Maria misericordissima, me sentio alienum: quia contra hostes & aduersarios animæ meæ non certaui legitimè, sed frequenter ex mea malitia succubui, & eorum peruersis voluntatibus me exposui: & sic nudus apparebo. Succurre mihi, piissima Virgo Maria, exora tuum Filium benedictum, qui vestimentis virtutum me exornet, vt sibi exoptabilis fiam in gloria sempiterna. Amen.

Contemplatio XIII.

De decimotertio Bono.

1. TE mediante, beatissima Virgo Maria, vulnera mentis meæ hîc sanantur & in futuro perfecta sanitas sine ægritudine aliqua præparatur. Ibi enim non caligabunt oculi videntium, sed salus erit sempiterna. Tunc aperientur oculi cœcorum, & aures surdorum patebunt: & sanabitur in nobis plaga septuplex, quæ est fames, sitis, frigus, cauma, labor, ægritudo, & mors. Tunc erit lætitia sine tristitia: ideò scribitur, *Adimplebis me lætitiâ*, [Isa. 35. 5.] Virgo Maria, *cum vultu tuo*, id est, cum Filio tuo benedicto. Quoniam scilicet *videbo eum sicuti est: & cognoscam, sicut & cognitus sum.* [Psal. 15. 11. 1. Ioan. 3. 2. 1. Cor. 13. 12.] Nec dicitur *in vultu*, sed *cum vultu.* Angelos enim implebit, sed homines adimplebis; *cum vultu* propter conformitatem hominis ad Christum ex parte animæ, & ex parte corporis.

2. Non erimus tantùm pleni, sed impleti, & adimpleti: pleni enim erimus lætitiâ pro gloriâ proximorum, impleti pro gloria nostra, adimpleti pro gloria Christi. Ibi namque erit abundantia absque indigentia: quia ibi nihil deest, nihil obest, nihil superfluit, nihil defluit; nihil exteriùs, quod appetatur, nihil interiùs, quod fastidiatur, nam ibi erunt æternales diuitiæ absque vlla inopia, quas Dominus promittit amatoribus suis, dicens: *Meæ sunt diuitiæ & gloria*, id est, diuitiæ gloriosæ, quæ possessores suos faciunt gloriosos: [Prou. 8. 18.] quæ benè operando in præsenti acquiruntur, vt æter-

naliter habeantur in futuro. Istæ autem diuitiæ, maximè per contemptum temporalium & largam erogationem acquiruntur: & erit omnium bono-
Math. 25. 21. rum remuneratio largiflua, quam Dominus promittit dicens: *Euge serue bone, & fidelis: quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam.*

3. Hæc est æterna remuneratio, scilicet in tribus quoad animam, quia videbimus, amabimus, & laudabimus: & hæc tria sunt perfectio trium virtutum animæ. Ex parte verò corporis erunt claritas, agilitas, subtilitas, impassibilitas, libertas, voluptas & longanimitas: & tunc erit ibi æterna
Isa. 66. 13. consolatio: quia scribitur, *Sicut Mater consolatur filios suos, ita consolabor vos, dicit Dominus*, & *in Ierusalem* scilicet cœlesti, *consolabimini, & videbitis, & gaudebit cor vestrum.*

4. O misericordissima Virgo Maria, quis tibi hic, quacumque perfectione fulgeat, gratiarum actiones referre potest de tantis bonis nobis præparatis? Ego ingratus tibi fui, & sum, piissima Virgo Maria, quia non solùm tibi gratias non retuli, sed tibi displicere curaui per vitam peruersam, quam longo tempore duxi. Auxiliari mihi dignetur, Virgo Maria, tua immensa pietas, & exora illũ, cuius misericordiâ plena est terra, vt reatus meos diluat, virtutes tribuat, & ad tanta bona cœlestia me sua benignitate perducat. Amen.

Contemplatio XIV.

De decimo quarto Bono.

1. INuitati sumus, speciosissima Virgo Maria, ad nuptias cœlestes per gloriosissimum Filium tuum, qui voce suâ dulcissimâ vocat electos
Math. 25. 34. 41. suos dicens, *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi.* Et finito hoc, subiunget secundum verbum terribile reprobis dicens, *Ite maledicti in ignem æternum*: & hæc erit mala au-
Psal. 111. 7. ditio & verbum asperum, sed ex post, tu, beatissima Virgo Maria, cum sanctis Virginibus quasi in recessu à iudicio, cantabis istud Canticum, *Cante-*
Psal. 90. 3. *mus Domino; gloriosè enim honorificatus est*; *equum*, id est, cœtum damnato-
Exod. 15. 1. 2. rum, *& ascensorem* diabolum, *proiecit in mare*, id est, in profundissimam amaritudinem æternæ miseriæ. In istis sanctissimis nuptiis cantabit gene-
Psal. 47. 9. ralis Ecclesia, *Fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem. Iste Deus meus, & glorificabo eum*: *Deus Patris mei, & exaltabo eum.*

2. Contemplatâ autem ciuitate tantarum nuptiarum cantabunt omnes
Psalm. 132. 1. Sancti, *Sicut audiuimus, sic vidimus in ciuitate Dei nostri. Deus fundauit eam*
Isa. 30. 29. *in æternum*. Et, *Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum!* & tunc implebitur quod Dominus promittit electis suis dicens, *Canti-*
Apoc. 5. 9. 12. *cum erit vobis, sicut nox sanctificatæ solemnitatis; & lætitia cordis.* Alij cantabunt, *Dignus es Domine aperire librum, & soluere signacula eius, quia occisus*

es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo , ex omni tribu & lingua , & populo, & natione : & fecisti nos Deo nostro regnum. De Cantico Angelorum dicitur, *Vidi , & audiui vocem Angelorum multorum dicentium voce magnâ , dignus est Agnus qui occisus est , accipere virtutem , & diuinitatem , & sapientiam, & fortitudinē, & honorem, & gloriam, & benedictionem.* De Cantico Innocentium dicitur, *Agnus stabat super montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia , habentes nomen Patris eius scriptum in frontibus suis, & cantabant quasi Canticum nouum ante sedem Dei.* Ibid.14. 1.

3. O benignissima Virgo Maria , quomodo ad istas beatissimas nuptias potero inuitari, ego pauper & inops omni bonitate ; qui non habeo vestem nuptialem alicuius virtutis, sed, si iustitia fiat mihi, dicetur, *Eiicite eum foras, & mittite in tenebras exteriores : vbi erit fletus & stridor dentium.* Adiuua me, pretiosissima Virgo Maria, exora benignissimum Filium tuum, vt mihi misericorditer donet vestes nuptiales virtutum, cum quibus ad ipsius beatissimas & cœlestes nuptias intrem, & cantando, ipsum laudem per sæcula sempiterna. Amen. Matth. 25. 30.

PARS XIV.

DE HIS QVÆ DEBEMVS GLORIOSÆ Virgini Mariæ, & primò,

Contemplatio I.

Quod Beatæ Virgini debemus fidem.

1. DEBITORES tui sumus, fidelissima Virgo Maria , quia tibi debemus fidem, signiferam omnium virtutum ; quia speciale Dei opus es in vtero Matris sanctificata, nata tota sancta , ex qua immaculatam & sine peccato vitam duxisti in mundo, purificata à Sapientia Dei, quæ non intrat in animam maleuolam, nec habitat in corpore subdito peccatis. Te namque velut pupillam oculi semper ab omni nociuo , Deus Trinitas custodiuit. Tu virginitatis primiceria extitisti , sine corruptione fœcunda, sine grauamine grauida, sine dolore puerpera : sola Virgo & Mater Dei , & non alia ; quia tibi soli hoc priuilegium debebatur , nec peccasti, nec peccare potuisti, ex quo Filium Dei concepisti. Sap. 1.4.

2. In te & per te forma diuina sponte venit in hominem sponte deformatum, gratia gratis ad gratiæ ingratum, medicina non rogata vltrò venit ad ægrotum, virtus ad infirmum, sapientia ad fatuum, sanctificatio ad immundum, veritas ad mendacem, pietas ad immisericordem, pax ad rebellem, misericordia ad impium, charitas ad inimicum, iustitia ad iniustum: non vt eum secundùm iustitiam iudicaret & damnaret, sed vt eum à sua iniustitia iustificaret, & secundùm se formaret, vt formatum secundùm se, tandem glorificaret in se. Ad id enim forma Dei venit in carnem, vt priùs in spiritu, pòst etiam in carne illos sibi conformaret, quos præsciuit, & prædestinauit Deus Pater conformes fieri imagini Filij sui. Hæc igitur forma tam formosa, ex pietate sola se vniuit materiæ tam informi, nec modò informi, sed & deformi, nec modò deformi, sed & dfeormatæ, non quidem ex vlla necessitate, sed ex sola propriæ voluntatis voluntaria peruersitate. De te insuper, sanctissima Virgo Maria, credi debet, quidquid boni, & honoris cogitari, credi, aut dici potest de pura creatura post Filium tuum benedictum: quòd omnia in te perfectissimè sunt, quorum multa excedunt intellectum humanum.

Rom. 8. 29.

3 O benignissima Virgo Maria, licèt hanc fidem de te habuerim, & habeam, tamen fides mortua fuit propter defectum bonorum operum, & multiplicationem vitiorum, quæ iniquè à iuuentute mea vsque nunc perpetraui, nec adhuc desino perpetrare: de quibus non dolui, neque condignam pœnitentiam egi. Adiuua me, benignissima Virgo Maria, sanctissimis tuis deprecationibus; vt fides prædicta non moriatur in me per praua opera, sed potiùs viuificetur per exercitium bonorum operum: vt quod hîc de te fideliter credo, in cœlesti gloria misericorditer apprehendam. Amen.

Contemplatio II.

Quòd Beatæ Virgini debemus dilectionem.

1. Diligenda es à nobis, amantissima Virgo Maria, præcipuè, quia diligentes te diligis. Tua namque dilectio, cunctorum est singula, & singulorum tota: quæ neque participatione decrescit, nec vsu deficit, nec tempore veterascit: est enim affectu desiderabilis, experientiâ dulcis, fructu æterna, iucunditate plena, reficiens & satians, nec vnquam fastidium generans. Idcirco quisque fidelis te diligere debet, & dicere cum Sapiente, *Super salutem & speciem dilexi eam, & proposui pro luce habere illam: quia inextinguibile est lumen illius: venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius. Super salutem*, scilicet corporis, *& speciem*, scilicet cuiuslibet rei temporalis *dilexi eam*, scilicet te, gloriosam Virginem Mariam. Nam omnis istorum temporalium dilectio deficit homini

Sap. 7. 10. 11.

mini in necessitate extrema, sed tu, beatissima Virgo Maria, nec in vita, nec in morte deficis amatoribus & seruitoribus tuis. Imò frequenter ipsorum animas de corporibus exeuntes, suscipis, & protegis ab incursu malignorum spirituum: quia *inextinguibile est lumen tuum:* quo scilicet lumine, tu, piissima Virgo Maria, illuminas tuos amatores & imitatores; dicens cum Filio tuo benedicto, *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris; sed habebit lumen vitæ*, quod est inextinguibile. Venerunt igitur mihi omnia bona pariter cum illa. Omnia ergo bona scilicet gratuita, venerunt, scilicet à Deo bonorum omnium largitore, qui quidquid boni dat creaturis suis, per manus tuas, sacratissima Virgo Maria, vult quòd transeat: vnde sequitur, *& innumerabilis honestas per manus illius.* Nam te aperiente manum tuam, implemur omni benedictione, id est, bona ratione. Ioan. 8. 12.

2. O benignissima Virgo Maria, qui te perfectè cognosceret, perfectè te diligeret, & amator tuus fieret, &, te mediante, omne bonum necessarium in præsenti reciperet à tuo Filio benedicto, & vitam æternam in futuro: cuius arrhæ sunt gratiæ & virtutes. Vnde de te loquens Sapiens dicebat, *Hanc amaui, & exquisiui à iuuentute mea: & quæsiui eam mihi Sponsam assumere, & amator factus sum formæ illius. Hanc* igitur, id est, Virginem Mariam, dicit Sapiens, *amaui*, scilicet toto corde, *& exquisiui*, id est, ex toto quæsiui, studendo in scripturis, quæ de te loquuntur, inuestigando diligenter magnalia tua, de te meditando, te iugiter exorando, ad honorem tui operando. *Et quæsiui sponsam mihi eam assumere*, id est, te amore casto & fructuoso & indiuiduo mihi copulare, & talis dilectio spiritalis est, non carnalis. Vnde *Amator factus sum formæ illius*, id est illius, cui dictum est per Sponsum, *Tota pulchra es, Amica mea, & macula non est in te.* Sap. 8. 2. Cant. 4. 7.

3. O gloriosissima Virgo Maria, frigidus fui, & sum in amore tuo; quia ad diligendum mundum & carnem me cum affectu disposui, & in hoc perseueraui. Sed auxiliari mihi digneris, piissima Virgo Maria, aufer à me amorem mundanum, & carnis, & impetra mihi vt tuum benedictum Filium, & te, diligam & timeam, pariterque vtrique puro corde seruiam, vt in præsenti gratiam, & in futuro gloriam obtineam sempiternam. Amen.

Contemplatio III.

Quòd Beatæ Virgini debemus obedientiam.

1. TIbi obedire tenetur omnis fidelis Christianus, potentissima Virgo Maria, propter reuerentiam virginalem, & propter periculum nostrum, qui inter dæmones & alios hostes habitamus, & viuimus in peccatis. Qui enim iustus est, tibi obediendo debet ad te confugere, vt dicere

Cant. 2.3. possit: *Sub umbra illius, quam desideraueram sedi* & sic erit securus per auxilium tuum. Si peccator est, ad te confugere debet: quia tu es ciuitas refugij, vt saluos facias peccatores tibi obedientes, reuertendo ad te, quibus tu, piissima Virgo Maria, humiliter & benignè dicis, *Qui audit me, non confundetur.* Qui audit, id est, obedit, vel audit me in paupere vociferante; vel prædicatore docente: vel *audit*, id est, deuotè auscultat sermonem meum: vel *audit me*, id est, acquiescit consilio meo; de quo scribitur, *Consilium eius, quasi fons vitæ permanet*, id est, quasi fons viuus semper scaturiens. Qui igitur, benedicta Virgo Maria, *audit te*, id est, obedit tibi, non confundetur per auditum illius verbi asperi, *Ite maledicti in ignem æternum*: vel *non confundetur*, id est, non patietur repulsam, nec confusionem: sed per te semper exaudietur, & pro illo semper orabis, vel *non confundetur*, scilicet malâ confusione, qua soli impij confundentur in iudicio tui Filij benedicti, sed adstabis pro eo. Nam obedientibus tibi Matri Virgini, dicturus est Filius tuus benedictus in iudicio, *Venite benedicti Patris mei.*

Eccl. 24. 30. Eccl. 21. 16. Matth. 25. 41. 33.

2. Qui igitur audit te, tua opera, & exemplum recipiendo, tanquam verum fundamentum vitæ cælestis, *non confundetur*: vnde vt tibi obediat, sicut tu Archangelo Gabrieli obediuisti, dicendo sibi, *Ecce Ancilla Domini*; vt etiam fugiat strepitum mundi, sicut tu eum fugisti, quia in cella orabas tota solitaria, quando Angelus ingressus est ad te; vt etiam vereamur magis, quàm exultemus, quando laudamur: & cogitemus, vtrum dignè, sicut tu cogitabas qualis esset salutatio illa angelica; vt constanter persistat quisque in statu suæ professionis, sicut tu post votum virginitatis constanter respondisti, *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Vt etiam voluntatem suam quisque conformet voluntati diuinæ, sicut tu fecisti respondendo, *Ecce Ancilla* Domini; cuius est velle, quod vult Dominus eius: vt spretis terrenis appetat cœlestia, sicut tu fecisti quando concepto Filio Dei in montana ascendisti; & etiam se minoribus seruiat, & ministret, sicut tu humiliter ministrasti Elizabethæ. Sic igitur, sacratissima Virgo Maria, obediendum est verbis tuis, consiliis tuis, & exemplis tuis.

Luc. 1. 38. 34.

3. Sed ego prauissimus peccator, corde durus tibi nolui obedire: sed te contempsi. Ideò dignum est, vt mihi dicas, *Despexisti omne consilium meum, & ego in interitu tuo ridebo.* Non sic, piissima Virgo Maria, sed oculis pietatis & misericordiæ me aspicias; & Filium tuum misericordem, tuis intercessionibus inclines, vt mihi indulgeat, & vitam largiatur æternam. Amen.

Prou. 1. 25. 26.

Contemplatio IV.

Quòd Beatæ Virgini debemus reuerentiam & timorem.

1. EXcellentissima super omnes Mulieres, pretiosissima Virgo Maria,
tibi timor & reuerentia debetur; ne coram oculis tuis aliquid inde-
cens cogitare, desiderare, consentire, aut facere aliquis audeat: ne illos
misericordes oculos, qui non possunt respicere iniquitatem, auertas à
nobis. De quibus scribitur, *Mundi sunt oculi tui, ne videas malum, &* Habac.
respicere ad iniquitatem non potes. Ideò de te, quæ verè es mulier fortis, 1.13.
scribitur, *Considerauit semitas domus suæ. Semitas,* id est, sanctas cogitatio- Prov.31.
nes conscientiarum. *Domus suæ,* id est, familiæ suæ: peruersæ enim cogita- 27.
tiones separant hominem à te, & benedicto Filio tuo. Quales cogitationes
sunt superborum, inuidorum, auarorum, luxuriosorum, & aliorum pec-
catorum qui impendiunt aduentum gratiæ, & fugant à corde gratiam iam
acceptam. Nec est præsumendum de mitissima humilitate tua, & pietate,
quin te timere debeamus, & summæ dignitati tuæ timor & reuerentia de-
beatur. Quamuis enim tu dixeris, *Ecce Ancilla Domini,* Tu etiam Regem
gloriæ & Dominum maiestatis sic allocuta fuisti, *Fili, quid fecisti nobis* Luc. 1.
sic? Tu namque, Virgo Maria, es speciale sacrarium Domini. Vnde sicut 38.
Oculi Domini super metuentes eum: sic *oculi tui,* id est, respectus misericor- Luc. 2.
diæ, *super timentes te,* id est, super humiles, qui timent & cauent offendere 48.
te, sed quia timor solus sine spe non est bonus, ideò sequitur, *& in eis, qui*
sperant super misericordia eius.

2. Sed quid timendum, & sperandum sit de te Virgine Maria, sequitur,
vt eruat à morte, scilicet culpæ præsentis, & pœnæ æternæ, *animas eorum,*
non solùm corpora à pœna præsenti, *& alat eos in fame,* scilicet verbi Dei, Psal. 32.
vel inopiâ famis æternæ, sicut scribitur, *Ecce serui mei comedent, & vos* 18. 19.
esurietis; Timentes te, purissima Virgo Maria, protegis potenter ab omni Is. 65. 13.
aduersitate: das eis potentiam ad benè agendum, & declinandum à malo:
das etiam firmamentum in virtutibus, quas eis tuis orationibus impetras à
benedicto Filio tuo; & misericorditer in eis refrigeras concupiscentias,
quas diabolica suggestio inflammat: & insuper deprecabilis es super offen-
sione ipsorum, & pro ipsis tuum benedictum Filium exoras; vt ipsos præ-
seruet, ne cadant in peccatum, vel infernum; & si fortè ceciderint in pec-
catum, erigis, eos, & illuminas oculos mentium ipsorum, ad cognoscen-
dum & diligendum Deum, te, & proximum.

3. O benignissima Virgo Maria, aperi mihi oculos mentis: quibus ha-
ctenus clausis, te non timui, neque in te reuerentiam habui, vt te videam,
diligam, & timeam: & tibi contrito & humili corde seruiam, & vitam
mihi impetres sempiternam. Amen.

Contemplatio V.

Quod Beatæ Virgini debemus continuam memoriam.

Eccl.24. 28.29. 1. SCriptum eſt de te, beatiſſima Virgo Maria, *Memoria mea in generatione Sanctorum*, id eſt, hominum, quorum vna eſt generatio. Si enim memoria Iuſti cum laudibus, quantò magis memoria tui, Virgo Maria, per quam nobis factus eſt Chriſtus iuſtitia? ideò *Memoriam abundantiæ ſuauitatis tuæ eructabunt.* *Pſal. 144. 7.* Debet namque, glorioſiſſima Virgo Maria, cor meum te aſſiduè cogitare, & meditari: quia cor tuum aſſiduè & effectualiter meditatur & cogitat de miſericordia, pace, & ſalute. De cogitatione enim tua, quâ cogitas nobis bonum, ſcriptum eſt: *A mari abundat cogitatio tua*: quæ cogitas nobis bona, non poteſt à ſenſu humano comprehendi, ſicut nec mare poteſt exhauriri: *& conſilium tuum*, quo ſaluti humanæ prouides, *in abyſſo magna*: quia inueſtigari non poteſt. Quis enim inueſtigare poteſt efficaciam verbi tui, quo prouidiſti nobis infirmis salubriter, quando omnium medicinam verbo concepiſti mirabiliter? *A mari* igitur, id eſt, pluſquàm mare *cogitatio tua*: quia, ſicut impoſſibile eſt humano ſenſui cogitare vel dinumerare guttas maris, vel videre totum mare: ſic impoſſibile eſt & longè ampliùs humano capere intellectu, charitatem, pietatem, humilitatem, & cætera quæ pertinent ad te: & faciliùs poſſet mari exhauriri, quàm tua bonitas perfectè cogitari.

2. Memoria igitur & cogitatio, quæ eſt de te maior, melior, & excellentior eſt omni cogitatione, aut memoriâ. Quis enim ſufficit cogitare, & ad memoriam reducere, profunditatem humilitatis tuæ, quæ cum Dei Mater eſſes nominata, te Ancillam nominaſti? & quis apprehendere valeat excellentiam charitatis tuæ, quæ cum à benedicto Filio tuo increpata fuiſſes, *Quid mihi & tibi mulier*? *Ioan. 2. 4.* tamen verecundiæ miniſtrorum compatiens, eis conſuluiſti dicens, *Quæcumque dixerit vobis facite*? Quis æſtimare poſſet immenſitatem pietatis tuæ, cùm Filium crucifigi videres, nec reclamaſti, ſciens Paſſionem benedicti Filij tui ad humani generis ſalutem operari? & ideò, benedicta Virgo Maria, quiſquis fidelis quantùm permittit humana fragilitas, debet frequenter & aſſiduè de te cogitare, & cogitatu pertractare, de his quæ pertinent ad tuam gloriam, & honorem; & ſicut ſcribitur, *In omnibus viis tuis cogita illum*, *Prou.3. 6.* ſcilicet Deum, *qui diriget tuos greſſus*, id eſt, reget opera. Hoc idem debet dici de te, piiſſima Virgo Maria, *Sap.4.1.* quia ſcribitur, quòd *Immortalis eſt memoria tua.*

3. O miſericordiſſima Virgo Maria, tua memoria non fuit ſemper in corde meo, ſed cogitatio ſordida & infecta diuerſorum vitiorum. Reſpice me, piiſſima Virgo Maria, & imprime teipſam in mente mea; vt excluſis noxiis cogitationibus, te ſemper cogitem, tua beneficia memoriâ teneam, gratias de ipſis tibi referam, vt vitam conſequar ſempiternam. Amen.

Contemplatio VI.

Quòd Beatæ Virgini debemus dilectionem.

1. SIcut benignissimum & piissimum cor tuum, beatissima Virgo Maria, gaudet & exultat de nostra commendatione: sic cor meum congratulari tibi assiduè debet de gratia, quam inuenisti apud Deum; & de omnibus bonis, quæ data sunt tibi per eum. Vnde designata es per Saram, quæ dixit, *Risum fecit mihi Dominus, & quicumque audierit, corridebit mihi.* Gen. 21. 5. O beatissima Virgo Maria, risum fecit tibi Dominus, in salutifera Conceptione benedicti Filij tui Saluatoris nostri, qui tibi & in te arrisit; & tam tibi, quàm nobis miseris peccatoribus, dedit ridendi & gaudendi materiam. Vnde in virgineo partu tuo dixit Angelus ad Pastores *Annuntio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo.* Luc. 2. 10.

2. O benignissima Virgo Maria, tribue nobis indignis seruitoribus tuis, & impetra tuis sanctissimis deprecationibus apud gloriosissimum Filium tuum, vt congratulatio tuæ beatitudinis semper sit apud nos; & compassio miseriæ nostræ sit apud te: de te & in te semper gaudere debemus: quia de Ancilla, facta es Regina: Mater, de Filia: recreatrix, de creatura: de Virgine, genitrix, manens Virgo. Per te enim, Virgo misericordissima, multa beneficia à benedicto Filio tuo accepimus, & speramus multò maiora percipere. Ideò in te & de te gaudere debemus, & cantando dicere cum Psalmista, *In te cantatio mea semper. In te*, non *in me*, non in mundo, non in vitiis; non enim in me, quia non inuenio in me peccatore vnde Psalm. 70. 6. gaudendum neque cantandum, sed potiùs vnde lugendum, iustum enim est, & verè dignum, vt in me dolorem & pœnam inueniam; quia relicto hactenus vero gaudio, gaudium triste & miserabile in meipso quærebam, & de meipso ac transitoriis huius mundi habebam.

3. Ad te igitur, beatissima Virgo Maria, accedo cum fletu & gemitu cordis mei: ad te suspiro gemens & flens: gaudio vacuus & mœrore plenus; non hilaris, sed tristis; non exultans, sed eiulans: non lætus, sed dolens propter iniquissimam vitam meam, quam vsque nunc protraxi in vitiis & peccatis. Adiuuare me digneris, clementissima Virgo Maria, tuis piissimis intercessionibus apud tuum Filium misericordem, qui dignetur conuertere luctum meum in gaudium: vt de ipso, & de te, ac operibus vtriusque gaudeam, & nunquam gaudium à me auferatur. Amen.

Contemplatio VII.

Quod Beatæ Virgini debemus orationem.

1. TV, misericordissima Virgo Maria, es fratrum amatrix, & populi Israël, id est, Christianorum videntium Deum per fidem. Tu, piissima, Virgo Maria, es illa, quæ multùm oras pro populo, & vniuersa ciuitate sancta Ierusalem, id est, Ecclesia militante. Designata namque es, gloriosissima Virgo Maria, per illam Bersabée quæ impetrauit suis precibus à Dauide regnum Israël pro filio suo. Sic tu, Virgo Maria, impetras tuis sanctissimis precibus à vero Dauid, id est, à Deo, pro filiis, id est imitatoribus tuis, Israël regnum, scilicet visionis diuinæ. Tu es illa, quæ in nouo Testamento, primò pro homine benedictum Filium tuum exorasti. Tu esurienti frangis panem tuum: quoniam particulariter distribuis gratiam cor hominis confortantem. Inducis egenos & vagos in domum tuam, scilicet in Paradisum: nudos operis vestimentis virtutum, & carne tuâ purissimâ vestisti Filium tuum benedictum.

2 Mach. 15. 14. 3. Reg. 1. 3.

2. Tu benedicta Virgo Maria, designata es per Templum Salomonis, de quo loquitur Deus, *Oculi mei erunt aperti, & aures meæ erectæ ad orationem eius, qui in loco isto orauerit: elegi enim & sanctificaui locum istum.* Tu facilè impetras, Virgo Maria, quidquid petis à benedicto Filio tuo: ideò de te potest dici, *Ora pro nobis, quoniam mulier sancta es*, & timens Deum, figurata per illam Reginam Esther, cui dicebatur, *Inuoca Dominum, & loquere pro nobis Regi, & libera nos de morte.* Tu enim, Virgo Maria, detines iram Dei, ne statim vindicet in nos: vnde dicis, *Tenui eum & non dimittam.* Conquerebatur enim Deus antequam, Virgo Maria, tu esses nata, dicens, *Non est qui surgat, & teneat me.* Sed tu facta es aduocata nostra, & allegas pro nobis fideliter omnia benedicto Filio tuo. Sicut igitur, clementissima Domina Virgo Maria, assiduè non cessas orare pro nobis: sic etiam assiduè debemus tibi sacrificium puræ & deuotæ orationis: vt de te matre dicatur, sicut dicitur de benedicto Filio tuo, qui *Reminiscimini Dominum, ne taceatis, & ne detis silentium ei*, & *sine intermissione orate.* Ideò de te cantauit Ecclesia,

Isa. 58. 7. Iudith. 8. 29. Ester. 4. 8. Cant. 3. 4. Isa. 64. 7. Isa. 62. 7. Thess. 5. 16.

Omnis homo omni horâ,
Ipsam ora, & implora
Eius patrocinium.

3. O benedicta Virgo Maria, mutus fui; quia te non oraui, aut si oraui, hoc solùm feci ore, non corde. Adiuua me, Virgo Maria, ostende pietatem tuam: ne reddas mihi vicem pro vice; sed ora pro me iugiter Filium tuum benedictum, vt mihi dimittat, quod conscientia metuit, & adiiciat quod oratio non præsumit, vt ipsum, & te, laudem in æternum. Amen.

Contemplatio VIII.

Quod Beatæ Mariæ debemus benedictionem.

1. QVantum humana fragilitas poteſt, te, benedicta Virgo Maria, benedicere debemus: quamuis humana fragilitas noſtra dignè non valeat, non deſinet te benedicere. Nam per virginalem partum tuum, maledictio Euæ in benedictionem conuerſa eſt. Quando dictum eſt tibi, *Aue gratiâ plena.* Sic igitur inceſſanter corde & voce te benedicere debemus, vt benedicendo benedici mereamur à Domino. Si enim Abrahæ dictum eſt à Domino, *Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus te;* & ſi dictum eſt Iacob, *Qui maledixerit tibi, ſit maledictus,* & *qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur,* multò fortiùs eſt tibi dictum, Virgini Mariæ, iſtud: quia filia es Abrahæ & benè deſignata per *Iacob*, qui interpretatur *Supplantator*: quia tu, glorioſa Virgo Maria, ſimul & ſemel omnia vitia ſupplantaſti.

Luc. 1. 28. *Gen. 12. 3.* *Ibid. 27. 29.*

2. Benedicentes ergo tibi, habitabunt terram viuentium: maledicentes autem tibi diſperibunt; id eſt, in diuerſas partes peribunt; ſcilicet in corpore & anima, quales ſunt Infideles, & iniqui Chriſtiani, & blaſphemi. Voluntas namque tui benedicti Filij eſt, vt te benedictam Matrem ſuam, & Dominam noſtram digniſſimam benedicamus in omni tempore, ſcilicet nocte, & die, in proſperis, & aduerſis: vt laus tua ſemper verſetur in ore & corde noſtro; de te continuò meditando, te laudando, propter te operando, benedicendo, tibi gratias agendo, tua magnalia prædicando, vitam tuam nuntiando, ſcripturas de te elucidando; vt laus tua ſit quaſi frænum in maxillis noſtris nos refrænans à vitijs linguæ. Vnde, Virgo Maria ſanctiſſima, tu promiſiſti cum benedicto Filio tuo, laudatori, quod ſcribitur, *Laude meâ infrænabo te, ne intereas*: & omnia quæ intra me ſunt benedicant nomen ſanctum tuum in ſæculum ſæculi.

Iſa. 48. 9. *Pſalm. 102. 1. & 144. 21.*

3. Sed, quid faciam, ô benigniſſima Virgo Maria, ego ſceleratiſſimus peccator, qui te non benedixi, ſed blaſphemaui, non ſolùm te, ſed etiam benedictum Filium tuum: opera vtriuſque non feci, ſed opera nequiſſimi hoſtis. Succurrat mihi pietas tua, Virgo Maria, exora Filium glorioſiſſimum, vt vitam meam miſerabilem emendare dignetur, peccata miſericorditer indulgendo, & virtutes tribuendo, quibus mediantibus ipſum & te aſſiduè laudem, & benedicam per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

Contemplatio IX.

Quod Beatæ Virgini debemus prædicationem.

Prou.31. 28. 1. SAcratissima Virgo Maria, de te scriptum est; *Surrexerunt Filij eius, & beatissimam prædicauerunt.* Tu, Virgo Maria, es beata propter carentiam omnis mali; tu es beatior propter abundantiam omnis boni, quia cum securitate possides omne bonum, *Surrexerunt* igitur *Filij*, id est, omnes Fideles Ecclesiæ Catholicæ ad prædicandum te, & tua opera miraculosa, & virtutes. Sed primò *Surrexerunt*; quia, qui dignè vult prædicare
Eccl. 15. 9. te, aut tibi seruire, priùs debet surgere à peccato per pœnitentiam: quia *Non est speciosa laus in ore peccatoris*; ideò priùs dicitur, *Surrexerunt*. Nec dignus est, qui in peccato mortali est, vocari Filius tuus.

2. *Surrexerunt* igitur *Filij*, id est, imitatores, maximè in castitate, largitate & humilitate; Filius enim esse probatur, qui facit Patris opera: quia, qui Genitoris non facit opera, negat genus. Filij ergo tui, Virgo Maria, id est, imitatores esse probantur, si sint mansueti, benigni, humiles, casti, mise-
Rom. 8. 17. ricordes, & huiusmodi. Et si sic fuerint Filij in præsenti, in futuro erunt hæredes: quia scriptum est, *Si Filij & hæredes.* Vnde tibi loquens Deus
Isa. 44. 3. dixit, *Effundam Spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super stirpem tuam.*

3. Sed, benignissima Virgo Maria, dum in mente mea contemplor te, quæ es Soror Dei, Amica Dei, Electa Dei, Mater Dei, ab Angelo salutata, Dei gratiâ repleta, à Domino comitata, in mulieribus benedicta, benedicto fructu fœcundata, à Magis & Pastoribus cum Filio adorata, Ioseph Virgini commendata, in throno Filij super Angelicas Virtutes exaltata: dum etiam considero, quòd beatus Ioseph Sponsus tuus Vir iustus, pauescens grauidationem tuam voluit te occultè dimittere, & Elizabeth se se indignam iudicans aduentu tuo dixit, *Vnde hoc mihi vt veniat Mater Domini mei ad me*? quomodò ego miserrimus peccator cinis & puluis, indi-
Luc. 1. 43. gnissimus laude tuâ, audebo te prædicare? quin potiùs vociferando clamem cum suspirio & gemitu coadis, *Exi à me, ô Domina, quia homo pec-*
Luc. 5. 8 *cator sum.* Sed, misericordissima Domina, de tua immensa pietate confisus venio ad te, supplicans, vt non abhorreas me peccatorem quæ aduocata peccatorum existis. Sed ora Filium tuum benedictum, vt peccata mea deleat, vitam meam miserabilem emendet, virtutes tribuat; vt resurgam virtuosè à peccatis, & ipsum & te laudem & glorificem, vtriusque dicta & facta contempler, & quantùm humana fragilitas patietur, mutari possim, & mutatus prædicare te & exaltare valeam, vt in fine obtineam gloriam sempiternam. Amen.

CON-

Contemplatio X.

Quòd Beatæ Virgini debemus gratiarum actiones.

1. QVid *faciam tibi, ô Custos hominum*, id est, ô tu, sacratissima Virgo Maria, quæ custodis omnes Fideles Christianos? Quid faciam tibi? id est, quid retribuam tibi pro omnibus beneficiis tuis? bonorum meorum non eges. Quid ergo faciam tibi? cùm nihil boni ex me possim facere, &, si quid facio, quod videatur bonum, nihil est coram te, & verè nihil respectu bonorum, quæ iugiter facis mihi. Sed fac, misericordissima Virgo Maria, non solùm mihi, sed etiam omnibus Fidelibus tuis, vt in omni oratione & obsecratione, cum gratiarum actione de beneficiis iam percepitis, petitiones nostræ apud te innotescant. Omnimodas enim gratias debemus tibi reddere: quia in te & per te, factus est Deus homo, vnde accreuit nobis prærogatiua maxima honoris & dignitatis, amoris & fortitudinis: propter quos Filius Dei minoratus est paulò minùs ab Angelis quoad conditionem naturæ: quæ non sunt carnei, nec mori possunt, sed Verbum caro factum est, & immortalis mortalis. *Iob. 7. 20.* *Phil. 4. 6.*

2. Magnificet te igitur omnis anima, & gratias tibi referat, ô Mater dulcedinis, vnde salus nostra profluxit. Collaudet te omnis lingua piorum in sæcula sæculorum: quia per te reducti sumus de tenebris, ad lucem, de inuio, ad viam, de morte, ad vitam, de corruptione, ad integritatem: de luctu, ad risum, de mœrore, ad gaudium, de terra, ad cœlum, de carcere, ad regnum, de seruitute, ad libertatem, de pœna, ad gloriam, & de ore sæuissimi draconis, ad sinum piissimi Patris. Idcircò gratiarum actio non debet cessare: sicut etiam non cessas nobis benefacere, vt ad locum, vnde exeunt, flumina reuertantur, vt iterum fluant. In hymnis & confessionibus laudent Deum, qui magna fecit in Israël, id est, in te Virgine Maria, sicut tu dicis, *Fecit mihi magna qui potens est*. Et etiam per te magna fecit in Israel, id est, in Populo Christiano. *Eccl. 1. 7.* *Luc. 1. 49.*

3. O piissima Virgo Maria, ego prauissimus peccator, ingratissimus fui tibi: quia de immensis beneficiis tuis, quæ iam suscepi, & iugiter suscipio, gratias tibi non retuli, neque tibi complacere volui: sed potiùs displicui propter innumerabilia peccata quæ commisi, & adhuc non desino committere. Succurre mihi, clementissima Virgo Maria, indulgendo mihi, & orando tuum Filium benedictum, vt ingratitudinem istam auferat; & me effectualiter disponat ad seruiendum vtrique, vt regnum in fine obtineam sempiternum. Amen.

PARS XVII.

QVALIS DEBET ESSE SERVVS Gloriosæ Virginis Mariæ.

Contemplatio I.

Qualis debet esse Seruus Beatæ Virginis Mariæ.

1. MVNDISSIMA Virgo Maria, mundi & immaculati debent esse Serui & laudatores tui, quia tu es hortus conclusus, & fons signatus. In hortum floridum & deliciosum non est intrandum pedibus immundis: aqua purissimi fontis non est
Cant. 4. 12. haurienda sordidis manibus. Ad tibi igitur seruiendum & te laudandum non est accedendum, nisi puro corde, & purificatis cogitationibus; vt tecum dicere valeat, *In habitatione sancta coram ipso*, id est, Filio tuo be-
Eccl. 24. 14. nedicto; vel *coram te*, Virgine Maria, *ministraui.* Sancta enim habitatio idem est quod munda, à terra eleuata, & firma conuersatio.

2. Ministris & seruis tuis, qui dignè, & placitè cupiunt tibi seruire sunt hæc necessaria; vt tibi ministrent & seruiant in munditia & abiectione voluptatum, in contemptu temporalium, in patientia aduersorum, & in desiderio æternorum, simpliciter, humiliter, & perseueranter. Vt dicere
Luc. 1. 75. valeant, *Seruiamus illi in sanctitate & iustitia coram ipso omnibus diebus nostris.* In sanctitate, id est, in munditia: quia scribitur, *Ambulans in via im-*
Psal. 100. 6. *maculata, hic mihi ministrabat*: & in iustitia; vt non credat tibi seruiens dare gratuitum, sed reddere debitum. Debet igitur seruiens seruire tibi *om-*
Matth. 6. 24. *nibus diebus*, id est, perseueranter; vt non sit seruiens tuus alteri Domino obligatus; quia *Nemo potest duobus Dominis seruire.* Non sit obligatus mundo, qui seruientem sibi non remunerat, imò in discessu totaliter spoliat: non diabolo, quia quantò affectuosiùs ei seruiunt, tantò contra tales grauiùs exacerbatur: non carni, quæ de seruitio, quod ei fit, non reddit nisi fæces. Idcirco, purissima Virgo Maria, tibi seruiendum est in munditia carnis, voluntatis & cordis. Carnis quidem; abstinendo ab omni immunditia exte-
Sap. 1. 3. riori voluntatis, ab omni illicito consensu; cordis, abstinendo ab illicitis cogitationibus, & peruersis, quæ sicut separant à Deo, ita etiam à te.

3. O beatissima Virgo Maria, ego miser seruus tuus, immundus fui & sum, hostibus meis obligatus, quibus voluntariè seruiui, cum displicentia tua, & benedicti Filij tui, multa peccata committendo. Adiuua me, piissima Virgo Maria, vt seruitio hostium meorum renunciem cum effectu, & tuo benedicto Filio, & tibi, seruiam mundo corde, & corpore, nunc & in perpetuum. Amen.

Contemplatio II.

De eodem.

1. VIrtuosissima Virgo Maria, necesse est seruienti tibi, vt sit aromaticus per fragrantiam bonæ opinionis, & per exemplum castitatis, pietatis, & humilitatis. Nam quantò es purior, tantò magis fœtet tibi luxuriosus, quia cùm tu comparata sis api, fugaris fœtore. Cùm sis mater pietatis, ampliùs fœtet tibi impius & auarus. Cùm sis exemplar humilitatis, plùs displicet tibi superbus, & sic potest dici tibi de cæteris abominationibus vitiorum, vnde seruientibus tibi, & laudantibus nomen tuum dicitur, *florete flores, sicut lilium: date odorem, & frondete in gratiam: & date nomini eius magnificentiam.* Eccl.39. 19.

2. Et sic allicis seruientes tibi, primò ad redolentiam & fragrantiam virtutum, & postea ad te laudandum & magnificandum; & hanc fragrantiam debet habere tibi seruiens dignè, in corde contra fœtorem prauorum desideriorum, sordidarum cogitationum & recordationum & imaginationum. Debet etiam habere hanc fragrantiam virtutum in ore, laudes tuas, quæ sunt aromaticæ species, assiduè ruminando, & ab omni impudico & detractorio sermone sollicitè abstinendo. Debet etiam habere hanc redolentiam virtutum in opere & sensibus, vt pro honore tuo, & vtilitate ipsius abstineat ab omni opere polluto, & sensus suos, & omnia membra sua sollicitè custodiat ab omni actu illicito: scilicet oculos, ne defigat eos in aliquam vanitatem; aures, ne pro posse suo audiat linguam nequam; nares, ne delectentur odoribus meretriciis, os, ne gustet quod gustatum affert mortem: Iob.6.6. tactum similiter & incessum à voluptatibus illicitis custodiat.

3. O gloriosissima Virgo Maria, ego infœlicissimus peccator omnia prædicta noui & sciui, & in corde meo habui; & multos seruientes tibi sic dispositos vidi tibi seruire: & ad tibi simili modo seruiendum inspirationes frequenter habui, sed sic durus, & lapideus ac ingratus fui, quòd ad seruiendum tibi, dare operam nolui, sed in magna pigritia, peccata tamen plurima committendo, mansi. Respice me, piissima Virgo Maria, oculo misericordiæ, & compassionis; & ora tuum natum, cui benignè, dignè, & humiliter seruisti, vt delendo peccata mea, virtutibus me exornet, per quas vtrique seruiam deuoto & humili corde, vt in fine gloriam assequar sempiternam. Amen.

Contemplatio III.

De eodem.

1. TE gloriosam Virginem multi laudant, & benedicunt, cùm benefacis eis, alij vt benefacias eis: quorum laus etsi tendat ad te, tamen recuruatur ad ipsos de quibus scribitur, *semitæ eorum incuruatæ sunt eis*, & reflexæ ad eos, idest ad suum commodum recuruatæ. Non sic Virgo Maria, non sic, sed seruientes tibi debent esse recti, & eorum intentio ad te propter te est dirigenda; quæ non debet incuruari ad amorem terrenorum: quia fecit Dominus hominem rectum.

Isa. 59. 8.
Eccl. 7. 30.
Psalm. 50. 12.

2. Spiritum rectum innoua in visceribus meis, suauissima Virgo Maria, vt per rectam intentionem quęram quę sursum sunt, non quę super terram; Nam quærere & meditari quæ sunt super terram, curuitas est animæ, & quia tu recta es, debet etiam rectus esse seruiens tibi: & sicut rectus Redemptor est, ita debet esse rectus redemptus. *Videbunt te* namque *recti & lætabuntur.* Videbunt te, inquam, recti: id est qui per desiderium ad cælestia eriguntur, & ad terrena per amorem non incuruantur: & tales seruiunt tibi dignè, qui non excæcantur puluere mundanorum, nec fæcibus peccatorum, nec porrigunt se antè, vt bona præsentia concupiscant, nec retrò, vt ante acta mala per delectationem respiciant: non dextrorsùm, vt in prosperis per insolentiam se effundant: non sinistrorsùm, vt in aduersis per impatientiam se contrahant: sed sursum proferunt incrementum, & sursum habent cor, vbi Christus est in dextera Dei sedens. Tales igitur, Virgo Maria, tibi dignè & deuotè seruiunt, & te dignè magnificant & laudant: & non soli ipsi, sed cum alijs, dicendo, *Magnificate Dominam*, id est, te, *mecum, & exaltemus nomen eius in idipsum.*

Psalm. 106. 24.
Coloss. 3. 1.

3. O misericordissima Virgo Maria, audi me miserum peccatorem. Totus fui & sum incuruatus ad consentiendum tentationibus inimicorum meorum, & ad perpetrandum & multiplicandum vitia & peccata. Non seruiui tibi debitè, vt debebam, neque dignè ad rectitudinem: sed, si quando seruiui tibi, hoc feci, non propter te, sed propter me, vt benefaceres mihi: & cùm mihi benefecisti, te laudare, & tibi gratias referre non curaui, & sic vitam meam miserabilem perduxi. Auxiliari mihi digneris piissima Virgo Maria, & de curuo facias me rectum, meam intentionem sursum continuè erigendo ad te laudandum, & dignè tibi seruiendum, vt regnum æternum valeam possidere. Amen.

Contemplatio IV.

De eodem.

1\. O Humillima & omni humilitate plena, clementissima Virgo Maria, qui tibi placidè desiderat seruire, debet humilitate ornari, & cùm aliqua laudabilia fecerit, ad laudem, gloriam, & honorem nominis tui, dicat, *seruus tuus inutilis sum.* nam *minister* dicitur *minor statu*: *Ministrare*, Luc. 17. idem quod *minorem stare*: in quo notatur humilitas, vel *minister* quasi 10. *minis territus*, scilicet per timorem, qui est frater humilitatis. Cùm enim simus pauperes, & egeni, & abiecti, de natura nostra, necesse est vt paupertatem & humilitatem pro benedicto Filio tuo & te Virgine Maria, voluntariè assumamus: maximè cùm delectabiliter sit amplectendum, quod naturæ est consonum, & hæc naturæ nostræ sunt valdè consona: quia pauperes & viles nascimur, & morimur, exemplo benedicti Filij tui; qui cùm diues esset, factus est pauper; & cùm esset Dominus omnium voluit seruire vniuersis.

2\. O sanctissima Virgo Maria, tibi seruiens necesse est sibi habeat cum humilitate deuotionem; qui est pius & humilis affectus ad benedictum Filium tuum & ad te, ex contritione generatus. Est etiam teneritudo cordis, & mentis, quâ quis de facili resoluitur in lacrymas: hæc est medulla holocaustorum; vnde scribitur, *holocausta medullata offeram tibi*: & quia, Psal. 65. benedicta Virgo, sæpè per vehementiam feruoris, amittitur virtus discre- 15. tionis, ideò *honor regis iudicium diligit*, id est discretionem. Sed expedit Psal. 98. seruienti tibi habere discretionem, vt in omni sacrificio, quod tibi volue- 4. rit beneplacitum offerre, sal discretionis studeat apponere, ne quid nimis sit, vel parùm: sed rationabile sit obsequium impendendum tibi.

3\. O piissima Virgo Maria, succurre mihi misero infœlici; qui non habui, nec habeo humilitatem, sed superbiam, non deuotionem, sed mundi lasciuiam: non discretionem, sed fatuitatem in omnibus actibus meis. Ideò seruitium meum non debuit tibi placere, nec mihi proficere. Sed exora Filium tuum gloriosissimum, vt misericorditer mecum agat, delicta mea omnia cum pietate remittendo, & ad suum seruitium atque tuum me ordinando, vt cum vera humilitate, prompta deuotione, & debita discretione, vtrique perseueranter seruiam nunc, & in perpetuum. Amen.

Contemplatio V.

De Eodem.

1. QVia tu, pretiosissima Virgo Maria, mater es veritatis: quia *Veritas de*
Psal. 88. 12. *terra orta est*, id est benedictus Filius tuus, qui est Via, Veritas, & Vita; *de terra*, idest de te Virgine Maria natus est: & tu fallere non intendis, neque falli potes. Ideò necesse est vt seruientes tibi habeant veritatem: quia viri
Eccl. 25. 8. mendaces non erunt apud te, & viri veraces inuenientur in te, quibus necessarium est, si tibi dignè & placidè volunt seruire, vt habeant veritatem cordis & veritatẽ oris, & veritatem operis, debent namq; habere veritatem cordis, sine duplicitate: quia scriptum est, *Vir duplex animo, inconstans est in*
Iacob. 1. 8. *omnibus viis suis*, id est, actionibus suis. Debent habere veritatem oris, sine falsitate: quia, *os, quod mentitur, occidit animam.* Tales enim vitam gratiæ
Sap 1. 11. perdunt in præsenti, & vitam gloriæ in futuro. Debent etiam habere veritatem operis, sine vanitate, vt non in laudibus hominum delectentur hîc, sed aliam retributionem expectent à Deo, non sicuti ii de quibus dicitur, *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.* Qui enim propter huma-
Math. 6. 16. num fauorem bonum facit, tacente populo mercedem amittit.

2. Nec confidant tibi seruientes in multiloquio, sed debent esse taciturni: quia, *in multiloquio non deest peccatum.* A te gloriosa Virgine Maria, debent
Prou. 10. 19. sumere exemplum, & te pro posse imitari in taciturnitate: qui secundùm Euangelium septies solummodò locuta fuisti: ideò à seruientibus tibi exoranda es assiduè; vt quisque dicat tibi cum deuotione, & humilitate cordis, *Pone*, mea dulcissima Domina, *custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ*
Ps. 140. 3. 4. *labiis meis, vt non declinet cor meum*, id est, non permittas illud inclinari à rectitudine virtutũ, *in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis.*

3. O virtuosissima Virgo, ego peccator mendax & iniquus non habui veritatem in ore meo, nec in corde, nec in opere, sed in vitiis & peccatis habui multiloquium; imò praua opera assiduè: & sic tibi non seruiui placidè, vt debuissem. Parce mihi, purissima Virgo Maria, parce mihi & exora Filium benedictum, vt mihi indulgeat, & peccata remittat, seruum placitum sibi & tibi me faciat hîc, & in sempiternum. Amen.

Contemplatio VI.

De eodem.

1. SIcut tu, misericordissima Virgo Maria, feruens es ad saluandum nos, sic etiam feruere debemus, vt tibi assiduè & humiliter seruiamus, fer-

uentes namque debent esse seruientes tibi, & non pigri, nec tepidi, & negligentes; ne eis dici possit, *Vtinam frigidus esses aut calidus: sed, quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo.* Calidi enim sunt spiritualibus feruentes desideriis, frigidi horrore peccatorum suorum & æternæ damnationis contriti, & istæ affectiones optabiles, & acceptabiles sunt benedicto Filio tuo. Tepidi autem sunt vtriusque huius affectionis expertes; & ideò dicitur, *Incipiam te euomere ex ore meo:* id est, à societate fidelium, qui sunt os Domini, separare turpiter: sicut, quod euomitur, turpiter eiicitur. Sed, beatissima Virgo Maria, mirabilis est tui gloriosissimi Filij patientia, qui multoties vomitum resumit per misericordiam, cùm de cibo euomito nullus hoc facere dignaretur. Ideò dicit, *Incipiam te euomere* sed non plenè vomit, nisi in morte: & in hoc quod dicit *Incipiam*, quodammodò præmonet timidum, vt præcaueat sibi; quæ est misericordia magna. *Apoc. 3.15.16.*

2. Necesse etiam est tuo seruienti quòd sit pius: quia, sicut tu, Virgo Maria, es Mater pietatis & misericordiæ: sic seruiens tibi necesse habet, vt & ipse sit pius & misericors, cùm tu sis refugium misericordium, & auertas illos tuos misericordes oculos ab eo, quem vides immisericordem, cùm tibi sit omninò dissimilis. Debet insuper seruiens tibi esse patiens ad contumelias verborum, vt honore tuo patienter toleret subsannationes impiorum; & bibat, exemplo Iobi, subsannationem sicut aquam, nec respondeat contumeliosis, sed sit mansuetus ad omnia; etiam patiens ad damna rerum temporalium, vt dicat cum Iobo: *Dominus dedit, Dominus abstulit.* Sit etiam patiens ad læsionem membrorum, & hæc patientia perfectior est duabus primis, Hanc exhibuit benedictus Filius tuus, dicens, *Corpus meum dedi percutientibus.* *Iob. 34. 7.* *Ibid. 1. 21.* *Isa. 50. 6.*

3. Istis omnibus carui, & adhuc careo, piissima Virgo Maria, ideò seruus inutilis tibi fui, & sum indignus te nominare. Sed fac mecum misericordiam, Mater misericordiæ, deprecando tuum gloriosissimum Filium, vt defectus meos misericorditer emendet, vt tibi & sibi placeam, fideliter seruiam, & in bonis operibus virtuosè perseuerem, & vitam sempiternam acquiram. Amen.

Contemplatio VII.

De eodem.

LAudo, glorifico, & magnifico nomen tuum in æternum, piissima Virgo Maria, quia te mediante sublatum est iugum captiuitatis antiquæ; pacificata est ira indignationis diuinæ, & deleta est nota iniquitatis humanæ, quia homo, qui captiuus tenebatur, liberatus est; & qui offensam Dei incurrerat, reconciliatus est. O dulcissima Virgo Maria, nihil dulcius libertate post captiuitatem, iustificatione post impietatem, reconciliatione post offensam.

Idcirco tota iustorum vita, deuota desideria, sanctæ meditationes, iustæ operationes, crebræ gratiarum actiones, & cætera huiusmodi cogitari, & operari debent, vt ex his omnibus præcipuè, post beatam Trinitatem, honoreris præ cæteris Sanctis omnibus: quia causam æternæ salutis operata es in nobis. Igitur lætifica animam serui tui lætitiâ & spiritali gaudio, Virgo Maria, vt laudes, quas tibi indignus obtuli, acceptabiles sint semper in conspectu tuo, vt à gratiarum actionibus pro beneficiis tuis vniuersis nunquam cesset cor meum: vt in ipsis perseuerando, ad gloriam perueniam sempiternam. Amen.

Expliciunt Contemplationes deuotæ super vita & laudibus Gloriosæ Virginis Mariæ.





PARALIPOMENA.

INCIPIVNT LAVDES BREVES & singulares Gloriosæ Virginis Mariæ, quotidie dicendæ cum deuotione: & primò dicatur hæc Oratio.

Oratio.

DIRIGE cor meum, & linguam meam, Domine Iesu Christe, ad laudandum gloriosam Virginem Mariam Matrem tuam: vt vtrique dignè & placitè seruiendo, laudare te valeam in æternum. Qui viuis, &c.

Deinde dicatur ad eius conceptionem & sanctificationem, ad quamlibet, Aue Maria,

Oratio.

TVæ misericordiæ opem fer nobis, Mater misericordiæ, vt qui tuæ conceptionis& sanctificationis memoriam recolimus, tuâ piâ miseratione præueniamur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Ad tres potentias animæ, ad quamlibet dicatur, Aue Maria,

Oratio.

BEnedicta Virgo Maria, animæ tuæ potentiæ potentes nos faciant: vt partes iustitiæ adimplendo, gloriosi Filij tui potentiâ misericorditer protegamur. Qui viuit & regnat.

Ad Natiuitatem, Aue Maria.

Oratio.

NAtiuitas tua, gloriosa Virgo Maria, gaudium attulit vniuerso mundo: fac vt tuis sanctissimis precibus gaudium obtineamus sempiternum. Per Christum, &c.

Ad nomen eius dicantur quinque Psalmi, pro qualibet litera nominis dicatur vnus Psalmus, scilicet Magnificat, Ad Dominum, Retribue, In conuertendo, Ad te leuaui, *& in fine cuiuslibet dicatur,* Aue Maria.

Oratio.

PRopter nomen tuum, Virgo Maria, quæ Stella maris nominaris, dirige nos in hac via, vt tecum habitemus in patria. Per Christum.

Ad quinque sensus corporis, pro quolibet, Aue Maria.

Oratio.

GVberna sensus nostros, Virgo singularis, & sicut tuos sensus ad Dei beneplacitum ordinasti, sic nostros, tuâ pietate fauente, ad eius seruitium continuè præparemus. Per Christum.

Ad omnia membra eius singulariter dicatur, Aue Maria.

Oratio.

LAudamus & benedicimus pia membra sacri corporis tui, Virgo Maria intemerata: vt sicut piè credimus ea in cœlis glorificata; sic te propitiante nostra perenniter glorificentur. Per Christum.

Pro septem donis Spiritus sancti, quibus dotata fuit, pro quolibet, Aue Maria.

Oratio.

INtercede pro nobis, Virgo Maria, vt dona sancti Spiritus tibi à Deo concessa, nostris cordibus infundantur, per quæ hîc bonis operibus insistentes, cælestem gloriam consequamur. Per Christum.

Pro septem virtutibus, quibus ornata fuit, contra septem vitia criminalia, dicatur, Aue Maria.

Oratio.

GRatias tibi referimus, Virgo benedicta, quæ ornata septem virtutibus septem vitia criminalia abiecisti: exora quæsumus Filium tuum benedictum, vt vitiis expulsis nobis virtutes inserat, & ad æternam gloriam nos perducat. Per Christum.

Pro tribus virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus, pro qualibet, Aue Maria.

Oratio.

BEatam te dicunt omnes generationes, Virgo Maria, quæ virtutibus Theologicis, & Cardinalibus illuminata fuisti, easdem in nobis tua pietate imprime, vt ad tuam gloriam peruenire mereamur. Per Christum Dominum.

Pro articulis fidei, pro quolibet, Aue Maria.

Oratio.

PRecibus assiduis exora tuum Filium, gloriosa Virgo Maria, vt articulos fidei, quibus ornata fuisti, credamus firmiter corde & opere, in vita & morte, vt vitam æternam consequamur. Per Christum.

Pro præceptis diuinis, pro quolibet, Aue Maria.

Oratio.

OBedientiam, quam circa præceptorum diuinorum obseruationem, Virgo Maria, habuisti, fac nos tuâ interuentione tenere, vt sub obedientia Filij tui perpetuò collocemur. Qui viuit.

Pro septem operibus misericordiæ spiritualibus, pro quolibet, Aue Maria.

Oratio.

SPiritualia misericordiæ opera, quibus exuberas, Virgo benedicta, extende ad nos miseros peccatores, vt ipsis adiuti, mentis & corporis salute fruamur. Per Christum.

Pro septem operibus corporalibus misericordiæ, pro quolibet, Aue Maria.

Oratio.

EXora Filium tuum, Virgo gloriosa, vt insistendo operibus misericordiæ quæ operata es optatam sententiam ad dexteram eius collocati in tremendo iudicio reportemus. Qui viuit.

Pro septem Sacramentis Ecclesiæ, pro quolibet, Aue Maria.

Oratio.

SVbueniat nobis misericordia tua, Regina cœlorum, vt Sacramenta Ecclesiæ credendo firmiter & tenendo, nunquam à benedicto Filio tuo separemur. Qui viuit.

Pro septem gaudiis quæ hîc habuit de Filio suo, pro quolibet, Aue Maria.

Oratio.

PErfice in cordibus nostris, Virgo Maria, per gaudia quæ hîc de Filio tuo suscepisti æternaliter, vt tecum gaudere perpetuò valeamus. Qui.

Pro dotibus animæ, pro qualibet, Aue Maria.

Oratio.

VIrgo gloriosa, inuoca Filium tuum, qui diues est omnibus qui inuocant illum, vt animas nostras propter peccata suis dotibus priuatas restituat, & diuites faciat misericorditer in æternum. Qui viuit.

Pro dotibus corporis eius, pro quolibet, Aue Maria.

Oratio.

VT hîc viuendo in presenti mundo gloriosis dotibus corporis in futuro non priuemur: Virgo Maria, exora assiduâ prece tuum Filium benedictum. Qui viuit.

De beatitudinibus eius, pro qualibet, Aue Maria.

Oratio.

NOn cesset deprecatio tua ad Filium tuum, Virgo Maria, vt tuarum beatitudinum participes efficiamur. Qui viuit.

De septem gaudiis, quæ habet in gloria, pro quolibet, Aue Maria.

Oratio.

VIta nostra à Filio tuo sic dirigatur, te adiuuante, Virgo Maria, vt tecum de tuis cœlestibus gaudiis æternaliter gratulemur. Qui viuit.

Conclusio laudum.

Oratio.

QVamuis nequissimum peccatorem me sciam, Virgo Maria, preces meas non abhorreas, quæ misericordiâ plena es, & aduocata peccatorum existis, sed laudes, quas indignus tibi obtuli, placidè suscipias, ad laudem & gloriam tui Filij benedicti, cum quo viuis & regnas, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Expliciunt laudes breues & singulares gloriosæ Virginis Mariæ.

Oratio post Aue Maria *de Serò.*

SAlutationem Angelicam hac horâ, trinâ prolatione oblatam gloriosæ Virgini Mariæ, suscipe Trinitas benedicta; vt tribus inimicis, te adiuuante, deuictis, triplicis Hierarchiæ gloriam consequamur. Per Christum Dominum nostrum.

Oratio post Aue Maria *de Manè.*

PAcem in præsenti oratione, ac salutatione Angelicâ nunc petitam, tribue nobis Saluator mundi: vt in beneplacito tuo hîc viuentes, pacem perpetuam tuâ misericordiâ consequamur. Qui viuis.

FINIS.





IDIOTÆ
DE RELIGIOSORVM STATV ET CONDITIONE.

LIBER PRIMVS.

Contemplatio de ingressu religionis.

CAPVT I.

1. GRATIAM tuam in vacuum confiteor me recepisse, Domine Iesu Christe: quia licèt in susceptione lauacri sacri fontis gratiam tuam receperim, tamen ad maiorem & perfectiorem gratiam obtinendam, religiosum me fecisti: & sic primò per baptismum tibi ligatus ad fidei tuæ cognitionem, postremò tibi religatus fui & obligatus per habitus sacræ religionis susceptionem, ad maiorem morum & virtutum perfectionem, & votorum obligationem, vt contra hostium malignorum astutias animo constanti me defendam.

2. Nam sicut illi qui in castello, vel ciuitate, tuti & securi non sunt, ad turrim pro securitate confugiunt: sic infirmi & imbecilles, qui in mundo timent hostium peruersorum bellicosas astutias, ad turrim religionis accedunt & confugiunt, vbi concursus hostium à longè speculentur, vbi tutiùs & cum maiori securitate viuant, & in plenitudine tranquillitatis & pacis habitent, quia ibidem recedunt à mundo, & accedunt ad te. Exeunt de tenebris, & veniunt ad lucem, & de labore ad requiem: quia suscipiunt arma sanctimoniæ, exercitium diuinæ militiæ, studium disciplinæ, capacissimum fructum iustitiæ, primitias felicitatis æternæ, & quicquid extra claustrum religionis est, plenum est anxietate, inquietudine, amaritudine, formidine, sollicitudine, & dolore. Ibi vt anima eleuetur in te, caro deprimitur in ciborum parcitate, vestimentorum asperitate, obedientiæ

iugo, censura silentij, regularitate morum, in vigilijs, in confessionibus, in disciplinis, in psalmis, in charitate, & cæteris quibus fructus vitæ seminatur in terris.

3. O benignissime Domine Iesu Christe, tantam gratiam mihi contulisti, vt omnium virtutum prædictarum participem me faceres. Sed ego miserabilis peccator, & ingratissimus tibi hanc maximam gratiam in vacuum recepi, non sequendo consilium Apostoli, sed irritum faciendo, habitum religionis duntaxat suscepi, sed mores sæcularium non mutaui, immò deterior sum effectus: & vnde mereri debebam, pœnam cumulaui. Adiuua me, misericordissime Domine, ne sic delusus moriar: sed sicut cogitationem horum mihi dedisti, sic effectum medendi mihi tribue, vt tuam gloriam percipiam sempiternam. Amen.

Quid operetur deuotus ingressus religionis.

CAPVT II.

1. PEr deuotum & humilem ingressum sacræ religionis, clementissime Domine Iesu Christe, constat interiorem hominem renouari de die in diem: quia intentio priùs terrenis incuruata curis, postea de imis paulatim per virtutum exercitia ad superna resurgit, & affectio circa desideria carnis languens, sensim in amorem spiritus conualescit, & memoria veterum operum torpedine sordens, nouis, bonisque actibus candidata, in dies lætitia hilarescit. In iis scilicet tribus, voluntate rectissimæ intentionis, puritate optimæ affectionis, & recordatione bonæ operationis, per quam bene sibi conscia memoria enitescit, ipse religionis humilis ac deuotus ingressus operatur, in quo interior renouatio consistit.

2. Verùm cùm certum sit hoc diuino spiritu in ipso religioso agi, tua Domine munera sunt: quia verò cum eius voluntatis consensu fiunt, eius ex tua acceptatione efficiuntur merita. Tu ergo benignissime Domine Iesu Christe, autor es meriti; qui & voluntatem applicas operi, & opus explicas voluntati. Alioqui si secus appellentur illa religiosi deuoti merita, spei sunt quædam seminaria, charitatis incentiua, occultæ prædestinationis indicia, futuræ felicitatis præsagia, via regni, vel regnandi causa. Denique Domine Deus meus, quos iustificasti, non quos iustos inuenisti, hos & magnificasti.

3. O misericordissime Iesu Christe, in maximo periculo sum constitutus ego iniquissimus religiosus: quia per ingressum religionis meus interior homo ex magna malitia mea non fuit renouatus: quia mea praua intentio in rebus mundanis & transitoriis prostrata iacet, vix ad superna resurgens: mea verò peruersa affectio intenta desideriis carnalibus, non permittit animum eleuari ad te, sed infecta remanet in desideriis suis. Memoria autem ad vitia & peccata oculos figens, delectatur in eis, & sic in me homo interior non renouatur: sed potius inueterascit in peccatis, & languet in ipsis. Adiuua me, piissime Domine, & renoua spiritum rectum in visceri-

bus meis: vt mea intentio fiat in oculis tuis recta, & affectio pura, memoria mundetur, & ad te eleuetur per continuam tuorum beneficiorum meditationem, & gratiarum perpetuam actionem. Amen.

De celeri conuersione ad Deum.

CAPVT III.

1. Remedia conuersionis ad te, misericordissime Domine Iesu Christe, nullis sunt dilationibus differenda, ne tempus pereat tepiditate: quia illa peccati pœna iustissima est: vt cùm quis rectè facere possit, nolit, & amittat posse, cùm velit. Vnde satis à fide alienus videtur esse religiosus, qui ad agendum pœnitentiam tempus senectutis expectat. Timendum namque est, ne sperans misericordiam incidat in iudicium: quia dissoluta est cogitatio de conuersione, cogitare crastinam, & negligere hodiernam. Et sic multos negligentes religiosos remissa conuersio in pristinos reducit errores: quia solent inter conuersionis primordia, arctiùs insurgere prauæ cogitationis tentatio, & ignita iacula diaboli, quæ vix possunt extingui. Nam ex recordatione operum præcedentium, ipsi miseri religiosi post conuersionem etiam nolentes, motus diuersorum vitiorum sustinent. Sed tu piissime Domine, ex tua infinita bonitate sine dubio ad probationem hoc das: vt sic semper habeant hostem pro excutienda inertia, cui resistant, & non consentiant, sed quia labor eorum non est in præsenti, sed in futuram differtur remunerationem: ideò dum eorum laborem mercedis retributio non statim sequitur, sæpe remissio dissoluta languescit: vnde magnam gloriam illis præparas, Domine Iesu Christe, qui bonæ conuersationis principia augmento solidato consummant.

2. Felix est ille religiosus Domine, & tua benedictione dignus, quem senectus occupat tibi deuotè & humiliter seruientem, & quem extrema hora inuenerit tibi placidè militantem: quia talis non confundetur cùm loquetur inimicis suis in porta: cui dicetur in ipso introitu alterius vitæ: Recepisti mala in vita tua, nunc lætare. O benignissime Domine Iesu Christe, miserere mei digneris secundùm magnam misericordiam tuam: quia non sum talis religiosus quem senectus occupet tibi seruientem, sed potiùs iuuentutis & senectutis tempora in peccatis & diuersis vitiis occupaui, meáque conuersio tarda & remissa fuit: sed tua immensa pietas festinet vt conuertar dignè ad te, derelinquens vias iniquas, & tecum tua sola gratia viuam misericorditer in æternum. Amen.

De conuersione interiori & exteriori.

CAPVT IV.

1. Conuersio sola corporis nulla est, Domine Iesu Christe, nisi affuerit etiam cordis. Hanc autem conuersionem corporis recipit miser religiosus, qui totus pergens in ea quæ foris sunt, & ignarus interiorum suorum, putat se aliquid esse cùm nihil sit, & seipsum seducit: quia exteriorem superficiem intuens, salua sibi esse omnia suspicatur, non sentiens vermem occultum qui intima corrodit. Talis igitur sic palliatus, seducens etiam semetipsum, solas manus mouet interdum ad opera mandatorum corde penitùs arido, sic ductus consuetudine quadam. Talis namque miser religiosus, in corde suo seruus est propriæ voluntatis, cultor auaritiæ, gloriæ cupidus, ambitiosus amator. Hæc omnia etiam singula vitia intus fouens, mentitur iniquitas sibi, quia non irridetur Deus.

2. Talis miserabilis religiosus, sub habitu religionis gerit animum sæcularem, & sub pannis conuersionis, cor peruersum. Et ideò si salutem animæ suæ desideraret, deberet sollicitè considerare quid diligeret, quid timeret, vnde gauderet aut vnde contristaretur: quia totum cor hominis in ijs quatuor affectionibus consistit. Amor enim debet esse tui, Domine Deus meus, aut propter te. Timor autem peruersus est, nisi fuerit tui, aut propter te. Gaudium autem & tristitia æquè conuerti debent ad te: vt non gaudeat cùm malè fecerit, nec in rebus pessimis lætetur. Non tristetur de iis quæ secundùm carnem sunt, sed de proprio, aut de proximi peccato: quia hæc tristitia ad salutem animæ est. Debet etiam in dilectione tua, fraternis congaudere prosperitatibus, & aduersitatibus condolere.

3. O benignissime Domine Iesu Christe, confundor in conspectu tuo, dum me cogito religiosum peruersum, & mutatum habitu corporali non cordiali, & sub illo habitu plurima & nefandissima peccata commisi, gerens lupum sub veste agni, & sic dupliciter peccaui. Respice me Domine, oculo pietatis & misericordiæ, & conuerte cor meum ad te, & sicut in corpore, sic & in mente digneris me mutare, vt sic conuersum ad tuum seruitium, dignè meipsum emendes, tibi placidè hìc seruiam, vt seruitium tuum consequar in vitam sempiternam. Amen.

De gradibus ambulandi ad Deum.

CAPVT. V.

1. Svnt multi religiosi, clementissime Domine Iesu Christe, qui in carne ambulant, & in hoc omnem suam sollicitudinem ponunt, quomodo molestias euitent: & licèt interdum virtutes præbeant, dum tamen mole-

stias carnis omnino euitare volunt, concupiscentiis eius plurimis nequeunt resistere. Duæ autem viæ à te, Domine, ante eorum oculos proponuntur. Vna vitæ, alia mortis. Vna salutis, alia perditionis. Via vitæ & salutis, tu dux es; viæ mortis & perditionis, diabolus. Tu illos ad vitam vocas, ille eos ad mortem trahit; tu ad salutem, ille ad perditionem. Quem namque ducem sequi debeant, vel cuius voluntati parere, nemo sanæ mentis ignorat.

2. In via tua, Domine Iesu Christe, duo gradus sunt, superior & inferior; in inferiori gradu, ambulat religiosus suo spiritu; In superiori gradu, ambulat tuo spiritu. In inferiori gradu ambulat religiosus, quando reuersus ad cor, circa affectiones suas sollicitus, in se reprehendit quod virtuti esse contrarium cognoscit. In hoc sequitur consilium Apostoli dicentis: Spiritu ambulate, id est, sollicitudinem vestram molestiarum carnis deponite. In hoc gradu, Domine Deus meus, sacrificium contribulati spiritus, & cordis humiliati per compunctionem, tibi religiosus offert. De hoc gradu ad superiorem ascendens, incipit cogitare beneficia tua, & conuersus ad gratiarum actiones, offert tibi per humilitatem, & deuotionem mentis, sacrificium laudis.

3. O gloriosissime Domine Iesu Christe pietati & bonitati tuæ confiteor, me fuisse vnum ex illis religiosis qui in carne ambulant, quia licèt posui, & adhuc pono omnem diligentiam quam possum, vt molestias, id est, affectus carnis, euitem; sequor tamen iniquas concupiscentias cordis mei, & post eas ambulo summis viribus, viâ tuâ derelictâ, viam aduersarij mei elegi, & per illam incedo, & illâ gradior. Nec ad tuam meo sensu, neque tuo spiritu redeo, vt deberem, quamuis à tua pietate fuerim frequenter vocatus, & inspiratus. Misereri mihi digneris, misericordissime Domine Iesu Christe: & remitte mihi omnia peccata mea Reuoca me errantem & deuiantem ad viam salutis, in qua tibi seruiam, & gratias agam, & per quam te donante, veniam ad gloriam tuam sempiternam. Amen.

De subjectione ad Deum.

CAPVT VI.

1. Scio benignissime Domine Iesu Christe, omnem creaturam, velit nolit, tibi esse subiectam: sed magis subiectus est tibi religiosus, qui non solùm per fidem in baptismo susceptam tibi ligatus, sed etiam per susceptionem habitus religionis tibi religatus est, & ampliùs quàm cæteri subiectus, à quo voluntariam subiectionem quæris, vt voluntariè sacrificet tibi: vt quod certum est te velle, velit & ipse omninò, & quod certum est te nolle, similiter execretur & ipse. Quod autem incertum est, vtrum velis aut nolis: ille non debet velle ex toto, neque penitus non velle. In hoc autem medio totum periculum est religiosi, dum infeliciter blanditur sibi, & palpans seducit seipsum: & hinc accidit, vt simulet tuam quærere volun-

tatem, dum & suam facere vult, & aliquam ignorantiæ prætendere excusationem: nullus enim tam infelix religiosus est, qui id nolle audeat, quod certum est te velle, aut quod certum est, te nolle, id velle præsumat, sed in medio periculum est.

2. Illa, quæ in scripturis manifestè apparent tibi placere, indubitanter debet appetere, & approbare, vt est charitas, humilitas, castitas, obedientia, & similia. Sic & ea omnibus modis odio habere, de quibus certum est, quòd tu illa odio habes, vt est apostasia, fornicatio, iniquitas, detractio, superbia, gulositas, impatientia, & similia. In iis verò rebus de quibus nihil certum religiosus inuenire potest, nihil certum eius voluntas definiat, sed pendeat inter vtrumque, aut saltem neutri parti nimis adhæreat; cogitans semper ne fortè altera pars magis placeat tibi, & paratus sit voluntatem tuam sequi, in quamcumque partem eam cognouerit inclinari per inspirationes infusas, aut doctrinæ informationem.

3. O misericordissime Domine Iesu Christe, qualiter tibi fuerim subiectus ego prauissimus religiosus, vita mea miserabilis lacrymabiliter mihi demonstrat, quam sic duxi damnabiliter, vt quæ tibi placebant, mihi omnino displicerent, & quæ tibi displicebant, mihi placerent, & ad ea exercenda operam dabam: dubia verò pro libito voluntatis determinabam, temerariè maiorum meorum consilio neglecto. O piissime Domine, non ponderes iniquitatem meam, sed misericordiam tuam, eam ad me extendendo, parce mihi, & remitte benignè peccata quæ commisi, vt te iuuante sic tibi subiectus sim cum effectu, vt regnum tuum in perpetua obedientia consequar sempiternum. Amen.

De fiducia habenda ad Deum.

CAPVT VII.

1. CRede te Deo, tu qui in religione viuere cupis, & committe te illi: nam tibi ipsi fidere, non fidei, sed perfidiæ est, nec confidentiæ, sed diffidentiæ magis est, in te ipso habere fiduciam. Ille vero fidelis est, qui nec sibi credit, nec in se sperat factus sibi tanquam vas perditum, & sic perdens animam suam; vt in vitam æternam custodiat eam. Cùm id cognoscas, si non vis cadere, non confidas tibi, sed innitaris Deo. Et si te tædio, acedia, vel tepore, in studio spirituali affici sentis, noli propterea diffidere, aut desistere à studio spirituali, sed iuuantis require manum cum confidentia obsecrans te trahi, donec denuò suscitante gratia factus sis promptior, & curras alacrior. Sic autem quamdiu est gratia, delectare in ea, vt non te existimes donum Dei iure hæreditario possidere, ita videlicet securus de eo, quasi numquam perdere possis; ne subitò cùm fortè retraxerit manum, & subtraxerit donum, tu animo concidas, & tristior fias, quàm oportet. Curabis potius pro consilio Sapientis, in die malorum non immemor esse bonorum: atque in die bonorum: non immemor esse malorum.

2. Ergo in die virtutis tuæ noli esse securus, sed clama ad Deum, & dic: Cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me. In tempore verò tentationis, consolare: & dic. Trahe me post te. Et sic non te deseret spes in tempore malo, nec in bono prouidentia deerit, eri sque inter aduersa & prospera tenens inuiolabilem & inconcussam constantis animæ æqualitatem, benedicens Dominum in omni tempore, proiice te in eum cum fiducia magna, & non subtrahet se vt tu cadas. Et quantum cresces in gratia, tantùm in fiducia dilataberis, semper confidens, quòd ille magnus, potens in opere & sermone, de excelso monte descendens, visitare dignatus est te, qui es puluis & cinis: Magna igitur tibi debet esse fiducia apud Deum, Deus homo: & tibi verè pœnitentia debet esse magna spes, quòd aduocatus tuus factus est iudex tuus.

3. O misericordissime Domine Iesu Christe, aduocate & iudex mi, ad te clamorem meum dirigo, vt me exaudias, & ne despicias. Religiosus sum, sed peruersus & iniquus, quia dum in religione existerem, totam fiduciam meam in te cordialiter ponere debebam, sed in transitoriis & caducis illam posui, immò frequenter in meipso. Sed indulgere mihi digneris piissime Domine, & remitte clementer peccata mea, vt totam fiduciam meam in te ponendo, gloriam tuam cum illa tandem intrem sempiternam. Amen.

De custodia suiipsius.

CAPVT VIII.

1. Religiose qui in tua religione Deo placere intendis & fratribus tuis, non contendes supergredi fratres tuos: qnia si ipsos supergredi velis, multas inuenies difficultates, multos patieris æmulos, multos contradictores. Nihil tamen facilius tibi erit, quam humiliari, & cognoscere, ac obseruare teipsum. Considera igitur teipsum, & inuestigare cures conscientiam tuam: & si fortè in aliqua re tibi aliqua gratia collata videtur, qua alius frater careat, si tu in bonis bonus æmulator fueris, poteris te cognoscere in multis bonis te esse fratre illo inferiorem. Quid enim tibi si laborare, aut ieiunare plus illo potes, & ille patientia te superat, humilitate præcedat, superemineat charitate? Non enim tota die versari debes in insipienti cogitatione circa hoc quod videris habere: sed magis esto sollicitus, vt scias quid desit tibi: hoc enim cogita, & ora instanter, vt obtineas quæ tibi desunt, ab illo qui dat omnibus affluenter, & non improperat.

2. Et si interdum ad memoriam reducis gratias tibi datas, hoc facias, vt gratiarum actiones agere possis illi, qui tibi illas gratis benignè concessit, & te cognoscas debitorem illi qui dedit. Si gratiam consolationis ad memoriam reducas, cùm id necesse videris, ne ex aliqua causa tristior fias, attende semper quæ alius frater habet, & tu non habes: & hæc cogitatio te in humilitate custodiet, & à descensu tepiditatis elongabit, & accendet &

inflammabit cor tuum desiderio proficiendi. Si autem multa te habere cogitare cupias quæ fratrem existimas non habere; eleuaberis in superbiam, dum te præpones alteri. Et exinde alterum negliges, dum te magnum esse arbitraberis. Et tunc incipies deficere, dum tibi nimis videberis egisse alterius comparatione: & sic in tepiditatem venies, & incipies remissiùs agere.

3. O misericordissime Domine Iesu Christe, ego religiosus peccator, & reus ad te venio, confitendo reatum meum. Nam sic de meipso præsumptuosè præsumpsi, quòd cæteros fratres meos vilipendi, & me eis superbè præposui. Donare mihi digneris Domine, vt meipsum cognoscam, & emendem, vt tandem te cognoscendo tibi placeam per infinita sæculorum sæcula. Amen.

Quæ sunt in religione seruanda.

CAPVT IX.

1. OBseruantiâ regularis, Domine Iesu Christe, habet præcepta, & remedia; subiectionem, & stabilitatem. Præceptis namque instituitur vita religiosi contra peccatum. Remediis restituitur innocentia post peccatum. Subiectio, studiosum religiosum facit, & stabilitas fortem. Religiosus namque cùm in aliquo fortè mandatorum regularium deliquerit, sed ad remedium æquè regulare confugerit, licèt conuincatur transgressor mandati, non tamen pacti præuaricator.

2. Ille frangit votum, violat propositum, pactum præuaricatur, qui & præceptum contemnit & remedium. Ille autem securus est qui etsi interdum obedientiæ limitem præterierit, consilium tamen non respuit pœnitentiæ, quià censuram disciplinarum, quæ ex regula non est, subterfugit. Pars siquidem regulæ est, regularis correctio: & in ea inuenitur non solùm bonæ operationis instructio, sed etiam emendatio prauæ. Inueniuntur igitur in ea & præcepta obedientiæ, & inobedientiæ remedia, vt ne peccando quidem à regula recedatur. Subiectio insuper & stabilitas in loco per religiosum obseruari debent: ita quòd neutrum præpediat alterum, nec alterutrum sibi præiudicet. Vnde religiosus sic stabilis debet esse in loco, vt superiori suo subiici non contemnat. Et sic subiectus, superiori suo obediat, vt stabilitatem non amittat.

3. O misericordissime Domine Iesu Christe, inclina ad me aures tuæ pietatis, & audi clementer me miserum religiosum: ex mea superbia & malitia, præcepta & mandata non seruaui, neque post transgressionem præceptorum & mandatorum, remedia salubria suscepi, saltem in corde subiectus esse nolui, & si quandoque fui, hoc fui exteriùs & non interiùs, non amore, sed timore: immò quandoque non exteriùs, sed rebellis & inobediens fui. Et si contra voluntatem meam aliquid factum fuit, statim loci stabilitatem animo declinaui, cupiens transferri aliò, & non manere in

vocatione in qua vocatus eram. Adiuua me, Domine piiſſime Ieſu Chriſte, & reforma in me ſuaue iugum religionis, vt præcepta & remedia teneam, ſubiectionem & ſtabilitatem firmiter conſeruem: vt ad tuum placitum hîc viuendo ſubiectus & ſtabilitus, in tuo regno vitam obtineam ſempiternam. Amen.

De communitate ſeruanda.

CAPVT X.

1. SEcundùm doctrinam Apoſtolicam, erant Apoſtolis omnia communia: & illam vitam ſemper præponebant, & diligebant, & ad eorum exemplum ſunt religioſi inſtituti: qui contemptis mundi huius illecebris, in commune vitam ſanctiſſimam & caſtiſſimam agere debent, congregati ſimul, viuentes in orationibus, locutionibus & diſpoſitionibus: parum namque timet diabolus diſgregatos ieiunantes, vigilantes, continentes, quia de iſtis multos trahit in laqueum auaritiæ: ſed concorditer viuentes, & vnanimiter in domo Domini coniuncti Deo & ſibi per vinculum charitatis, hi dolorem, hi timorem, hi liuorem diabolo ingerunt.

2. Debet enim religioſus viuere ordinatè, ſocialiter, & humiliter. Ordinatè ſibi, vt in omni conuerſatione ſua ſollicitus ſit ſeruare vias tuas Domine, & in conſpectu tuo cauere à peccato, & in conſpectu proximi cauere à ſcandalo. Socialiter, vt ſtudeat amari & amare, blandum & amabilem ſe exhibere, & libenter ſupportare infirmitates fratrum, tam morum quàm corporum. Humiliter, vt hæc omnia cùm fecerit, ſpiritum vanitatis ſtudeat exſufflare, qui ex huiuſmodi naſci ſolet, & quantumcumque illum ſenſerit, omnino negare conſenſum. Sic igitur ſi tu bonus religioſus vis eſſe, vitam communem debes ſeruare non partialem, quæ ſemper habet nonnihil de hypocriſi & vana gloria immiſtum: at communis, cuique perfecto ſatis eſt arcta, & cuique infirmo ſatis eſt congrua. Nam abundans eſt pauperi, ſufficiens mediocri, eſt tolerabilis diuiti, infirmis larga, delicatis compatiens, fortioribus viuifica, pœnitentibus miſericors, peruerſis ſeuera, & bonis optima.

3. O miſericors Deus, vitam partialem, & non communem in religione, in victu, in geſtu, in habitu, ſeruaui, & ferè in omnibus actibus meis à communitate fratrum totaliter deuiaui. Aliud cantabam, & aliud cogitabam, in choro eram corpore, & in foro mente: nunc intus, nunc extra, nunc mente vagus, nunc corpore diſſolutus: ſemper tamen inconſtans in omnibus viis meis: Adiuua me, miſericordiſſime Domine Ieſu Chriſte, non permittat tua bonitas, vt ſic finiam miſerabiliter dies meos, ſed præueniat eos tua clementia, & remitte mihi quæ nequiter perpetraui. Fac me currere ad veram pœnitentiam, & emendationem vitæ, vitam vnanimem & concordem, omni ſuperſtitione ſublata teneam, & in fine vitam in communitate perpetuò laudantium mihi concede ſempiternam. Amen.

De cursu vitæ religiosi.

CAPVT XI.

1. Licèt simplicissimæ & inuariabilis naturæ sis, tu Domine Deus meus: tamen religiosus secundùm diuersas affectiones suæ animæ diuersis nominibus te nominat, sicut etiam scriptura testatur, licèt tu idem ipse sis, & anni tui non deficiant: vocaris tamen pater familias, Dominus, magister, pater, sponsus. Cum autẽ religiosus secularem & mercenariam habet intentionem, ideò tibi seruit, vt à te terrena suscipiat, & nullo aut exiguo desiderio æternorum, quæ à tua sola sunt gratia, mouetur: cùm autem timet carcerem, & metuit ne æternis pœnis subiiciatur: tunc viuit sub te tanquam seruus sub Domino, qui semper timet incarcerari, aut aliis pœnis affligi: & hic status est quidam exitus à sæculo, & ingressus ad vitam, si in statum virtutum commutatur. Nam cùm paruulum se sentit in virtutibus, & concupiscit lac doctrinæ, prouidens te Deum in conspectu suo semper: tunc viuit sub te tanquam paruulus sub magistro & pædagogo quia non seruiliter timet supplicia, sed tanquam paruulus metuit plagas virgarum, apprehendens tuam magistri disciplinam, nequando irascaris, & pereat de via iusta: & ne deuotionis gratia subtrahatur, & ne molesta omnia fiant, laborat tædio quodam quasi verberetur intus in anima, in amaritudine scilicet cogitationum.

2. Hæc enim verbera quibus illum religiosum castigas, tu Domine, in primordiis & quasi in infantili ætate immittis, vt sic vicissim sibi succedat timor tui Domini, & disciplina tui magisterij. Cùm autem lacte iam non potatur, sed vescitur cibo solido, scilicet oblitus quæ retrò sunt, in quibus vt seruus in amaritudine morabatur, & præsentia non considerans, nec prauas consolationes captans, magis extendens se in anteriora ad palmam supernæ vocationis, & introitum futuræ beatitudinis, expectans beatam spem, & aduentum gloriæ tuæ: tunc euacuat quæ erant paruuli, & proficit in virum perfectum; tunc viuit sub te tanquam filius sub patre, cupiens esse in iis quæ tui vt patris sunt, suspirans ad hæreditatem tuam paternam quam toto affectu expetit & affectat. Cum autem ad tam sublimem gradum attingere potest, vt castificato corde nihil aliud eius anima desideret, nihil aliud quærat quàm te, non seipsam, neque aliquid suum, non fœlicitatem terrenam, non doctrinam, non gloriam suam, non honorem, non ingentem auri copiam, non belluinam corporis voluptatem, non denique aliud quicquam tanquam suiipsius priuato amore, pergit in te vt introducas eam in cubiculum tuum, tunc viuit tanquam sponsa cum sponso.

3. O benignissime Domine Iesu Christe, adiuua me per tuam misericordiam: quia infelix religiosus sum tãquam mercenarius in religione viuens, fac me ex tua bonitate viuere sub timore, & disciplina tua, vt filius tuus esse valeam, possidendo tandem per tuam gratiam, tuam paternam hæreditatem per infinita sæcula sæculorum. Amen.

De solitudine.

CAPVT XII.

1. SI cupis tu religiose, viuere religiosè; considera ad quid factus es religiosus, ad Deum laudandum, & ei toto mentis affectu seruiendum. Sed ad hoc te disponere oportet, vt non quæras vanam & transitoriam lætitiam. Sicut enim ignis deficientibus lignis deficit: sic transit lætitia vana, mundus, & concupiscentia eius. Non affectes præsentia, sed despicias, quæ ferè omnes desiderant. Temporibus & horis ad hoc congruis & opportunis, fuge multitudinem, fuge paucitatem, fuge vnum. Solus esto; vt illi soli te serues, quem tibi solum ex omnibus elegisti, dimitte omnia, & vaca bonæ menti: quia nemo ad eam peruenit, aliis rebus occupatus. Nimia enim turba vitiorum sine certamine vincitur, cùm solitudo gratiæ suffragatur.

2. Recede ad teipsum quantum potes, horis ad hoc ordinatis: quia non est tunc quid timeas: non operam perdis, si te tibi ipsi dedisti. Secede interdum ab amicis & intimis: & si non corpore, saltem mente, intentione, & deuotione. Obliuiscere populum tuum, & domum patris tui, & concupiscet rex decorem tuum. Auarior namque redditur, ambitiosior, crudelior, & inhumanior, qui continuè inter hominum multitudinem versatur. Solus igitur esto corde: quia illud potius requirit Deus, quam corporis solitudinem, quanquam corpore interdum non sit otiosum separari præsertim tempore orationis. In quantacumque hominum fueris frequentia, caue alienæ conuersationis esse aut curiosus explorator, aut temerarius iudex, etiam si actum malum deprehendas. Excusa saltem intentionem, si opus non potes, scilicet ignorantiam, subreptionem, casum, aut vehementem tentationem.

3. O misericordissime Domine Iesu Christe, quanta iniquitate sum plenus ego miserrimus religiosus, qui ore loquor & corde taceo: scio quod prædicta facere deberem: sed incipere renuo; solitudinem fugi, & cateruas hominum dilexi, in quibus ad muta iniqua declinaui, & frænum linguæ laxaui. Miserere mihi dignare, benignissime Iesu Christe, & benignè concede vt ad meipsum redeam, plangendo quæ commisi, & seruiendo tibi, vt tibi placeam in æternum. Amen.

De societate bonorum.

CAPVT XIII.

1. PRoprium est cuiuslibet religiosi, benignissime Iesu Christe, in sua religione, vt qualis ipse fuerit, tales sibi coniungi affectet: sed valdè periculosum est iis, qui malè viuunt, sociari, quorum melius est odium,

quàm consortium, quia nihil tam sanctum est, quod peruersi domestici non deprauent. Vnde qui bonus religiosus esse cupit, socios bonos sibi coniungere studeat: quia si fuerit socius conuersationis, etiam eius erit peruersitatis. Nulla namque res magis animos honestate induit, deuiosque & ad prauum inclinatos reuocat ad rectum, quàm hominum bonorum conuersatio. Et ideò tu vir religiose, si te paupertas angit, si luctus mœstificat, si dolor corporis inquietat, si vlla calamitas vexat, adiungere tibi debes homines, qui non solùm gaudere cum gaudentibus, sed flere cum flentibus, &, salubriter alloqui & colloqui sciant: per quos plurimùm illa aspera leniantur, grauia releuentur, & tristitia superentur.

2. Si enim vis adire paradisum, non debes cum illis ire qui tendunt in infernum, quia non sunt in recta via. Ideò scribitur, ne delecteris in semitis impiorum, nec tibi placeat malorum via. Qui enim non vult esse leprosus, debet vitare consortium leprosorum. Nam sana poma, sociata putridis, citiùs putrescunt: & sani cum infirmis, citiùs infirmantur: & amicus stultorum similis illis efficietur: & modicum fermentum totam massam corrumpit. Sic vnus peruersus, totam congregationem: & qui communicauerit cum superbo, induet superbiam: quia cum peruerso peruertetur. Vnde Ioseph, relicto pallio in manu fœminæ, fugit. Quærenda est igitur per te religiosum qui in religione cum aliis religiosis habes conuersari, bona & honesta meliorum societas, & cum illis bonis religiosis debes adiungi & copulari: quia etiam si tu fueris peruersus, cum illis efficieris bonus. Sicut fuerunt Saul & serui eius, persequentes Dauid in malo proposito, qui venientes ad cuneum prophetarum, ceperunt simul prophetare, & conditionem propriam alterare, & tunc Saul mutatus fuit in virum alterum.

3. O mitissime Domine Iesu Christe, ego prauissimus religiosus in magnam dementiam deueni, quantum ad gubernationem animæ meæ: quia in religione viuendo, malis & peruersis religiosis me adiunxi, & ideò de malo fui deterior effectus, & non contentus de ipso, multos alios ad similem vitam criminosè perduxi. Indulgere mihi digneris Domine, vt tuam consolationem in solo cœtu bonorum & sanctorum, perenniter tibi seruiens recipiam sempiternam. Amen.

De discretione in omnibus obseruanda.

CAPVT XIV.

1. VEra discretio, benignissime Iesu Christe, non nisi vera humilitate acquiritur: cuius humilitatis probatio est, si vniuersa non solùm quæ agenda sunt, sed etiam quæ cogitantur, maiorum & seniorum examini verus religiosus reseruet, vt non confidat in propria discretione, nec aliquâ suo iudicio credat: sed potiùs illorum definitionibus per omnia acquiescat: & quid bonum vel malum debeat iudicare, eorum traditione cognoscat: & sic

& sic per veram discretionis viam, religiosus recto tramite incedet, & à cunctis fraudibus & insidiis inimici seruabitur illæsus.

2. Discretio namque non tam virtus est, quàm moderatrix & auriga virtutum, ordinatrix affectuum, morum doctrix, & consummatrix perfectionum, & sine qua virtus vitium est. Ad vnum namque finem nimietas ieiunij, ac voracitas peruenit. Eodem denique dispendio vigiliarum immoderata continuatio religiosum, quo somni grauissimi torpor inuoluit. Nam per excessum continentiæ religiosum debilitatum, ad illum statum reuocari necesse est, in quo negligens quisque per incuriam detinetur: ita vt frequenter quem gulositas decipere non potuit, immoderatio ieiunij deiiciat; & quem somnus superare non potuit, vigiliæ & pernoctationes irrationabiles deiiciant: & ideò iuxta doctrinam Apostoli, Per arma iustitiæ quæ à dextris sunt & sinistris, recto moderamine transeundum est: & ita inter vtrasque nimietates discretione moderante gradiendum est, vt à tradito continentiæ tramite non recedat, nec immoderatione noxia abducatur. In omnibus igitur actionibus, discretionem, matrem omnium virtutum sequi debet verus religiosus: quæ idcirco mater earum dicitur: quia nisi eas vt filias, mater nutrierit, statim cuncta virtutum soboles interibit. Discretio namque omni virtuti ponit ordinem, ordo verò, modum tribuit & decorem. Hanc autem discretionem tollit propria voluntas, subuertens corda religiosorum, & rationis oculos claudens; docet namque naturæ non parcere, rationi non acquiescere, nec obtemperare seniorum consilio vel exemplo, nec obedire Prælato.

3. O misericordissime Domine Iesu Christe, respiciat tua clementia me miserum religiosum, qui discretione carens, extrema vitiosa secutus fui: & viam mediam contempsi, succurre mihi misericorditer peccata remittendo & concede mihi veram discretionem, qua mediante tibi placeam, & seruiam nunc & in æternum. Amen.

De multiplici voluntate religiosi.

CAPVT XV.

1. Habent, Domine Iesu Christe, religiosi animas vitiosas, habent & bonas. Vitiosas dico, non omnes quibus inest vitium, sed qui vitio ex voluntate consentiunt, nec resistunt, quantū possunt. Bonas dico animas, non solùm perfectas, sed etiam incipientes, quæ licèt vitium habeant, non tamen consentiunt, sed repugnant. Tales animæ licèt ex infirmitate, vel ignorantia sæpe cadant, tamen per voluntatem quam habent bonam, resurgunt, hæc est enim quæ bonam facit animam: quia cùm multa sint animæ bona naturaliter insita, sicut ingenium bonum, memoria capax, vigil ratio, & cætera animæ bona: sola tamen voluntas si fuerit bona, bonam facit animam, si fuerit vitiosa, vitiosam. Sed quia nunquam homo in eodem statu permanet: aut enim deficit, aut proficit, proficiendum est

in hac voluntate: quia ſcriptum eſt, Hæc eſt via, ambulate in ea.

2. Primus gradus huius viæ, eſt recta voluntas. Secundus, valida. Tertius, deuota. Quartus, plena voluntas. In primo, anima, Domine, legi tuæ conſentit, ſed carne repugnante, bonum quod diligit perficere non inuenit, ſed ſæpe malum quod odit, per infirmitatem facit. In hoc tamen recta eſt eius voluntas, quod aduerſario ſuo conſentiens, in ſe odit quod ille reprehendit. In ſecundo gradu, anima non ſolùm malum quod odit, non agit: ſed etiam bonum quod diligit, licèt ægrè, fortiter tamen perficit. In tertio gradu, iam dilatato corde, currit viam mandatorum, & delectatur in eis, ſicut in omnibus diuitiis. In quarto gradu ſunt angeli, qui ea facilitate qua ſemper volunt bonum plenariè perficiunt. Hunc gradum quidem deſiderare poteſt anima, aſcendere autem non poteſt, ob hoc quod corpore aggrauatur. Religioſum, qui numquam habet rectam voluntatem, impedit carnalis affectio: qui habet rectam & non validam, impedit eum praua conſuetudo: qui habet deuotam & non plenam, impedit eum terrena habitatio. Cuius adhuc voluntas vitioſa eſt: oret & dicat, Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra, ſe intelligens terram, illum autem qui rectam habet voluntatem; cœlum: quia quantùm cœlum diſtat à terra, tantùm diſtat recta voluntas à vitioſa.

3. Sed miſericordiſſime Domine Ieſu Chriſte: quid dicam ego nequam religioſus de voluntate mea qualis fuerit? Certè non in eodem ſtatu permanens, ſed de vitio in vitium incedens, non fuit recta, ſed curua; non valida, ſed fragilis, non deuota, ſed iniqua, non plena, ſed bono affectu vacua. Succurre mihi Domine miſericorditer, vt voluntas mea ſemper voluntati tuæ iungatur, & pareat in æternum. Amen.

De conſcientia.

CAPVT XVI.

1. NIhil in hac luce clarius, Domine Ieſu Chriſte, nihil glorioſius teſtimonio puræ conſcientiæ, ſcilicet cùm veritas in mente fulget, & mens in veritate ſe videt, ſcilicet pudicam, verecundam, pauidam, & circunſpectam: nil penitus admittentem quod euacuet gloriam conſcientiæ atteſtantis ſe in nullo conſciam ſibi, quo erubeſcat præſentiam tuam. Illa enim vera eſt & ſincera conſcientia, quę credit ſe remiſſionem peccatorum habere non poſſe, niſi per indulgentiam tuam: credit deinde nihil poſſe habere boni operis, niſi tua bonitas hæc dederit: & quod vitam æternam nullis poteſt operibus promereri, niſi tu Domine gratis eam dederis: quia nullus poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine, niſi tu qui ſolus mundus es. De operibus quoque bonis certum omnino eſt, quòd nemo illa habet à ſe, ſed à te: nam ſi ſtare non potuit humana natura adhuc integra, multo minus poteſt per ſeipſam reſurgere iam corrupta. Certum eſt enim ad ſuam originem vniuerſa, quantum in eis eſt, tendere, & in

eam partem semper esse procliuiora: & sic cùm de nihilo creati sumus: constat quod si nobisipsis relinquimur, in peccatum semper, quod nihil est, declinamus.

2. De vita æterna etiam scimus, quia non sunt condignæ passiones temporis huius, ad futuram gloriam, etiam si vnus omnes sustineat: neque talia sunt nostra merita, vt propter ea vita æterna iure debeatur, sicut tu, Domine, aliquam iniuriam faceres, nisi eam donares. Ideò si tu religiose, credis peccata non posse deleri nisi ab eo cui soli peccasti, & in quem peccatum non cadit, conscientiam veram habes, addendo, vt si de peccatis tuis corde contrito & humiliato debito modo satisfacis: tibi à Deo donantur & remittuntur. Conscientiam namque bonam parant pœnitentia, & abstinentia: quando scilicet per pœnitentiam peccata punimus, & per abstinentiam deinceps punienda non committimus.

3. Licet namque benignissime Iesu Christe, vnusquisque fidelis purificatam conscientiam tuæ gratiæ dono habere debeat: tamen longè magis puram eam deberet habere religiosus, qui assiduè tibi humiliter & puro corde seruire tenetur & ad seruiendum tibi specialiter est obligatus. Qualis sum ego qui loquor, qui à iuuentute mea, vt tibi arctiùs seruirem, religiosus factus fui: sed conscientiam meam mucrone peccatorum multipliciter vulneraui, & sic vulneratam diutiùs seruaui, & vulneribus vulnera addidi, per quæ animam corrupi, & vsque ad mortem æternam deduxi, & tibi debito modo non seruiui. Sed tu misericors Domine, dele iniquitatem meam: sana vulnera mea misericorditer, vt tibi placidè seruire valeam in æternum. Amen.

De consideratione animæ religiosi.

CAPVT XVII.

1. Nihil verius possum, Domine Iesu Christe, ego miser religiosus de anima mea sentire, quàm ad nihilum eam esse redactam: quia onerata est peccatis, obfuscata est tenebris, pruriens concupiscentiis, obnoxia passionibus, impleta illusionibus, prona semper in malum, in vitium omne procliuis, postremò totius confusionis & ignominiæ plena. Facile est mihi Domine, si vniuersa inuestigem, sine dissimulatione liberè proclamare: Qui se putat aliquid esse cùm nihil sit, ipse se seducit. Quid est homo, Domine Iesu Christe, quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum? Sine dubio vanitati similis factus est homo, & ad nihilum redactus est homo, nihil est homo. Quomodo tamen penitus nihil est, quem tu Domine magnificas? Quomodo nihil, erga quem apponis cor tuum?

2. Respirare debet homo etsi nihil sit in corde suo: quia potest aliquid esse in corde tuo. Qui vocas ea quæ non sunt, sicut ea quæ sunt: qui dicis, & facta sunt. O miserorum Pater, qui apponis erga eos cor tuum, scio quod vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. Quomodo ergo nihil sumus si

thesaurus tuus sumus? Omnes gentes quasi non sunt, sic sunt ante te, & tanquam nihilum & inane reputabuntur: sic quidem ante te, sed non sic intra te, sic in iudicio veritatis tuæ, sed non sic in affectu pietatis tuæ. Quia iuxta Apostolum tuum, non ex operibus, sed ex te vocante. Sic nimirum in pietate tua quem in veritate tua humiliasti: vt manifestè dilatetur in tuis, qui merito angustiantur in visceribus suis.

3. O Pater misericordiarum, Pater pietatis & veniarum, nihil sum in conspectu tuæ maiestatis, nihil in veritate tua, nihil in iudicio tuo: quia cùm aliquid essem per gratiam tuam, nihil me feci per peccatum meum: cùm tuus essem per electionem, extraneum me feci per deiectionem. Adiuuet me clementia tua; succurrat mihi bonitas tua: vt per tuam immensam pietatem, de nihilo ad aliquid me reformes, de ingratia ad gratiam, de peccatis ad iustificationem me reuoces, vt mundatus à delictis omnibus, ad te reformatorem meum laudandum, in tuam gloriam venire valeam sempiternam. Amen.

De cognitione sui.

CAPVT XVIII.

1. IGnorans ignorabitur, Domine Iesu Christe, ideò quisque seipsum cognoscere debet, & consideratio illa à seipso inchoari debet. Qui enim plenissimè cognoscere petit qualis est, nimirum respicere debet qualis ipse non est, scilicet attendat se meliores: vt ex ipsorum meliorum forma se metiatur, ex aliorum pulchritudine, suam deformitatem aspiciat, & quàm sit ipse deformis. Lucē enim respicere debet, qui vult iudicare de tenebris: & quantò minus quisque se videt, tantò sibi minus displicet: & quantò maioris gratiæ lumen percipit, tantò amplius se esse reprehensibilē cognoscit. Et quantò in cognitione sui proficit, tantò ad cognitionem tuam accedit. Nec potest aliquis saluari absque sui cognitione: qui tamen ætatem & facultatem habeat se cognoscendi.

2. O miser religiose & omni miseria dignè, qui teipsum non cognoscis! venisti enim de periculo mundi ad tranquillitatem religionis, de labore, ad quietem; de multis miseriis & anxietatibus maximis, ad vitæ dulcedinem. Nihil tibi deest, victum & vestitum habes, & sine sudore & labore, quod in sæculo remanens nequaquam habuisses. vbi semper cum labore, & dolore, cum tribulatione & angustia vixisses. Sed nunc in religione viuendo, illas amaritudines mundi non sentis, & in magna libertate viuis, Deo duntaxat seruiendo. Quare igitur teipsum ignoras? melior & laudabilior esses, si teipsum cognosceres, quàm si te neglecto, cognosceres cursus siderum, vires herbarum, complexiones & naturas hominum & animalium, & haberes omnium terrestrium & cœlestium scientiam. Redde ergo te tibi, & si non semper, sæpe tamen, vel saltem interdum.

3. Sed Domine Iesu Christe, cui religioso nunc loquor? Certè non oportet quod alteri religioso loquar, nisi mihi ipsi: penitus ignoro meipsum. Non consideraui quid sum, cur natus sum, ad quem finem genitus, quare sum factus, qua conditione, ad quam rem sum in sæculo procreatus, ad quid religionem intraui, quid ibi facio, aut feci. Vitia aliorum discutere volui, & mea non aspexi. In maximis criminibus vixi, quæ non considero: & minima fratrum peccata inspicio & condemno. Adiuua me Domine Iesu Christe, vt sic te & meipsum cognoscam, vt ex hac cognitione laudem & gratiarum actionem agam tibi sempiternam. Amen.

De cogintione culpæ.

CAPVT XIX.

1. PRimus gradus perfectionis, Domine Iesu Christe, est cognitio propriæ infirmitatis: & nemo insanabilior est illo, qui sibi sanus esse videtur: & ille solus de flagello murmurat, qui causam percussionis ignorat. Citò enim corrigitur culpa, quæ citò cognoscitur. O benignissime Domine Iesu Christe, tu non requiris in seruis tuis ciliciorum pondus, nec concludi eos vis inter angustias cellulæ, nec in obscuris antris ac tenebrosis sedem iubes habere: hoc solum est quod exposcis à nobis, vt semper recordemur, & ad animum reuocemus nostra mala, & conscientiam gestorum nostrorum in memoria habeamus, vt pro iis à te veniam suppliciter exoremus.

2. Et quamuis per pœnitentiam fiat nostrorum apud te propitiatio peccatorum, non tamen sine metu homo debet esse: quia pœnitentiæ satisfactio, tuo tantum non humano pensatur iudicio. Et quia miseratio tua occulta est, sine intermissione necesse est dolere, nec vnquam oportet pœnitentem de peccatis habere securitatem: nam securitas negligentiam parit, negligentia verò semper incautum ad vitia transacta reducit. Et ideò sapiens religiosus, si epuletur, si cogitet, si oret aut deprecetur, ante oculos eius semper sunt peccata propria ponenda, vt momentis omnibus pœniteat, pulset conscientiam, nec quiescere, nec obliuisci seipsam sinat: quia nullum inuenitur tale delictorum remedium, sicut eorum continuata memoria: magnaque virtus boni, est agnoscere malum, & firma tutela salutis, est scire quæ fugias.

3. O misericordissime Domine Iesu Christe, ego miserabilis religiosus, alios doceo quibus procurent salutem animarum suarum, & tibi placeant, & illa in meipso adimplere non curo, sed negligo, & sic meipsum condemno. Nihil enim peius est quàm pœnam agnoscere, nec deflere. Adiuuare me digneris, clementissime Domine Iesu Christe, & da mihi veram & perfectam peccatorum meorum cognitionem, de quibus pro virili meo satisfaciam tibi prudenter tuo auxilio circa futura prouideam, ne in

illa incidam, ſed viriliter eis reſiſtam tua gratia adiutrice, & conceſſa omnium peccatorum venia ad regnum laudis tuæ perueniam ſempiternum. Amen.

De ſecuritate.

CAPVT XX.

1. NEmo ſecurus eſt, Domine Ieſu Chriſte, in iis quæ poteſt inuitus amittere. In hac vita nemo ſecurus eſſe poteſt, quæ tota tentatio nominatur: mater enim negligentiæ, eſt ſecuritas: & frequenter quem certamen tentationis ſuperare non poteſt, ſecuritas deiicit: & quantò quiſpiã virtutibus creſcit, tanto magis timere debet ne de ſublimibus corruat. Innitatur tibi, qui dicis: Sine me nihil poteſtis facere. Vnde nec ſurgere ad bonum, nec perſtare in bono quis poteſt, ſine te, Domine Deus meus. Ergo qui ſtat, gloriam tibi dare debet, & tibi inniti: vt pericula quibus circumdatur euadat: nam ab infimis timor nocturnus inſurgit, à ſiniſtris ſagitta volat in die, à dextris perambulat negotium in tenebris, & vt nihil ſit vacuum, à ſummis dæmonium meridianum.

2. Sed miſer & miſerabilis religioſus, tot vicinis ſerpentibus, & igneis telis vndique volantibus, & inſurgentibus inimicis circumdatus, nihilominus pernicioſiſſima ſecuritate dormitat, torpet otio, & piger eſt ad ſpiritualia exercitia, ac ſi pax ſibi eſſet & ſecuritas, & non eſſet militia vita hominis ſuper terram. Nimia certè ſecuritas, tempeſtas eſt, & maximum animæ detrimentum: & ideò ſancti viri ſic de ſpe ſunt certi, vt tamen ſemper ſint de tentatione ſuſpecti. Si igitur bonus religioſus & deuotus eſſe deſideras, ſollicitus, atque ſpiritu feruens: caueas ne de tuis, quæ nulla ſunt, confidas meritis, nec tuis operibus innitaris, neque tutam de teipſo ſecuritatem ſuſcipias: alioqui tuus animus gratia vacuabitur, immò gratia in tuo animo locum non inueniet. Multos namque impedit à firmitate, præſumptio firmitatis.

3. O benigniſſime Domine Ieſu Chriſte, fatuus religioſus ſemper fui, immò magis præſumptuoſus, quia de me, & factis, & dictis meis temerariè præſumpſi, & in eis ſecuritatem locaui, & de meis meritis inaniter confiſus ſum. Nunc autem, piiſſime Domine, cognoſco me perperam egiſſe, & perditè vixiſſe: ideò ignoſci mihi à miſericordia tua peto. Parce mihi miſericordiarum Deus, da gratiam vt vitam meam, ad tuum placitum emendem, & ſecurus perueniam ad magnificandam gloriam tuam ſempiternam, Amen.

De insidijs diaboli.

CAPVT XXI.

1. NOn possunt, Domine Iesu Christe, spiritus immundi, cogitationum nostrarum attingere profunditates: sed insidiis sensibilibus eas forinsecùs colligunt, id est, aut ex nostris dispositionibus, aut ex verbis, & studiis, in quibus propensiores nos perspexerint inclinari: quia ad illas quæ nondum de penetralibus animæ prodierunt, penetrari non possunt, sed solùm ad illas quæ ex moribus, atque indiciis exterioris hominis deprehendunt. Intuetur igitur hostis humani generis, mores cuiuscunque præcipuè religiosi tuo seruitio dediti, cui vitio sit propinquus: & illud proponit ante faciem eius, ad quod cognoscit mentem eius faciliùs inclinari: vt cùm viderit eum telum libidinis patienter, aut stimulos carnis suscipere, aut oculos libenter in pulchram mulierem iniicere, aut cum ea, vel de ea libenter loqui audierit, statim intelligit libidinis iaculum defixum esse in eius mente. Si verò cibos curiosiùs parare aliquem viderit, & de hora comedendi solicitiùs inquirere: cognoscit hoc iudicio, desiderium gulæ fuisse susceptum: si autem viderit quemquam infremuisse tacitum, aut cum indignatione suspirasse, seu vultum quodam pallore ac rubore mutasse; tristitiæ, iræ & furoris vitium continuò intelligit in eo regnare. Et hoc pacto, subtiliter, cui vitio sit quisque deditus, comprehendit. Illo namque vitio vnumquemque delectari certa ratione comprehendit, ad cuius instigationem mox quodam nutu vel motu corporis, consensum conuenientiamque ab eo præstitam fuisse peruiderit.

2. Vnde licèt tu, benignissime Domine Iesu Christe, sis non solùm immissor, sed etiam factor, & impulsor bonarum rerum: tamen hostis humani generis, licèt sit malarum tentationum suggestor, non est tamen compulsor. Non enim potest aliquem compellere vt consensum præbeat tentationi suæ, sed tentatus pro libito suæ voluntatis consensum illi præbere potest; de quorum numero sum ego miserabilis religiosus, benignissime Domine Iesu Christe, qui hostibus meis frequenter consensi, & amplius consensissem, nisi tua pietas meum animum retraxisset. Adiuua me, misericordissime Domine, & defende me clementer ab inimicis meis, ne eis consentiam, sed eis tua in virtute resistam, & tibi seruiam nunc & in sempiternum. Amen.

De resistendo hostibus.

CAPVT XXII.

1. LAqueum nostrum gestamus, & inimicum proprium portamus, Domine Iesu Christe, scilicet carnem de peccato natam, in peccato

nutritam, praua consuetudine vitiatam: hac vtitur ad impugnandum nos hostis humani generis, cui nullum aliud desiderium est, nullum studium, nisi fundere sanguinem animarum: & ideò iugiter machinatur malum, illicitos motus suggerit, nefarias cogitationes inflammat; mouet ad iram, parit odium & rancorem; gulam incitat; carnis desideria instigat, & corda hominum tentare non cessat: vnde vbi vehementior instat ad tentandum, ibi decet magis esse studiosum ad resistendum, & repugnandum: nam ibi grauior vrget necessitas, vbi totum belli imminet pondus, ibi paratur aut victis ignominiosa & damnabilis captiuitas, aut vincentibus triumphalis gloria: callidissimus enim & tortuosus serpens, superna & æterna nobis conatur auferre: non tamen vt sibi cedat ad bonum, quod irreparabiliter amisit. Sed ne illuc pauper de puluere suscitatus accedat, vnde ipse in gloria conditus irreparabiliter cecidit. Vnde indignatur, & liuore tabescit, dum videt humanam naturam, & fragilem, accipere per gratiam, quod ipsa non meruit, quod perdidit per iustitiam Hæc est tota colluctatio ipsius, Domine Deus meus, vt nos seducat, & inducat in vias suas, & perducat ad destinatum perditionis finem: qui paratus est sibi. Sed quoties ei resistimus, & eum superamus, te honoramus, & angelos lætificamus. Tu namque instruis, nos, vt pugnemus; adiuuas; vt vincamus, deficientes subleuas, & vincentes coronas: & cùm ei viriliter resistimus, confusus recedit, nec tam libenter iteratò reuertitur.

2. O misericordissime Domine Iesu Christe, bella me premunt hostilia, percutit, & infestat me vndique perfidus inimicus sine temporis interpolatione, vt à tua gloria me repellat, & secum protrahat in damnationem. Sed tu, piissime Domine Iesu Christe, qui tuo pretioso sanguine me misericorditer redemisti, & eius potestatem debilitasti, & qui per ingressum religionis ad tuum seruitium me vocasti, non permittas quod ei consentiam, sed da vt ei resistam, tibi adhæream, tibi iugiter seruiam, & in hoc ipso tecum permaneam in sempiternum. Amen.

De castro animæ religiosi.

CAPVT XXIII.

1. Vita religiosi, benignissime Domine Iesu Christe, à corde procedit dupliciter: aut quia corde creditur ad iustitiam, & iustus ex fide viuet, & mundo corde te Domine videbit: aut quia tu qui nunc per vitam habitas in cordibus nostris, vita nostra eris cùm apparebis & nos tecum in gloria, & qui nunc lates in corde, tunc de corde ad corpus procedes configuratum corpori claritudinis tuæ.

2. Vulgo dicitur, bonum castrum custodit, qui corpus suum custodit: immò veriùs dicitur, quia vile sterquilinium custodit, qui corpus suum custodit: quoniam qui seminat in carne, de carne metet corruptionem. Qui verò in spiritu, de spiritu metet benedictionem. Castrum igitur animæ

animæ magis est custodiendum: quia ab ipso vita procedit: sed hoc castrum in terra inimicorum est, & vndique impugnatur. Ideò est omni custodia conseruandum, & omni ex parte, inferiùs, superiùs, ante & retrò, à dextris & à sinistris muniendum. Inferiùs, impugnat concupiscentia carnis: quia caro concupiscit aduersus spiritum. Superiùs, imminet tremendum iudicium. Retrò, mortifera delectatio ex recordatione præteritorum delictorum. Ante, instantia tentationum. A sinistris, arrogantium fratrum inquietudo. A dextris, obedientium fratrum feruor & deuotio: & hoc duobus modis, aut bonis actibus inuidendo, aut singularem eorum gratiam æmulando: ergo contra carnem, per fidelem custodiam ipsius castri, rigor vigilet disciplinæ. Contra iudicium tuum, remedium confessionis: contra delectationem ex memoria peccatorum, frequentia lectionis. Contra tentationes, orationis instantia. Contra fratrum inquietudinem, patientia & compassio. Aduersus obedientium fratrum feruorem, congratulatio, & discretio. Congratulatio enim expellit inuidiam & discretio nimiam æmulationem.

3. O misericors & miserator Domine Iesu Christe, ego negligens & desidiosus religiosus, castrum animæ meæ non custodiui: sed omni ex parte inimicos meos intrare permisi, qui illud spoliarunt omnibus bonis gratiæ tuæ: & ego sic miserabilis religiosus, nudus & spoliatus omnibus virtutibus remansi, & omni genere vitiorum stipatus. Conforta me Domine Iesu Christe, & expelle ab hoc castro aduersarios meos. Da mihi arma virtutum quibus sollicitè castrum valeam custodire, munitus à te & protectus: animam tibi reddam ab omni vitio illibatam ad voluntatem tuam perenniter faciendam. Amen.

De vestibus.

CAPVT XXIV.

1. SCio, piissime Domine Iesu Christe, religiosum vt militem tuum in procinctu belli semper propositum: ideò accinctum lumbis oportet eum incedere: hoc enim habitu etiam illos ambulasse qui in veteri testamento professionis huius fundauerunt primordia, vt nonnulli sentiunt. Heliam scilicet, & Helisæum, diuinarum scripturarum authoritate monstratur: & deinceps principes noui testamenti, Ioannem videlicet, Petrum & Paulum, cæterosque eiusdem ordinis viros, taliter incessisse cognouimus. Vnde vestis boni religiosi debet esse, quæ corpus contegat tantùm, ac repellat verecundiam nuditatis, & frigoris retundat iniuriam, non quæ seminaria superbiæ, aut elationis enutriat, Apostolo dicente: Habentes autem alimenta, & operimenta, id est, quæ corpus operiant tantùm, non quæ aliqua gloria blandiantur.

2. O benignissime Domine Iesu Christe, ego impiissimus religiosus præmissa considerans in meipso, funditus contempsi: & more superbientium,

& vana quærentium, quæsiui vestes, non quæ mihi vtiliores erant ad induendum, sed quæ subtiliores, non quæ frigus repellerent, sed quæ superbire compellerent, ac quæ alijs exemplum malæ ædificationis præstarent: pannum quæsiui non vilem, non grossum, sed pretiosum & delicatum: non asperum, sed mollem: non modici, sed magni sumptus, consumens inutiliter & superbè, quæ cum humilitate pauperibus debebam erogare: non quæsiui ad vtilitatem & necessitatem, sed ad voluptatem, & vanam superfluitatem: plus volui ornare miserabile corpus vestibus, quàm animam virtutibus, pulchrior volui apparere exteriùs quàm existere interiùs, quæsiui extrinsecus colorem, & intrinsecus perdidi decorem. O vanitas insatiabilis, vanitas vanitatum! ad humilitatem religionis fui misericorditer assumptus, & ad vanitatem sæculi sum relapsus: immò magis pomposo habitu in religione vixi, quàm viuere potuissem etiam, si voluissem, in statu sæculi.

3. Corripe me Domine Iesu Christe, in misericordia tua, & non in furore tuo, ne fortè ad nihilum reducas me. Aufer à me extollentiam istam: ac donare mihi digneris tuam gratiam. Conuerte cor meum ad beneplacitum tuum, & sicut mutatus sum exteriùs per habitum, sic mutare me in melius digneris, interius per augmentum gratiarum, & virtutum, vt tuum regnum consecutus, te laudare valeam in sempiternum. Amen.

De visu.

CAPVT XXV.

1. RAptores animæ sunt oculi incauti, mitissime Domine Iesu Christe, non enim Eua lignum vetitum contigisset, nisi priùs incautè respexisset. Oculi namque multorum religiosorum in lasciuia & tepiditate mentis viuentium, incautè hinc illinc iaculantur. Isti sunt quasi fenestræ, per quas latrunculi, id est, tentationes, intrant ad animas: & sunt foramina, per quæ fures, id est, dæmones, intrant ad prædandam animam, sicut scribitur: Oculus meus deprædatus est animam meam: quia constat quòd per oculum indiscretè respicientem venenum tentationis illabitur, per quod mors consensus & operis sequitur, per quæ tunc anima misera à gratiis tuis spoliatur.

2. Isti sunt oculi basilisci, qui interficiunt quidquid vident. Isti sunt oculi bufonum, qui quamuis sint pulcherrimi, sunt tamen non parum venenosi, qui licèt videantur habere magnam luminositatem; fugiunt tamen diem & claritatem, & diligunt noctem & obscuritatem: sic oculi prauorum religiosorum, diem, id est, proborum hominum præsentiam fugiunt, & obscuritatem & solitudinem semper quærunt, fitque eorum oculus in spiritualibus negotiis cæcus, & quantò magis respiciunt ad terrena limpidiùs, tantò magis ad spiritualia cæci efficiuntur. Ideò non licet intueri, quod non licet concupisci, hoc enim est fœdus quod pepigit Iob cū oculis,

suis ne incautus aspiceret, quod postea inuitus amaret. Periculosè namque is ministrat alicui, cuius aspectus vel faciem libenter attendit: nam impudici oculi non norunt animæ, sed corporum pulchritudinem considerare. Vnde qui vult esse à peccati immunditia tutus, sit in visione discretus: quia oculi, præsertim religiosorum otiosorum, vitia administrant, & multa deuia, cor postea ad multas concupiscentias inducentia.

3. O misericordissime Domine Iesu Christe, adiuuare me digneris: quia oculi mei fuerunt, & sunt incitamenta vitiorum, & duces multorum scelerum: & sic mihi modicum profuit corporis integritas: quia oculorum concupiscentias euitare nolui. Sed pietatem & misericordiam tuam suppliciter oro, vt peccata mihi remittas, & oculos meos ad beneplacitum tuum semper dirigas, vt te in tua æterna gloria videam, & sine fine laudem, & gloriam tuam concinam. Amen.

De ignorantia suiipsius.

CAPVT XXVI.

1. De ignorantia tuiipsius, ô religiose, nascitur superbia: quia ignorantia tuiipsius parit tibi superbiam, cùm meliorem quàm sis, decepta & deceptrix cogitatio tua te esse mentitur. Hoc siquidem est superbiæ, hoc initium omnis peccati, cùm maior es in oculis tuis, quàm apud Deum in veritate. Si enim cognosceres in quo statu te habeat Deus, vtique cognosceres teipsum: nunc autem quia absconditum est tibi, quia nescis si dignus sis amore vel odio tutius tibi est nouissimum locum eligere, de quo postmodum cum honore superiùs ascendas, quàm præsumere altiorem, vnde mox oporteat cum rubore cedere. Non est tibi ergo aliquod periculum, quantumcumque te humilies, quantumcumque te repute minorem quàm sis, id est, quàm se veritas habeat. Est autem grande malum, horrendumque periculum, si etiam vni te præferas in tua cogitatione, quem fortè parem tibi veritas iudicat, aut fortè superiorem: & ideò noli te comparare maioribus, noli minoribus, noli aliquibus, noli vni.

2. Scias tantùm & cognoscas teipsum, quia talis scientia non inflat sed humiliat, & est quædam præparatio ad ædificandam veram, quæ solius Christi est, religionem. Nisi enim super humilitatis stabile fundamentum, spirituale ædificium stare non potest: ad te autem inueniendum, nihil inuenire valentiùs potes, quàm si teipsum in veritate inueneris, & non dissimules, nec sit in spiritu tuo dolus. Inuenies enim te oneratum peccatis, mole huius corporis mortalis grauatum, terrenis intricatum curis, carnalium desideriorum fæce infectum, cæcum, curuum, infirmum, expositum mille periculis, mille timoribus trepidum, mille difficultatibus anxium, mille suspicionibus obnoxium, mille necessitatibus ærumnosum, procliuum ad vitia: & sic de cognitione tui, mater salutis humilitas oritur.

3. O benignissime Domine Iesu Christe, peccata omnia mihi iniquissimo religioso ostendisti, me docuisti, & ad exequendum inspirationes dedisti: sed tanta fuit duritia cordis mei, quòd meipsum cognoscere neglexi, cognoscere me nolui, sed maioribus & minoribus me prætuli, & illos, me præferendo, spreui. Adiuua me, Domine, & ignoscere mihi digneris: & sicut cognitionem misericorditer mihi dedisti: sic concede vt ad effectum eam perducam, vt te cum gratiarum actione, sicuti es, cognoscam in gloria sempiterna. Amen.

De vigilia obseruanda.

CAPVT. XXVII.

1. SVper omnia vigilare debet, Domine Iesu Christe, bonus ac deuotus religiosus in tuo timore viuens, & maximè vigilare debet super opera sua: vt nullo modo omittat quod sibi per te præceptum est, aut per regulam, aut per superiorem suum: vigilet etiam, vt quod sibi prohibitum est, non committat. Vigilare insuper debet tota mentis solicitudine, super verba sua, ne in eis sit aliquid quod tuam maiestatem offendat, aut fratres, aut alios proximos lædat, aut exemplum perniciosum murmurationis, & malæ ædificationis in cordibus audientium præbeat.

2. Vigilare etiam debet super cor suum: cui sanè, omnem iam custodiam exhibere Sapiens monet: quia ex ipso vita procedit. Vigilare etiam debet super affectiones suas, & cogitationes, & vigilanter intendere, ne fur nocturnus eas surripiat. Tu Domine, ex immensa pietate illum præuenias, miscendo cogitationes bonas & affectiones vtiles, & malas immutes. Ministras enim bonis affectionibus & cogitationibus, operandi facultatem. A te fit sine dubio, nostræ salutis exordium: sola tua gratia excitas liberum arbitrium, cui seminas cogitatum: sanas, cùm mutas malum affectum: roboras, cùm perducis ad effectum: & seruas, ne sentiat defectum. Vigilare itaque debet super prædictis, si humilis ac deuotus religiosus esse cupit: ne illa per negligentiam perdat aut per incuriam: quia aduersarius humani generis, tanquam leo rugiens circuit vt in anima, & in corpore deuoret, & secum trahat pariter ad gehennam.

3. O misericordissime Domine Iesu Christe, quid dicam, aut quid faciam ego sceleratissimus religiosus, qui non vigilaui sed dormiui? ideò facta mea & opera, praua & iniqua fuerunt: quia nec præcepta adimpleui, nec prohibita facere omisi: verbis meis pessimis te frequenter offendi, & proximum meum multipliciter læsi, super cor meum non vigilaui, sed ipsum ad illicita & inhonesta vagari permisi. Succurre mihi piissime Domine Iesu Christe, & vigilare digneris misericorditer super me, quia tu es qui non dormis neque dormitas: custodi igitur me, vt tecum in perpetua laude tua vigilem in æternum. Amen.

De debito reddendo.

CAPVT XXVIII.

1. IVstitia, Domine Iesu Christe, est virtus, ius suum cuique tribuens: vnde religiosus in sua religione, tribus principaliter obligatur, scilicet suo superiori, æquali, & inferiori. Prælato, & superiori, tenetur reddere reuerentiam & obedientiam, quarum altera cordis est, & altera corporis, nec sufficit exteriùs obtemperare maioribus, nisi ex intimo cordis affectu id sentiant. Tenetur reddere æqualibus, scilicet fratribus, & inter quos viuit, consilium & auxilium. Consilium, quo eorum ignoratia erudiatur, & auxilium, quo eorum infirmitas adiuuetur: sed nullum consilium melius est, quàm exẽplo docere fratrem quæ oporteat, & quæ non oporteat, fieri, prouocando eum ad meliora, & consulendo non solùm verbo & lingua, sed opere & veritate. Tenetur etiam inferiori reddere castigationem, non dissimulet redarguere cum charitate & amore culpas eius, & nullum ei offendiculum ponat sed omnes occasiones scandalorum penitùs amoueat.

2. Sed adhuc, Domine Iesu Christe, debitor est corpori proprio, quod regendum & gubernandum suscepit spiritus eius: debet namque illi sollicitam custodiam, vt à peccato caueat: & disciplinam, vt quod incautè & malè commisit, non remaneat impunitum: debet corpus custodire, vt non regnet in eo peccatum, neque membra eius fiant arma iniquitatis: debet etiam ei talem disciplinam, vt castigatum & subditum seruituti, dignos faciat pœnitentiæ fructus. Longè tamen periculosiori & grauiori debito tenetur astrictus, qui pro multis animabus redditurus est rationem.

3. O benignissime Domine Iesu Christe, ego miser religiosus, ex istis meipsum condemno, qui in religione manens, & sciens me debitorem & prædictis obligatum, debitum nulli persolui, & si aliquoties persolui, solutio non processit ex affectu interiori. Ignoscere mihi digneris misericordissime Domine Iesu Christe, & concede, vt quæ malè hactenus omisi, in futurum emendem, & debitoribus meis affectu ex corde bono satisfaciam: si religiosè viuam, vt tibi placeam, honorem & cultum tibi debitum, in vitam sempiternam tibi reddens. Amen.

De irreprehensibilitate.

CAPVT XXIX.

1. COram te, benignissime Iesu Christe, religiosus verus debet se irreprehensibilem exhibere, & etiam coram hominibus: coram te, cogitatione, affectione, & intentione, vt cogitatio sit sancta, affectio pura, & intentio recta. Et hæc consistunt in anima, in potentiis distinctis; nam

cogitatio est in memoria, affectio in voluntate, & intentio in ratione. Impossibile enim est quin se menti ingerat cogitatio: sed bonus religiosus dum cœpit mala cogitare, debet quamprimum cogitationem interficere, & elidere ad petram, id est, ad Christum: quia quantumcumque immunda sit cogitatio, mentem non polluit, si voluntas affectum non præbet, aut ratio non consentiat: quod si voluntas iam sensu delectationis afficitur, resistit tamen adhuc deliberatio rationis, infirmatur quidem, sed nondum moritur anima: tunc enim mori dicitur, quando & ipsa ratio ad peccatum per intentionem curuatur: in memoria namque & voluntate non ita est intolerabile, si memoria recipiat quandoque vagam cogitationem, vel voluntas impuram affectionem: sed hoc grauissimum est & omnino damnosum, si ratio perdat intentionis rectitudinem.

2. Debet insuper bonus religiosus se irreprehensibilem exhibere coram hominibus, habitu, actione, & sermone. Habitu namque, ne sit notabilis sed humilis: quia summa religiosi virtus, est humilitas, & summum vitium, superbia. Tunc autem religiosum se quisque iudicet, cùm se tanquam minimum existimauerit. Actione autem, ne sit reprehensibilis: sed omnis eius actio & operatio, sit obedientia, meditatio in diuinis: & vt non iudicet alterum, non obloquatur, non murmuret, nec delectetur audire malum, quia scriptum est: Qui diligitis Dominum, odite malum. Sermone etiam se debet irreprehensibilem exhibere; ne sit sermo contemptibilis. Multum vtilitatis affert animæ sermo diuinæ scripturæ, si corde & auribus audiatur. Intellectum namque mentis erudit, & à mundi vanitatibus religiosum abstrahit, & ad diuinum amorem illum perducit.

3. O misericordissime Domine Iesu Christe, ego miser religiosus, vnum loquor, & aliud facio: nam coram te exibeo me reprehensibilem, cogitatione, affectione, & intentione: & coram hominibus, habitu, actione, & sermone. In omnibus autem cogitationibus meis, dictis, & factis, & operationibus meis reprehensibilis sum, & damnabilis: nisi tua misericordia mihi misero succurrat, quæ in me sic dignetur exuberare vt vita mea dignè emendetur, ad gloriam tuam sempiternam. Amen.

De variis cogitationibus præcauendis.

CAPVT XXX.

1. TEmplum tuum, Domine Iesu Christe, est mens cuiuscumque fidelis qui seipsum penitùs abnegando, tollit crucem & sequitur te. Ideò omni solitudine illi cauendum est à tribus generibus cogitationum, videlicet, à cogitationibus otiosis & ad rem nihil spectantibus, quæ tam facilè possunt abiici quàm recipi, dum secum habitet in corde suo, & assiduè tibi assistat dominatori vniuersæ terræ.

2. Ex illis namque cogitationibus nisi subitò reprimantur, insurgunt aliæ violentiæ & magis ac fortius cordi inhærentes, quæ ad necessitatem

naturæ non pertinent, quæ si paululùm creuerint, sine læsione auelli nequeunt, vt sunt cogitationes carnales, videlicet de cibo & potu, de vestimentis, de familia, de statu proprio, & similibus: tales vix à corde eradicari possunt: sed sub clypeo necessitatis, honestatis, gradus & status palliantur, & iudicium iustum & verum impediunt: adeò vt credit iustè cogitare, quæ importunè & absque ratione ingerit praua caro: & sic à spirituali cogitatione inconsultè segregatur animus, & mundanis cogitationibus occupatur: quia qui sic in mundo & in mundanis versatur, consurgit sæpe & resultat ei immundissima & fœdissima cogitatio, quæ ad libidinem, inuidiam, iram, & vanam gloriam, & ad alia vitia & peccata pertrahit. Ideò, verus religiosus, qui parare desiderat templum tuum, quantum potest fieri, debet à talibus alienus esse, & multa indagatione occurrere & contrauenire, vt nullum eis det accessum.

3. Sed misericors Deus misereri mihi digneris: quia iniquus religiosus semper vixi, non parando tibi templum in corde meo, sed sic ipsum impleui prædictis omnibus & singulis cogitationibus, quòd te expulso templum paraui inimicis meis, qui me deducet ad supplicia æterna, nisi misericordia tua mihi misero benignè subueniat, quæ dignetur clementer à corde meo expellere malignas cogitationes, & immittere tibi placitas: vt hîc mecum habites per gratiam, & in futuro per gloriam tuam sempiternam. Amen.

De tribus metuendis in præsenti.

CAPVT XXXI.

1. TV religiose, qui ad contemplationis quietem renuis venire, cuius oculus interior tenebris peccatorum, memoriâ delectabili ipsorum, & curâ nimiâ terrenorum excæcatur: velis omni sollicitudine, tria nouissima memorari; quæ sunt, mors, iudicium, & gehenna: quia nihil horribilius morte, nihil terribilius iudicio, & nihil intolerabilius gehenna, potest cogitari: nihil autem metuis, si ista non formidas & non expauescis; planè cæcus es, & dux cæcorum: ligatum te aduersarius humani generis tenet, vt non valeas respirare, neque compati tibi Christus.

2. Constat tibi indubitanter quòd in morte, non magnum, non paruum aliquid de bonis huius mundi tecum feres. In iudicio autem, fallere aut resistere nulli possibile erit. In gehenna penitùs nulla consolatio est, sed perpetuum væ, vlulatus, fletus, & stridor dentium. Time ergo religiose, quòd in morte separandus es ab omnibus bonis huius mundi, & tam dulce carnis & animæ vinculum, amarissimo diuortio est secandum. Time quòd in terribili iudicio ei præsentandus es; in cuius manus horrendum est incidere, & eo examinante quem nullum latet secretum, si inuenta fuerit in te iniquitas, ab vniuersa quiete & gloria excludendus es, & à perpetuo sanctorum consortio. Time etiam quòd in gehenna propter peccata tua,

cruciatibus æternis & immensis exponendus es, in sorte diaboli & Angelorum eius, in igne æterno qui præparatus est eis. Purifica igitur oculum interiorem, & dispone te diuinæ contemplationi, vt timores prædictos & eorum affectus valeas euitare.

3. O misericordissime Domine Iesu Christe, mihi ipsi & non alteri religioso hæc loquor, qui religiosus sum, & inter cæteros religiosos pessimus, qui licèt mortem ad memoriam reducam, tamen tuum terribile iudicium non timui, neque gehennam infernalem expaui, sed in peccatis voluptatibusque corporis miserum tempus meum consumpsi. Succurrere mihi digneris, piissime Deus, per tuam infinitam clementiam: & remitte mihi misericorditer omnia peccata mea, & concede, vt te contempler, te amem, te timeam & laudem, tibique seruiam in sempiternum. Amen.

De patientia infamiæ & detractionis.

CAPVT XXXII.

1. PAra te religiose ad patientiam habendam, si in religione benè & laudabiliter vis viuere & esse Christi seruus: quia cùm cœperis benè viuere, feruere bonis operibus, mundumque contemnere, in ipsa voluntate bonorum operum habebis reprehensores & contradictores, qui te dicent impudicum, aut aliis vitiis irretitum, & libenter in tuis detractionibus commorabuntur. Nam maleuolæ animæ dulce sapit, quod pessimè suspicatur, tu autem diligenter aduertas, si propter laudes humanas, continentiam & alias virtutes suscipere voluisti, si talis fuit intentio tua, defecisti, humanis reprehensionibus dignus, & totum quos tibi proposueras perdidisti. Si autem cum Apostolo dicere nosti, Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ: ex reprehensione & detractione, fructus operis tui non minuetur, sed potiùs augebitur.

2. Discas igitur si sanctè & iustè cupis viuere, calumniam sustinere. Nam Susanna castimoniam vitæ propriæ prætulit, nec vitæ dispendium pertulit, & gloriam castitatis retinuit. Nam falsus rumor Deo volente citò opprimitur, & vita posterior iudicat de priore: non enim potest aliquis pertransire hæc vitæ curricula, absque morsu & detractione malorum hominum, quorum solatium est, bonos & in via Dei ambulantes carpere, putantium minuere culpas peccatorum suorum, multitudine peccantium. Nulla igitur aduersitate frangaris: sed pro veritatis defensione voluntarium certamini te offeras: nec vnquam pro bonis operibus exercendis, pœnas & tribulationes sustinere renuas: quia in te operabuntur erga Deum acceptationem, & ab elatione, quæ frequenter in bonis operibus se immiscet, te præseruabunt, & tibi cedent ad augmentum & cumulum gloriæ.

3. O misericordissime Domine Iesu Christe, ego infelicissimus religiosus in religione ignominiosam vitam duxi: quia in peccatis & vitiis diuersis

animam meam contaminaui, & si quandóque te inspirante aliqua bona egi, statim in superbiam animam eleuaui, nec contradicentes mihi sustinere potui: quin statim ad impatientiam prouocatus, in verba contumeliosa prorupi, aut saltem indurato animo illa retinui. Misereri mihi digneris, piissime Domine Iesu Christe, quia sic ex magna malitia tibi peccaui: mollifica cor meum lapideum, & da clementer patientiam in aduersis, vt ad beneplacitum tuum viuam nunc & in perpetuum. Qui viuis & regnas in æternum, benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

Primi libri Idiotæ finis.

IDIOTÆ
DE
RELIGIOSORVM STATV.
LIBER SECVNDVS.

De obedientia.

CAPVT I.

1. SICVT clementissime Domine Iesu Christe, Deo Patri tuo obediens vsque ad mortem fuisti: ita religiosus debet esse obediens tibi in suo prælato, quem pro te posui super caput suum, & cuius imperio tamquam tuo se subiecit. Propria namque virtus religiosorum est obedientia: quia propriæ voluntati renuntiant, & voluntati suorum prælatorum, id est tuæ, in suis prælatis omnino se summittunt. Dant tibi in eis suum velle, & suum nolle: moram nesciunt, nec mandatum procrastinant; parant aures auditui, oculos visui, linguam voci, manus operi, pedes itineri, & toti se colligunt, vt ex toto mandatum impleant imperantis.

2. O benignissime Domine Iesu Christe, dum meipsum cogito cogitatione profunda, respicio me religiosum prauum & iniquum: religiosum quidem habitu, & non actu, inobedientem, peruersum, superbum, durum, & rebellem. Non dixi prælato; Domine quid vis vt faciam tibi: sed potiùs expectaui, vt diceret mihi, quid à me vis tibi fieri? Considerare nolui quæ erat voluntas prælati, & discernere ac iudicare in quibus obedirem imperanti: & sic non fuit obedientia mea, plena: quia in omnibus licitis & honestis non fui paratus obsequi præcepto ac voluntati superioris, nec per omnia sequi propositum eius. Immò quòd grauius & deterius est mihi nefandissimo religioso, non fui etiam paratus obedire voluntati tuæ, Domine Iesu Christe, qui non tuam, sed Dei Patris veneras facere voluntatem. Sic enim ego nequissimus religiosus, sic irreligiosè viuere volui, vt meam propriam ferè semper adimplerem voluntatem, & meis contradicerem superioribus, ac inobediens essem, & cæteris fratribus exemplum peruersum damnationis æternæ ostenderem.

3. Adiuua me Domine Deus meus, per tuam infinitam & immensam misericordiam, sine qua me prauum religiosum, rebellem & inobedientem; damnatum me sentio iustissimè in æternum. Succurrat igitur tua bonitas, auxilietur tua pietas, suppleant mea demerita, tuæ beatissimæ ac salutiferæ passionis merita: & non ponderatis meis inobedientiis & peccatis, veniam mihi concedas, & vitam in tua laude sempiternam. Amen.

De gradibus obedientiæ.

CAPVT II.

1. PArum bonus gradus obedientiæ est, Domine Iesu Christe, si religiosus obediat suo superiori propter metum gehennæ, deinde si propter professionem per ipsum factam & quam professus est: sed longè melior est gradus obedientiæ ipsius, si ex tuo amore obedit: quia prima obedientia seruilis est, & secunda necessitatis est, illa autem charitatis. Ille autem bonus gradus obedientiæ est: cùm eo animo opus iniunctum recipitur, quo & præcipitur. Cum enim ex voluntate iubentis pendet intentio exequentis: fit vt nec maius minoribus, nec minus maioribus confusè (vt assolet) ad implendum quod iniungitur subiecti studium impendatur, sed moderante animo quæque pro sua dignitate imperia, modum sciat seruare, tam in obseruando videlicet iussa, quàm in cauendo prohibita: non quòd minimum horum quæ iubentur contemnendum putet ipse religiosus: nec tamen minimum quòd minimum est reputet, sed minimum ex comparatione maiorum.

2. Nouit verus & humilis, ac obediens religiosus, & minima non contemnere, maximéque curare quæ maxima sunt, intimo quodam deuoti animi sapore decernens quodlibet, mandatis eius qui præest, Christum

in eo attendens, suis quodammodo factis respondere. Nam perfecta obedientia legem nescit, terminis non arctatur, neque angustiis professionis continetur: largiori voluntate fertur in latitudinem charitatis, & ad omne quod iniungitur, spontaneo vigore liberalis ac alacris animi, modum non considerans, in infinitum liberalitatem extendit. Est sanè quidem obedientiæ limes secundùm tempus, ipsa temporis extremitas: vt ille sit terminus obedientiæ, qui & vitæ. Tu enim Domine Iesu Christe, vsque ad mortem obediens fuisti Deo Patri: & ne perderes obedientiam, perdidisti vitam, neque dabit tantus obedientiæ tuæ amor, inobedienti copiam sui, qui mori plus quàm non obedire maluit.

3. O misericordissime Domine Iesu Christe, digneris mecum misericorditer agere: quia à iuuentute mea religionem intraui, & professionem publicè feci, quam perperam seruaui: quia inobediens meis superioribus semper fui, saltem animo. Ignoscere mihi digneris per tuam piissimam bonitatem, & concede mihi veniam delictorum meorum: vt tibi obediam per infinita sæcula sæculorum. Amen.

De Castitate.

CAPVT III.

1. VIrtus spiritualis & laudabilis, Domine Iesu Christe, ad cuius obseruantiam astringitur verus religiosus, est florida & amanda castitas: quia sicut apes quæ gregatim in eodem alueari morantur perpetuam castitatem seruant, & nunquam cohabitatione inquinantur: sic viri religiosi qui pariter in eodem claustro conuersantur, debent perpetuam seruare castitatem, omnia immunda & carnalia fugere, & nunquam se per carnis vitium maculare, quia scriptum est: Religio munda & immaculata apud Deum hæc est, immaculatum se custodire.

2. Quia hæc virtus est ornamentum nobilium, & exaltatio humilium, decus ignobilium, pulchritudo visuum, solamen mentium, augmentum pulchritudinis, decor religionis, minoratio criminum, multiplicatio meritorum, amica creatoris omnium. Hæc lasciuiam vincit, petulantiam calcat, & omnem impudicitiam detruncat, hominem cœlo iungit; & ei regnum cœlorum promittit. Hanc verus religiosus amare debet, tam in corpore quàm in corde, & ostia claudere sensuum corporalium, semper solicitus esse de custodia ipsius, semper de eius amissione pauere & timere: præsertim quia incontinentia iugiter ei prælium indicit, nec lentescit: sed continuè insidias parat: tantæ enim improbitatis est, quod vbique se ingerit. Reserat namque palatia principum, penetrat cameras prælatorum, possidet aulas clericorum, subuertit solitudines contemplatiuorum, rumpit cellulas religiosorum. In senibus fumigat, in iuuenibus ardens fulminat, totum mundum interficit, totum fœdat, totúmque aquis diluuij exterminat.

3. O benignissime Domine Iesu Christe, qui tantam gratiam mihi fecisti, vt ad turrim sacratissimæ religionis confugerem, vt armatus fortissima castitate aduersus fœtidissimam incontinentiam debellarem, & clausis viis per quas ad me venire poterat, ipsius inopinatum aduentum sollicitè præcauerem: ego tamen nequam religiosus in tanta turris fortitudine collocatus, ianuas omnes impudenter aperui, & relicta armatura mundissimæ castitatis, fœdam incontinentiam per omnes portas ocyus intromisi, quàm in me multipliciter principatum obtinentem, ex mera malitia mea, licèt expellere cum tuo auxilio eam possem, mihi dominari permisi. Succurre mihi piissime Domine, aufer à me istum infestum inimicum. Da mihi virtutem contra ipsum, vt tibi placeam castè viuendo, & tandem cum iis qui gloriæ tuæ semper concinunt canticum nouum, vitam habeam sempiternam. Amen.

De paupertate & contemptu.

CAPVT IV.

1. VIta tua, Domine Iesu Christe, in hoc mundo fuit voluntaria paupertas: nam in cœlis, omnium æternorum bonorum sola affluentia erat, nec paupertas inueniebatur in eis: in hoc autem mundo abundabat & nesciebat homo pretium eius: hanc vtique sitiens tu benignissime Domine Iesu Christe, voluntariè descendisti, vt eam tibi eligeres, & eam nobis tua existimatione faceres pretiosam: ditior enim fuit tua paupertas cunctis opibus, cunctisque thesauris. Hanc autem paupertatem voluntariam tuis Apostolis dedisti: ad cuius obseruantiam cæteri tibi placere cupientes, itarentur, quos beatos esse dixisti, dicens: Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cælorum. Ad hanc obseruandam deberent religiosi ordinari: vt sic pauperes spiritu te imitando beati essent, & regnum cælorum tandem tuo dono possiderent. Per votum solenne ad ipsam obseruandam se astrinxerunt: vt, sicut transgrediendo plus peccarent, sed obseruando ampliùs tibi placerent, & à te acceptarentur.

2. Sed ego sceleratus religiosus, diuitias concupiui, claustrum dimittere affectaui, præsumens quod multos lucrifacerem tibi, si diuitias obtinerem, non considerans quod rediens ad sæculum, de facili cadere poteram in infernum. Volebam præesse potiùs, quàm subesse, exire in publicum, & officia vsurpare perfectorum: non attendebam ad exempla prædecessorũ: nam filius Sunamitidis paruulus egressus ad messores, rediens clamauit ad matrem, Caput doleo, & sic defunctus est. Dina filia Iacob nisi in publicum venisset, Sichem raptoris sui violentiam declinasset. Inter namque mansuetudines Iacob computatur, quod domi residebat, quando Esau durus & hispidus foris venabatur. Volebam exire de monasterio, vt libertatem obtinerem: volebam beneficium, vt sæculi pompam ducerem, cupiebam diuitias, vt honoribus gauderem, non cogitans quod ad perfectio-

nem religionis pertinet, subiectione & abiectione gaudere, studium & contemplationem quærere, & non solùm facultates, immò etiam voluntates de cordibus extirpare.

3. Sed ego impiissimus religiosus, ditior esse volui in claustro, quàm fuissem in sæculo, & sub te Christo paupere, diuitias transitorias possidere. Adiuuare me digneris, clementissime Domine Iesu Christe, quia votum meum voluntaria deliberatione emissum, ex iniquitate mea transgressus sum: parcere mihi & ignoscere digneris, vt sic paupertatem hîc effectu ipso diligam, vt diues in laude tua ad tuam gloriam perueniam sempiternam. Amen.

De timore Dei.

CAPVT V.

1. AD repellendas à corde, Domine Iesu Christe, cogitationes noxias & immundas, necessarius est timor tuus, timor gehennæ, timor priuationis gloriæ tuæ, timor amissionis tuæ gratiæ. Talis namque timor refrigerat animam religiosi noxiis desideriis æstuantem, & iacula inimici potest extinguere ignita: quia plus cæteris hominibus impugnari consueuit is, qui magis & plus tibi adhærere & seruire conatur: vnde beatus dicitur esse ille religiosus, si cor suum repleuerit triplici timore, vt videlicet timeat pro accepta gratia, ampliùs pro amissa, sed maximè omnium pro recuperata: & sic noxiæ cogitationes, in eo non regnabunt. Timeat ergo cùm arriserit gratia, timeat cùm abierit, & timeat cùm denuò resumpta fuerit. Cùm enim adest gratia, timeat ne indignè operetur ex ea: si recesserit, tunc magis timeat: quia vbi deficit gratia, deficit & largitor gratiæ, & tunc casum debet timere, quia reliquit eum custodia sua.

2. Nec est dubitandum Domine, quin superbia sit in causa, etiam si non appareat, etiam si nihil conscius sit: quia quod ipse nescit, tu scis Domine. Nam si tu humilibus das gratiam, humili non auferes datam. Ergo augmentum superbiæ, priuatio gratiæ es. Si verò gratia redierit, multò magis tunc timendum est: ne fortè contingat recidiuum pati. Ideò omni tempore te, Domine, ex toto corde suo timere debet. Nihil enim tam timendum, quàm potestas tua, cui resisti non potest. Nihil tam timendum, quàm sapientia tua, cui abscondi nihil potest, cui nec oculus deest, omnia videns, nec manus, omnia potens: vnde sicut aqua extinguit ignem, ita timor tuus extinguit omnes concupiscentias, & cogitationes noxias.

3. O benignissime Domine Iesu Christe, religiosus sum, & religiosum me non cognoui, nec cognosco nisi solo habitu, & non actu: cor prauum & peruersum semper gessi, in quo timor tuus non fuit, licèt quandoque humanus fuerit: & ideò ad peccata sum multipliciter prolapsus, & si quandoque à peccatis cessaui, hoc feci metu gehennæ: & sic peccare non metui.

ſed ardere: ſed tu Pater miſericordiarum, manum miſericordiæ tuæ mihi porrige, & concede mihi veniam delictorum meorum, & fac vt te toto corde timeam & diligam, tibíque cum cordis humilitate & deuotione placidè ſeruiam nunc & in ſempiternum. Amen.

De Vnitate.

CAPVT VI.

1. Mira dulcedine, Domine Ieſu Chriſte, intonat pſalmiſta: Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum. Hanc vnitatem cum diligentia obſeruandam tradit Apoſtolus, dicens: Solliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis. Seruatur autem hæc vnitas duobus modis: ſcilicet ad ſeipſum, & ad proximum. Ad ſeipſum, per integritatem. Ad proximum, per concordiam. Omnis enim fidelis & arctiùs religioſus debet imitari ſuum principium.

2. Cùm igitur tu Domine Deus meus, ſis vnus & idem, atque in te perfectus, nec vllo indigens, ineſt tibi benignitas erga nos, & amor ex bona voluntate tua in nos veniens. Debet etiam quiſque religioſus vnus eſſe ſibi per integritatem virtutis, & vnus cum proximis per vinculum dilectionis. Sed tria ſolent hanc vnitatem impedire, ſcilicet præſumptio, puſillanimitas, & leuitas. Præſumptuoſi quidem ſunt, qui putant ſe poſſe & quæ non acceperunt, præſumunt. Puſillanimes, ſunt contrarij omnino præſumptuoſis. Leues & inconſtantes ſunt, qui circunferuntur omni vento doctrinæ, quibus quod antè placuit, nunc diſplicet, quod nunc eligunt, poſt paululum reprobabunt. Sed contra præſumptionem, opponenda eſt conſideratio propriæ fragilitatis, quæ odioſam illam ſuiipſius opinionem deiicit. Contra puſillanimitatem, habenda eſt diuinæ po teſtatis fiducia, aut quod ſuis viribus ſe non poſſe quis putat, ex tuo Domine, adiutorio poſſit. Contra leuitatem adhibenda eſt conſultatio ſenioris, ne variis & peregrinis abducatur erroribus. Vnitas autem habetur ad Chriſtum duobus modis: ſcilicet cùm per dilectionem quis tendit ad alterum, & alterius in ſe recipit affectum: & hoc etiam duobus modis impeditur, ſcilicet obſtinatione, & ſuſpicione. Obſtinatio non permittit illum ingredi ad cor alterius, nec ſuſpicio patitur eum credere ſe ab aliis amari. Et ita fit vt dum obſtinatus alium non diligit, nec ſe ab aliis ſuſpicioſi diligi putant, vnitas quæ cum proximo habenda eſt, impediatur. Verùm huic morbo duplex charitas medetur: illa ſcilicet quæ non ſua quærit, & illa quæ omnia credit. Obſtinatus ergo habeat charitatem non quærentem quæ ſua ſunt, & alios diliget. Et ſuſpicioſus, charitatem omnia credentem, & ab aliis ſe diligi proculdubio credet.

3. Sed benigniſſime Domine Ieſu Chriſte, miſereri mihi digneris indigniſſimo religioſo: quia prædicta omnia ſciui, & nihil obſeruaui, ſed ſin-

gularis semper fui, & ab aliis diuisus alios non dilexi, nec ab aliis me diligi credidi. Dele Domine iniquitates meas, & da, vt concordiam seruem, vt tuis sanctis in vnitate laudis tuæ coniungar in sempiternum. Amen.

De otio vitando.

CAPVT VII.

1. EX immensa misericordia tua, Domine Iesu Christe: transtulisti hominem de sæculo nequam, ad sublimitatem religionis, vt abiecto & expulso omni torporis otio, tibi indesinenter seruitium impenderet continuum. Proprium namque religiosi viri est, vt sit neglector quietis, fugax voluptatis, appetitor laboris, patiens in abiectione, impatiens in honore, pauper in pecunia, diues in conscientia, humilis ad merita, & superbus ad vitia. Malignus siquidem spiritus, otiosæ menti prauas cogitationes immittit: vt etsi ea quiescat à bono opere, non quiescat tamen à malarum cogitationum delectatione. Vnde Noe vir iustus & sanctus, quem totius orbis diluuia in tantis procellis & fluctibus peruigilem probauerunt, vbi tamen curas laxauit, corpore somnum ebrietatis accepit, & contumeliam paternæ pietatis incurrit.

3. Ideò verus religiosus aliqua bona semper aut facere, aut dicere debet, vt eum diabolus semper inueniat occupatum. Semper enim debet sine intermissione legere, orare, aut operari: ne fortè eius mentem otio & corpori deditam spiritus fornicationis surripiat. Cedit namque labori voluptas, animum autem vacantem citò præoccupat. Omnium enim cogitationum & tentationum malarum sentina, est otium, materque nugarum, & nouerca virtutum. O Domine Iesu Christe, vbi sunt hodie religionis professores, eremi frequentatores, delitiarum corporis contemptores, diuitiarum sæculi desertores, cælestium contemptores, disciplinæ & pœnitentiæ sectatores, tui amatores, & sub asperitate & vilitate habitus tui seruitores?

3. Confiteor tibi Domine Iesu Christe, corde flebili & voce humili, me vnum ex illis non esse, immò nec attingere fimbriam calceamentorum ipsorum, quia ad religionem transeundo, non mutaui mentem, sed vestem, non actum, sed habitum, non opera, sed sermonem. Sæculariter enim ibi viuendo opinionem virtutis pro virtute quæsiui, prædicaui magna, & modica impleui, vitia accusaui, & in iisdē reprehendendis disertus fui, quæ tamen non abieci, sed potiùs occultis & malis operationibus cumulaui. Simulaui publicè mihi displicere quæ occultè volebam committere, & magis studui videri, quàm fieri, aut esse bonus. Hæc omnia mihi procurauit torpor & otiositas, quam infeliciter semper amplexatus fui. Adiuua me Domine Iesu Christe, da mihi operationem diligentem & perfectam, vt & tibi taliter placeam, nunc & in æternum. Amen.

De exercitio spirituali.

CAPVT VIII.

1. SVmma & laudabilis, Domine Iesu Christe, forma exercitii spiritualis cuiuslibet religiosi, est, vt semper disponat præsentia, recogitet in amaritudine animæ suæ præterita, futura quoque sollicitè tua gratia prouideat: vt secundùm Apostolum sobriè, iustè, & piè viuat in hoc sæculo: vt videlicet in præsenti sobrietas obseruetur, vt iugis fidei operatione præterita tempora, quæ sine fructu salutis præterierunt, redimantur: vt pietas, clypeus imminentibus de futuro periculis opponatur. Sola enim est, quæ ad omnia valet pietas.

2. Vita insuper erit sobria, si continenter, si socialiter, si obedienter, id est, castè, charitatiuè, & humiliter vixerit. Per continentiam enim castitas, per socialitatem charitas, & per obedientiam acquiritur humilitas. Actus iustus erit, si fuerit rectus, discretus, fructuosus. Rectus, per bonam intentionem. Discretus, per mensuram potestatis. Fructuosus, per proximorum vtilitatem. Sensus pius erit, si fides sentit Deum summè potentem, summè sapientem, & summè bonum: vt per tuam potentiam, ipse religiosus suam credat adiuuari infirmitatem, per tuam sapientiam, suam corrigi ignorantiam, per tuam bonitatem, suam dilui iniquitatem: secus autem, non potest sibi prouidere nouissima, nisi sedula cogitatione discat de sua industria, & de suis meritis diffidere, & se soli tuæ diuinæ protectioni mentis affectu, & effectu piæ intentionis permittere: & sic ipse religiosus, per sapientiam omnia sua disponet suauiter, præterita peccata damnabit, & futura cauebit.

3. O benignissime Domine Iesu Christe, ego sceleratus religiosus non habui hoc exercitium spirituale, licèt in meipso cognoscerem me illud obseruare debere: sed meum exercitium fuit sæculare in desideriis voluptatis & concupiscentiæ iniquæ. Sed tu miserator & misericors Domine, tribuere mihi digneris secundùm magnam misericordiam, vt te iuuante viuam sobriè, iustè & piè, in hoc sæculo, expectans à te vitam æternam ad tuam laudem & gloriam sempiternam. Amen.

De seruitio Dei.

CAPVT IX.

1. OMnibus tuis fidelibus, quare & deuotis religiosis seruis tuis, Domine Iesu Christe, maximè scribitur: Præparate corda vestra Domino, & seruite illi soli. Licèt enim, Domine, quilibet fidelis seruus tuus dicatur, præcipuè tamen talis esse debet religiosus, qui strictiùs tuæ voluntati per ingressum religionis se subiecit, qui vt tibi fideliter & voluntariè

seruiat, debet esse lætus per spiritualem iucunditatem, & cum lætitia in tuis laudibus occupatus. Seruus tuus (inquit Psalmista) lætabitur. Debet esse lætus per munditiæ puritatem: quia sicut tu Domine mundus es mundum vis habere cultorem: quia scriptum est: In sanctitate & iustitia seruiamus illi.

2. Debet etiam esse erectus per contemplationis sublimitatem. Nunquam enim prostratus ad terram bene seruit: sic etiam religiosus seruus tuus, ad terrena inclinatus, tibi, qui es Dominus excelsus & altus, nunquam potest bene seruire: ideò per ingressum religionis tollis terrena ab eo, vt feruentiùs & magis attentè famuletur tibi. Debet etiam esse humilis & verecundus, per reuerentiæ simplicitatem: quia etiam tu humilis fuisti temetipsum exinaniens, & formam serui accipiens. Debet etiam esse pauidus & tremebundus per tui timoris reuerentiam, ne fortè faciat quod displiceat tibi, ideò scriptum est: Seruite Domino in timore: & exultate ei cum tremore. Debet etiam diligens & attentus esse: quia serui officium est seruire, & seruus non diceretur, si seruire non dignaretur: & ideò serui tui debent esse diligentes, & seduli, seruiendo, & laborem pœnitentiæ sustinendo, sicut Apostolus, corpus suum in seruitutem redigebat.

3. O benignissime Domine Iesu Christe, ego nefandissimus religiosus, ex ijs quæ dico dum ea considero, meipsum condemno: quia me indignum ad tuum seruitium deuoui, & de tuo patrimonio vnde viuerem accepi, & tamen non tibi semper seruiui, & si aliquando seruiui, hoc indecenter & negligenter egi: quia seruus fui non lætus, sed iracundus, non lotus, sed immundus, non erectus ad cœlestia, sed ad terram cum magna animi cupiditate inclinatus, non fui humilis, sed superbus, non verecundus, sed præsumptuosus: non diligens, sed negligens, non attentus, sed potiùs totus in tuo seruitio piger & desidiosus. Adiuuet me tua clementia, & fac cum seruo tuo misericordiam: delendo, & remittendo iniquitates meas, & me misericorditer disponendo ad tuum seruitium, vt tibi placidè seruiam in sæcula sæculorum. Amen.

De deuotione Officij.

CAPVT X.

1. DOmine Iesu Christe, gubernator omnium, tua infinita clementia numquam deest nobis, sed semper nobis propitia est, & sicut in orationibus nos regit, sic in psalmorum studiis nos delectari facit: psallendi enim continuatio deuota, corda tristia consolatur, mentes vagas stabilit: fastidiosos oblectat, inertes exsuscitat, & ad lamenta peccatores inuitat. Nam quamuis dura sint corda carnalia, statim vt psalmi dulcedo insonuerit, animum eorum ad effectum pietatis inflectit, dum tamen adsit puri cordis intentio. Parum namque prodest sola voce, quantumuis so-

nora & dulci, psallere, sine pia cordis intentione, quæ sola hominum opera distinguit, malorum & bonorum discrimen facit.

2. Tu Domine Deus meus non quæris vocis sonoritatem, vel modulationis dulcedinem, sed cordis puritatem, quæ in radice charitatis fundata sit. Assistunt namque sancti Angeli psallentibus deuotis, intersunt cantantibus, assunt orantibus, insunt meditantibus, supersunt quiescentibus, præsunt ordinantibus, & procurantibus. Agnoscunt namque ciues suos, & solicitè congaudent, confortant, instruunt, protegunt: & prouident omnibus in omnibus. Nec mirum, quia missi sunt in ministerium propter nos, vt hæreditatem capiamus salutis, & simus ciues sanctorum, & domestici Dei.

3. Sed ego miser religiosus soli seruitio tuo, Domine Deus obligatus, non purè ac strenuè diuinis tuis laudibus interfui, nec reuerenter ac alacriter tibi seruiui: sed semper piger ac somnolentus, parcens voci, præcidens verba, integra frequenter transiliens, fracta & remissa voce aliud psallens, & aliud cogitans, corpore quidem in choro, & mente in foro, vsu solo, non deuotione psallendo, meipsum & alios perturbando, immò aliquando scandalizando. O misericordissime Domine Iesu Christe, gratias tibi ago quia me miserum & indignum religiosum ad tuum seruitium misericorditer elegisti, & vocasti, & vnde viuerem ministrasti. Indulgentiam tamen à te peto corde humili & contrito: quia temporalia mihi data acceptans, spiritualia adimplere neglexi. Concede mihi piissime, gratiam, vt tibi tua per merita satisfaciam, psallamque tibi laudes in vitam sempiternam. Amen.

De laude Dei.

CAPVT XI.

1. VÆ religiosis de te tacentibus, Domine Iesu Christe, quia multi ex seipsis loquaces sunt. Quoniam licèt ad te laudandum electi sint, tuas tamen laudes non dicunt: qui nihilominus felices essent, si tuis laudibus insistere iugiter vellent. Tu enim semper laudandus es, siue blandiaris in prosperis, siue castiges in aduersis: & non solùm laudandus es vocibus, sed etiam bonis operibus, assiduis orationibus, & cogitationibus sanctis. O miser religiosus, & omni miseria plenus, omni odio & confusione, qui à Deo in tua religione sine labore recipis stipendia, & non imples seruitia! Recipis pensiones, & non reddis Deo laudationes; ideò de te scribitur: Non mortui laudabunt te Domine: quia sicut mortuus non mouetur, non loquitur, sed fœtet: sic tu non moueris per bonam occupationem, non loqueris per Dei laudem & confessionem, sed fœtes per malam conuersationem.

2. Electus es solùm ad Deum laudandum, & te disponis ad ipsum per multitudinem vitiorum inhonorandum: frequentare debes ad laudes diuinas concinendo, & tu ecclesiam frequentas ad distributiones recipien-

das. Similis diceris esse bubonibus, & vespertilionibus, quæ ecclesiam frequentant, non ad Deum laudandum, sed ad oleum de lampadibus exugendum, O clementissime Domine Iesu Christe, ego sum ille iniquissimus religiosus, de quo supra sum locutus, qui te non laudaui, sed per transgressionem mandatorum tuorum inhonoraui. Tu ex immensa bonitate tua non solùm me ad religionem sustinuisti, sed etiam multa beneficia & dignitates contulisti. Et dum plus me exaltasti, remotiùs à te me separaui; bona temporalia magna cum diligentia recepi, sed negligenter te laudaui, immò frequenter ore, & corde nomen tuum blasphemaui.

3. Adhuc Domine ad confusionem meam loquar, sed veritatem loquar, vt tuam misericordiam consequar. Sciui, & scio, & instructus sum te adiuuante, quod omnes scripturæ clamant laudem tuam, vt omnes inducantur ad te laudandum, vt passim testatur Psalmographus: qui ait. Laudate Dominum omnes gentes: laudate eum omnes populi. Lauda Ierusalem Dominum. Laudate pueri Dominum. Laudabo Dominum in vita mea. Laudent illum cœli & terra, mare & omnia quæ in eis sunt. Et vltra hanc scientiam mihi à te benignè datam, multas inspirationes, & opportunitates mihi dedisti Domine, vt te laudarem: & tamen per meam negligentiam illud penitùs omisi, & peccatis adhæsi Succurre mihi Domine, misericordiam tuam, & remissionem peccatorum meorum tribuens, vt te laudare, glorificare, & magnificare in præsenti, & in perpetuum valeam. Amen.

De modo orandi.

CAPVT XII.

1. Apostolica doctrina, Domine Iesu Christe, omnes docet qualiter debeant orare, sic dicens: Volo fieri primùm obsecrationes, deinde orationes, postulationes, gratiarum actiones. Cùm autem peccati conscientia terret & cruciat, necdum adhuc resistendi virtus se offert: qui vident immanitatem suorum criminum, & bonorum operum exiguitatem & velut ardentem gehennam coram se, expauescunt, quia in se nullum bonum inueniunt, & timent in conspectu tuo, Domine Deus, vacui apparere, & multò magis, quia cognoscunt se plenos vitiorum, & trepidant per seipsos Domine accedere ad te: student per alios supplicare, & obsecrant, dicentes: beatissima virgo oret pro nobis, & sic de aliis sanctis. Obsecrant etiam manifestè cùm dicunt: per passionem tuam libera nos Domine. Cùm autem spiritus veritatis irradiat cor eorum, vt peccata cognoscentes, eis viriliter resistant, tunc per se orant, pro præteritis delictis veniam petentes, per seipsos tibi loquuntur, recogitantes annos in amaritudine animæ suæ, & orantes puro affectu, non dissimulant peccata sua, neque palpant. Deinde postquam in lamentis pœnitentiæ perseuerauerunt, & fiduciam perceperunt veniæ, accedunt ad postulationes tanquam recepti

in gratiam tuam postulantes fiducialiter tam pro se quàm pro charis suis, aut pro pace totius mundi, aut secundùm Apostolum, pro regibus, & omnibus aliis.

2. Et hæc postulatio amplum quærit affectum, & fiduciæ latitudinem. Caueat tamen postulans, ne petat non postulanda, aut tepidè quærat quæ toto affectu, & omni tempore sunt quærenda, petit & non accipit, omnis qui terrena quærit vltra necessitatem, qui gloriam mundi sectatur aut voluptatem. Hæc autem sunt pro quibus incessanter est postulatio facienda, vt acquiratur tua gratia, & vt placere propter te solùm quis tibi possit, & in te viuere, & in te mori, vt ad te glorificandum te videre possit, & ad hoc ipsum solum gloria illa frui in perpetuum, dono gratiæ tuæ suscipiatur. Deinde tenetur tibi tota mentis deuotione reddere gratiarum actiones, de beneficijs tuis, & de iis quæ præparasti in futurum iis qui te diligunt: quæ beneficia cum præsentia tum futura humana mente numerari non possunt, sic sunt à te Domine continuè multiplicata.

3. O benignissime Domine Iesu Christe, ego defectuosissimus religiosus, dum alios instruo de modo orandi, meipsum condemno: quia quæ doceo, non feci, nec facio, licèt frequentes inspirationes ad orandum mihi dederis, quas & spreui. Tribuere piissime Domine mihi digneris ex tua magna misericordia, vt iugiter ad tuum placitum te orem & adorem, nunc & in perpetuum. Amen.

De tribus petitionibus cordis.

CAPVT XIII.

1. O Propitiabilis Domine Iesu Christe, qui ad deuotos & iustos clamores languentium, piissimas aures & exorabiles inclinas, repulsam non patitur à te petitor opportunus, sed eius petitiones exaudis, si à lance debitæ rationis procedant. Inter alia autem, tria necessaria puro & humili corde sunt à te postulanda. Duo pro præsenti vita, & tertium pro futura æterna. Pro præsenti vita, sunt à te petenda, bona corporis, & bona animæ, quia hæc omnia à te veniunt, & à te largiuntur. Tua namque sunt bona corporis, sicut spiritualia: ideò illa à te sunt petenda, vt possit petens illa in tuo seruitio sustentari. Sed bona animæ sunt feruentiùs & frequentiùs petenda pro tua gratia obtinenda, & ea in tuo seruitio retinenda, pro vita autem in perenni tuæ laudis seruitio æterna, tota mentis pietate & toto cordis desiderio est humiliter insistendum: in qua nimirum laude tua, corporis & animæ, est plena & perfecta beatitudo.

2. Sed benignissime Domine Iesu Christe, in iis tribus petitionibus frequenter petentem, eo quòd malè petit, non exaudis, Nonnumquam enim temporalia, ad superfluitatem, & voluptatem petuntur, gratia autem tua, & animæ bona, ad ostentationem: sed & vita æterna fortassis non in humilitate quæritur, sed tanquam in fiducia propriorum merito-

rum. Et sic in prima est superfluitas, In secunda, vanitas, & in tertia elatio. Et idcircò à te, & non absre quidem, repulsam patitur petens. Necesse est igitur petenti, & volenti à te exaudiri, vt petitio pro temporalibus sit circa solam necessitatem restrictam, & petitio quæ fit pro donis animæ, sit ab omni impuritate aliena, & circa beneplacitum tuum intenta. Illa autem quæ fit pro vita in tua perpetua laude æterna, sit in omni humilitate, & solummodò præsumat petens de sola tua miseratione diuina.

3. O misericordissime Domine Iesu Christe, ego nefandissimus religiosus, qui paupertatem tibi voui, concupiui diuitias temporales, non ad necessitatem, sed ad superfluitatem, & elationem, sed de donis animæ, nihil, aut modicum curaui; pro vita autem illa æterna, preces modicas fudi, & exauditione indignas: quia à corde puro non fluebant: sed à corrupto & contaminato: & dum de tua misericordia confidebam, non desistebam peccare. Ignoscere tu mihi dignare, piissime Domine Iesu Christe, & munda cor meum immundissimum: vt à te petendo prædicta, exaudiri valeam, vt tibi seruire possim ad tuum solum placitum in æternum. Amen.

De impedimento orationis.

CAPVT XIV.

1. ORatio, benedicte Domine Iesu Christe, quantò efficacior est, si fiat vt debet, tantò callidiùs impediri ab aduersario solet. Interdum enim grauiter impeditur à pusillanimitate spiritus, & timore immoderato. Hoc autem fit cùm religiosus omnino deditus contemplationi, sic cogitat propriam indignitatem, vt non conuertat oculos ad tuam diuinam benignitatem. Verumtamen sicut periculum est, si fuerit oratio nimis timida, sic in contrarium, non minus, immò maius periculum est, si fortè fuerit temeraria. Hoc autem fit, quando orans, in cuius conscientia peccatum adhuc, aut vitium aliquod regnat, ambulat in magnis, & in mirabilibus super se, nimis vanè sollicitus de periculo animæ suæ.

2. Est etiam aliud periculum si fuerit oratio tepida, & non ex viua affectione procedens. Timida siquidem oratio cœlum non penetrat: quia restringit animum timor immoderatus, vt omnino non ascendere, nec procedere queat. Tepida verò in ascensu languescit, & deficit, eo quòd non habet vigorem. Temeraria porro ascendit, sed resilit, resistitur enim ei: nec solùm non obtinet gratiam, sed meretur offensam. Quæ verò fidelis, humilis, & feruens fuerit oratio, cœlum proculdubio penetrat, & vacua redire non potest: quia aut dabis, tu Domine, quod petitur, aut quod vtilius videbis. Hæc namque oratio, Domine Deus meus, est magnum remedium illis, qui vitiorum tentamentis æstuant, vt quoties aliquo tentantur vitio, toties orationi se subdant.

3. O misericordissime Domine Iesu Christe, qualis ego sum miser religiosus: vacuus enim sum omni bonitate in conspectu tuo. Qui licèt contemplationi deditus esse deberem, & tam pro me quàm pro aliis orationi vacare, hæc tamen contempsi adimplere. Et si quandoque ad orandum me disposui, non prouenit oratio ex corde, sed potiùs fuit labor labiorum, quia plenus vitijs, & peccatis, orabam, & sic tepida, & temeraria fuit oratio mea. Adiuua me, piissime Domine Iesu Christe, secundùm magnam misericordiam tuam, & parce mihi misero religioso: vt te humili & deuoto corde, ac assiduo, orem, laudem, benedicam, & glorificem per infinita sæculorum sæcula. Amen.

De impedimento contemplationis.

CAPVT XV.

1. TRia impediunt, Domine Iesu Christe, oculum corporalem vt videre non possit: scilicet tenebræ, si lux exterior ei desit, aut licèt lux ei non desit, humore tamen concreto turbatur, vt cernere minimè possit. Si autem neutrum horum adsit, læditur tamen aliqua pulueris iniectione. Sic etiam oculus intelligentiæ animæ, aliis tribus impeditur, ne contemplari valeat diuina: scilicet tenebris peccatorum, dum mens misera inuoluitur ipsis. Impeditur etiam humore concreto, id est, dum peccata in memoria recluduntur, absque displicentia ipsorum. Impeditur etiam iniectione pulueris, id est, nimia cura actuum terrenorum, atque occupatione.

2. Hæc ergo tria sunt, Domine Deus meus, quæ oculum intelligentiæ confundunt, & à contemplatione tui veri luminis excludunt: scilicet tenebræ peccatorum, recordatio delectabilis ipsorum, & cura actuum terrenorum. Deficiente igitur in nobis luce gratiæ tuæ nihil aliud inuenimus quàm tenebras peccatorum. Cùm autem præcipuè religiosus debeat esse contemplationi deditus, necessarium illi est, Domine Deus meus, si contemplationi vult intendere, priùs hoc triplex impedimentum purgare: scilicet primum, per veram confessionem, secundum, per humilem orationem, & tertium, per mentis tranquillitatem, & quietem.

3. O mitissime Domine Iesu Christe, ego peruersissimus religiosus ista dico, & scribo, sed minimè ea facio; ore loquor, & corde dormio; vnum dico, & aliud facio; linguam laxo, & manum retraho: quia contemplationi non vaco, sed vagationi, non orationi, sed vanæ cogitationi, non religioni, sed curis mundi: & sic oculus meæ mentis penitùs oblitus est peccatorum tenebris, & aliis impedimentis, non intendens, quæ sunt salutis. Purifica illum, Domine Iesu Christe, per tuam immensam bonitatem, vt videre possit quæ agenda sunt in præsenti, & in futuro te perenniter glorificando, valeat facie ad faciem intueri. Amen.

De lacrymis.

CAPVT XVI.

1. FLeuisti, benignissime Iesu Christe, super Lazarum & super ciuitatem Hierusalem, & hæc est prima aqua. Factus est sudor tuus in nocte passionis tuæ, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram, & hæc est secunda aqua. Tertia fuit, quæ de latere tuo, dum in cruce pendebas vnà cum sanguine emanauit. Verus religiosus qui tibi placere desiderat, & suam animam tibi placendo saluare affectat, has aquas debet habere: primam videlicet, rigando puris lacrymis conscientiæ statum, & dolore compunctionis, studendo obtinere macularum abstersionem præteritorum peccatorum. Secundam, in sudore vultus sui vescendo pane suo, id est labore pœnitentiæ corpus suum castigando, ac restringendo concupiscentiæ flammam, crucem Christi portando. Quia si in tantum proficere potest, ad tertiam aquam veniet, scilicet contemplationis & dulcedinis tuæ, tunc potabit aquam sapientiæ salutaris, & spiritus tui qui super mel dulcis est, & fiet in illo fons aquæ salientis in vitam æternam. Sed oportet, vt sicut illa aqua manauit à tuo corpore mortuo, & sine omni molestia fluxit, ita quod contemplator penitùs sit mortuus mundo. Prima igitur aqua abluit conscientiam à delictis præteritis. Secunda aqua à futuris præcauere facit, & extinguit concupiscentiam. Tertia autem, venientes ad eam faciat animas sitientes.

2. O felix lacryma, Domine Iesu Christe, quæ te inuincibilem vincit, & te omnipotentem ligat, suum est regnum, & sua est potentia, ante conspectum tuum intrare non veretur, quicquid petit, obtinet: accusantibus inimicis silentium imponit: vbi illa abundat, ibi cogitationes sordidæ non appropinquant. Illa veniam petit, illa veniam meretur, & obtinet.

3. O misericordissime Domine Iesu Christe, quid faciam ego miserabilis religiosus, qui sic cor durum gero, vt nullo modo possit emolliri, sed amplius quotidie peccatis & vitiis induratur. Digneris me, Domine, respicere cum misericordia, & educ de corde meo lapideo fontem lacrymarum, vt peccata præterita plangam, futura fugiam & abstineam ab ipsis, vt illam aquam dulcedinis tuæ percipiam, qua satietur anima mea in sempiterna laude tua in æternum. Amen.

De compunctione.

CAPVT XVII.

1. IN te, Domine Deus meus, ego ingratissimus religiosus quatuor reperio, quæ in anima mea confusionem & timorem pariunt. Tu enim es factor, tu Dominus, tu pater, tu benefactor. Cùm te cogito factorem &

Dominum timeo, quia reum me sentio: cùm te considero patrem & benefactorem, confundor. Pater non metuitur cùm pater sit: patris autem est, misereri semper & parcere; & si percutit, virga, non baculo percutit; cùm percusserit, sanat.

2. Paterna vox est: Percutiam, & ego sanabo. Et ideò non est in eo quod timeri debeat: quia si quando percutit, hoc est vt emendet, & numquam vt vindicet. Vnde dum cogito quòd ego miser religiosus te Patrem offendi, etsi non est quod terreat, est tamen quod pudeat & confusionem inducat, quia tu exhibuisti mihi te Patrem, sed non ego me tibi exhibui filium: quomodo ergo possum, aut qua fronte, attollere oculos ad vultum tam benigni Patris, ego tam malignus filius? Pudet igitur me sic tot & tanta gessisse indigna generi meo. Pudet me tanto patre vixisse degenerem, proh pudor! Caduca, vana, & prope nulla, & quorum finis mors est, infelix & insanus, præferre non erubui æterni Patris amori & honori: etsi Pater non esset, erubesco tamen, quia benefactorem meum effectu ipso cognosco, & de beneficiis eius, præsertim quia ad suum seruitium me admisit, ingratissimus fui reddens mala pro bonis, & odium pro bonis, & odium pro dilectione. Si igitur timor me non arctat, quia Pater & benefactor est, saltem pudor me confundit. Dum autem te cogito factorem & Dominum meum, timore crucior, quia Domino seruitium non impendi, considerans quòd tu me redemisti; neque factori meo honorem & gloriam, quia me plasmasti. Et licet dissimules tamquam Pater, & ignoscas tanquam beneficus, non tamen tamquam Creator & Dominus, quia qui parcit filio, non parcit figmento aut seruo nequam, sed requires seruitium & honorem vsque ad nouissimum quadrantem, & retribues abundanter facientibus superbiam.

3. Ideo formido & horrore confundor, quia te contempsi factorem omnium, & offendi te Dominum maiestatis, qui postquam occideris corpus potestatem habes mittere in gehennam. Sed indulgere mihi dignare, piissime Domine Iesu Christe, & da vt te honorem & timeam, tibique seruiam in æternum. Amen.

De silentio.

CAPVT XVIII.

1. INter alia, Domine Iesu Christe, per quæ religiosus verus purificari potest in mente sua, est silentium, in cuius obseruantia purificatur religiosus à peccatis quæ multiloquio & dicacitate multipliciter contrahuntur: cuius generis sunt, verbum stultum, verbum vanum, verbum mendax, verbum otiosum, verbum dolosum, verbum maledicum, verbum impudicum, verbum excusatorium. Pestis enim quæ de loquacitate nascitur, per silentij censuram aut euertitur funditùs, aut certè ne plurimùm noceat, reprimitur. Iuge nempe silentium, & ab omni strepitu sæcularium

perpetua quies, cogit cælestia meditari: ideo studiosum est silere à iactantia, à blasphemia, à murmuratione, & detractione. Nec tamen sic tacere debet religiosus, quòd omnino taceat, sed loqui debet tibi contra iactantiam, & peccata in confessione, vt obtineat veniam de præterito. Loqui debet contra murmurationem in gratiarum actione, vt ampliorem inueniat gratiam in præsenti. Loqui debet contra diffidentiam in oratione, vt consequatur gloriam in futuro. Confiteri igitur debet præterita, & pro præsentibus gratias agere, ac deinceps orare studiosiùs pro futuris: vt tu Domine Deus, non sileas à remissione, & promissione.

2. O benignissime Domine Iesu Christe, si de omni verbo otioso quodcunque fuerint locuti homines, reddituri sunt rationem in die tremendi tui iudicij, quid faciam tunc ego miserrimus religiosus, qui non solùm in ore habui verba otiosa, sed habui in effectu. Protuli verba mendacia, mordacia, iniuriosa, elata, lasciua, adulatoria, detractoria, maledica, blasphema, dolosa, dissoluta, magniloqua, impudica, & contumeliosa, quæ leuiter volabant, sed grauiter me & alios vulnerabant. In iis verbis tempus meum inutiliter, immò damnabiliter consumpsi: & sicut verbum fuit irreuocabile, sic etiam tempus irreuocabile, & sic vtrumque perdidi, & damnationem mihi ipsi procuraui.

3. Succurre mihi, Domine piissime Iesu Christe, in tanto discrimine posito, cohibe linguam meam à malo, & labia mea ne loquantur dolum. Ignoscere mihi dignare, & concede, vt condignè satisfacere valeam de commissis, & dictis in tua gratia hîc viuendo, & in fine gloriam laudis tuæ consequar sempiternam. Amen.

De Locutione.

CAPVT XIX.

1. QVis numerare potest, Domine Iesu Christe, quantas sordes contrahat modicum membrum linguæ religiosi lasciui, & dissoluti? qui dum est in suo claustro, nullis bonis operibus deditus, sed potiùs otio, & vanitatibus, dissolutè loquitur sermonibus otiosis, impudica in lasciuiis, magniloqua in arrogantiis, dolosa in adulationibus & mendaciis, maledica in detractionibus, & contumeliis. Sermo eius leuiter volat, sed grauiter vulnerat, leuiter transit, sed grauiter vrit, leuiter penetrat, sed non leuiter extrahitur, profertur leuiter, sed non leuiter reuocatur, facilè volat, sed non debiliter violat. Et si de omni verbo otioso reddenda est ratio in tuo tremendo iudicio Domine, longè districtiùs reddenda est ratio de verbo mendaci, & mordaci, iniurioso, & elato, lasciuo, & adulatorio, impudico, & detractorio.

2. Vera namque est illa sententia, quòd in multiloquio non deest peccatum: lingua enim lingit adulando, mordet detrahendo, occidit mentiendo, labitur vt anguilla, penetrat vt sagitta. Sermo namque vanus,

vanæ conſcientiæ index eſt, mores hominis lingua prodit, & qualis ſermo oſtenditur, talis animus comprobatur: vnde non immeritò, vitæ & operis vmbra vocatur ſermo: mentis enim habitum ſermonis cultus ſolet aperire. Verboſitas præterea nihil eſt aliud quàm ſemen fructum non faciens. Et ſicut mali mores per bona colloquia corriguntur, ſic boni mores per praua colloquia corrumpuntur. Et non ſolùm amittitur tempus vitæ in hiſce colloquiis prauis, ſed etiam multi in his vitam amittere comprobantur. Nec ſolùm niſi vitam amittunt, ſed etiam aliis fratribus adimunt. Tenuis enim eſt lingua, & lata, inſtrumentum vacuandis cordibus aptiſſimum. Caueat à confabulationibus religioſus, quia lingua facilè labitur: nec minùs facilè cordi illabitur. Petenda eſt igitur bono religioſo oris cuſtodia, & oſtium circumſtantiæ labiis: vt nec vitalem ædificationem clauſura damnet, nec lethalis pernicies liberum ſortiatur egreſſum, vt lingua bonis ſit in fomentum, paruis in aculeum, tumidos retundat, iratos mitiget, pigros excitet, deſides, alacres reddat, refugientibus ſuadeat, aſperis blandiatur, deſperatos conſoletur, præſumentes refrenet: & quia verus religioſus ductor, & via aliis eſt, viam ſalutis gradientibus oſtendat.

3. O piiſſime Domine Ieſu Chriſte, ego nequam religioſus, confiteor tibi, talem me linguam habuiſſe: quòd non ſolùm meipſum, ſed etiam multos alios eius verboſitate interfeci. Parce & ignoſce mihi, tribuéque vt ſic vitam emendem, linguam refrenem, & coërceam: vt per miſericordiam tuam, digna fiat te in tua laudare eccleſia, & hoc miſeriæ curriculo peracto, tecum viuam in tuo regno ſempiterno. Amen.

De conuerſatione bona.

CAPVT XX.

1. SCriptum eſt, Domine Ieſu Chriſte, per vicarium tuum, conuerſationem inter gentes habentes bonam, vt ex bonis operibus vos conſiderantes, glorificent Deum. Quod licèt omnibus dictum intelligatur, veris tamen religioſis qui ſimul habent conuerſari, ſpecialiùs dici intelligi poteſt, quorum bona conuerſatio ſalutem operatur, ſi in nullo prorſus reſiſtat maioribus, aut inuideat paribus, aut ſubiectis nihil deſit in cura, nulla ſuperbia præſit, prælatis ſit obediens; ſociis conſentiens, ſubditis vtiliter condeſcendens. Debet eſſe conuerſatio honeſta in exemplum virtutum intuentibus gratioſa, vt virtute, gratia & perfectione, attrahat & inuitet eos quos poteſt facere meliores Debet eſſe conuerſatio bona, & imitantibus fructuoſa, & vt videntes ipſorum bona opera, glorificent Deum qui in cœlis eſt. Bona namque conuerſatio, delinquenti timorem incutit, bonum & innocentem, ad meliora inducit. Debet etiam bona conuerſatio poſſidentibus eſſe ſtudioſa: nam ſtudioſum & ſanctum eſt, vt homo poſſideat conuerſationem honeſtam non ſolùm internam, ſed externam: nam

conuerſatio exterior ſignum eſt ſanctitatis interioris: per hoc enim quod foris apparet, quid intùs lateat, detegitur.

2. O benigniſſime Domine Ieſu Chriſte, miſerabilis conuerſatio mea minimè intuentibus gratioſa fuit, ſed potiùs horribilis & odioſa: non fuit imitantibus fructuoſa, ſed pernicioſa, non vtilis, ſed damnoſa, non ſanatiua, ſed infectiua, non fuit mihi ſtudioſa, ſed vitioſa, quia in vitiis & peccatis, conuerſatio mea fuit mihiipſi nocens per malam operationem, & aliis per iniquum & peruerſum exemplum, dignumque me feci tot mortibus, quot alios per exempla mea peruerſa ad damnationis interitum perduxi.

3. Indulgere mihi digneris miſericordiſſime Domine Ieſu Chtiſte, & tua immenſa bonitas conuerſationem meam vitioſam, in ſtudioſam commutet: & vt hactenus in exemplum perniciei aliis fui, ita in futuro ſaluationis eis exiſtam, vitamque meam miſerabilem accepta tibi ſatisfactione citò emendare feſtinem: vt purgatus à labe criminum, ad regnum tuum purus, ad te perpetuò laudandum miſericorditer peruenire valeam. Amen.

De conſuetudine bona & mala.

CAPVT XXI.

1. SCio, clementiſſime Domine Ieſu Chriſte, quòd durum eſt religioſo diſſoluto apprehendere diſciplinam, religioſo loquaci, ſilentium pati, religioſo vagabundo, ſtabilem permanere, religioſo impudico, pudicitiam ſeruare, & religioſo peccatis ſubiacenti, facilè abſtinere; quia quod incorruptus præ amaritudine priùs exhorrebat, vſu ipſo amarum in dulce conuertit: & quod primùm importabile videbatur, proceſſu temporis, ſi aſſueſcat, iudicabit non graue, paulò poſt leue ſentiet, paulò poſt nec ſentiet, paulò poſt etiam delectabi : &ita paulatim in cordis duritiam, & prauam conſuetudinem itur, & ex .lla in auerſionem

2. Poſtquam enim tuo terribili iudicio, ipſa flagitia impunitas ſequitur, experta voluptas libenter repetitur, repetita blanditur, & concupiſcentia reminiſcente ſopitur ratio, ligat conſuetudo, trahitur miſer religioſus in profundum malorum, traditur captiuus tyrannidi vitiorum: ita vt carnalium voragine deſideriorum abſorptus, & ſui, rationis, diuinique timoris oblitus, dicat ipſe inſipiens in corde ſuo: non eſt Deus. Et ſic tunc indifferenter libitis pro licitis vtitur: ab illicitis cogitandis, patrandis, & inueſtigandis, animus, manus, pedes ipſius non prohibentur; ſed quicquid in cor, in os, vel ad manum venerit, machinatur, garrit, vel operatur. Vnde talis conſuetudo, grauiſſima eſt & pernicioſiſſima catena, quæ non faciliùs ſoluitur quàm rumpitur. Et ideò mala mens, & animus ipſius, priuſquam indureſcat malitia eius molliri poteſt: ſed poſtquam indurnerit, deſperandum eſt, niſi tua, Domine, miſericordia exuberet. Et ideò iuxta

consilium Sapientis: bonum est religioso cùm tollit iugum ab adolescentia sua: nam si post decursæ iuuentutis annos iugum tulerit, non est statim perfectum bonum: stimulant enim eum peccata sua, exagitat conscientiam ipsa consuetudo peccandi, & vsus erroris instabilem facit. Luctandum igitur est religioso diu, vt abolere faciat inueterata, atque diuturna, & optimam viuendi formam eligat, quam iucundam reddet consuetudo.

3. O misericordissime Domine Iesu Christe, ego pessimus religiosus ista dico, & non seruo; ista doceo, & non facio: ista aliis trado, & non recipio: quia in prauis & peruersis actibus vitam meam miseram ducere consueui. Sed ad tuam infinitam bonitatem supplex recurro, vt mihi indulgere digneris, prauam consuetudinem in bonam conuertendo: vt vitiis expulsis, viis tuis inhæream; & tibi placendo seruiam, nunc & in æternum. Amen.

De scientia memoriter tenenda.

CAPVT XXII.

1. PRiusquam tu, religiose, de tenebris huius mundi exeas, ne de tenebris transeas ad tenebras sempiternas, necesse est te scientiam habere, & illam memoria tenere. Est autem illa scientia, scire quia veniet Dominus; sed quando veniet, scire non potes: certissimè tamen scire debes, quòd venturus est iudicare viuos & mortuos, & reddere vnicuique iuxta opera sua. Caue ne de illis sis qui videntur hanc scientiam ignorare: qui cùm malè fecerint, lætantur & exultant in rebus pessimis. Non enim ita se omni impuritate polluerent, si Deum venturum scirent, vel formidarent, sed vigilarent vtique, & non sinerent tam grauiter perfodi conscientias suas.

2. Tu autem hanc scientiam semper mente teneas, & operabitur in te, primò, pœnitudinem, id est dolorem, vt risum in luctum, cantum in planctum, & gaudium in mœrorem conuertas, & incipiant tibi displicere quæ vehementer ante placuerant; & illa specialiter horreas quæ specialiter appetebas. Secundò, in te operabitur correctionem, vt iam non exhibeas membra tua, arma iniquitatis peccato, sed coërceas gulam, iugules luxuriam, superbiam deprimas, & facias corpus sanctitati seruire quod iniquitati ante seruierat. Tertiò, operabitur sollicitudinem, vt iam incipias sollicitus ambulare cum Deo, & ex omni parte seruire ei: ne in leuissima re tremendæ illius maiestatis offendas aspectus. In pœnitudine namque accendêris, in correctione ardebis, & in sollicitudine lucebis: vt interiùs & exteriùs in tua religione renouêris, & incipias respirare à tribulatione malorum & dolore: & si timeas Iudicem, sperabis in Saluatorem: plerumque timor lætitiam superabit, & lætitia sæpiùs timorem excludet. Tunc enim felix erit conscientia tua, in qua luctamen huiusmodi indesinenter fuerit, donec quod mortale est, absorbeatur à vita; donec euacuetur timor qui ex parte est, & succedat gaudium & lætitia quæ perfecta est: quia sic timor non erit tibi sempiternus, sed lætitia sempiterna & perpetua.

5. O misericordissime Domine Iesu Christe, quanta pœna sum dignus ego nequissimus religiosus, qui hanc scientiam ex tua magna misericordia noui, sed eam memoria non tenui, neque peccare desij: sed in peccatis perseueraui, de quibus pœnitentiam non egi, nec dolui, neque correxi. Succurrat mihi, Domine, pietas tua, & da mihi clementiâ tuâ cor contritum & humiliatum, vt de peccatis doleam, & illa auxilio tuo emendem, vt laus tua non desit mihi clementiâ tuâ sempiternâ. Amen.

De sapientia.

CAPVT XXIII.

1. ATtende diligenter tu religiose, qui sapiens esse cupis, & sapientiam quæris. Inuenitur sapientia carnis, quæ est inimica Deo, inuenitur & sapientia huius mundi, quæ est stultitia apud Deum. Vtraque, secundùm Iacobum Apostolum, terrena est, animalis, diabolica, & secundùm has sapientias, dicuntur sapientes vt faciant mala, benè autem nesciunt facere: quia nulla talis sapientia, siue carnis, siue mundi ædificat, immò destruit animam. Est ergo alia sapientia quæ desursum est, condemnans illam vtramque, & hanc, tu religiose, tota mentis intentione quærere & habere conêris: quia per hanc ignobiles facti sunt gloriosi, & abiecti ad honorem venerunt: in hac piscatores vniuersum orbem terræ Euangelij retibus concluserunt.

2. Per hanc, tu religiose, si perfectè eam habueris, mortificabis propriam voluntatem, amputabis voluptatem, præterita vitæ peccata deflebis, huius sæculi desiderabilia paruipendes, & æternam beatitudinem toto desiderio concupisces: relinques præterita tamquam mala, contemnes præsentia tamquam vana, futura desiderabis tamquam bona: hanc filij Dei, id est, viri iusti & veri religiosi, contemptores mundi diuino munere assequuntur, quam non lectio, sed vnctio; non litera, sed spiritus; non eruditio, sed exercitium in mandatis Dei docet. Hanc sapientiam possidens, metu non frangitur, potestate non mutatur, nec attollitur prosperis, nec tristibus deprimitur: nam vbi hæc sapientia est, ibi est virtus animi, ibi constantia, ibi denique fortitudo, ibi animus in Christo, & interior oculus erigitur ad superna: hæc autem sapientia pudica est, & deinde pacifica: nam sapientia carnis voluptuosa est, non pudica: & sapientia mundi tumultuosa, & non pacifica. Sed illa sapientia quæ ex Deo est, non quærens quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi, vt non suam propriam, qui eam habet, faciat voluntatem, sed probet quæ sit voluntas Dei bona & beneplacens: est etiam pacifica, non abundans in suo sensu; sed alieno magis iudicio vel consilio acquiescens.

3. O benignissime Domine Iesu Christe, ego prauissimus religiosus lumen aliis manifesto, & meipsum ignoro, quia hanc sapientiam contemnendo, sapientiam carnis & mundi dilexi, & pro virili habere studui; & illa totis conaminibus vsus sum, per quam mala præterita non dereliqui, præsentia non

contempsi, futura non caui, neque futura bona desideraui. Concède mihi, Domine, plenam tua misericordia peccatorum remissionem: da sapientiam quæ desursum est, vt tua clementia te increatam sapientiam sapienter in cælestibus laudem & glorificem in sempiternum & vltrà. Amen.

Qualiter Deus animam consolatur.

CAPVT XXIV.

1. CONcupiscis, Domine Iesu Christe, decorem animæ quam cognoscis in spiritu ambulantem, & curam carnis non perficientem in desiderio, sed potiùs in tuo amore flagrantem. Tali namque animæ suspiranti frequenter, & affligenti se præ desiderio, & sine intermissione oranti, miseranter occurris desideratus. Si ergo verus religiosus sit vir desiderij, & qui cupiat dissolui, & esse tecum: cupiat autem vehementer, sitiat ardenter, & assiduè meditetur, ille profectò suscipiet te, & desiderium cordis eius tribues ei. Verùm cum vigiliis & obsecrationibus, multo labore & imbre lacrymarum, te quæsierit, & misericorditer affueris: dum te tenere putat, elaberis. Et rursum lacrymanti & languenti occurrens, te comprehendi permittis, sed minimè teneri, quia subitò iterum quasi è manibus euolas: & si institerit precibus & fletibus deuotis, denuò reuertêris, & voluntate labiorum eius non fraudabis eum. Sed rursum mox disparebis, & non videbit te, nisi iterum toto desiderio te requirat, vt sic de tua præsentia fiat illi frequens lætitia, sed non copia: vt in eo sit semper iugis deuotio & innouata, desiderium vehemens iugis & dulcis affectus, vt proficiat de virtute in virtutem quousque perueniat ad te, atque facie ad faciem sicuti es, te videat in mansione tua perpetua: vt sic eius contemplatio hîc incipiat, & ibi perficiatur, & in sempiternum duret.

2. O misericordissime Domine Iesu Christe, ad hanc gloriosissimam & suauissimam contemplationem me clementer elegisti, dum ad sanctam religionis solitudinem vocasti, in qua ego prauissimus religiosus, non vacaui contemplationi, sed vagationi; non obseruationi religionis, sed destructioni; non consolationi animæ meæ, sed desolationi: & tanta fuit bonitas tua, quòd me miserum peccatorem non dimiserit, sed multas inspirationes dederit, vt ad te semper mentem meam dirigerem. Succurre mihi, piissime Domine, & mihi da veniam de commissis delictis & peccatis meis: trahe me post te, vt curram in odorem contemplationum tuarum, vt te cum æterna laude perpetuò contempler. Doce me facere voluntatem tuam, vt nihil sit in ea quod tibi displiceat, dirige gressus meos, vt nihil operer nisi tuæ sit voluntati gratum, ita vt omnes meæ operationes, cogitationes & contemplationes tuam fiant in laudem, gloriam & honorem per infinita sæcula sæculorum. Amen.

De profectu & defectu.

CAPVT XXV.

1. VIdit Iacob ſcalam, Domine Ieſu Chriſte, & in ſcala Angelos, vbi nullus reſidens, nullus ſubſiſtens apparuit; ſed vel aſcendere vel deſcendere videbantur vniuerſi. Vnde per hoc datur intelligi inter proficere & deficere in hoc ſtatu mortalis vitæ, nihil medium inueniri. Sed ſicut corpus noſtrum continuè aut creſcere conſtat, aut decreſcere, ſic neceſſe eſt ſpiritum aut proficere ſemper, aut deficere. Nullus enim in incerto huius mortalis vitæ, in eodem ſtatu permanet; ſed neceſſe eſt vt aſcendat vel deſcendat: ſi attentet ſtare, videat ne cadat, immò neceſſe eſt vt ruat: nam re vera bonus non eſt qui melior eſſe non vult, & vbi incipit nolle fieri melior, ibi deſinit etiam eſſe bonus: quia nolle proficere in bono, nihil aliud eſt niſi deficere: vera namque virtus finem neſcit, tempore non clauditur.

2. Nunquam iuſtus arbitratur ſe comprehendiſſe: nunquam dicit, Satis eſt; ſed ſemper eſurit & ſitit iuſtitiam: ita vt ſi ſemper viueret, ſemper, quantum in ſe eſt, iuſtior eſſe vellet, ſemper de bono in melius proficere totis viribus conaretur. Non enim ad annum, vel ad tempus inſtar mercenarij, ſed in æternum diuino ſe mancipat famulatui: & ideò iuſtitia eius non aliquanto ſolùm tempore eſt, ſed in ſæculum ſæculi. Sempiterna itaque eſuries iuſti ſempiternam meretur refectionem, & licet ipſe breui conſummetur tempore, iudicatur tamen multa expleſſe tempora & ætates, pro virtutis perpetuitate. Reprobus autem non aſcendit, ſed ſemper deſcendit: quia eius malitia inflexibilis eſt, & eius obſtinata mens punietur æternaliter, licet perpetrauerit malum temporaliter: quia quod breue fuit in tempore, in opere longum eſſe conſtat in pertinaci voluntate, ita vt ſi nunquam moreretur, nunquam velle peccare deſineret: immò ſemper viuere vellet, vt ſemper parcere poſſet.

3. O benigniſſime Domine Ieſu Chriſte, ad ſtatum religionis miſericorditer me ſuſcepiſti, vt ad te aſcenderem de virtute in virtutem, & proficerem de bono in melius; ſed tanta miſeria & malitia plenus fui, quòd ibi deſcendi de peccato in peccatum, & defeci de malo in peius. Nunc ad meipſum reuertor, & à te miſericordiam peto: vt ex bonitate tua infinita peccata mea mihi remittas, virtutum gratias mihi infundas, vt de bono in melius tuo auxilio proficiendo ad tuarum laudum gloriam ſempiternam aſcendam. Amen.

De armis spiritualibus.

CAPVT XXVI.

1. VEra religiosi & perfecta virtus non est armis sæcularibus vincere inimicos, sed spiritualibus, quæ sunt validissima ad destruendas munitiones & altitudines nequitiæ spiritualis. Aggrediendus est igitur aduersarius non ligno, seu baculo; non ferro vel saxo, sed mansuetudine, humilitate, castitate & aliis bonis virtutibus & virtutum operibus. Hæc namque cum tua gratia sunt arma tuæ religionis, quibus in congregatione certamus; diuinus timor terrorem à nobis expellit: præcepta insuper sunt arma: nam arma sunt quibus tu, benignissime Domine Iesu Christe, nos misericorditer instruxisti, scilicet oratione, misericordia & ieiunio. Ieiunium enim meliùs tuetur quàm murus; misericordia faciliùs liberat quàm robur. Oratio longiùs attingit quàm sagitta: sagitta namque non percutit aduersarium nisi de propinquo: oratio autem, eminùs positum ferit inimicum: ideò aduersarij his actionibus magis quàm virtute corporali vincuntur, & non tam viribus quàm sanctitate superantur. Oportet igitur verum & perfectum religiosum arma parare, arma scilicet spiritualia, & non tantùm ad resistendum, sed ad viriliter expugnandum inimicum: vt carnis concupiscentia mortificatione vincatur: oculorum verò concupiscentia, studio compunctionis & assiduitate lacrymarum: ambitionis verò vanitas largitatis & liberalitatis virtute excludatur. Et licet non tentari non sit in nostra potestate, tamen vinci vel vincere (adiuuante tua clementia) in nostra situm est potestate.

2. O misericordissime Domine Iesu Christe, magna confusione plenus ego impiissimus religiosus conspectui tuo appareo: quia tu ex magna bonitate tua me armasti, & in castro fortissimo arctæ religionis me visitasti, in quo tibi humiliter seruiendo inimicos viriliter superarem ac vincerem: sed negligenter, immò malitiosè arma deposui, inimicos intrare siui, & me ab ipsis vinci & prosterni permisi. Adiuua me, piissime Domine, & arma perdita mihi restitue: sis mihi adiutor in bello, ne ampliùs corruam, sed inimicos vincam, & sic deinceps continuam victoriam reportem: vt corona gloriæ à te demum donatus, te æternum possim laudare & glorificare. Amen.

De bono opere.

CAPVT XXVII.

1. SEntentia tua est, Deus meus; In sudore vultus tui vesceris pane tuo, non alieno: ideò vt tuæ sententiæ pareatur, laborandum est & operandum, dum tamen operatio accepta tibi sit & placens. Tibi namque placens est operatio, si sit recta, voluntaria, pura, discreta & firma. Recta, si intentione

intentione bona ; ſcilicet tuiipſius gratia , ſolûmque propter te, & non ſuiipſius faciat homo, quærendo non tua, Domine Ieſu Chriſte, ſed quæ ſui ipſius ſunt, videlicet bona caduca, & opes immenſas, laudem, honorem, gloriam ſuam. Voluntaria, ſi non timore præcepti, vel pœnæ, ſeu alia coactione fiat, ſed propria ſponte, voluntate & arbitrio tuum negotium ſuſcipiatur, & pro viribus ad opus accommodetur : nam coacta ſeruitia, tibi non placent, Domine. Pura, ſi dum fit, non ſe inmiſceat aliqua cura vanitatis. Diſcreta, ſi vltra modum non extendatur. Firma inſuper, ſi cum perſeuerantia copuletur.

2. Hoc namque eſt ſacrificium, quod tu Domine Deus meus, ſuper omnia holocauſtomata requiris, & diligis, vt per iuſtitiæ & miſericordiæ opera, nomen tuum vbique laudetur, & Deus verus ſeruorum tuorum actu & opere eſſe comproberis: merces namque gratiæ operanti augetur, quando non ſpe mercedis quis operatur, ſed ſtudio placendi tibi. Ideò ſemper quandiu viuimus in hoc ſæculo nequam, operari & laborare debemus ad tui nominis gloriam & honorem, & non id ſolùm relinquere ſucceſſoribus : nam tutior via eſt, vt bonum quod quiſque poſt mortem ſperat agi per alios, per ſe agat ipſe dum viuit. Beatiùs eſt enim liberum exire, quàm poſt vincula quærere libertatem. Opera namque, non verba, diſcernunt inter filios tuos, & filios diffidentiæ, qui etiam ex ſuis fructibus, tanquam arbor cognoſcuntur.

3. Quamuis autem Domine Ieſu Chriſte, ad operandum in tuo opere & vinea omnes citra diſcrimen vocaueris, ſpeciali tamen quodam modo religioſos ad hoc præcipuè vocaſti : vt ſequeſtrati ſeparatique à terrenis, promptiùs & opportuniùs operentur ſpiritualia. Sed Domine Deus meus, monſtroſa res eſt, gradus ſummus operarij, & animus infimus, ſedes alta, & vita ima : lingua magniloqua, & manus otioſa, verba ſeſquipedalia, ſermo multus, & fructus nullus : vultus magnifica promittens, & grauis, & actus leuis, ingens authoritas, & nulla ſtabilitas. De iſtorum miſerorum numero confiteor me eſſe, Domine Deus meus, qui ſemper otioſitatem, & requiem, & non laborem corporis, vel animi exercitium quæſiui : legere non libet, orare non delectat, negligo aliqua bona inchoare, immò inchoata faſtidit perficere. Succurre mihi Domine Deus meus, miſericorditer, ne tantus languor, deſidia, & torpor animum meum deprimat, tanta hebetudo mentem meam inficiat : ſed da mihi cum effectu, operationem ſtudioſam, tibique placentem, per quam tua miſericordia me perducat in regnum tuum ad te laudandum, & glorificandum in ſempiterna ſæculorum ſæcula. Amen.

Libri ſecundi Idiotæ de Religioſorum ſtatu : finis.



IDIOTÆ DE RELIGIOSORVM STATV.

LIBER TERTIVS.

De tempore neglecto.

CAPVT I.

1. NEMO est, Domine Iesu Christe, aut vix religiosus vllus qui ætatis suæ tempora diligenter inspiciat: quia voluptatibus corporis se dedicat, nolens in sudore vultus sui vesci pane suo. Quòd si consideraret vitam suam temporalem, cuius oportet eum rationem reddere, sciret quia sua non est, sed tua Domine: tu enim pro ipso posuisti totam vitam tuam pro redimenda vita eius: ideò tua est vita eius, quæ adhuc in infinitum insufficiens est, vt cum tua vita quantulumcúmque compensetur. Sicut enim nihil ad aliquid nullá rationem habet, ita vita eius nullam habet ad tuam proportionem cùm tua, nulla dignior, & illa, nulla miserior esse possit. Sed quid ampliùs Domine? certè exigunt peccata præterita totum tempus eius, vt faciat dignos fructus pœnitentiæ, & recogitet omnes annos suos in amaritudine animæ suæ: quia circumdederunt eum peccata, quorum non est numerus. Quod igitur sine numero est numerari non potest, & delicta quis intelligit? Non ergo sufficiet tempus ad pœnitendum, sed propter nomen tuum, Domine Iesu Christe, non propter pœnitentiæ meritum (vt tuus ait Psalmographus) propitiaberis peccato meo.

2. Sed quid Domine, de tempore æterno tuæ gloriæ quam oculus non vidit, auris non audiuit, nec in cor hominis ascendit? ad hoc Domine tempus & æuum sempiternum emendum non sufficit præsens tempus, quamuis vtiliter & minimè negligenter expendatur: cùm non sint condi-

gnæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Et si ad hanc gloriam tuam obtinendam, tempus præsens non sufficit, quid de te Domine, qui cœlum & terram, & omnia quæ in eis sunt, fecisti? tu qui es creator, ego creatura, tu Dominus, ego seruus, tu figulus, ego figmentum tuum, tu dedisti siderum cursus, aëris temperiem, fœcunditatem terræ, fructuum vbertatem, pro quibus vt gratiarum actiones agantur, non sufficit præsens tempus.

3. Quid ergo faciam ego miser religiosus, qui tempus neglexi, malè expendi, & perdidi, cùm alteri ex prædictis non sufficeret etiam vniuersum tempus benè & vtiliter expensum? Eia Domine vim patior, responde pro me: quia in manibus misericordiæ tuæ me totum subdo: suppleat clementia tua, reatus meos: quia tu es Deus & homo, & quod hominibus impossibile est, possibile est tibi: da tempus acceptabile, vt tibi placere possim in æternum. Amen.

De voluntate propria.

CAPVT II.

1 Vita iniqui religiosi, Domine Iesu Christe, est propria voluntas, quæ magna & diuersa scandala parit: quia dum ille miser sequitur suam propriam voluntatem, temerè quòd vult in corde suo definit, & si hoc prohiberi aut impediri contingat, ad impatientiam, murmurationem, & scandalum rapitur. Talis voluntas propria, non est, Domine, communis tibi & hominibus: quia ad honorem tuum non cedit, nec ad vtilitatem hominum, sed solùm intendit placere sibi & non tibi, neque fratribus, cæterisque hominibus prodesse affectat, solum autem animi impetum perficere cupit.

2. Hæc enim propria voluntas inimicitias exercet contra te Domine, & bellum crudelissimum suscitat. Hanc voluntatem propriam odio habes, & punis: quia vbi cessat hæc voluntas, etiam infernus cessat: nam ignis infernalis non sæuit, nisi in propriam voluntatem. Cùm enim aliquis religiosus frigus aut famem patitur, aut quippiam simile, non læditur in hoc nisi propria voluntas: & dum voluntariè patitur, & sustinet, iam non est propria voluntas, sed communis. Licèt infirmitas quædam velut pruritus voluntatis, adhuc in illa sit & in illa omnes pœnas sustineat, donec penitùs consumatur. Nam voluntas propria illius est, cui assentit, & cui se inclinat liberum arbitrium: illa autem desideria & concupiscentiæ, quæ inuitos tenent, non sunt voluntas, sed corruptio voluntatis. Porrò voluntas propria quo furore te Dominum maiestatis impugnet, audiat & timeat religiosus, seruus propriæ voluntatis: quia primò se subtrahit à tua dominatione, cui tanquam autori seruire debebat, dum efficitur seruus suæ voluntatis, & quantum in se est, omnia quæ tua sunt, tollit & diripit.

3. O clementissime Domine Iesu Christe, ego sum ille religiosus peruersus qui voluntatem propriam secutus, volui vt eam alij sequerentur, quod nisi fieret, murmuraui, alios spreui, in verba iniuriosa prorupi, fratres scandalizaui, impatiens fui, aliisque detraxi, & sic miseram vitam in religione duxi, non ad tuum honorem, sed ad meam damnationem, non ad fratrum ædificationem, sed tribulationem. Parce mihi Domine peccata mea, & da vt pro virili tibi satisfaciam: repelle à me propriam voluntatem, vt tuam impleam, & eam semper implendo possideam sempiternam. Amen.

De scandalo interiori.

CAPVT III.

1. SCandalum patior, clementissime Domine Iesu Christe, ferè quotidianum in anima mea: quia dum oculus, manus, vel pes meus interioris hominis aliqua spiritualiter operari desiderat, oculus, manus, vel pes exterioris hominis impedire nititur, adeò vt ab operibus desideratis, vel fortè iam incœptis penitùs desistam. Oculus enim interior, est intentio pura, manus, operatio studiosa, & pes, affectio deuota: dum autem intentionem tu misericorditer excitas, vt manus, id est, operatio studiosa, ad laudem tui nominis, & ad vtilitatem proximi exerceatur, oculus exterior, qui est intentio voluntatis propriæ, importunè impedit oculum interiorem, vt ad honestè operandum non moueatur, sed ad hoc trahit, & trahere conatur, vt voluntas propria impleatur; & sic scandalum patior omni die: sed huiusce scandali ego ipse sum in causa, qui licèt sim religiosus, & tibi religatus, tuum tamen consilium sequi contempsi.

2. Tu enim dixisti: Si oculus tuus, vel pes, vel manus scandalizat te, erue eum, & proiice abs te: hoc autem fit cùm aliquis non consentit, sed auertit & resistit. Cùm enim ad benè operandum intenditur, & voluntas propria conatur ad alia trahere, ista est manus quæ scandalizat, quæ abscindi debet, & proiici, vt ei non consentiatur: sic etiam proficere in sancta religionis conuersatione, de virtute in virtutem ambulare, sæpè pes pusillanimitatis & negligentiæ scandalizat, sed abscindi eum necesse est, vt pes gratiæ tuæ, qui stat in directo, currere faciat sine offensione, sine scandalo, & sine impedimento: nam sicut dicis, bonum est ad vitam introire cum vno oculo, aut manu, aut pede, quàm duos habentem mitti in gehennam ignis: per hoc autem notas illos, qui voluntatem suam siue bona sit, siue mala, æquè sequuntur, & ingrediuntur duabus vijs, nunc bona, nunc mala sectantes, secundùm quòd desideria sua variantur, quibus vtilius fuerat tuæ gratiæ in omnibus inhærere, & vbi obuiat propria voluntas, abscedere, & à seipsis abiicere eam.

3. O piissime Domine Iesu Christe, ego sum ille peruersus religiosus sic scandalizatus & inconstans, qui semper secundùm desideria mea ambu-

laui, nunc ad bonum, nunc ad malum: abjice à me misericorditer ea quæ scandalizant animam meam, ne intrem in gehennam ignis, vbi nullus laudabit te, sed in gloriam sempiternam, vbi nunquam cessabunt à tua laude, sicut scriptum est: Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Amen.

De excusatione iniqua.

CAPVT IV.

1. O Miserabilis & nefanda multorum religiosorum conditio! ô pudor adducens peccatum! ô cor prauum & durum, omni dolositate plenum! ô lingua nequam, peccatum per iniquas excusationes occultans! tanta namque mentis obstinatione indurantur multi, quòd multis modis peccatis suis excusationes prætexunt: dicunt enim malitiosè se excusantes, Non feci, aut feci quidem, sed benè feci, aut si malè feci, non tamen multùm malè, aut si multùm malè, non tamen mala intentione. Si autem de illis conuincuntur, sicut Adam & Eua, aliena suasione se nituntur excusare: talis autem excusatio ore prophetico malitia appellatur.

2. Interdum etiam peccata nequaquam deflent, quæ faciunt, sed etiam laudare & defendere non erubescunt, non ignorantes quòd cùm culpa defenditur, geminatur: immò frequenter prauitatem suam ex alienis peccatis defendunt: quia enim alios talia fecisse considerant, hoc se non illicitè facere putant. Sed Domine Deus meus, adhuc periculosiùs agunt, quia nequiter se humiliantium, interiora plena sunt dolo. Vnde dum in peccatis comprehenduntur, neque tergiuersari possunt, neque se purgare posse confidunt, in verba dolosæ confessionis prorumpunt, vultum inclinant, lacrymas extorquent, & vocem suspiriis, ac verba gemitibus interrumpunt: & sic eorum confessio laudabiliter sonat in ore, & tamen iniquitas eorum adhuc occultatur in corde.

3. O benignissime Domine Deus meus, tales dixi multos religiosos esse, nunc ad tuam piissimam misericordiam confugio ego sceleratissimus religiosus, & ore & corde tibi confiteor me talem fuisse, & in omnibus prædictis nequiter me deliquisse, & sic fictus fui religiosus, non verus; habitu, non actu; corpore, non mente, non cogitatione nec operatione: doleo me sic deliquisse, sed non quantum deberem, suppleat defectum meum bonitas tua, addat dolorem dolori, vt pœnitentiam agam quæ tibi ad satisfactionem sit accepta, & à recidiuo caueam: tua quoque gratia misericorditer illustratus, hîc viuam secundùm cor tuum, & in fine tandem vitam consequar in laude tua sempiternam. Amen.

De duritia cordis.

CAPVT V.

1. O Mitiſſime & piiſſime Domine Ieſu Chriſte, gratias tibi ago proſtrato & humili corde, ob tuam infinitam & exuberantem miſericordiam quam geris erga miſeros & peruerſos religioſos, in quorum numero primatum teneo ego ſceleratiſſimus, qui cùm in religione cum aliis in humilitate & obedientia viuere deberem, loco humilitatis & obedientiæ habeo & habui cor durum, & more Pharaonis induratum, quod compunctione non ſcinditur, nec pietate emollitur, nec mouetur precibus, minis non cedit, flagellis induratur, ingratum eſt ad tua beneficia, ad conſilia ſurdum, ad iudicia infidum, inuerecundum ad turpia, impauidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad diuina, præteritorum obliuiſcens, præſentium negligens, futura non præuidens. Ipſum eſt cui præteritorum præter ſolas iniurias nihil omnino non præterit, præſentium nihil non perit, futurorum nulla niſi fortè ad vlciſcendum proſpectio eſt: neque te timet, neque hominem reueretur: ſed ſic hebetatum eſt, vt continuam & propriam vexationem non ſentiat.

2. Væ mihi, Domine, impiiſſimo religioſo, à duritia cordis mei. Durum eſt enim, Domine, cor meum, durum eſt: quia ipſum non alliciunt tua promiſſa, nec terrent tua iudicia, nec inferni ſupplicia, neque caſtigant mundi tormenta: ſed cogitatio amara, ipſum quotidie infeſtat, immunda maculat, vana inquietat, cùm illaqueatur ab illis, & inuoluitur in iſtis: vanitas illud decipit, curioſitas deducit, cupiditas allicit, voluptas ſeducit, luxuria polluit, torquet inuidia, turbat iracundia, cruciat triſtitia: ſicque multis caſibus ſubmergitur in vitiis infinitis. Inter laqueos, Domine, ambulo, locum afflictionis inhabito, corpus mortis geſto, iugum gloriæ tolero, grauiorem conſcientiam occulto, & ex iis grauiſſimam ſententiam expecto.

3. O miſericordiſſime Domine Ieſu Chriſte, fidelis es, & non deſeris ſperantem in te, niſi primitùs te deſerat: tunc autem deſerit te, quando cor per impuras & inutiles cogitationes vaga mente diſcurrit. Adiuuare me digneris per tuam immenſam clementiam, gratiam infundendo, vt omni ſollicitudine cuſtodiam cor meum, vt in illo requieſcere poſſis: quia illud ſolum à me requiris: munda igitur & iuſtifica illud per remiſſionem & gratiæ infuſionem, præparatum per puram confeſſionem, mollificatum per contritionem, circumciſum per ſatisfactionem, & incenſum per aſſiduam orationem, vt te mundo corde tua miſericordia tandem videam, & laudes tuas depromam in æternum. Amen.

De obstinatione.

CAPVT VI.

1. O Clementissime Domine Iesu Christe, multi in religione suis vitiis fauent, & quia propriam faciunt voluntatem, ad naturæ referunt necessitatem, non dominantur peccatis, sed potiùs illa obstinata mente defendunt: & ideò vbi contemptus præcedit, necesse est accedere malitiam, vt consolationem quam potest miser obstinatus admittat, & cui non est pars in bonis, gaudeat saltem in malis: lætetur scilicet cum malefecerit, & exultet in rebus pessimis: & sic legem spernunt, honestatem abiiciunt, valefaciunt pudori, timorem tuum transiliunt, solóque ducuntur appetitu, solam sequuntur contumaciam, sola trahuntur voluntate, & est apud eos pro ratione voluntas.

2. Hi sunt inimici pacis, charitatis expertes, vanitate tumentes, placentesque sibi, & magni sunt in oculis suis, ignorantes tuam iustitiam, & suam propriam voluntatem sectantes, totique congregationi suum iudicium præferunt, tanquam ipsi soli habeant spiritum Dei. Inde in eis duritia cordis, inde animi obstinatio: quia meditantur non legem tuam, sed suam propriam voluntatem: vnde tam mordax & amarus sermo reperitur in ore eorum, quod nulla ad eos penetrare potest beneuolentium monitio. Tanta est ista pestis, & tam perniciosa, quòd vnius obstinatio vniuersos turbat, & fit omnibus discordiæ fomes, & scandalorum materia: quia cor durum & induratum, nec Deum timet, nec hominem reueretur, contemnit animam suam, qui contemptus impœnitentiam parit, & impœnitentia obstinatione firmatur, & sic in omnibus viis suis adhærent diabolo, & manifestè efficiuntur vnus spiritus cum eo.

3. O benignissime Domine Iesu Christe, tibi patet obstinatio maligna mentis meæ, hanc habui in religione, quam frequenter manifestaui defendendo peccata mea, & quandóque illam occultaui in mente, vnum ostendens extrinsecùs, aliud intrinsecùs gerens in mente. Adiuuare igitur me digneris, Domine Iesu Christe, per tuam piissimam misericordiam: expelle ab anima mea istud venenum mortiferum & confer mihi tuam gratiam, vt obstinatione expulsa, peccata mea cognoscam & defleam, acceptamque tibi de ipsis hîc agam pœnitentiam, vt in fine gloria tua non caream, & te tua miseratione laudare possim in vitam sempiternam. Amen.

De leuitate animæ.

CAPVT VII.

1. ANimus religiosi qui ad spiritualia intentus non est, mobilitate multa & leuitate iactatur: quia interdum curiosè quosdam sibi superiores

circunſpicit, quoſdam etiam inferiores, ſuperioribus inuidet, inferiores deridet, pares ſibi, paruipendit: & ſic magna mobilitate, & leuitate animus eius permotus, nullã curam ſui gerit: ſed modò per ſuperbiam ad alta ſe erigit, modò per inuidiam ad ima deuergit, nunc per iracundiam nequiter tabeſcit, nunc per extollentiam pueriliter hilareſcit, in vno nequam, in altero vanus, in alio præſumptuoſus, in omnibus ſuperbus: quia amor propriæ extollentiæ, animum ſuum mobilem facit: quia ſuperari ſe dolet, ſuperare gaudet.

2. Has autem animi mobilitates & leuitates, indicant ſeria verba eius, nunc pauca & mordacia, nunc multa & inania, nunc riſu nunc luctu plena ſunt, & ſemper irrationabilia. Diffuſus igitur eius animus ad multa, dum ſpatioſa clauſtri perluſtrat, damna interiora non ſentit: nec mirum ſi propriam non ſentit animi læſionem, quia oblitus ſuiipſius, & abſens penitùs à ſeipſo, in longinquam proficiſcitur regionem, magna leuitate & mobilitate vniuerſa perluſtrans: cùm tamen ſicut corpus ſub clauſtri arctitudine clauditur, ſic ſe animus magna ſtabilitate, in diuinis firmare deberet meditationibus, vt ſemper ibi conſtanter ſtabiliretur, vbi ſemper vera gaudia contemplaretur.

3. O miſericordiſſime Domine Ieſu Chriſte, tua immenſa bonitate multum indigeo, ſine qua ego nefandiſſimus religioſus ſaluari non poſſum. Semper enim mens miſerabilis, animus leuis & mobilis fuit, ad vitam aliorum perſcrutandam, & in deteriorem partem eam temerariè interpretandam, multa ac diuerſa alia vagè cogitando. Auxiliari mihi digneris, miſericordiſſime Domine Ieſu Chriſte, dirige cor meum ad meipſum, vt meipſum aſpiciam & cognoſcam, emendem, & per te tibi ſatisfaciam, te laudare & benedicere valeam in æternum, tecum vitam adeptus ſempiternam. Amen.

De carne.

CAPVT VIII.

1. O Caro religioſi rebellis & delicata, quæ nullum vis ferre laborem, ſed ſemper in quiete viuere cupis: ideò præceps es ad libidinem, improba ad petulantiam, frequens ad luxuriam, inuerecunda ad fornicationem, crimini quotidie crimem adiicis, peccata peccatis accumulas, nec ceſſas peſſimis deteriora coniungere, voluntate crudelis es, vana, & inſipiens, ſemper ad malum prona, ad bonum pigra, velox ad mortem, ad vitam difficilis, & ſicut tinea lanam erodit, ignis ligna, fœnum, ſtipulamque conſumit, ſic tu animam concremas, & conficis.

2. O miſerabilis religioſe, ad quid & quare nutris carnem tuam miſeram delicatè & ſine labore? quia ſemper æſtuat, & tibi tempeſtas eſt, nec vnquam à motibus procellarum & miſerandis naufragiis conquieſcit, grauis tibi & animæ tuæ eſt, nec habes tam domeſticum inimicum quàm carnis tuæ infirmitatem. Grauis lucta tibi eſt & graue periculum, quia conatur

natur subuertere animum tuum: quippe quæ de peccato nata, in peccato nutrita, intus in ipsa origine corrupta; sed multò magis praua consuetudine vitiata, data est animæ tuæ quasi in bellum, quæ si mortificata fuerit, adducit ad vitam; & si nutriatur, præparat se ad bellum, & ducit ad interitum: laudabilis namque esses, si in eam plenariam potestatem haberes.

3. O benignissime Domine Iesu Christe, cui religioso meliùs possum loqui quàm mihiipsi? quia de aliis loquor insciè, de me autem loqui possum assertissimè, quamuis cum confusione loquar; quia animam meam vilipendo, carnem meam miserabilem nutriui in deliciis & otiis, in cibo & potu delicatis, in quiete & voluptate, in peccatis & delectatione, & in omnibus quæ illi placerent diligentiam adhibui, vt absque mora fierent. Auxiliari mihi digneris, piissime Domine, quia ancillæ seruitia indiscretè præbui, sic tua præcepta transgrediendo, & animam meam aspernando. Concede mihi misericorditer veniam de peccatis, & confer gratiam, vt te donante, domare valeam carnem miseram, & nutrire animam meam, vt ad tuam voluntatem perenniter faciendam, tuam gloriam consequar sempiternam. Amen.

De iis qui volunt bona habere, & mali esse.

CAPVT IX.

1. O Peruersa conditio religiosi! intrasti religionem intentione bene lautéque viuendi secundùm miseram carnem tuam? bonum quæris, bonum desideras, bene vis viuere in cibo & potu, bonum beneficium vis habere, bonas vestes, & omnia corpori tuo necessaria optas, bona cupis & habere vis, & tamen non vis bonus esse. O insania & cæcitas mentis miseri religiosi! vt omnia velit habere bona præter seipsum, cùm potiùs deberet amare bonitatem suam quàm totum mundum, quia præualeret toti mundo.

2. Quid enim est in religione bonum, quoad vsum corporis, quod religiosi non affectent habere; etiam illa quæ suis superioribus iustè debentur, & quæ sibi iure denegari possunt. Diligunt namque primos recubitus, & vocari ab hominibus, Rabbi: primi cupiunt esse in mensa, vt lautiùs sibi seruiatur, honorabiliorem cellam in dormitorio petunt, & vbique meliorem affectant locum: & tamen habere volunt, & habent malam in seipsis vitam, quam sic negligunt, vt nolint aliquod habere malum nisi propriam vitam: & licet vita eos non offenderit, tamen ipsam volunt habere malam, vt inter omnia bona quæ habere desiderant, sint mali: si autem malum habeant, aut mala ea quibus ad vsum corporis vtuntur, tristantur, desolantur & impatienter tolerant, & vitam malam habent & habere volunt, & maximum bonum reputant omnia, præter seipsos, habere bona.

3. O benignissime Domine Iesu Christe, ego sceleratissimus religiosus sum ille qui omnia prædicta in me miserabiliter sum expertus, qui vitam prauam ducendo bona temporalia ardenter concupiui, & si non haberem, murmuraui; aut si bona ad plenum non habui, impatienter toleraui: malam autem & peruersam vitam meam dilexi, & in illa perseueranter steti: & sic ingratissimus fui appetendo bonum, & faciendo malum, præmiari desideraui, vnde maximam pœnam merebar. Ignoscere mihi digneris, Domine Iesu Christe, aufer à me tantam ingratitudinem: concede propitius mihi vitam bonam, & animæ meæ salutarem, vt mentem ad te eleuem, & bona spiritualia appetam, vt te donante ad honorem tuum tibi in hoc mundo seruiens, vitam ad melius tibi perenniter seruiendum consequar sempiternam. Amen.

De curiositate.

CAPVT X.

1. DOmine Iesu Christe, curiosum est valdè cor nostrum, ad scrutandum & inuestigandum vitam & facta aliorum, & valde desidiosum est & pigrum ad propriam vitam corrigendam. Hæc enim est curiosa cogitatio in claustro, vt semper aliorum vitã & facta quis exploret, & omnia in deteriorem partẽ in corde suo vertat, cùm valde reprehensibiles in nobis ipsis essemus, si tanta diligentia nostra cerneremus vitia, quanta scrutamur aliena, sed hinc est vt nostra obliuiscamur, dum aliena perscrutamur: & quandiu peccata nostra ignoramus, quæ deflere deberemus, tandiu curiosè rimamur aliena. Nam si conuersi ad nosipsos, mores nostros diligenter attenderemus, non requireremus in aliis quod tam vigilanter reprehenderemus, sed solùm quod in nobis lugeremus.

2. O quàm graue est, Domine Deus meus, curiosi vitium! quia semper vt aliena sciat, seipsum nescit, & animus eius quantò peritior fuerit alieni boni, tantò fit ignarior sui. Et tanta est iniquitas nostra, quòd libentiùs vitia cuiusque quàm virtutes attendimus, nec quid boni, sed quid mali gesserit, aduertimus: in omnibus ferè hoc malum inuenitur, vt alios culpent, & ipsi culpas suas non agnoscant si in eosdem inciderint errores: magnus labor est discutere aliena commissa, & contemnere quod proximum est, sed longè maior de alterius mente temerè iudicare, & suam nosse non posse, nec facilis venia est, praua dixisse de bonis.

3. O piissime Domine Iesu Christe, maxima curiositas nunquam mihi miserrimo religioso defuit; quia semper gessi cor inclinatum ad inuestiganda facta aliena, & illa in corde, praua esse, temerè iudicaui, aut non recta intentione facta: facta autem mea & malas meditationes non cogitaui, aut negligenter cogitaui, immò frequenter cogitare nolui, sed contempsi. Succurre mihi Domine, vt de alienis non cogitem, sed meipsum cognoscam: ab occultis meis munda me, Domine, & ab alienis

parce seruo tuo. Da vt te cognoscendo humiliter emendem, quæ malè hactenus gessi & cogitaui, & sic vitam meam in præsenti transigam, vt te donante, vitam in perenni laude tua consequar sempiternam. Amen.

De detractione.

CAPVT XI.

1. NOn sufficit, Domine Iesu Christe, multis religiosis curiositas, qua in cordibus suis aliorum dicta aut facta, tanquam praua temerariè condemnant, sed etiam ad detractiones varias, linguas suas laxant, & quandoque ad adulationes. Nam tanta est iniquitas & prauitas eorum, vt in præsentia adulentur, & in absentia detrahant. Adulatione vngunt, & detractione pungunt; adulantur vltra quàm debeant, commendando, & detrahunt vltra quàm debeant, vituperando: obseruant diligenter, non propria, sed aliena peccata; non vt plangant, sed vt imputent & exprobrent; non vt curent, sed vt ampliùs vulnerent. Est igitur detractio in corde dolosa, in ore furiosa, & in aure venenosa; in corde torquet obloquentem, in ore lædit absentem, in aure fœdat audientem.

2. Detractio vrit, torquet, molestat & inquietat suum possessorem qui omnibus bonis inuidet, omnibus malefactis arridet, secreta vult inuestigare, vt ipsa possit reuelare, mala vult augmentare & bona diminuere vel tacere, nec vnquam caret inuidia, & inficit non solùm seipsum & eum quem diffamat, sed etiam illum cui diffamationem narrat, & vterque ipsorum tam detractor quàm auditor diabolum secum gestat: sepulchrum patens est guttur eorum, venenum aspidum sub labiis eorum. O Domine Deus meus, nihil hodie suauius quàm aliena loqui, aliena curare, insultare miseriis aliorum, & cunctis ad cæterorum condemnationem aliena vulnera monstrare. In hoc ipso omne tempus vitæ nostræ absumimus, à quo vitio, nec sancti homines, nec religiosi, liberi facilè inueniuntur.

3. Auxiliari mihi digneris, benignissime Domine Iesu Christe, quia inter cæteros mundi religiosos hoc vitio detractionis me infectum sentio, qui cùm sim cæteris peccator maior, plurimis, immò infinitis criminibus vulneratus & damnabiliter infectus, peccata mea post tergum projiciendo, aliorum peccata posui ante oculos meos, & illa prodidi: immo quod perniciosius est, mihi & animæ meæ, bonam famam aliorum denigraui, & quantum potui, in infamiam conuerti. Ignosce mihi, obsecro, Domine Iesu Christe, & tanta flagitia mihi benignè remitte, & gratiam verè resipiscendi mihi tribue; vt in fine gratiam laudandi te, consequar sempiternam. Amen.

De inuidia.

CAPVT XII.

1. VBi inuidia est, Domine Iesu Christe, ibi mors est: quia non potest simul quis inuidere, & viuere. Dum enim inuidia interiora hominis penetrauerit, totum cor eius per dolorem, & sollicitudinem rodit, & lacerat: & nil iustius agit inuidia, quàm quòd autorem suum ante cruciat: nam semper lædit corpus, sicut venenum, grauat etiam proximum, quia & amicis, & inimicis nocet. Tantum namque est venenum inuidiæ, quòd non solùm inimicos inficit, verùm etiam bonum amicorum ferre non potest, immò quæcumque diffamat & subuertit.

2. O execrabilis inuidia, tu murum religionis penetras, tu claustra subintras tu venenum tuum mortiferum effundis in corda plurimorum religiosorum, qui semper dolent de bono & promotione aliorum, & contra gaudent de damno & deiectione aliorum, similes fratribus Ioseph, qui sola inuidia moti, eò quòd à patre plus cæteris amaretur, ipsum occidere voluerunt, & Ægyptiis tandem vendiderunt. Non enim attendunt inuidi religiosi, quòd te Domine, inuidia impugnat, quia immediatè opponitur charitati, & tu charitas es: per ipsam namque inuidiam, homo tentatus fuit, & eiectus à paradiso: qui inuidia diaboli, mors intrauit in orbem terrarum, Tu etiam Domine Iesu Christe, per inuidiam traditus, flagellatus & occisus fuisti: ideò inuidia contrariatur tibi, quia tanta est bonitas tua, quòd bonis & malis vis prodesse: & tanta est inuidi prauitas, quod bonis & malis vult & conatur verbo, facto, & corde obesse.

3. O benignissime Domine Iesu Christe, hoc inuidiæ mortifero morbo ego iniquissimus religiosus fui longissimis temporibus infectus: quia de fratrum meorum promotione dolui, de eorum malis & infortuniis sæpe gauisus fui: propter inuidiam, bonam aliorum famam carpsi, offuscaui, denigraui, damnum eis procuraui, contra superiores murmuraui, inuidens statui ipsorum, pares odio habui, & inferiores abieci: quia tanta fuit in me inuidia, quòd omnes alios aut dictis, aut factis culpaui, cupiens super omnes ab omnibúsque laudari. O piissime Domine Iesu Christe, ignoscere mihi dignare, quia sic tota vita mea inuidia fuit. Concede mihi misericorditer veram & perfectam charitaté, qui vitam meam miseram emendé, tibi & proximis per te satisfaciam, ad tuum beneplacitum hîc viuam, exacta autem hac, meliorem in tua misericordia, quæ numquam à laudibus tuis cesset, inueniam. Amen.

De tepiditate.

CAPVT XIII.

1. SVnt plurimi, Domine Iesu Christe, in religione, qui dum in studiis spiritualibus magis solliciti esse deberent, cùm præsertim ad hoc sint electi, magis in his fatigantur, atque in teporem & tepiditatem vertuntur, & defectu quodam spiritus positi, ambulant cum tristitia vias tuas, corde tepente, arente, & præ tædio tabescente, accedunt ad quæque iniuncta, frequenter murmurant, longos dies interdùm, & frequentiùs longas noctes queruntur, quorum est breuis & rara compunctio, animalis cogitatio, tepida conuersatio, obedientia sine deuotione, sermo sine circumspectione, oratio sine cordis intentione, lectio sine ædificatione, quos vix gehennæ metus inhibet, vix arcet pudor, vix frenat ratio, vix vlla castigat disciplina, & si diu in ipsis tepiditas permanet, sub onere opprimuntur, & succumbunt, vt numquam ad plenum respirent in luce miserationum tuarum: nec in libertate spiritus, quæ sola facit iugum tuum esse suaue, & onus tuum leue.

2. Inde autem tam perniciosa tepiditas emanat, quia voluntas eorum nondum purgata est, nec bonum sic volunt, vt nouerunt, à propria conscientia abstracti & illecti; amant in carne sua terrenas consolatiunculas, siue in signo, siue in facto, siue in quocumque alio: rarò namque suas affectiones dirigunt in te, & eorum compunctio non continua, sed momentanea est: impleri autem visitationibus tuis anima non potest, quæ hisce distractionibus, & tepiditatibus subiacet, & quantò magis illis euacuabitur, tantò ampliùs istis implebitur. Non enim spiritus & caro, ardor & tepiditas, in vno domicilio commorantur.

2. O misericordissime Domine Iesu Christe, quanta tepiditate sum infectus! ego miserrimus religiosus, qui dum magis ad tibi seruiendum fui obligatus, & sum astrictus, magis tepidè quam non astrictè tibi seruiui, & seruio. Non enim ex deuotione, sed ex consuetudine, non corde, sed ore, non cum lætitia mentis, sed cum tristitia carnis, non spontanea voluntate, sed frequenti coactione. Succurre mihi, piissime Domine, aufer à me tepiditatem, & accende cor meum igne tui immensi amoris, vt tibi cordis ardore, & tota deuotione seruiam, & in præsenti, & in sempiternum. Amen.

DE VITIO GVLÆ.

CAPVT XIV.

1. NVllus est in religione, Domine Iesu Christe, magis importunus exactor, quàm gula: quotidie clamat, quotidie queritur, numquam,

aut vix satiatur, nunquam quiescit, nunquam tacet, semper contra administratores murmurat, nunquam dicit sufficit, nunquam cum ratione discernit, voluptatem sub specie necessitatis, aut prætextu laudabilis consuetudinis, palliat: vt dum putat consuetudinem obseruare, voluptatis desiderio seruiat, & tantò gula securiùs in præceps rapit, quantò sub honesto necessitatis explendæ nomine, aut rationabilis seruandæ consuetudinis, se contegit.

2. Misera gutturis voluptas, quæ vix longitudinem duorum digitorum habet, nec durat delectatio, nisi quantùm transitus ille per gulam, semper incautum & miserum religiosum facit, querulosum, tristem, mendacem, impatientem, iurgia seminantem, ingratum, & scandalosum: non enim considerat quanta mala ex vitio gulæ euenerunt. Nam vitium gulæ primis parentibus fuit initium omnium malorum, per hoc vitium Noe, licèt esset perfectus, fuit deceptus, per hoc vitium Loth commisit incæstum, Esau vendidit primogenita sua, Filij Isaael incurrerunt iram Dei, de quibus scribitur: Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei descendit super illos. Et hoc vitium sequitur carnis intemperantia, propter quam Absalon interfecit fratrem suum, & Herodes beatum Ioannem Baptistam. Ex isto vitio, aculei libidinis excitantur, & quantò magis venter impletur, tantò magis anima minoratur, & minùs nocet princeps extorquendo pecuniam, quàm venter suscipiendo escam.

3. O misericordissime Domine Iesu Christe, miseram vitam meam ego pessimus religiosus in hoc vitio gulæ expendi, sumendo cibum ad voluntatem, & non ad necessitatem, modum excedendo, ieiunia infringendo, delicata cibaria appetendo, curiosè parari faciendo, & illa ad crapulam vsque & ebrietatem accipiendo, & ex hoc somnolentiam, & pigritiam ad omne opus bonum incurri. Succurre mihi Domine, ex tua magna bonitate, & da mihi clementer abstinentiam veram, non solùm ab excessu ciborum, sed etiam ab omni mortalium vitiorum, vt de præteritis propter offensam tui doleam, à futuris præcaueam, & in fine seruitium tui in sanctitate promerear, in vitam sempiternam. Amen.

De vanitate laudis humanæ.

CAPVT XV.

1. Mirandum est, immò magis dolendum, Domine Iesu Christe, quòd vana laus humana quosdam religiosorum animos sic inaniter occupat, vt laudari velint, cùm sint verè culpabiles. Optant, & volunt, vt in eis veneremur, non quidem quod in eis est, sed quod de ipsis esse putatur, & non est. Vani enim sunt filij hominum mendaces filiij hominum in stateris, vt decipiant ipsi de vanitate in idipsum. Laudantur namque mendaciter, delectantur inaniter, vt vani sint ipsi qui laudantur, & mendaces qui laudant: laudantur ergo, & ficti sunt, alij laudant quod putant, & falsi

ſunt, alij vtrorumque præconiis gloriantur, & vani ſunt: non enim attendunt ipſi miſeri religioſi, quòd non eſt laudandus homo in hac vita, quæ tentatio eſt ſuper terram.

2. Vana quidem eſt talis laus & ſeductoria, qua laudatur peccator in deſiderio animæ ſuæ, nec eſt prædicanda, nec commendanda: quia eorum vita non eſt talis, de qua quiſque eorum dicere poſſit: Viuo autẽ ego iam non ego, viuit verò in me Chriſtus: ſi autem laudarentur in quo iam ſic viuerent; non ipſi, ſed Chriſtus, in Chriſti, non in ſua laudarentur vita, contra ſententiam: Ne laudaueris hominem in vita ſua. Sed quis eſt hîc, Domine Ieſu Chriſte, talis, & laudabimus eum? Certe, quod pudet dicere, plus dolet ſic eſſe. Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum. Similes ſunt ſepulchris dealbatis, quæ foris pulchra apparent, & intùs plena ſunt vermibus, & ipſi quoque, fœtoribus & immundiſſimis ſpurcitiis diuerſorum peccatorum.

3. O benigniſſime Domine Ieſu Chriſte, ego religioſus peſſimus qui loquor, de numero ſum illorum perditorum, & inutilium religioſorum, qui vanitatem dilexi, & apparere volui quod non eram, laus humana mihi placuit, cùm tamen confuſio deberetur, quia prædicabar bonus, & magna nequitia plenus eram. Succurrat mihi bonitas tua, miſericordiſſime Domine Ieſu Chriſte, & non permittas me ſic finire miſerabiliter vitam meam, ſed ſic clementer illam emendes, vt non ampliùs propriam laudem, ſed tuam ſolam quæram, & diligam in vitam ſempiternam. Amen.

De inſatiabili deſiderio.

CAPVT XVI.

1. LIcet Domine Ieſu Chriſte, humana natura vix ſatietur, ſed ſemper appetat potiora, tamen longe minùs ſatiatur natura peruerſi religioſi, qui ſuæ miſeræ concupiſcentiæ neſcit, aut non vult modum apponere: quia pretioſa veſte indutus, pretioſiorem affectat, & multas diuitias, bonáque poſſidens, inuidet ditiori ſe. Si cupidus eſt, nunquam dicit, ſat eſt, ſi libidinoſus eſt, nunquam ſatiatur ſua miſera voluptate, ſi ſuperbus, ad altiora mente & ſpiritu anhelat, ſi guloſus, nunquam caret murmure, & ſcandalo inimenſa, ſi inobediens fuerit, verba contumeliæ multiplicat: ſi ambitioſus laudis humanæ, adeptus dignitates aut fauores, amplioris honoris æſtuat deſiderio, nec finem deſideriis ſuis imponit.

2. Non conſiderat, nec animo conſpicit, quod ſtultum eſt, & extremæ dementiæ, ea ſemper appetere quæ nunquam ſatiant; nec appetitum explent: nam cùm quicquam talium habuerit, nihilominus non habita concupiſcit, & ad quæque quæ defuerint, ſemper anhelat: & ita fit, vt per varia, & fallacia mundi oblectamenta, vagabundus animus, caſſo labore diſcurrens, fatigetur, & nunquam ſatietur: & dum quicquam famelius

inglutierit, parui æstimet ad id quod superest deuorandum, sempérque non minùs anxiè cupiat quæ desunt, quàm quæ assunt, vt lætè possideat.

3. O clementissime Domine Iesu Christe, confiteor ego sceleratissimus religiosus quòd isto morbo laboro, & laboraui ferè quandiu in religione permansi: & licèt plurima bona ex mera tua gratia, & exuberanti clementia mihi dederis, & aliis me indignum præfeceris, tamen tanquam ingratissimus insatiabili ardore potiora concupiui, nec vnquam contentus vixi illis donis gratiosè mihi datis. Adiuua me, piissime Domine Iesu Christe, tempera desiderium meum, & ipsum de terrenis eleua ad te, vt te semper desiderem, & tibi seruiam, téque in sancto seruitio tuo perpetim manens, placatum videam & propitium in æternum. Amen.

De concupiscentia.

CAPVT XVII.

1. MAximum delictum est, Domine Iesu Christe, præsertim in religioso, concupiscentia, quæ interiorem & exteriorem hominem occupat vniuersum, adeo vt in eo non sit à planta pedis vsque ad verticem sanitas, quin totum inficiat concupiscentia. Lex namque peccati est, quæ in omnibus membris dominatur, vndique per fenestras mors intrare contendit, & intus fomes totius nequitiæ periculosiùs sæuit, & crudeliùs grassatur: & vix est in religioso quicquam purum ac immune ab hac macula, & contagio: quia mentem desideriis afficit, membra illecebris inficit, inde pruritus aurium, oculorum petulantia, inde olfaciendi voluptas, inde in faucibus inordinata delectatio, inde in vniuerso corpore mollicies sensus, libidóque perniciosa, inde in tota anima ebrietas illa desideriorum, & fornax quædam ambitionis, auaritiæ, inuidiæ, contumaciæ, & omnium denique vitiorum affectibus accensa vehementer.

2. Huic ergo tam multifariæ pesti per singula resistere, multiplex est labor: quia dum resistitur concatenationi concupiscentiarum, resultat inde magna tribulatio: quot enim corpus illecebras, quot oblectamenta mundus videtur habere, tot patitur tribulationes, & tot tentamenta etiam bonus sustinet religiosus: quia sicut pauper concupiscit facultatem: infirmus sanitatem, & obsessus securitatem: sic bonus religiosus concupiscere debet illa bona cælestia, quæ conferunt facultatem quæ non minoratur, nec fastidium generat: debet etiam suauitatem concupiscere perdurabilem, quæ nunquam amarescit, & securitatem, quæ nunquam impugnatur, vt tu Domine Iesu, qui es sapientia Patris illi & sui similibus dicere possis, Transite ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini.

3. O misericordissime Domine Iesu Christe, ego miserrimus religiosus, deposito vsu rationis, & vtendo sola sensualitate, quocunque appetitus semper desiderium inflexit, illa statim bestiarum more, quæ concupiscentiis

tiisducuntur, concupiui. Cùm enim accessit appetitus superbiæ statim honores optauit cùm auaritia se obiecit, statim diuitias cogitaui, & cùm se luxuria ingessit, motus venereos animi declinare nolui, sed semper ad modum pueri, vbicumque se inclinauit effectus, illuc statim meipsum rapui. Succurre mihi, Domine Iesu Christe, & aufer à me concupiscentias malas, & da concupiscentiam bonam, vt in præsenti te sic cupiam, quòd in æterno seruitio tuo te apprehendam. Amen.

De ingratitudine.

CAPVT XVIII.

1. PEruersorum religiosorum est, Domine Iesu Christe, occasiones ingratitudinis inuestigare: quia dum dona tua recipiunt, nesciunt à quo illa habent, sed impia vanitate iactantur, & propriam gloriam quærunt, qui tamen ad omnia dona tua gratias agere negligunt, quas deberent ad singula, vt nulla gratiarum actione frustrarentur. Scio Domine, quòd peremptoria res est, ingratitudo, hostis gratiæ, inimica salutis, exinanitio benefactorum, virtutum dispersio, beneficiorum perditio, ventus vrens, siccans fontem pietatis, rorem misericordiæ, & fluenta gratiæ, præsertim in filiis gratiæ, & in hominibus conuersionis, sicut sunt religiosi: iure enim perditum reputatur, quod in ingratum confertur, & dedisse pœnitet, quod perisse videtur.

2. Nemo est qui non facilè, si à te quærit, inueniat. Vnde plurimum ingratus est qui obnoxius tibi sit: quia non est qui se abscondat à calore gratiæ tuæ: & licèt multi sint satis importunè petentes quod sibi deesse cognouerint, pauci tamen sunt qui dignas super acceptis beneficiis gratias rependunt: nec reprehensibile est quod instanter petunt, sed quia inueniuntur ingrati, planè petitioni negant effectum, & fortè, Domine Deus meus, clementia videtur esse, ingratis negare quod petunt, ne contingat vt tantò grauiùs de ingratitudine iudicentur, quantò magis accumulatis beneficiis ingrati extitisse probantur. O quam fœlix est ille, Domine Iesu Christe, qui ad singula dona tuæ gratiæ redit ad te, in quo est plenitudo omnium gratiarum, vt dum pro acceptis beneficiis non ingrati comperirntur, locum gratiæ faciant, vt maiora adhuc accipere mereantur.

3. O benignissime Domine Iesu Christe, ego impiissimus religiosus ingratissimus tibi semper fui, quandoque negando beneficia & dona, quæ à tua exuberanti clementia acceperam, quandóque illa dissimulando, quandóque gratias non agendo, & quandóque tua dona obliuioni mandando. Immò quod grauius & damnabilius est, à te mihi data, adscribere volui meritis meis, & non tuæ immensæ bonitati. Adiuua me misericordissime Domine Iesu Christe, & ignoscere mihi clementer dignare. Da cognitionem veram, vt tua dona cognoscam, de ipsis gratias agam, ingratitudinis

& aliorum peccatorum me pœniteat, vt tibi toto corde & corpore seruiam, & tandem te miserante in seruitio tuo gloriam consequar sempiternam. Amen.

De procrastinatione.

CAPVT XIX.

1. LArgiris misericors Deus, spatium pœnitendi, emendandi, & corrigendi: sed miser religiosus in delitiis & voluptatibus viuens potiùs amat dilationem, quàm emendationem, diu se putans victurum & tardè moriturum, quamuis templa lata marmorea, ferro & plumbo consolidata corruant, demoliantur, & decidant. Longè quidem putat esse diem tui tremendi iudicii, cùm tamen vniuscuiusque dies longè esse non possit, quia breuis est vita, & ipsa breuitas semper incerta est, & dies vltima, ignota, sed opulentia, & voluptas miserum religiosum occidunt, cùm dicit voce coruina, cras, cras, & interim clauditur arcis ianua, & foris remanebit cùm voce coruina, quia gemitum columbinum non habuit.

2. Conuerso, Domine Deus meus, veniam promittis, sed crastinum nulli promittis: nam paterfamilias venienti hora vndecima promisit denarium, sed quòd viueret vsque ad sextam, non promisit. Quare ergo miser religiosus à te vocatus differt venire, certus de mercede, & incertus de die, non attendens quòd potest sibiipsi auferri differendo, quod tu ex tua immensa misericordia ei daturus eras promittendo. Non differret in longum bonum prandium miser & voluptuosus religiosus, & malam vitam mauult habere longam. Si aurum illi afferatur, non dicit vt in crastinum differatur, sed statim recipit, aut sibi debitum exigit, hoc differre non vult, nec excusationem recipit: & cùm tu ex infinita bonitate salutem animæ illi promiseris, illam miser recipere differt, & sic frequenter decipitur: quia dum ignorat spatium vitæ suæ, longius credit sæpius fore quàm sibi futurum sit illud.

3. O misericordissime Domine Iesu Christe, ego miser religiosus, plenus dierum malorum, senex & antiquus in vitiis & peccatis, atque confractus praua consuetudine, hucusque distuli ad te redire per emendationem vitæ meæ, quam quasi continuè consumpsi in prauis moribus, & exemplis, in criminibus & delictis diuersis. Adiuua me per tuam clementiam, & compelle rebellem mentem meam redire ad te, & me benignè suscipe, vt ad te toto corde veniens, discam tibi in vitam æternam seruire. Amen.

De hypocrisi.

CAPVT XX.

1. O Clementissime Domine Iesu Christe, sunt in religionis claustris, non veri religiosi, sed simulatores, qui etsi iusti esse non quærunt,

videri tamen cupiunt. Hi mala peragunt, & bona profitentur, quippe qui per ostentationem, boni, sed per actionem, mali existunt. Ex vera cordis compunctione nunquam sui accusatores fiunt, etsi peccatores se esse ad hoc designant, vt ex ficta humilitate confessionis, locum aucupentur sanctitatis. Tristitia eorum non in corde, sed in facie est. Exterminant enim facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes: singularia magis & inusitata sectantur, & vanis fauoribus delectantur: eorum mentes non testimonio conscientiæ, sed adulationibus demulcentur.

2. Hi Monachi oues sunt habitu, vulpes actu, & crudelitate lupi. Non diligunt virtutes, sed vitia velant sub pallio virtutum: de remediis morbos creant, & de medicina conficiunt languorem: quod est exteriùs, mundant, & quod est interiùs, relinquunt immundum. Citò prouocantur ad iram, & diu retinent in corde rancorem. Alios credunt illuminare, & seipsos confundunt: quia dum aliis per bonum exemplum proficiunt, ex simulata eorum intentione, sibiipsis nocent, nomen habent quòd viuant, & mortui sunt. Hi non semper latent: nam licèt à principio suo non appareant, postea tamen apparent, & priùs quàm vita eorum finiatur, non attendunt quòd nulla est iniustitia capitalior, quàm cùm quis malè facit, & videri vult bonus.

3. O benignissime Domine Iesu Christe, ego sum peruersus ille religiosus, habitu honestus, actu prauus, bonum simulans exteriùs, & malum gerens interiùs. Ad laudes humanas audiendas voluntarius, ad operanda studiosa tardus, plenus iniquitate in corde, & humilis apparens in voce. Auxiliari mihi dignare, piissime Domine Iesu Christe, non permittat immensa tua bonitas me sic miserabiliter dies meos ad perpetuam damnationem finire, sed concede mihi, misericorditer, vt cum effectu vitam meam miseram corrigam & emendem. Et sicut exteriore habitu honestatem ostendo, sic eam interiùs in corde conseruem, vt in veritate, & puritate vitæ, tibi seruiam, te laudem & glorificem, in perennia sæculorum sæcula. Amen.

Idiotæ de statu religiosorum finis.



EX
LIBRO SEXTO
MAPHÆI VEGII,
DE
PERSEVERANTIA
RELIGIONIS.

De meditatione quieti & tranquilli status Religiosi.



ONNEXA est ſuperioribus, quam meditari quoq; oportet dulciſſima religionis quies atque tranquillitas. Scitũ eſt enim quæque inter ſe contraria pari iudicio diſcerni. Si igitur graue eſſe demonſtratum eſt mortalium ſortem propter ingentes eius, innumeraſque miſerias placidam contra ac iucundam, confiteri neceſſe erit religioſam vitam, quæ plena fruens pace ac libertate, ab illis ſemota ſit penitùs & exempta. Quod quiſque meditans attentè conſiderauerit, dementire profectò videbitur, ſi de tanto pelago calamitatum, in amœnum dulcemque & ſecurum portum, mutata longè impari conditione traductus non cupiat, ſtudeatque maiore in dies deſiderio, tantam quam aſſecutus eſt, felicitatem conſeruare, conſeruatámque augere etiam magis ac beneficentiam benignitatémque eius cuius gratia & vocatione ad illam peruenit agnoſcere. Non hîc ambitio, non ira, non liuor, non cupiditas congregandarum pecuniarum, amittendarũque ſimul timor, grauiſſimæ atrociſſimæque peſtes, animum inuadent atque perturbabunt. Non hîc cauſidicorum improbitas, negotiatorum auaritia, militum audacia, fœneratorum voracitas, quæſtorum rapacitas, tyrannorum impietas, ſollicitudinem & metum generabunt. Non ſeruorum, filiorum, vxorumque graues vndique & intolerabiles moleſtiæ mentem torquebunt atque affligent. Non hic ſudandum, æſtuandum, anhelandum; magníſque laboribus, & periculis ſubiacendum: procul hinc lites, & iurgia, procul amaræ ſuſpiciones & odia. Quantò ille felicior qui ab his ereptus vexationibus,

his à malis liber, pace secura fruitur, tranquillos omnes agit dies, sua contentus sorte, iucundus sibi, iucundus aliis, semper hilaris, semper lætus, cui suaues cibi, suaues somni, nihil non sapidum & dulce, nihil non instar magnarum delitiarum: quantò verò ille felicior qui licèt seipsum deiiciat, inferiorémque omnibus faciat, non aliter tamen ac si toti dominetur orbi, triumphóque vehatur, lætari atque exultare videatur: qui nemini inuidens, nemini nocens, neminem etiam molestum sibi aut infensum habet, qui nullius vim atque iniuriam sustinet, & si sustinere cogatur, non soluitur, non frangitur tamen, fortis semper & intrepidus: perfert autem omnia, siue aduersa, siue prospera illi contingant, vno eodemque vultu atque animo; non vllus eum exterret impetus, nón vis vlla maior, non ipsa denique omnium quæ excogitari possunt, obscurissima & amarissima mors, quam & læto suscepturus expectat animo, spe alterius melioris & duraturæ semper vitæ, suspirans illud Pauli: Cupio dissolui, & esse cum Christo. Si qua etiam est quæ mentem eius subeat perturbatio, ea est commiseratio qua vehementer afficitur erga cæteros mortales, quos magnis innumerabilibúsque vexari incommodis, torquerîque videt angustiis, quas quò magis considerat, eò magis etiam felicitatem quietis suæ intelligit: neque aliter illi accidit, quàm quòd ad Theodorum monachum lapsum scribit Chrysostomus. Cùm multis enim salubribus eum monitis ad contemptum mundi, amorémque religionis exhortatus esset, pulcherrima etiam hac similitudine confirmare studuit, vti sit vir religioni dicatus, tanquam is qui rupis excelsæ verticem tenens, pelagus omne prospiciat, multósque inde nauigantium crebris fluctibus, freti vnda submergi, alios in prærupti montis saxa collidi, nonnullos ad alia littora contendendo properare, & subita vi tempestatis vt vinctos ad alia deduci, plures sorbente vnda sæuientis profundi ima penetrare, alios tabulæ vnius auxilio ex fragmentis nauis inuentæ, à morte defendi: aliquando pro gubernaculo atque remigiis, manibus tantummodo suis vti, alios autem videat supra turbidos fluctus, multiformi atque multiplici mortis genere cadauera ferri. Ita esse ergo illum dicit qui militat Christo, cùm se à tempestatibus atque turbinibus vitæ istius separarit: consistere quippe in arduo semper ac tuto securum loco, vnámque tantùm sollicitudinem gerere, quemadmodum Deo placere possit, quo celsius nihil esse potest aut tutius. Verùm hæc minima, comparatione eorum quæ prædulcia quidam ac nulli hominum enarrabilia sentiunt, gustantque Deo deuotæ & religiosæ mentes. Nota est in primis pluribus, summa quæ ex lectione simul ac meditatione sacrarum historiarum doctrinarumque suauitas percipitur. Quam dulcia (inquit Dauid) faucibus meis eloquia tua super mel ori meo! Inter orandum verò incredibile videtur quanto rapiatur incendaturque mens amore, quanta afficiatur liquefiatque lætitia, præsertim cùm admixta est lacrymarum gratia, quarum tam gratus, tam sapidus, & dulcis est profluxus, vt vel minima earum guttula superet omnia, quotquot haberi possint, terrena oblectamenta. Porrò quantum ad quod sensim postremo altioreque

loco peruenitur, maius quidem ac excellentius cæteris contemplandi munus, non est meum, non dicam eloqui, sed nec intelligere: qui autem intelligunt rapi se ingenti exultatione & iubilo, mirumque & inexplebilem quandam amœnitatis dulcedinísque gustum sentire confitentur, quem quantumcumque sentiant, nullis tamen verbis, tanta est eius magnitudo & redundantia, explicare vllo modo possunt. Quid verò mirum siquis despecta proculcatáque hac terrena fæce Dei tantùm commercium habet, diuinis etiam fruatur gaudiis, si mente altiùs eleuatus, nihílque præter Deum suspirans, hauriat (vt inquit propheta)taquam in gaudio de fontibus Saluatoris, aquas viuas, salientes, vt dixit Christus fœminæ, in vitam æternam. Siquas assequi aliquando sperat arrhæ quasi nomine, interim cœlestes libat delitias, veráſque, & Dei magni proprias, sempiternásque voluptates. Vt enim tradit Hermes Trismegistus in libro quem de idolo ad Asclepium composuit, Pater omnium, & Dominus, qui solus est omnibus omnia, se libenter ostendit, non vbi sit loco, nec qualis qualitate, nec quantus sit quantitate, sed hominem sola mentis intelligentia illuminans, qui discussis ab animo errorum tenebris, & veritatis claritate percepta, toto se sensu intelligentiæ diuinæ commiscet. Cuius amore à parte naturæ, quæ mortalis est, liberatus, immortalitatis futuræ concipit fiduciam. Hoc ergo inter bonos & malos distabit: Vnusquisque enim pietate, religione, prudentia, cultu & veneratione Dei clarescit, quasi oculi vera ratione perspecta, & fiducia credulitatis suæ tantùm inter homines, quantùm sol lumine cæteris astris antestat. Nec mira hæc cuiquam videri debent: sacer namque spiritus (vt scribit Seneca) intra nos sedet, bonorum malorumque nostrorum obseruator & custos. Bonus vir, sine Deo nemo est. Neque potest aliquis supra fortunam, nisi ab illo adiutus exurgere: ille dat consilia magnifica & recta. Non potest res tanta sine adminiculo numinis stare. Itaque maiore sui parte illic est vnde descendit: quemadmodum radij solis contingunt quidem terram, sed ibi sunt vnde mittuntur: sic animus magnus ac sacer, & in hoc dimissus, vt propiùs diuina nosceremus, conuersatur quidem nobiscum, sed hæret origini suæ, illinc pendet, illuc spectat ac nititur animus qui nullo bono nisi suo nitet. Non latuerunt hæc Gregorium Nazianzenum, qui in Apologetico asserens non tulisse se violenter in medias turbas pertrahi populorum: & velut de templo quodam quietis, tumultuosis vitæ huius fragoribus obiici. Nihil, ait, reuera mihi ad beatam vitam præstantius videbatur, quàm velut clausis carnalibus sensibus, & extra carnem mundumque effectum, quempiam in semetipsum conuerti, id est, suos sensus atque animos conspicari, alienumque effectum à mortalium curis sibi soli loqui, & Deo, vt altior cunctis visibilibus factus, mentem suam repleat diuinis sensibus, & cœlestibus formis absque vlla admixtione terrena. Verè speculum immaculatum effectus imaginis Dei, & ex ipsius lumine semper lumen accipiens, auspicia quædam vel initia futuri in semetipso sæculi ferens, atque in terris adhuc positus, consortio quodammodo perfruens Angelorum, despectaque ac dere-

licta fragilitute terrena, ad superna cœlestia Spiritus sancti subuectione transferri. In eodem quoque libro alio loco: Duo sunt, inquit, in cœlo qui teneri non possunt: Deus & Angelus. Tertius verò est in terra Christianus Philosophus, veluti quidam incorporeus viuens in carne, incircumscriptus in corpore: in terra cœlestis est, in corruptione impassibilis est, in omnibus cedit, in omnibus ceditur præterquam in animi libertate, & in eo magis vincit in quo omnibus auferre ei quid volentibus cedit. Non immeritò Chrysostomus exponens epistolam primam beati Pauli ad Timothæum ita vitam monachorum laudat, inquiens: Ibi munda sunt omnia, nulla ibi nidoribus locus, absunt procul sanguinis riui. Ibi perturbationes, curæ, tumultus, tranquillo in portu nauigant: ac velut luminaria sunt sublimi de loco nauigantibus, fulgore suo iter aperientes: in littore placido sedent, omnes ad quietem suam inuitantes ac pertrahentes; neque naufragium pati sinentes, eos qui se intuentur, non permittunt in tenebris degere eos qui suas aspiciunt sedes. Perge itaque ad illos, quære, hospitio suscipe, accede, tange sacros pedes. Quasi enim de terra in cœlum, ita sancti cuiuslibet viri monasterium: de propriis domibus itur, non ibi conspicis ea quæ domi, mundus est locus ille, alta ibi quies atque silentium est, meum & tuum inde prorsus eliminatum est: illic si vel diem vnum aut duos manseris, tunc verò voluptatis maiore sensu perfunderis. Non ibi velut in sæcularium domibus stertit familia, clausæ sunt ianuæ, omnes alto sopore prostrati mortuis similes sunt, nihil illic eiuscemodi est, nemo stertentes audit illic aut hiantes somno, nullus iactari per soporem quempiam videt aut nudari. Haud enim nudos ibi dormire fas est, sed dormiunt honestiùs vigilantibus compositi. Hoc autem totum ex animi disciplina & honestate proficiscitur: isti profectò sunt sancti, atque inter homines Angeli. Summus namque Dei timor non sinit hos profundo sopore demergi, animumque à suo vigore laxare: sed fermè in superficie est, ipsosque reficit solùm. Huiusmodi illorum quoque sunt somnia, non fantasias, aut portentosas imagines referunt, sed in gallicantu, qui præest, continuò assistit, pulsatque modicè pede iacentem, sicque omnes vnà protinùs excitat: nullus illic famulum vocat, quisque enim sufficit sibi, non eget vestibus plurimis, nihil opus habet excutere somnum, simul atque oculos aperit, diutius vigilasse videtur, quòd illi sobrietatis ratione contingit: nisi enim cor prægraue cibis infra mergatur, leui salubrîque somno expergiscitur facilè, moxque precum reperit vices, manus puræ tenduntur, quia somnus præcessit honestus atque moderatus. Inde vbi surrexere, diuinis laudibus instant, hymnósque propheticos canunt magno suauîque concentu, & canticis numerosis, non cithara, non fistulæ, non vllum aliud instrumentum musicum tam dulces efficit modos quam sancti illi summa in solitudine & quiete psallentes. Rectè igitur Ephrem in sermone quem edidit de vita & exercitatione monastica, dum felicitatem commendaret, Paradisus est (inquit) plenus lætitiæ fructibus, variisque virtutibus: multitudo vnanimis monachorum, charitatis ornamento lu-

centium: fons decorus & aquis affluens, & multitudinem arborum rigans, conuentus monachorum est in vnum coactus, qui psalmodiam suam lacrymis rigant. Vrbs mœnibus septa & munita, monachorum multitudo est in idipsum congregata, in se inuicem diuinæ charitatis excitantium flammas. Diadema pretiosum est lucentibus gemmis, & candentibus margaritis, intextumm,onachorum cœtus in vnum connexus, ac diuina charitate plenus. Nauis est referta opibus regiis, monachorum chorus in vnum diuini amoris ardoribus æstuans: olea est speciosa atque fructuosa monachorum chorus simul diuina charitate solidatus. Castra sunt sanctorum Angelorum monachi vnanimiter viuentes, quorum semper animus tendit in Deum. Imago regia est omnigenis electis, floridisque coloribus ornata monachorum adunata multitudo, instructa varietate virtutum. Magna hæc & singularia religiosæ vitæ bona, eximiæ hæ dotes, excellentia ornamenta, quorum meditatio in maiorem nimirum spem ac deuotionem adducet, ad sanctæ quoque religionis perseuerantiam quemcunque ea animo volutantem magis inflammabit.





TRACTATVS
DE OCVLO,
PER R. P. D. IORDANI Præpositum Vticensem anno Domini 1381. qui deinde factus Abbas de Cellis, Bituricensis diœcesis, ibi dies suos clausit vniuersos, cuius anima requiescat in pace.

PRÆFATIO ET DIVISIO totius operis.



SI diligenter voluerimus in Lege Domini meditari, facillimè perpendemus, quæ pertinent ad visionem & oculum, præ cæteris frequentiùs in sacris eloquiis recitari: Ex quo patet, considerationem oculi, & de iis quę spectant ad ipsum, esse perutilem ad habendam diuinæ cognitionis scientiam pleniorem. Dicemus ergo pauca de oculo, prout ibi continetur animarum ædificatio. Primò de ipso scientialiter, postea moraliter breuem volo sermonem facere. prout qui finxit oculum, cuius oculi in pauperem respiciunt, rationis meæ cæcutientem oculum dignabitur illustrare. Præsens autem opusculum in quindecim capitula distinctum est. Primum tractat de numero partium oculum componentium. Secundum, de partium ordine in oculi compositione. Tertium, de

visionum numero. Quartum, de visionis modo. Quintum, de visionis organo completiuo. Sextum, de nouem mirabilibus oculi, in visione accidentibus, moralem continentibus informationem. Septimum de instructione morali secundum duodecim proprietates repertas in oculo corporali. Octauum, de septem differentiis oculi iuxta differentiam septem capitalium vitiorum. Nonum, de carentia oculorum corporalium æquanimiter sufferenda. Decimum, de sumptuositate oculi respectu cæterarum partium corporis humani. Vndecimum, de informatione scholarium ex septem conditionibus quæ requiruntur ad visum Duodecimum, de informatione vel instructione Prælatorum ex septem proprietatibus oculi. Decimumtertium, de quatuor rebus quas spirituales oculi debent iugiter contemplari. Decimumquartum, de tribus visibilibus oculum delectantibus. Decimumquintum & vltimum, de oculo septemplici intuitus diuini.

CAPVT PRIMVM.

De numero partium oculum componentium.

1. SCiendum est igitur quòd, sicut potest elici ex sententia Constantini in *libro*, quem fecit *de oculo*, & ex verbis Albategnij in *lib.* 1. *scientiæ perspectiuæ*, Oculus tres habet tunicas in sui compositione, quarum prima dicitur *vuea*, quia est sicut vua. Secunda, *cornea* quia sicut cornu clara est, & lucida. Tertia verò *sclerotica*, siue consolidatiua, eò quòd sit solida siue dura. Habet etiam tres humores. Primus *vitrei* nomen accepit, quia vitri liquati similitudinem gerit. Secundus, *glacialis*, seu *crystallinus* dicitur, quia crystallum vel glaciem imitatur. Tertius verò *albugineus*: quia est albugini oui simillimus. Habet insuper oculus vnam telam subtilem & peruiam, humorum, qui suprà tacti sunt, contentiuam, quę telæ *araneæ* similatur, propter quod & tela aranea nuncupatur. Habet postremò oculus palpebras quibus velatur, & à nocumentis exterioribus præseruatur. Humor autem crystallinus in cæterorum humorum medio collocatus, *pupilla* vocatur, & in ea est virtus visiua sicut in subiecto; licet non primo; quia neruus communis est organum radicale, in quo in modum crucis se interserant duo nerui visiles, ab oculis venientes: & in illo neruo communi virtus visiua fontaliter radicatur, & inde in vtriusque pupillam oculi deriuatur.

Psal. 16. 2. Hinc apparet quàm eleganti similitudine vsus sit Propheta Dauid, quando dicit *custodi nos Domine, vt pupillam oculi.* Nam, vt iam dictum est, pupilla humor crystallinus seu glacialis dicitur, qui duobus humoribus & vna tela, & tribus tunicis, & insuper palpebris continetur, nihilominus continuam influentiam spirituum, & virtutum recipiens à fontali plenitudine virtutis visiuæ, existentis, vt tactum est, in neruorum crucea

sectione. Ex quo manifestè ostenditur, quod septem ad pupillæ custodiam requiruntur.

3. Modo consimili, pro spiritualis pupillæ, id est, animæ perfecta custodia; septem sunt nobis necessaria, videlicet septem virtutes principales, nempe tres Theologicæ, & quatuor Cardinales. Insuper etiam debet addi continua influentia charismatum gratiæ, manans à plenitudine Crucifixi. Per hoc enim nostra pupilla spiritualis conseruatur, & habet à Domino custodiri. Ideò Dauid sapientissimus aptè petit, cùm dicit; *Custodi nos Domine vt pupillam oculi.* Psal.161 Eadem similitudine vsus fuit sanctus Moyses ab eodem edoctus Spiritu, quando dixit, *circumduxit eum, & docuit, & custodiuit, quasi pupillam oculi sui.* Deut.33. In hoc enim quod natura tanta custodia vallauit oculum, incitamur ad sollicitam custodiam oculorum, ne si negligentes fuerimus, tandem dolentes dicamus, *Dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, ipsum non est mecum.* Psal.37. Cum enim spiritualis pupilla, id est, anima à septem virtutibus tanquam à septem pupillæ custodibus habeat custodiri: non est mirum si ille, quem virtus dereliquit, amiserit lumen oculorum. Et ideò Dominus legem suam volens districtissimè custodiri, vtpotè qui mandata sua, nimis custodiri mandauit; signanter legis suæ custodiam, pupillæ custodiæ comparauit; dicens, *serua legem meam vt pupillam oculi.*

CAP. II.

De partium ordine in oculi compositione.

1. HOC autem in prædictis tunicis oculorum considerandum est; quòd cùm tunicæ ad custodiam pupillę concurrentes, sint in mollitie & duritie differentes; mollior tamen tunica est pupillæ proximior, durior verò ab eadem remotior. In quo oculi Ecclesiæ, videlicet Prælati, possunt spiritualiter informari, vt sic misericordiæ lenitatem exhibeant, vt censuram iustitiæ non omittant. 2. p. Pastor. c. 6. Nam vt dicit Gregorius, iustitia vel disciplina sine misericordia multùm destituitur, si vna sine altera teneatur. Sint tamen ad misericordiam proniores, vt sit in eis interior misericordia: huic accedat iustitia, vel disciplina.

2. Cuius rei exemplum accipiant in Helia. Helias quippe quasi quidam oculus extitit, qui tanquam à remotis aspiciens, futura præuidit; *qui enim modò dicitur Propheta, olim dicebatur videns*, vt dicitur 1. Regum. Hic autem oculus rectissimè fuit compositus. Fuit enim ad misericordiã pronus, magis quàm ad iustitiam, & sic misericordiam habuit, quod alteram conseruauit; de ipso quippe dicitur, *pater mi, pater mi, currus Israël, & auriga eius.* Et primò congruè *currus* dictus est, & pòst *auriga*; debet enim Prælatus principaliter esse *currus*, infirmos per misericordiam sup-

portando; secundariò debet esse auriga per seueritatem iustitię discolos stimulando. Hunc ordinem obseruauit, & exemplo suo ad huius obseruantiam nos informauit Samaritanus, qui interpretatur *custos* per quem significantur Prelati. Infudit enim vinum, & oleum vulneribus sauciati.
Luc. 10. Et ex ordine congruo, primò oleum infudit, quo designatur lenitas misericordię; deinde vinum, quo designatur seueritas disciplinę.

3. Audiant, & attendant Principes & Prelati, qui proniores sunt ad seueritatem quàm ad pietatem, quid prudentissimus super hoc dicat Helinandus. Prælati (inquit) & Principes, sicut Medici, numquam debent vti grauibus remediis, nisi cùm lenium beneficio desiderata sanitas non obtinetur. Vnde Liuius, Prælatum, seu Principem, senem moribus esse oportet, & qui moderatiora consilia sequatur; & vicem gerere medicorum, qui morbos curant, nunc exinanitione in repletis, nunc cauterio, nunc fomentis. Si enim citharœdi aliique fidicines multa diligentia procurant, quomodò aberrantis chordæ compescant vitium, & aliis concordem reddant; quanta sollicitudine oportet Prælatum & Principem moderari, vt subditos reddat quasi vnanimes, & vnius moris habitantes in domo? Certum est autem, quod tutius est chordas remitti ampliùs, quàm intensiùs intendi: remissarum namque intensio, artificis opera conua-
Ouid. 2. de Põto eleg. 3. lescit, quæ autem semel rupta est, nullo artificio reparatur. Vnde versus:

Sit piger ad pœnas Princeps, ad præmia velox,
Et doleat quoties cogitur esse ferox.

Prou. 3. 4. Horum alterum iustitiæ, alterum est pietatis. De quibus Salomon: *Misericordia & veritas non te deserant: circunda eas gutturi tuo, & describe in tabulis cordis tui; & inuenies gratiam & disciplinam bonam coram Deo & hominibus.* Gratia namque debetur misericordiæ, disciplina iustitię. Qui sine prima est, omnibus est odibilis: qui sine secunda, omnibus contemptibilis est. De hoc etiam Claudianus ait:

Sæpiùs inprimis; Nam cum vincamur in omni
Munere, sola Deos aquat clementia nobis.
Nec tibi quid liceat, sed quid fecisse licebit,
Occurrat, mentémque domet respectus honesti.

Dicit enim Chrysostomus; [Si erramus modicam pœnitentiam impo-
In Mat. nentes, nónne melius est propter misericordiam dare rationem, quàm propter crudelitatem succumbere punitioni.] Si tales essent moderni
2. Cor. 11 Prælati, tunc essent similes oculo corporali; & tunc à subditis amarentur, vt oculi; imò fortè magis quàm oculi. Ideò Beatus Paulus, qui erga
Galat. 4 subditos misericordissimus extitit, in tantum vt diceret; *Quis infirmatur,*
Phil. 1. *& ego non infirmor? quis scandalizatur & ego non vror?* Et iterùm: *Filioli mei quos iterum parturio;* & ad Philippenses; *Testis est Deus quomo-*
Gal. 4. *dò cupiam vos omnes in visceribus Iesu Christi.* Idcirco à subditis, plusquàm oculi, amabatur. Dicit enim; *Sicut Angelum Dei excepistis me:*

Testimonium enim perhibeo vobis, quod si fieri posset, oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi. Sed hodie propter duritiem Prælatorum, sæpè contingit contrarium. Vellent enim interdum subditi, oculos eruisse Prælati.

CAP. III.

De visionum numero.

1. DOctores perspectiuę scientiæ, distingunt triplicem oculi visionem. Prima est per lineas rectas. Secunda per lineas fractas. Tertia per lineas flexas. Quarum prima perfectior est duabus aliis. Secunda certior est quàm prima, & tertia minùs certa.

Modo consimili spiritualiter loquendo, possumus in homine visionem triplicem assignare. Vnam perfectam quæ erit in statu gloriæ post resurrectionem vltimam. Alia est in anima separata à corpore vsque ad resurrectionem in cœlo empyreo diuinam essentiam contemplante, & hæc visio debilior est quàm prima. Tertia est in hac vita, & est omnium debilissima. Et habet fieri per reflexionem, sicut & visio qua aliquis videtur in speculo habet fieri mediantibus reflexis lineis: vnde & ab Apostolo vocatur *visio specularis. Videmus* (inquit) *nunc per speculum in ænigmate. Sed in gloria facie ad faciem*, & post resurrectionem secundùm plenam rectitudinem: & ante eam in anima, secundùm obliquationem ab illa rectitudine eò quod non complebitur anima visionis plenitudine, antequàm suo corpori sit vnita. Nam vt ait Augustinus, animabus iam beatis, in cœlo Deum videntibus, inest quidam naturalis appetitus administrandi corpus, quo retardantur ne totaliter ferantur in Deum. Ex quo patet quod conuenienter loquutus sit sapientissimus Perspectiuus Paulus Apostolus quando visionem patriæ, *facialem*; visionem verò viæ, *specularem* & *ex parte* vocauit. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum.*

1. Cor. 13. 12. de Genes. ad lit. c. 35. 1. Cor. 13.

2. Et sic vt aliquis amicum suum dilectissimum ex multo tempore videre desiderans, non quietaretur, si ipsum videret tantùm in speculo, nisi etiam ipsum respiceret in seipso: Sic in præsenti cum Deum videamus per speculum, *non satiatur oculus visu*: Sed in futuro cum ipsum dilecta, & faciali visione videbimus, implebitur illud Psalmi, *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Et sicut Apostoli gauisi sunt viso Domino; sic & nos cum Deum oculo iam beato videbimus, vt potè perspectiui seu speculatores gloriosi iam facti, ineffabiliter delectabimur in bono optimo quod cernemus, & præ gaudio inexplicabili, in laudis iubilum erumpemus, vt ait Isaias; *Vox speculatorum tuorum, leuauerunt vocem simul*; laudabimus, quia oculo ad oculum videbimus.

Eccl. 1. Ps. 16. Ioan. 20. Cap. 52.

CAP. IV.

De modo Visionis.

Lib. de aspectibus.

1. SIcut probat Ptolomæus, ad visionem exigitur vt fiat non solùm intus suscipiendo visibilis similitudinem. Sed etiam extra mittendo per propriam speciem & virtutem. Simili modo spiritualis visio, non solùm requirit vt aliquid recipiat ab extra, scilicet à Deo virtutes & gratiam, sed vt cooperetur per virtutem propriam. Nam ad iustificationem impij, requiritur motus liberi arbitrij, & consensus cum gratia Dei. Vnde Augustinus, *Qui creauit te sine te.*

Serm. 25. de Verb. Apost.

Cap. 3.

2. Pro huius rei designatione, cum Laodiceę spiritualiter esset cœcus, vt dicitur in Apocalypsi, *Tu dicis quia diues sum, & nullius egeo, & nescis, quia miser es, & miserabilis, & pauper, & cœcus, & nudus*: dicit ei cœlestis medicus. *Collyrio vnge oculos tuos, vt videas.* Per collyrium quod mordicat & pungit oculum, significatur attritio & dolor de peccatis, & conatus proprius in exercitio bonorum operum; quibus homo cooperatur, vt visum recipiat spiritualium oculorum. Vnde Glossa dicit super dictum locum. [Collyrio oculi inunguntur vt videamus, cum ad cognoscendam veri luminis claritatem; intellectus nostri aciem moderamine bonæ operationis adiuuamus.]

Acto. 9.
Tob. 11.

3. In signum etiam huius rei, videlicet quod operari debemus, vt spiritualiter videamus, voluit Dominus, vt priusquàm Paulus excœcatus visum reciperet, oraret, & triduo ieiunaret. Idem etiam designatur in hoc quod Tobias felle piscis, oculos patris sui liniuit, statimque visum recepit. In felle, quod est amarum, signatur amaritudo, & dolor de peccatis, & indignatio contra peccatum: nam fel commouet iras. Illud autem ex parte hominis iustificandi requiritur, ad hoc vt visus interior restauretur.

CAP. V.

De visionis organo.

1. SIcut in scientia Perspectiua docetur, visio in oculis non completur. Nam eiusdem rei duæ species ad vtrumque veniunt oculum, & cùm diuersitas speciei diuersificet iudicium, si visio compleatur in oculis, propter apprehensionem speciei geminæ, vna res iudicabitur esse duæ. Oportet ergo vt ponatur aliud sentiens præter oculos, in quo visio compleatur, cuius instrumenta sunt oculi, qui reddunt ei speciem visibilis rei. Et hoc est communis neruus in superficie cerebri situatus; vbi concurrunt duo

neruí à duabus partibus anterioris cerebri, qui post concursum, in duos iterùm diuiduntur, & sic ad oculos extenduntur. In illo igitur neruo communi virtus visiua fontaliter radicatur. Et quia tunc virtus fontalis est vna, ad quam continuantur virtutes oculorum per medium neruorum opticorum; ideò potest vna res apparere vna, quamuis à duobus oculis videatur.

2. In hoc autem quod visio in oculis exteriùs apparentibus non completur, sed in neruo communi, qui interiùs occultatur, moraliter insinuatur, vt iudicium temerarium declinemus; nec de rebus, vt apparent in prima facie iudicemus, sed per deliberationem ad internum iudicium recurramus. Vnde & de Angelo magni consilij, cuius secundùm Augustinum, omnis actio, nostra est instructio, dicitur ab Isaia; *Non secundum visionem oculorum iudicabit.* Non enim, vt ait Seneca, quod ante oculos est tantùm sufficit intueri. Vnde multa sordent in exterioribus oculis, quæ tamen munda sunt internæ iudicio rationis. Quod euidenter apparet de iudicio lepræ, de quo dicitur. *Si autem effloruerit discurrens lepra in cute, & operuerit omnem carnem à capite vsque ad pedes, quidquid sub aspectum oculorum cadit, considerabit eam Sacerdos, & teneri à lepra mundissima iudicabit.* *Lib. de vera relig. c. 16.* *Cap. 11.* *Epi. 74.* *Leui. 13.*

CAP. VI.

De Merabilibus circa oculi visionem.

De primo Mirabili.

1. PRobatum est in scientia Perspectiua, & hoc docet experientia, quòd oculus locatus in aëre nebuloso, nec videt, nec percipit vapores & nebulas quibus est circumseptus: Cum autem recedens exierit extrà huiusmodi aërem vaporosum, si tunc retrò respiciat, videt ipsum, quem priùs in ipso positus non videbat. Per hunc modum, etiam peccator, quandiu est in peccato, peccati sui tenebras non aduertit: sed extra peccatum positus, & lumine gratiæ illustratus, tunc primò peccati grauitatem & caliginem, in qua fuerat, recognoscit.

2. Exemplum de simia iuxta truncum iacente, quæ dum iuxta truncum iacet, non percipit molem trunci, donec cœperit ab eo elongari. Vnde & Dauid, postquam à peccato cum Bersabee perpetrato se per pœnitentiam elongauit, peccatum suum agnouit, & dixit; *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper.* In huius figura dicitur in Exodo. *Leuantes filij Israël oculos, viderunt Ægyptios post se.* Ægyptus autem interpretatur tenebræ & peccatum significat, quod est spiritualis tenebra; quam homo tunc primò cognoscit, cùm à peccato pœnitendo recedit: Benè dicit Anselmus in lib. de similitudinibus. Con- *Ps. 50.* *Cap. 14.* *Cap. 99.*

ſuetudo vitij eſt, vt non facilè videatur ab eo, qui eo premitur: ſed mox vt ceſſauerit, & ab illo ſe alienauerit, tunc demum conſiderat in quanta miſeria & fœditate iacebat.

De ſecundo Mirabili.

3. Compertum eſt in ſcientia Perſpectiua, quòd ſi quis oculo ſupponit digitum, & à ſitu debito pellit eum, propter motum factum in oculo, vnum ſibi videbitur eſſe duo.

Sic contingit interdum Prælatis moderni temporis, qui dum per inſtigationem mali conſiliarij, à rectitudine depelluntur, iudicant aliquem dignum beneficio duplici, quem tamen vnico tantum contentum eſſe debere ſentirent, ſi iudicio non errarent. Hoc autem plerumque per malum conſiliarium committitur, qui ratione diſcretionis, quâ pollere creditur, non vtitur. Per digitum deſignatur malus conſiliarius, qui ſuis malis exhortationibus, quaſi quibuſdam impulſionibus, ſæpè præcipitat in errorem; dum extortis autoritatibus & Tyrannorum exemplis perſuadet, quòd potenti, ſeu Principi, cuncta licent; quę placent Principi, cuncta licent; quæ placent Principi, legis habent vigorem. Exemplificat v. g. Quis Tyrannus domeſticum aut familiarem ſuum in aliquam Eccleſiam ſine electione intruſerit; quis in prouincias collectas induxerit; quis clerum peſſumdederit; quis tandem in ſubditos, ſuæ voluntati executionem & libito licitum adæquaueris.

Sic volo, ſic iubeo, ſit pro ratione voluntas.

4. Et ſicut malus conſiliarius Reges peruertit, & Principes; ſic etiam interdum ipſos Pontifices, & cæteros Eccleſiæ præſidentes. Si enim Prælatus de alicuius indigni promotione rogatus, defectum oppoſuerit ob quem ritè promoueri non poſſit; aſſiſtens malus conſiliarius, quidquid oppoſitum fuerit, concurrentibus exemplis & PP. ſanctionibus annullabit. Si enim obiectum fuerit, ignobilis eſt; reſpondebit: ſed nec Petrus vertex Eccleſiæ, gloriatur alicubi de ſanguinis claritate. Si dicatur, quod iunior eſt; Ieremiam & Præcurſorem Domini, pueros fuiſſe reſpondebit; & iterum ſeniores condemnatos à Daniele puero allegabit. Illiteratus eſt, nec vnquam fuit cauſa ſtudij Pariſiis, nec in alia ciuitate; reſpondebit, nec ſcholas leguntur Apoſtoli frequentaſſe. Elinguis eſt; ſed Aaron, vt legitur in Exodo, vice Moyſi, qui erat impeditioris linguæ, functus eſt ſacerdotio. Luxurioſus eſt, & lupanaria frequentauit; ſed & Oſeas Propheta ſibi meretricem, mandato Domini copùlauit. Inſipiens; ſed per inſipientiam mundi decreuit Deus ſaluare credentes. Percuſſor eſt, & arma portauit; ſed & Petrus gladio, ſerui Principis ſacerdotum auriculam amputauit. Vinolentus, & gulæ deditus eſt; ſed & Dominus ipſe
Mat. 11. potator vini, & vorator carnium legitur eſſe dictus: non eſt autem ſeruus maior domino ſuo. Non acquieſcit maioribus, nec vult eis in aliquo obe-
Gala. 2. dire, ſed & Paulus legitur Petro & Apoſtolorum Principi in faciem reſti-
tiſſe

tisse. Contentiosus est, & pacis turbator; sed inter discipulos Christi facta est contentio, quis eorum videretur esse maior. Militiam armatam exercuit; sed & Martinus aliquando sub Iuliano militauit. Homicida est, & sanguinem effudit; sed & Moyses Ægyptium interfecit. Perfidus est, & pluries periurauit; sed & Petrus Apostolus perfidiam periurio copulauit. Mutus est, & prædicare non poterit; sed hoc Zachariam à sacerdotio non exclusit. Cæcus est; sed & Paulus erat excæcatus, quando fuit ab Anania Baptizatus & Domino consecratus. Surdus est; sed hoc ei non prohibet prædicare legem Dei: prædicatorem enim, non auditorem quærimus; & tanto verbum Dei proponet altiùs, & quasi tuba exaltabit vocem suam in prædicationibus; quia adhuc ei videbitur quòd in aure loquatur. Persona est despicabilis; sed & hoc idem B. Martino Defensor obijcit, ipsum tamen Ecclesia non audiuit. Ægrotatiuus est; sed & Gregorius in summo languore stomachi, optimè Ecclesiam Domini gubernauit. Superbus est & vanus; sed talis fuit Brixius Turonensis Episcopus. Hæresim quoque docuit; sed Augustinus Manichæum se fuisse asserit. Persecutus est Ecclesiam Dei; sed & Paulus priùs persecutor, postmodùm factus est prædicator. Auarus est, sit poterit congregare dispersa, & inutiliter non distrahet congregata. Postremò, si Prælatus obiecerit, quòd ad omnia prorsus ineptus sit; adhuc malus consiliarius respondebit, sed & Samson cum mandibula asini Philistæos expugnauit. Potens est autem Deus, etiam nunc sicut in illo tempore, de lapidibus filios Abrahæ suscitare.

5. Vides igitur, quàm potens sit ille digitus, nempe malus consilia-
rius, vt persuasionum suarum impulsionibus, speculatoris, id est, Præ-
lati oculum errare faciat in videndo, & eius iudicium peruertendo. Et
ad hoc quidem tanto efficacior inuenitur, quanto discretior reputatur;
itaut & de ipso dicatur, *Digitus Dei est hic.* Talis erat Achitophel per- Exod. 8.
uersissimus consiliarius Absalonis; de quo tamen dicitur. *Consilium Achi-*
tophel quod dabat in diebus Dauid, quasi consilium Angeli Dei. Quid 2. Reg.
autem ast hoc aliud, quàm dicere, *Digitus Dei est hic?* Ideò dicitur. *A* 16.
consiliario malo serua animam tuam. Et Dauid orabat; *Domine custodi* Eccl. 37.
animam meam à labijs iniquis, & à lingua dolosa. Hoc etiam debet Ps. 119.
Prælatus orare, & à Domino postulare.

6. Non solùm autem per malum consiliarium decipitur dicto modo
Ecclesiasticus oculus, id est, Prælatus; sed etiam interdum acceptione
munerum, quæ à loco suo quodammodò rationis oculum propellunt.
Vnde & eum, qui iam recepit munera, vulgariter dicimus, *esse pulsatum*;
& ideò peruertit iudicium. Isti sunt digiti, de quibus ait Isaias. *Digiti* Cap. 59.
vestri, pleni sunt iniquitate. Ideò non est mirum, si faciunt rationis ocu-
lum ab æquo iudicio declinare. Tria namque præ cæteris solent peruer-
tere iudicium; videlicet credendi facilitas; acceptio personarum; amor
munerum. Ideò in Deuter. dicitur. *Munera excæcant oculos iudicum.* Et de C. 16.
filiis Samuëlis. *Acceperunt munera, & peruerunt iudicium.* Et Poëta dicit. Reg. 8.

Galterus l. 1. Alexandreidos

A norma recti munus distorquet acumen
Iudicis, & terra inuoluit caligine mentem.

Et ideò dolendum, & lugendum est, si contigerit (quod Deus auertat) vt Prælati qui sunt sæculi iudices, diligant munera, sequantur retributiones: si subditos concutiant, vt loculos excutiant: si, vt repleant suos, exinaniant alienos: vt possit dici de eis, *In quorum manibus iniquitates sunt; dextera eorum repleta est muneribus.* *Ps. 25.*

7. Excutiant ergo Prælati Ecclesiæ, manus suas ab omni munere, si volunt in iudicio non errare: exemplo Eugenij, qui nullum omnino munus recepit ab homine litigante; aut ab eo, cui litem crederet, munere accipi voluit. Vnde & cuidam Priori, qui modicæ facultatis erat, cuius causam nondum audierat, & sibi marcam auri deuotissimè offerebat, non sine magna indignatione fertur dixisse; nondum ingressus es domum, & iam vis corrumpere dominum? Refert etiam S. Bernard. quod Martinus Presbyter Cardinalis, cum à legatione pauper contra morem rediret, & ab Episcopo Florentino equum sibi necessarium acceptisset, eundem donatori restituit, ex quo datorem muneris causam in Romana Ecclesia ventilandam habuisse cognouit. Decepisti me, (inquit,) nesciebam tibi imminere negotium; Tolle protinus equum tuum. Ecce verbum hominis acceptionem munerum detestantis. Gaufridus etiam Carnotensis, legatione fungens in Aquitania, nulla recipiebat munera, sed vt stercora contemnebat: Piscem quoque magnum, sturgionem videlicet, à deuoto quodam legationis suæ Clerico, accipere tunc tandem acquieuit, postquàm pro admisso xenio, pretium numerauit.

Laudat hinc eum S. Bern. l. 3. de consid. cap. 3. & Joan. Sarisb. l. 5. polycr. c. 15.

lib. 4. de consid. c. 5.

8. Si sic facerent moderni Prælati, tunc diligerentur vt patres; timerentur vt domini; colerentur vt Sancti. Si exactionibus parcerent, munera non amarent, nec omnem quæstum pietatem putarent: Sed hodie in domibus multorum Prælatorum & Principum, omnia sunt venalia, regnante ibidem auaritia. Nam *cap. 3.*

Cum semel obtinuit vitiorum mater in aula,
Pestis auaritia quæ sola incarcerat omnes,
Virtutum species, spreto moderamine iuris,
Curritur in facinus, nec leges curia curat.

Frustra apud eiusmodi curiales, de testimonio tuæ confidis conscientiæ. De morum etiam venustate, nisi paraueris viam munere præcedente; Ouidius:

Ipse licet venias Musis comitatus Homere;
Si nihil attuleris, ibis Homere foras.

In multis Curiis inuenies ianitores Tricerbero duriores: Sed apud Inferos, tantùm dicitur vnus esse Tricerberus; hîc autem tot sunt Tricerberi, quot sunt Ostiarij. Totam familiam aut mordentem inuenies, aut latrantem. Et sicut dicitur à Michea. *Si quis non dederit in ore eorum quidpiam, sanctificant super eum bellum.* Sed,

Audito nummo, quasi viso Principe summo
Dissiliunt valuæ, nihil auditur nisi salue.

Legitur de sancto Anselmo, quòd ab omni munere manus suas excutiens, acceptores munerum vt detestabiles fugiebat: quibus etiam ipse dicebat; *prehendere* & *pendere*, non differunt nisi vna littera tantùm. Vnde patet quod qui munera libenter accipit, valdè est proximus suspendio, nisi ea acceperit bono modo. Super omnia verò quisque cauere debet vt iniquorum munera non acceptet; ne, aut ingratus, si eos non foueat, accepto munere censeatur: aut, si foueat, iniustus habeatur.

In vita S. Edmundi Cantuar. Episcopi refertur ex S. Edmundo Exemplum tamen synceritatis S. Anselmi hac in parte habetur l. 3. Epistol. 20.

De tertio Mirabili.

De discussione peccati & duplicis pœnæ.

9. Apud Perspectiuos expertum est; quòd si quis de nocte virgam, vel digitum, vel quamcumque rem aliam, quæ vmbram faciat, eleuet inter oculos & candelam; si tunc rectè candelam respiciat, videbitur ei de vno digito quòd sint duo. Et in hoc aduertendum est diligenter; quod, si claudatur oculus dexter, disparebit imago sinistra; & clauso sinistro, imago dextra penitùs euanescet: Super quo plurimum admiratus est Augustinus. Vnde dicit, longum esse causam apparitionis huius declarare; & verè longum est homini perspectiuam scientiam nescienti. *lib. 11 de Trinit. c. 12.*

10. Modo consimili, si peccator existens in nocte peccati, peccatum suum considerationis oculis anteponat, & ad lucernam aspiciat, scilicet ad verbum Dei de quo in Psalmo; *Lucerna pedibus meis verbum tuum,* *Ps. 118.* videbit peccata singula quod pœnæ correspondentiam quodammodò duplicari. Poterit ad hanc lucem aspicere, pro peccato vnico se pœnam duplicem incurrisse; videlicet amissionem cælestis præmij, & reatum supplicij sempiterni. Ita quod dextro oculo, quo bonum operari debebat, reatus supplicij tanquam imago sinistrà respondeat, sinistro autem oculo, quo malum vitare debuit, velut dextra imago respondet cæleste brauium, quod amisit. Ad hoc mirabile, vel potiùs miserabile speculandum, monetur peccatrix anima per Ieremiam, *Videte quia malum est, & amarum, dereliquisse Dominum Deum tuum.* *cap. 2.* Dominum relinquere, nihil aliud est, quàm peccare: quod quidem, licet vnico actu committatur, ipsum tamen peccatum pœna gemina comitatur: est enim malum quoad priuationem visionis diuinæ, & amarum, propter acerbitatem infernalis pœnæ. Et quia illud mirabile clare patet, si quis ad lucernam verbi diuini consideret; ideò signanter sequitur in eodem Propheta *videte verbum*: vt scilicet valeatis prædictum spectaculum intueri. *Ibid.*

De quarto Mirabili.

Quod Prælatis cauendum sit à malo exemplo vel scandalo.

11. Exponitur etiam in dicta scientia, quod baculus cuius pars est in aqua, & reliqua est super aquam prominens, oculo existenti in aëre fractus apparet. Cuius causa redditur: Nam ibidem probatur, quod res quam in aqua conspicimus propinquior apparet visui, quàm si esset extra aquam. Quare licet quod est in aqua sit continuum & directum, cum parte alia baculi extra aquam positi; tamen videtur esse ipsi oculo propinquius; & ideò videtur baculus esse fractus.

12. Sic contingit interdum quod aliquis, qui secundùm veritatem est vir iustus, rectus, ac timens Deum, si fortassis aliquando ob causam aliquam vtatur deliciis huius mundi, quæ mundanorum oculo sunt propinquæ; quamuis non totaliter se immergat fluxui deliciarum huius mundi, sed solùm ex parte; quia fortassis hoc facit non propter mentis petulantiam, sed propter recreationem corpori necessariam; nihilominus quandoque scandalizat plurimos hoc videntes; & à vulgo iudicatur spiritualiter fractus esse, & à morum rectitudine obliquasse. Et de
1. Reg. 18. huiusmodi possumus exponere quod Saül de Dauid legitur dixisse, *dabo ei Michol, vt fiat illi in scandalum.* Michol interpretatur *aqua omnis,* & fluxum significat deliciarum carnalium, quibus si quispiam vir perfectus per Dauid significatus per amorem se copulet; in scandalum vertitur plurimorum.

13. Et ideò viris perfectis à dissolutionibus & apparatibus est cauendum, propter scandalum aliorum vitandum. Quod attendens Aposto-
1. Cor. 8. lus qui ad imitationem sui alios hortabatur, dicebat. *Videte autem ne fortè hæc licentia vestra,* (scilicet comedendi carnes idolis immolatas,) *offendiculum fiat infirmis. Si enim quis viderit eum, qui habet scientiam, in idolis recumbentem: nonne conscientia eius, cùm sit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta! & peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est?* & subdit Apostolus. *Si esca scandalizat fratrem meum: non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.* Sciebat enim Apostolus, quod facta maiorum facilè à subditis trahuntur in exemplum. Superiores namque, quanto locum tenent inter homines celsiorem, tanto plurium patent aspectibus: & ideò superiori subditus studet esse conformis: vnde dixit Claudianus.

De 4. Honor. Consul.

Regis ad exemplum totus componitur orbis,
Mobile mutatur semper cum Principe vulgus.

De quinto Mirabili.

Quòd peccata carnalia, magis infamia sint quàm spiritualia.

14. Probatur in scientia Perspectiua, quod ea, quæ videntur in aqua, oculo videntis videntur maiora: & interdum aliqua quæ oculis non poterant intueri, possunt aquæ superinfusione videri. Et hoc potest quilibet sensibiliter experiri. Si enim denarius in scutella ponatur, sumatur quoque distantia, in qua minimè videatur: eodem existente spatio inter videntis oculum, & scutellam, denarius videri poterit, si aqua desuper fundatur.

15. Modo consimili, videre possumus quod peccata carnalia quæ in fluxu carnalium deliciarum committuntur, oculis hominum maiora videntur. Sunt enim maioris infamiæ, quàm peccata spiritualia, quamuis minoris sint culpæ: & viæ valent finaliter occultari: & plerumque, cùm peccatores peccatis carnalibus irretiti, peccatum suum putant ab aliis non videri, prodit in publicum & fit manifestum. Vnde cùm Dauid peccatum cum Bersabee commissum, cunctis crederet occultatum, missus est ad eum Nathan Propheta, vt diceret ex parte Domini: *Tu fecisti* 2. Reg. 12.
absconditè; ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israël, & in conspectu Solis huius. Et hoc est, quod Dominus talibus comminatur. *Reuelabo pudenda tua, in facie tua, & ostendam gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam.* Isaiæ 47. & Nahum 3.

De sexto Mirabili.

Quod mundus reputat prosperum, coram Deo esse aduersum, & è contrario.

16. Oculo respicietis in speculo facies apparent præposteræ & altitudines videntur euersæ. Iudicat enim oculus dum res cernit in speculo, quod dextrum est, esse sinistrum; &, quod est inferius, esse superius; &, quod est deorsum, esse sursum.

Sic & nostræ considerationis oculus, si secundùm doctrinæ sanctæ speculum de rebus iudicat, ea quæ videntur sinistra, id est aduersa; dicet ea esse dextra, id est prospera: & etiam è conuerso, vtilitatem aduersitatis, & prosperitatis periculum attendendo. Ea etiam, quæ sursum videntur, asseret esse infima, & è conuerso: id est, superba esse vilia, & humilia pretiosa: ideò dicitur signanter per Isaiam *dicam Aquiloni,* cap. 43.
(id est, aduersitati,) *da; & Austro,* (id est, prosperitati, *noli prohibere*: quia ea, quæ videntur aduersa, sunt prospera, & dant nos Deo; &, quæ videntur prospera, sunt aduersa, & prohibent nos à Deo.

17. Et ideò legitur quòd Patriarcha Iacob benedicturus filios Ioseph, Gen.48.

manibus cancellaris sinistram manum posuit super Manassem, qui erat in dextera; & dexteram super Ephrain, quem Ioseph collocauerat in sinistra. Timeant ergo diuites huius mundi, qui gaudent tenere dexteram in pręsenti, ne sinistram teneant in die iudicij, & nunc etiam in præsentia Dei. Manasses enim, qui interpretatur *obliuio*, & significat diuites, qui Dei sunt immemores, positus est ad sinistram: pauperes enim posuit Dominus ad dexteram; sed malos diuites ad sinistram Ideò
cap. 3. dicitur in Prouerbiis. *Longitudo dierum* (id est, pauperes, qui diutiùs viuunt quàm diuites;) *In dextera eius; & in sinistra illius, diuitiæ, & gloria.* (Id est, diuites, & gloriosi in dignitatibus constituti.) Hoc idem Iacob in cancellatione manuum signauit, & Angelus in impositione pe-
Apoc. 10. dum, Ioannes enim dicit: *Vidi alium Angelum fortem descendentem de cœlo*, &c. *& posuit pedem suum dexterum, super mare, sinistrum autem super terram.* Per mare namque fluctus aduersitatis, per terram sæculi prosperitas figuratur. Vt igitur Angelus aduersitates seculi prosperitates esse ostenderet, dextrum pedem posuit super mare: sinistrum verò super terram; vt quod mundus reputat prosperum, significaret aduersum.

28. Idem nobis in imagine Crucifixi monstratur, quæ tanquam liber laicorum in Ecclesiis eleuatur: Hic enim dexteram manum ad Aquilonem porrigit, sinistram autem ad Austrum extendit. Per Austrum ergo prosperitas, per Aquilonem significatur aduersitas. In quo etiam aduertendum est, quòd imago B. Virginis, ad Aquilonem sub dextra Crucifixi est posita, quia B. Virgo aduersitatibus in præsenti vita fuit ex-
Lucæ 2. posita. Vnde & Iustus Simeon dixit ei: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*, quam tamen supra omnes à Deo dilectam scimus, & nunc ad Dei dextram exaltatam. Dominus enim charos suos, in præsenti aduersitatibus & pressuris exponit, quos tandem in dextra gloriæ collocare disponit.

19. Sic igitur ad sacræ Scripturæ speculum oculos dirigendo, videntur nobis dextra sinistra, & è conuerso: nihilominùs apparebit, quod deorsum creditur, esse sursum, & è conuerso. Nam scriptura beatificat, &
Matt. 6. exaltat pauperes, cùm ait. *Beati pauperes spiritu.* Potentes autem &
Iacobi 6. diuites, miseros & deiectos dicit. *Agite nunc diuites plorate vlulantes in miseriis vestris.* In hoc speculo non respexit qui dicebat; *Vidi ser-*
Eccl. 10. *uos in equis, & Principes, quasi seruos, ambulantes super terram.* Qui enim Principes reputantur, reuera serui sunt, multis miseriis, & cala-
lib. 7. c. 2. mitatibus mancipati. Refert Valerius Max. de quodam Rege subtilis iudicij, qui traditum sibi diadema, priusquàm capiti imponeret, diu considerauit, & dixit, ô pannum magis nobilem quàm felicem quem si quis cognosceret, quam multis sollicitudinibus, periculis, & miseriis sit refertus in humi quidem iacentem releuaret. Benè iste, quod multis hodie videtur superius, inferius iudicauit.

De septimo Mirabili.

Quod S. Scripturam directè videt, qui eam opere complet.

20. Demonstratum est etiam in præfata scientia, quod oculus debiliùs apprehendit rem quam videt in speculo, quàm si eam cerneret aspectu directo. Eo quod formæ reflexæ debiliores sint, & ideo debiliùs repræsentant. Et hinc est, quod homo, suæ formæ, quam pluries videt in speculo, vix & tenuiter recordatur, & meliùs imaginatur alterius hominis faciem, quam aliquoties directè respexit, quàm suam, quam nunquam directè, sed in speculo sæpè vidit.

Sic & moraliter applicando, per faciem intelligo diuinam legem. Nam sicut in facie hominis interna voluntas perpenditur, iuxta illud; *In facie hominis legitur secreta voluntas*: sic & nobis Dei voluntas in lege diuina monstratur. Et sicut facies testificatur de homine iuxta illud Ecclesiastici, *ex visu cognoscitur vir, & ab occursu faciei, sensatus.* Sic & Scriptura sacra testificatur de Christo, vnde & ipse Dominus dicebat. *Scrutamini Scripturas*, &c. *illæ sunt quæ testimonium perhibent de me.* *Oculus voluntatis speculum.* *Caßiod. l. de anima c. 16.* *cap. 19.* *Ioan. 5.*

21. Hanc faciem diuinam, id est, Scripturam sacram ille directè videt, qui eam opere complet, & sic eam memoriter retinet. Qui verò eam solùm audit, & eam non perficit, quasi in speculo eam cernit, & hic eam statim obliuioni tradit. Et ideò dicitur. *Estote factores verbi, & non auditores tantùm, fallentes vosmetipsos, quia si quis auditor verbi Dei est, & non factor; hic comparabitur viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo: considerauit enim se & abijt; & statim oblitus est qualis fuerit.* Et ideò qui vult in sacra doctrina proficere, & vsque ad habitum scientiæ peruenire, studeat quod in ea legit, operibus adimplere. Et ideò Dauid sapientissimus inter tres, ostendens qua via ad sapientiam peruenerit, dicit, *Super senes intellexi, quia mandata tua quæsiui.* Et iterum. *A mandatis tuis intellexi*, dicit Glossa, quod per obedientiam mandatorum venitur ad sapientiam occultorum. Priùs igitur debet homo exercitari in studio bonitatis, quàm in studio contemplandæ veritatis. Hæc enim duo studia sunt coniuncta, nec debet homo vnum ab alio separare, vt scilicet studeat sapientiæ, & non bonæ vitæ. Studium tamen bonitatis debet præcedere studium veritatis. Vnde Psaltes. *Bonitatem, & disciplinam & scientiam doce me.* Et ideò signanter versus, *Beati immaculati in via qui ambulant in lege Domini*, præcedit versum qui statim sequitur. *Beati qui scrutantur testimonia eius.* Ideò dicitur in Ecclesiastico. *Fili concupiscens sapientiam, conserua iustitiam, & Dominus præbebit illam tibi.* *Iacobi 1.* *Psalm. 118.* *ibid.* *cap. 1.*

De octauo Mirabili.

De Trinitatis & Vnitatis veritate.

22. Apud Perspectiuos expertum & vulgatum est, quod si oculus in speculo in aqua posito solem aspiciat, apparent oculo duo soles: Ad quod quidem spectaculum, quasi tres soles videntur concurrere; vnus videlicet existens in cælo, & duo procedentes ab ipso, id est, duæ solis imagines in aqua & speculo apparentes, & tamen scimus secundùm rei veritatem, tantum vnicum esse solem. Modo consimili, si in aqua sapientiæ salutaris, oculo fidei, solem iustitiæ contemplati fuerimus, apparebit nobis Deus trinus, & vnus. Vnde statim in exordio diuinæ
Gen. 2. sapientiæ, introducitur Deus dicens, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Dicens enim *faciamus*, & *nostram*, pluralitatem personarum ostendit; dicens vero *ad imaginem* demonstrat essentiæ vnitatem. Innumera quoque testimonia hanc ineffabilem vnitatis atque Trinitatis ostendentia veritatem, patere possunt sacras litteras intuenti.

Id autem in iam dicta similitudine consideratione dignum existimo, quod cum in speculo duplex resultet imago; circa alteram illarum plures Perspectiuorum leguntur errasse, putantes alteram illarum esse solis imaginem, reliquam verò esse alicuius stellæ propè solem (vt existimant,) collocatæ, quod tamen falsum est & erroneum. Non enim est stella, quæ apparet; sed est duplex solis imago à duplici reflexione speculi, vt habetur alibi demonstrari. Modo consimili, circa tertiam in Trinitate personam, id est, Spiritum sanctum quamplures leguntur
Exod. 8. errasse, in cuius rei designationem Magi dicuntur in signo tertio defecisse.

De nono Mirabili.

Quod Deus est speculum sine macula.

23. Probatum est in scientia Perspectiua quòd oculus existens in centro concaui sphærici speculi, si respiciat speculum, videt se tantum. Vnde si totum cælum esset speculum, oculus existens in centro, si cælum respiceret, solummodò se videret, quod sic probatur: Cur enim res extra centrum posita, habeat radios supra superficiem speculi cadentes obliquè, cum etiam sint æquales anguli reflexionis & incidentiæ; sequitur vt radij non in ipsum centrum, sed ad partem oppositam reflectantur.

Sic etiam suo modo est videre in Deo: vt enim dicit Alanus, Deus est sphera intelligibilis. Cuius centrum est vbique: Et etiam speculum

Circumfertur ex Trismegisto.

sine

ſine macula, vt dicitur Sapientiæ ſeptimo. Diuinus igitur oculus, quaſi in centro omnium exiſtens præſentiſſimus, cum omni rei ſit intimus; in ſeipſo tanquam in ſpeculo ſeipſum tantum intelligit per ſeipſum; alia verò à ſe non debet in ſeipſis cognoſcere. Nam ſicut dicit Philoſophus, eius vileſceret intellectus. Sed ea cognoſcit, & intelligit in ſeipſo, in quantum eſt exemplar omnium, in ſua eſſentia idealem continens ſimilitudinem ſingulorum. 12. Metaph. t. 51.

De decimo Mirabili.

Quod corpore prægrauati, Diuinam eſſentiam videre non poſſunt.

24. Probatur etiam iam dicta ſcientia, quod res exiſtens in centro ſpeculi ſphęrici concaui, ab oculo extra centrum poſito reſpiciente ſpeculum, non videtur.

Sic quandiu in hac vita incolatus noſter prolongatus eſt, & mole carnis oppreſſi, à Deo diſtamus, videre diuinam eſſentiam non valemus. Vnde & Moyſi vt diuinam faciem videret oranti, reſpondit Dominus, *Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo & viuet.* Cum autem ſic cucurrerimus vt comprehendamus, & impletum fuerit quod dicitur. *Qui adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt cum eo*; quando etiam Deus erit omnia in omnibus, tunc non iam extra centrum, ſed quaſi in centro diuinæ ſtabilitatis poſiti, & vnum quodammodo cum Deo per amorem effecti, *videbimus eum ſicuti eſt.* Exodi 33. 1. Cor. 6. 1. Ioan. 3.

De vndecimo Mirabili.

Quod ſcientia diſcernendi peccata, Prælatis ſit neceſſaria.

25. Probatum eſt in ſcientia ſępe dicta, quod rei viſæ ſub fractis radiis, certificari non poteſt quantitas: poteſt autem ſi videatur per rectas lineas, vt patet de re aliqua quæ nunc videtur in aëre, nunc in aqua.

Modo conſimili peccatum poteſt certitudinaliter apprehendi ſecundùm gradum propriæ quantitatis ab eo qui peccatum directè reſpicit oculo rationis. Hoc autem modo doctor aliquis, vel quicumque alius ſtudioſus peccatum reſpicit, qui veritatem in ſingulis ſpeculando de peccatorum gradibus agnoſcendis conſiderat, vel inquirit. Sed hęc quidem notitia Prælatis eſt neceſſaria, qui tenentur habere ſcientiam diſcernendi inter lepram & lepram, vt dicitur in Leuitico. Peccator autem, quando peccatum committit, culpam non directè, ſed quaſi per fractam lineam reſpicit, ſeu obliquè. Non enim reſpicit ad ipſam peccati deformitatem ſeu malitiam, ſed potiùs ad delectationem annexam, quia ſecundum Dionyſium nullus ad malum reſpiciens, facit, quod facit. Vnde & Philoſophus dicit in Ethicis. *Omnis malus ignorans*: quia ſci- cap. 13. cap. 4. diu. nom. 3. Eth. c. 1.

licet ignorat in eligendo, dum peccat; & hoc plerumque contingit quod doctor aliquis legens seu determinans de quantitate peccati alicuius, iudicabit rectissimè, eo quod tunc respicit ad peccatum directè. Postmodùm verò ingruenti tentationi succumbens, errabit in eligendo quod priùs reprobrauerat in docendo: idque ideò, quia tunc respicit indirectè peccatum.

Vtinam nostri Theologi in culparum quantitatibus metiendis, sic haberent rectum iudicium in eligendo, sicut rectè iudicant speculando: quod quia non habent, ideò fortasse contingit quòd inueniuntur ad operandum desides, licet sint ad discernendum feruentes. Pulchrè semel confutauit Parisiis, quorumdam Theologorum multitudinem quidam stultus. Quæro (inquit) à vobis omnibus, quid horum est melius, facere quod scit homo, vel addiscere quod nescit? tunc illis super iam mota quæstione disputantibus, & pro, & contra arguentibus; stultus eorum audiens altercationem, tacebat, expectans vt videret finem. Tandem conclusum est & probatum quòd melius est facere, quod homo iam nouit, quàm discere, quod non nouit; quia, sicut Apostolus dicit. *Non auditores legis tantum, sed factores iustificabuntur*, Et Isidorus dicit, Lector strenuus plus ad implendum quæ legit, quàm ad sciendum est promptissimus: minus enim peccatum est nescire quid competat, quàm, ea quæ noueris, non implere. Ergo, (inquit stultus,) omnes estis dementes, qui tantum die noctéque laboratis vt discatis, quod nescitis, & non curatis opere implere quod scitis.

Rom. 2. *Lib. 3. de summo bono c. 8. n. 6.*

De duodecimo Mirabili.

Quod tollatur iudicium visus hominis circa pauperes & diuites.

27. Probatur etiam in scientia Perspectiua quòd res visa maior quàm sit secundum veritatem, apparet oculo existenti in medio rariori. E contrario contingit posito in medio densiori: vnde oculo existenti in aëre, rem visam, in aqua existentem maiorem necesse est apparere; minorem autem oculo in aqua defixo, & re visa in aëre collocata.

Modo consimili plerumque contingit, quod pauper aliquis existens in arido paupertatis, cùm videt aliquem mundanis opulentiis affluentem, ipsum iudicat esse magnum. Vnde Psalmista, *Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt*; sed fallitur in iudicio visus eius. Vnde dicit quidam Philosophus, Nemo eorum, quos fortuna sublimes facit, propter hoc magnus est. Sed isti tibi magni videntur, quia metiris eos cum basi sua. Nec enim granum milij magnum est, quamuis supra montem sit positum. Et Bernardus ad Eugenium. Nunquid quia summus Pontifex, ideò summus?

Psalm. 143. *Seneca epist. 76.* *2. de consid. c. 7.*

28. Econtrariò qui mundanis diuitiis transitoriis est immersus, cùm videt pauperem à mundanis diuitiis elongatum, reputat eum modi-

cum, cùm reuera magnus sit apud Dei oculum, respicientem pauperem, & in iudicio non errantem. Vnde de Ioanne Bapt. dictum est. *Erit enim magnus coram Domino.* In oculis autem diuitum, pauperes minimi reputantur, vt possint dicere quod dixerunt exploratores. *Filios Enachim vidimus ibi; quibus comparati quasi locustæ videbamur.* *Num. 13.*

29. Cùm Magistrum Alanum Doctorem egregium, adhuc pauperrimum, quidam quodam discipulus eius, iam factus Episcopus inuitasset ad prandium, cernens inopiam. Miror (inquit) magister, non modicum: scholares vestri iam facti sunt magni viri, vnus est Abbas, alter Episcopus, alter Archiepiscopus; & vos estis in paupertate nihilominus derelictus. Alanus aliter sentiens, tanquam habens rectum iudicium, tale fertur dedisse responsum. Nescitis (inquit) quæ sit dignitatum perfectissima celsitudo, & vera hominis magnitudo. Non est enim magnum, esse Episcopum, sed esse bonum Clericum. Probatio. Ad vocem trium ribaldorum Canonicorum, quibus dabitur eligendi potestas, fiet vnus Episcopus. Sed si omnes Sancti qui sunt in paradiso, & omnes homines existentes in mundo contra Deum & rationem concorditer dicerent, & vno ore, Martinus est bonus Clericus; non ideò Martinus esset bonus Clericus, sed adhuc in sua insipientia remaneret. Huius siquidem Episcopi oculus erat tanquam in densiori medio diuitiarum immersus, & Alanum esse modicum reputabat. Alanus verò è contra, eo quod in paupertatis medio positus esset, subtilius cernebat. Fertur etiam postmodum adiecisse; Probo vobis, Domine Episcope, quod pauper, est Rex & Dominus huius mundi; nam voluntati diuitis, quantumcumque potentis, mundus non obedit per omnia, dum timet perdere, quod habet; & vult acquirere, quod non habet: & in hoc voluntati eius mundus repugnat; quia vellet, quod habet, non posse perdere; &, quod non habet, iam acquisiuisse. Pauper autem habet mundum prorsus voluntati suæ obnoxium: Cùm enim contemnat diuitias, nihil optat acquirere; &, cùm nihil habeat, nihil timet perdere. Et ideò verum est quod Fortunatus ait.

Pauper in angusto regnat, habendo Deum. *Lib. 8. carm. de Senatu curiæ cœl.*

Et Seneca loquens de Diogene diuitiarum maximo contemptore, qui Alexandro offerenti sibi munera sic respondit. Tolle (inquit,) non sunt hæc munera hominum, sed onera iumentorum. De hoc inquam Diogene præclarè ait Seneca. Potentior erat Diogenes Alexandro Macedone omnia possidente; plus enim erat, quod ille nollet accipere, quàm quod iste posset dare. *Lib. 5. de benef. c. 6.*

30. Ista tamen visus deceptio mentes potentium & diuitum hodie sic inuasit, vt apud eos nihili reputetur, nisi vel diues fuerit, vel saltem diues secundùm apparentiam æstimetur. Refert etiam Stobæus, quòd cùm quidam Philosophus, fuisset in ingressu curiæ cuiusdam Regis repulsus, tandem considerans illud Poëticum. *Ouid. 1. fasto.*

Curia pauperibus clausa est; dat census honores.

Pretiosis ornatus vestibus admissus est, & mox aditus patuit venienti. Ingressus autem coram Rege, cœpit vestes suas venerabiliter osculari; Tunc Rex admirans, cur hoc faceret, inquisiuit. Respondit Philosophus, ego me honorantem honoro: quia, quod virtus non potuit, vestis obtinuit: ô, inquit vanitas vanitatum, plus defertur vestibus quàm virtutibus; plus venustati, quàm honestati! Scribitur in historiis Romanorum, quod Romani, qui viros magnificos deificare consueuerant, disputauerunt in consilio vtrum Christus in numero Deorum esset recipiendus, cùm tot miracula esset operatus. Et tantem definitum est, quod non deberet recipi; quia non haberet cultores, cùm paupertatem prædicauerit, quam omnes recusant, & quam vnusquisque contemnit.

De decimo-tertio Mirabili.

Deseruanda humilitate in sublimitate.

Lib. 7. Persp. 31. Docet Albategnius, quod stella, versus terram in Oriente vel Occidente locata, maior apparet oculo, quàm cùm fuerit ad cæli medium eleuata. Modo consimili viri cælestes, quanto ad altiora dignitatum videntur ascendere, tanto seipsos per humilitatem paruificant, & tanto minores humanis aspectibus apparere nituntur, iuxta illud, *Eccle- siast. 3.* *Quanto magnus es, humilia te in omnibus.* Eleganti metaphora posset dici de talibus, quod dictum est de Esther, *Fons paruus creuit in fluuium magnum; & in Solem, Lunámque conuersus est.* *Esther 10.* Isti námque etsi dignitate sint magni, dum non inde superbiunt, humilitate sunt parui; ac per hoc in Solem, Lunámque, quasi metaphoricè conuertuntur, quia instar luminarium cælestium exaltati, humiliores fiunt. Talis fuit Virgo Maria, quæ cùm fuisset ad tantæ dignitatis fastigium, vt Dei mater fieret, exaltata, mox seipsam ostendens paruulam instar stellæ, se obtulit in ancillam; Et ideò vocamus eam congruè maris stellam.

Lib. 1. dialo. c. 5. 32. Refert Gregorius, de quodam qui vocabatur Constantinus, corpore quidem paruus, sed mente magnus; quod cùm quidam, ei qui vt eum videret aduenerat, despectiuè dixisset, quod nihil hominis haberet; protinus vir Dei in eius amplexum, nimium lætus ruit, & eum ex amore feruentissimo, brachiis cœpit stringere, & dulciter osculari; gratias ei referens, quod de se talia iudicasset; Tu (inquit) solus es, qui in me oculos apertos habuisti. Hic ad statum celsi meriti, iam plenè conscenderat; & in hominum oculis, more cœlestis syderis, paruus apparere volebat. Et sicut reputamus mirabile, quod stella cùm ascenderit ad cæli medium, minor appareat, cùm tamen ad intuentis oculum, magis ascendat: sic etiam, quod aliquis tanto videri velit humilior, quanto fuerit in dignitate sublimior, reputamus mirabile, quia rarum. Raro namque contingit, vt gradus honoris, tumorem non pa-

riat in animo præsidentis. Nam secundum Bernardum; non est magnum esse humilem in abiectione, sed magna prorsus, & rara virtus est humilitas honorata. Et, vt dicit Gregorius, Magnum est honorem non appetere, maius est oblatum respuere, maximum verò de habito non superbire. *Hom. super Missus est.*

CAP. VII.

De Instructione morali secundùm XII. proprietates repertas in oculo corporali.

1 OCulus est geminus, compari suo simillimus, colore diuersus, figura sphæricus, palpebris velatus, in capite collocatus, specierum visibilium receptiuus, non sui, sed alterius agnitiuus, iuxta gradus distantiæ visibilium diuersimode cognitiuus, totius corporis directiuus, arcanorum mentis medicatiuus, post longam vigiliam somnolentus.

I. De bono socialis vitæ.

2. Primò ergo, oculus est natura geminus; & hoc ideò, vt testatur Albategnius, vt vnus fortificetur ex altero; &, vt defectus vnius, per alterum suppleatur. Vnde & Bernardus Syluestri, metricè de oculis ait, *Lib. 1. de microcosmo.*

Nonnihil est hos esse duos, si langueat alter,
Vt vitæ participis suppleat alter opus.

In quo nobis socialem vitam, exemplo sui, natura commendat. Sicut enim oculi, cùm sint duo in eodem capite, vicissim se fortificant: Sic multæ personæ degentes collegio vno, mutuò se supportant. Ideò dicit Salomon, *Melius est esse duos simul quàm vnum: habent enim emolumentum societatis suæ.* *Eccl. 4.* Iuuant enim se quantum ad recessum à malo; ideò subdit; *Si vnus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ Soli, quia si ceciderit, non habet subleuantem se.* *Ibid.* Hieronymus ad Rusticum hoc refert exemplum. Vidi (inquit) in Ægypto adolescentem in quodam cœnobio, qui nulla abstinentia, nulla operis magnitudine, flammam poterat carnis extinguere; Hunc periclitantem pater Monasterij hac arte seruauit: imperat cuidam viro, vt minis & conuitiis insectaretur hominem: & post irrogatas iniurias, primus veniret ad querimonias. Vocati testes pro eo loquebantur, qui contumelias irrogauerat. Flere ille contra mendacium cœpit, & nullus pro eo stetit. Solus pater defensionem suam callidè opponere studuit, ne abundantiori tristitia absorberetur. Quid multa iam anno expleto, interrogatus super cogitationibus pristinis, an ipsum adhuc molestarent; Papæ (inquit) viuere non

licet, & fornicari libeat? O (inquit Hieronymus) si solus iste fuisset,
Epist.11. quo adiutore superrasset? Ideò dicit Seneca, magna pars peccatorum tollitur, si peccatori testis assistat. Vtilis est etiam socialis vita, quoad
Prou. 9. conseruationem in bono. Salomon; *Frater qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma.*

3. Legitur in vitis Patrum, quod quidam suæ salutis æmulus, quendam Patrem consuluit, quid horum sibi melius expediret, ducere scilicet vitam eremiticam, vel cœnobiticam. Cui pater noluit respondere verbo, ne pateretur calumniam; sed respondit exemplo. Iubet vt vas plenum carbonibus ignitis afferret; quod cùm ille mandatis obediens attulisset; pater ille carbonem extrahens, quem ignitissimum vidit, seorsum in terra locauit; vbi, cùm esset solitarius, non multo post extinctus est: Quod ille non intelligens, ait; Pater, quid sibi vult, obsecro, quod fecisti? Et ille, iam, (inquit,) si benè aduertisti, satisfactum est quæstioni tuæ. Ecce carbo, qui priùs existens cum aliis, erat plus omnibus ignitus, est ab aëre frigido circunstante extinctus, quia mansit ab aliis separatus; reliqui adhuc igniti permadent, eo quod ex consortio mutuo, se in calore tenent. Sic homo manens in sancto collegio, confouetur in bono; solus autem existens, vel circundatus prauorum consortio, qui infrigiditati sunt in peccato, facilè tepescit, & extinguitur ignis charitatis in eo. Et hoc est quod dicitur in Ecclesia-
Cap. 4. stico. *Si dormierint duo simul, fouebuntur; vnus quomodo calefiet?* In hoc ergo, quod oculus est geminus, commendatur nobis sancta societas, & amor mutuus. Et ideò discipulos tanquam nostros spirituales
Lucæ 10 oculos, Dominus misit binos.

II. De secunda instructione morali, scilicet de stultis multa dicentibus & pauca facientibus, multum cognoscentibus & parum diligentibus.

4. Secundò, oculus suo pari debet esse simillimus; Monstrosum est enim, si vnus oculus sit maior quàm reliquus, vel si aliter coloratus. Hoc tamen monstrum possumus iu multis videre. Nam, cùm in nobis sit duplex oculus, intellectus scilicet, & affectus; sunt quidam qui hos oculos habent in colore dissimiles, vnum dicentes, & aliud facientes. Alij verò eos habent in magnitudine inæquales; nam multa dicunt, & pauca faciunt; multùm cognoscunt, & parum diligunt; multum student illuminationi intellectus, & parum illuminationi affectus. Illuminat veritas oculum intellectus, charitas oculum affectus. Vtrumque
Ps.12. pariter illuminari petebat Dauid cùm dicebat; *Illumina oculos meos.* Sed in multis sinister oculus est multum illuminatus, cùm dexter sit
Zach.11. obscuratus, quia de Prælatis Ecclesiæ legitur Prophetatum fuisse. *O pastor, & idolum, derelinquens gregem; brachium eius ariditate est sicca.*

bitur; & oculus eius dexter, obcæcatus obscurabitur. Dextrum oculum potius quàm sinistrum studet Diabolus homini eruere; quia hominem quoad spiritualia nititur excæcare. Scit enim quòd, si homini eruerit oculum dextrum, ipsum ad pugnam spiritualem inutilem reddet.

5. Et hoc nobis figuratum est in eo quod legitur, quòd viri Iabes obsessi, dixerunt ad Naas Ammonitem. *Habeto nos fœderatos, & seruiemus tibi*; & respondit Naas, *in hoc feriam vobiscum fœdus, vt eruam omnium vestrum oculos dextros.* Naas interpretatur *serpens*, Ammonites *comprimens*, vel *coangustans*; & hostem humani generis repræsentat, qui est serpens blandiens in suggestione culpæ, comprimens in remorsu conscientiæ, coangustans in exactione pœnæ. Serpens iste vult nobiscum fœdus inire; vt dimisso sinistro oculo, id est cogitatione temporalium, eruat dextrum oculum, per quem significatur desiderium æternorum. *1. Reg. 11.*

O quàm multi sunt hodie, qui clarè vident in temporalibus, & cæci sunt in diuinis! qui multùm intendunt circa quæstiones, sed modicum circa mores. De quibus potest dici illud Iobi. *Pauit enim sterilem, & quæ non parit: & vidua non benefecit.* Per sterilem significatur intelligentia, quæ non parit, id est, non videtur: quia omne meritum in voluntate consistit. Per viduam intelligitur affectio, quæ in multis est vidua, dum Sponso suo cælesti non est per desiderium copulata. *Cap. 24.*

7. Huiusmodi homines sunt monstruosi, qui vnum oculum, scilicet intellectum, habent adeò grossum, & magnum, quòd cum eo contemplantur Lunam, & stellas, cælum, & cursum planetarum & syderum, & distantiam totius terræ & climatum; vt de eis possit dici illud Zachariæ. *Oculus eorum in vniuersa terra:* Sed alterum oculum, scilicet affectum, habent minimum, & ferè nullum; quia parum afficiuntur ad Dominum. Et illi possunt dicere illud Iobi. *Ad Deum stillat oculus meus.* Isti enim multa contemplantur de corporalibus, & caducis; sed parum cogitant de spiritualibus, & æternis. Vnde eorum oculus copiosè fluit ad mundum, sed parcè stillat ad Dominum quia minimè mouentur ad eum. *Cap. 5.* *Cap. 6.*

8. Item sunt similes Iacob, qui amori Liæ prætulit amorem Rachelis: Rachel enim interpretatur *videns principium*, & significat speculatiuas scientias, quæ inquirunt principia rerum & principia contemplationum. Lia verò interpretatur *laboriosa*, & significat virtutis exercitium: nam virtus est circa difficile & arduum.

9. Audiant curiosi, quid dicat Seneca. Vt quid te torques in illa quæstione, quam vtilius est contempsisse, quàm didicisse? Et idem ait. Si multum superesset ætatis, parcè dispensandum erat in necessariis: nunc autem, quæ dementia est, superuacua quærere in tanta temporis egestate? Et Hugo de S. Victore. In lectione diuina priùs debetis quærere, quod mores vestros instruat ad virtutem, quàm quod sensum acuat ad subtilitatem: magisque velle præceptis Scripturæ infor- *Epist. 48. & 117.* *Lib. de institut. Nouitio.*

mari, quàm queſtionibus impediri.

In eius vita. 10. Legitur de Beato Edmundo, quod mater ſua eidem apparens, ipſum, quia ſtuderet in figuris Geometricis arguit, & in dextra manu tres circulos habens vnum intra alium, in quorum primo erat ſcriptum, *Pater* in alio *Filius*, in tertio *Spiritus ſanctus*, dixit, fili chariſſime, talibus figuris intende. Qua viſione perdoctus, relictis curioſis ſcientiis, ad ſacræ Scripturæ ſtudium conuolauit. De hoc Auguſtinus, de Mathematicis ſcientiis loquens, ait; [Infelix homo qui ſcit illa; te autem neſcit: Beatus autem qui te ſcit, etiamſi illa neſciat. Qui verò te & illa nouit, non propter illa beatior, ſed propter te ſolùm beatus eſt, ſi cognoſcens te, ſicut Deum glorificet, & gratias agat, & non euaneſcat in cogitationibus ſuis. Sicut enim melior eſt qui nouit poſſidere arborem, & de vſu eius tibi gratias agit, quamuis neſciat, vel quot cubitis alta ſit, vel quanta latitudine diffuſa, quàm ille qui eam metitur, & omnes ramos eius enumerat, & neque poſſidet eam, neque creatorem eius nouit aut didicit; Sic fidelis homo cui totùs mundus diuitiarum eſt, & quaſi nihil habens, omnia poſſidet inhęrendo tibi cui omnia ſeruiunt, quamuis nec ſaltem Septentrionis gyros nouerit; dubitare ſtultum eſt, quin vtique melior ſit, quàm menſor cœli & numerator ſyderum, & penſor elementorum & negligens tui, qui omnia in numero, & pondere & menſura diſpoſuiſti.] *Lib. 5. Confeſſ. c. 4.*

III. Tertia inſtructio moralis de memoria mortis habenda quam mundiales deſpiciunt.

11. Tertiò, oculus in diuerſis hominibus interdum eſt colore diuerſus, & pro oculorum differentiis, variatur operatio viſiuæ virtutis. Vnde dicit Philoſophus, quod habentes oculos nigros, ſunt acuti viſus in die, ſed obtuſi in nocte & habentes oculos glaucos, vident in nocte clarius, quàm in die: vt in murilegis, & cæteris animalibus oculos glaucos habentibus, eſt videre. *Lib. 5. de animal. gener. c. 1.*

12. Spiritualiter adaptando, oculi glauci, eo quod habent debilem ſpiritum & modicum humorem, ſapientes huius mundi ſignificant: In quibus humor gratiæ deficit, & virtus operandi torpeſcit. Et iſti in nocte, quàm in die clariùs conſpiciunt, quia totum ſenſum ſuum in terrena conuertunt. Qui in hoc, ſunt ſicut talpa, quæ ſub terra ſagax eſt, & aſtuta &; ibi nouit diuerticula multa: Cùm autem ſupra terram aſcenderit, efficitur ſtupida, & omnem æſtimationem amittit. Sic & ſapientes huius mundi, in terrenis & temporalibus ſunt aſtuti, ſed in ſpiritualibus ſunt hebetes & ignari.

13. Illi vero oculos mentis habent nigros, in quorum oculis mortis memoria firmiter eſt impreſſa; & iſti de nocte videre nequeunt, ſed de die: quia tales non vident, id eſt, non approbant peccatorum opera tenebroſa, ſed opera lucis, id eſt, opera virtuoſa. Ideò dicitur in Eccleſiaſtico.

clesiastico. *Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.* De hac spirituali & laudabili mentis nigredine, Sponsus commendatur in Canticis, cùm dicitur, *Coma eius nigræ, sicut coruus.* Per comas, cogitationes, eo quòd sint subtiles, & quasi innumerabiles, designantur. Tunc ergo nigræ comæ capitis sunt, cùm est in mente iugis memoria mortis. [*Cap. 7.*] [*Cap. 5.*]

14. Hanc mortis memoriam antiqui commendasse leguntur, verbis pariter & exemplis. Vnde dicit Seneca; Mors vbique te expectat, tu quoque, si sapiens eris, eam in omni loco expectabis. Et idem ait in libro de moribus, multos vitam differentes, mors incerta præuenit. Omnis itaque dies, velut vltimus ordinandus est. Vnde Poëta Horatius ait; [*Epist. 26*] [*Num. 13.*]

Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.

Et alius dixit:

Semper habe memori mentè, necessè mori.

Et, sicut ait Hieronymus, Pythagoras definiens Philosophiam, ait, Philosophia est meditatio mortis, quotidie de carcere corporis nitens animam educere in libertatem. Et, sicut refert idem Hieronymus, Plato villam Academiam, in qua terræ motus frequentet accidit studendi vsui dedicauit: & hoc ideò, vt terræ motu scholares territi, mortis memoriam haberent, & sic à vitiis abstinerent. Legitur etiam in historiis Romanorum, quod post coronationem Imperatoris, antequam quidquam aliud imperaret, intrabant ad eum ædificatores sepulchrorum, ferentes in manibus quatuor genera marmorum diuersorum & colorum, coram Principibus, Imperatori dicebant; de quo genere marmoris iubes, Imperator, tibi fieri monumentum? quo facto insinuabant eidem, & vt mortem obliuioni non traderet, & vt imperium cum clementia gubernaret. [*In apolog. aduersus Ruffinũ, sub finem.*] [*Lib. 2. contra Iouin. ante medium.*] [*Refertur in actis S. Ioannis Eleemosynarij, hunc fuisse vsum Imperatorum Orientis.*]

15. Reuera, magna sapientia consistit in mortis memoria; sicut enim initium humanæ creationis incepit à puluere, quia Deus *creauit hominem de limo terræ* (alia littera habet *creauit Deus hominem puluerem*:) Glorificationis etiam vltimæ principium, incipiet à puluere, quando pulueres corporum nostrorum congregabuntnr, & reformabuntur corpora gloriosa. Sic etiam principium spiritualis creationis per gratiam, incipit à puluere; id est, à mortis consideratione, in qua homo in puluerem suum reuertetur: Iuxta illud Psalmi, *Auferes spiritum eorum, & deficient, & in puluerem suum reuertentur.* Et quia non vtilis est mortis memoria, ideò Dauid optans, vt ad eam semper haberet mentis oculum vigilem & apertum, orabat dicens, *Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte.* [*Gen. 2.*] [*Ps. 103.*] [*Ps. 12.*]

IV. *Quarta instructio moralis de simplicitate intentionis seruanda.*

16. Quarto, oculus est sphæricus seu rotundus: figura autem sphærica, omnium figurarum est simplicissima, cùm vnica linea sit contenta. Figuræ igitur oculi simplicitas, nos ad simplicitatem intentionis hortatur. Figuræ enim orbicularitas persuadet, vt in cunctis, quæ agimus, ad æternum brauium, intentionis oculum dirigamus. Hæc autem intentionis simplicitas, non solùm significatur in figura oculi, sed etiam in modo videndi. Vt enim dicitur in libro de visu, quidquid videmus, sub angulo videmus; Ita quod vertex est in acie oculi, basis verò ad terminos rei visæ. In quo figuratur recta intentio, quæ omnes terminos cogitationum & affectionum nostrarum vnit in Deum, omnia re-
1. Cor. 9. ferens in laudem Creatoris. Iuxta illud Pauli. *Siue manducatis, siue bibitis*, &c. *omnia in gloriam Dei facite.* Ideò Dominus ad simpli-
Matt. 6. citatem intentionis nos admonens, dicit. *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit*, &c. Ille autem habet simplicem oculum, qui in omnibus quæ agit, intendit honorem diuinum. Qui autem aliud intendit, infidelem Deo se esse ostendit: Et ideò aptè subditur, *Si autem oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit.* Rectè Bernardus. [Fidelis reuera famulus es, si de multa glo-
Serm. 13. in Cant. ria Domini tui, etsi non exeunte ex te, transeunte tamen per te, nihil manibus tuis adhærere contingat. Talis fuit Ioab domino suo. Pugnans enim contra Rabath, cum iam esset capienda vrbs regia, misit ad Da-
2. Reg. 12. uid, ne nomini suo adscriberetur victoria.

17. Sed multorum oculus non est simplex, sed magis duplex, similis vetulæ, quæ si ad cælum leuet oculos, vt videat miluum, hoc facit amore pullorum: Sic multi, etsi aliquando operantur aliqua, quæ videntur cælestia, tamen intentionis oculo respiciunt ad terrena: Et ideò talium oculus non est simplex, sed nequam potiùs, & iniquus. Videmus quod isti balistarij volentes videre rectitudinem signi, vel cum balista sagittam rectè proiicere, consueuerunt vno oculo clauso reliquum aperire. Sic & qui voluerit rectificare suum opus, vno vtatur oculo, vt eius intentio dirigatur ad vnum, quod est necessarium, vi-
L. 10. confess. cap 36. delicet ad Deum, dicens cum Augustino Domine, gloria nostra tu esto: Propter te amemur & verbum tuum in nobis: qui enim laudari vult ab hominibus, vituperante te, non defendetur ab hominibus, iudicante te; nec eripietur, damnante te. In signum huius consueuit Ecclesia in fine cuiuslibet Psalmi decantare, *Gloria Patri.* In Psalmo si-
Ps. 113. gnificatur operatio, quasi dicamus pro quolibet opere nostro; *Non nobis Domine, non nobis; sed nomini tuo da gloriam.* Bonitas enim scripturæ, scriptori debet attribui, & non pennæ. Ideò cum ipse operetur in nobis omnia, soli Deo sit honor & gloria.

V. Quinta informatio de vitanda inani gloria.

18. Quintò, oculus palpebris est velatus. Ad hoc natura ingeniata est palpebras, vt oculum à nocumentis exterioribus præseruaret, & deperditioni spirituum visibilium obuiaret: nam, vt dicit Philosophus. Omne animal carens palpebris, est debilis visus, vt patet in piscibus, & leporibus, quorum oculi sunt semper aperti; & ideò fit in eis disperditio nimia spirituum, propter defectum custodiæ, seu velaminis palpebrarum. [*Lib.2.de animal. part.c. 13.*]

Modo consimili, qui bona sua non occultant, sed per inanem gloriam se ostentant, dum humanos honores appetunt; totum perdunt. Vnde Gregorius, [Deprædari desiderat, qui thesaurum publicè portat.] Et in vitis Patrum dicitur. Sicut thesaurus manifestus minuitur citò, ita & virtus quælibet, deperit publicata. Et quidam senex ait, sicut fieri non potest, vt herba simul nascatur, & fructificet; ita impossible est, vt laudem & gloriam habentes sæcularem, simul etiam fructum capiamus cælestem. In huius signum, manus Moysis sana consistit dum in sinu reconditur, leprosa verò est, dum exteriùs propalatur. [*Hom.11. in Euang.*] [*Lib.5. libello 9. n.19.*] [*Exodi 4.*]

19. Legitur in Isaia quod cùm Rex Ezechias per manum Isaiæ Prophetæ signum incolumitatis à Domino recepisset, vmbra horologij decem gradus retrorsum reuertente, cùm vmbra procedere soleat non redire; misit ad eum rex Babylonis nuncios, literas & munera deferentes; in quorum aduentu lætatus est Ezechias, & ostendit eis domum aromatum, aurum, & argentum, & totam congeriem suorum thesaurorum. Ad quem missus Isaias, ex parte Domini prædixit, hæc omnia in Babylonem auferenda. Signanter autem, cùm Dominus Regi miraculum indulsisset, Babyloniorum nuncij cum muneribus dicuntur aduenisse; quia tunc præcipuè quis sollicitatur à tentationibus immissis à Dæmone, quando per admirabilem Dei clementiam, virtus eius clariùs innotescit: Tunc autem imprudentis est exultare, & thesauros bonorum suorum inaniter gloriando per iactantiam ostentare: & cuncta meretur amittere, quæ, ne perderet, debuit occultare. [*Cap.10.*]

20. Audiamus de Magistro nostro Iesu Christo, qualiter nos instruxit super hoc oculorum velamine spirituali, verbo pariter, & exemplo: dicitur enim apud Matthęum. *Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua & sit eleemosyne tua in abscondito.* Quasi dicat, non admisceat se laudis appetitus, vel ostentatio operi tuo. Et ibidem, *Tu autem, cùm oras, intra in cubiculum tuum, & claude ostium, & ora Patrem tuum.* Nec solùm hoc verbo docuit, sed etiam exemplo firmauit. Præcepit enim Apostolis, coram quibus transfiguratus fuerat, *Nemini dixeritis visionem.* In huius etiam mysticum documentum, post obtentum de Diabolo in passione trium- [*Cap. 6.*] [*Matth. 17.*]

phum, mysteriali triduo abscondi voluit in sepulchro; vt postquam de hoste triumphaueris, in secreto conscientiæ abscondaris. Sicut etiam
Col. 3. 1. dicit Apostolus. *Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.*

21. Hoc etiam nota circa palpebras oculorum: quia, sicut Philosophus ait, aues claudunt oculos palpebra inferiori, animalia verò gressibilia, palpebra superiori. Per aues significantur viri cælestes, per animalia gressibilia, viri mundani, ea, quæ super terram sunt, sapientes. Animales ergò homines oculum habent clausum ad cælestia, sed apertum per desiderium ad terrena. Psalmista, *Oculos suos statuerunt declinare in terram.* Et de nefariis senibus dicitur. *Declinauerunt oculos suos, vt non viderent cælum.* Spirituales autem viri è contrario, terrena non aspiciunt per amorem, sed contemplationem cælestium vehementer intendunt; dicentes cum Apostolo. *Nostra conuersatio in cælis est.* Vnde B. Martinus oculis ac manibus in cælum semper intentus; Sinite me, (inquit,) videre cælum. Et iterum de ipso canitur, nec terram iam videre dignatus, cælo totus inhæserat.

Lib. 4. de part. anim. cap. 11. — Ps. 16. — Dan. 13. — Phil. 3.

VI. Instructio sexta Moralis: Quod oculi id est intellectus & affectus, dirigendi sunt ad Deum.

Cap. 2. 22. Sextò, Oculus est in capite collocatus. Ecclesiastes ait; *Oculi sapientis in capite eius.* Caput nostrum est Christus, à quo nobis spiritualiter influitur sensus, & motus. In hoc ergo capite debemus oculos nostros collocare, oculum videlicet intellectus per cognitionem, & oculum affectus per amorem: quia vbi amor, ibi oculus. Benè in capite Christo oculos statuerat Dauid, qui dicebat, *Oculi mei semper ad Dominum.* Intellectus noster debet in Christo semper statui, vt eo inspecto, in vita, & conuersatione, eidem valeamus conformari. Sicut scriptor per hoc, quod oculos ad exemplar habet, rectè scribit. Rex Iosaphat dicebat. *Cùm ignoremus quòd agere debeamus, hoc solùm habemus residui, vt oculos nostros ad te dirigamus.* Affectus etiam noster debet in Christo capite collocari, vt attendentes quæ pro nobis fecit, & pertulit, & quanta nobis beneficia contulit, ipsum super omnia diligamus.

Ps. 24. — 2. Paral. 20.

23. Sed multi sunt sicut porcus, qui fructus cadentes ab arbore deuorat, & oculos ad arborem numquam leuat. Vnde in Psalm. dicitur.
Ps. 122. *Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.* Sunt etiam quàm plures, vt pauperes & trutani, qui ad manus eleemosynarij propter dona respiciunt; & recepta eleemosyna, eleemosynario dorsa vertunt, & ipsum deinceps obliuioni tradunt. Sic & multi, beneficiis iam receptis à Domino per ingratitudinem auertuntur ab eo; & de talibus potest dici.
Eccles. 27. *Qui quærit locupletari, auertit oculum suum;* Postquam enim locu-

pletati sunt, oculum considerationis auertunt à Deo, & per obliuionem à Deo recedunt, iuxta illud. *Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit: incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Dominum Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo.* Deut. 32

24. Talium hominum ingratitudo confunditur, si bestiarum irrationalium gratitudo pensetur. Refert Commentator, quòd quidam paterfamilias aspidem quandam adeò domesticauerat, quod quotidie veniens de cauerna sua ad mensam patrisfamilias, hora prandij petens cibum, post comestionem ad cauernam suam, vnde venerat, recedebat: quæ processu temporis duos filios genuit, quos secum ad mensam hospitis sui, vt cibarentur adduxit; vnus verò filiorum indomesticus, filium patrisfamilias venenauit; quod cernens mater, velut ingratum filium puniens, in conspectu omnium interfecit; & quasi rationis capax, confusa, cum alio filio recessit. *Ad librum de animal. & Plin. l. 10. c. 74.*

25. Adhuc autem ad plenam confusionem humanæ ingratitudinis, exemplum referam gratitudinis bestialis. Scribitur in historiis Romanorum, & idem refert Polyhistor quòd quidam in vrbe Roma homo, nomine Andronicus, ad mortem propter sua facinora condemnatus, leoni obiectus est deuorandus: quem vt leo procul aspexit, repentè quasi admirans stetit: tunc demum ad ipsum placidè & quasi lętabundus accessit, & caudam more canum adulantium blandè mouit, & homini iam pæne præ timore mortuo, crura & manus leniter lingua demulsit. Tunc ille homo blandimenta leonis percipiens, vix oculos ad intuendum leonem paulatim aperuit, & animum, quem propter metum amiserat, cœpit recuperare. Tunc quasi post factam mutuam recognitionem, lętos videns & gratulabundos adinuicem hominem & leonem, & acclamantem populum, qui conuenerat ad spectaculum, Cæsar illum hominem ad se vocans, diligenter inquirit, cur atrocissimus leo sibi soli pepercerit, qui cęteros sibi proiectos deuorare protinus consueuit. Ille verò rem mirabilem narrans ait: cum prouinciam Africanam proconsulari Imperio dominus meus obtineret, ego propter crudelitatem eius & verbera, dominium eius ferre non sustinens, ad camporum solitudines fugiens elongaui, & in cauerna quadam latebrosa, quam reperi, latitaui: ad quam cauernam non multò post venit hic leo, pede debili & cruentato terribiliter rugiens, & præ dolore vulneris ingemiscens. Quo viso vltra modum sum territus, & quasi toto animo consternatus. Sed postquam leo specum ingrediens in habitaculum illud suum ingressus me vidit, ad me mitis & mansuetus accessit, & pedem læsum ostendens, mihi gratia curationis porrexit. Tunc ego ingentem stipitem vestigio pedis eius inhærentem diligenter euulsi, & compresso vulnere saniem aggeratam eduxi, & cruorem detergens, vulnus ipsum leniter exsicaui. Tunc ille per medelam meam alleuiatum se sentiens, pede in manibus meis posito, procubuit & quieuit. Et ex hoc, per triennium ego & leo in eo specu mansimus, & iisdem *Imo Gell. lib. 5. c. 14.*

cibariis vsi sumus: Cum enim feras venatione ceperat, pinguiora membra mihi afferebat, quæ ego ignis non habens copiam, meridiano cocta sole edebam. Sed postquam illius vitæ ferinæ me tæduit, & leone ad venationem profecto, specum reliqui, & post fugam à militibus deprehensus ad dominum meum, quem quondam fugeram, sum adductus: & ex Africa ductus Romam, vbi me damnatum capitali sententia, dominus meus dandum ad bestias procurauit. Hic autem est leo ille, quem quondam socium habui, qui mihi gratiam exhibet & vicem, vt videtis, & pro fideli societate, & pro sibi exhibita per meam operam sanitate: tunc Andronicus, iubente Cæsare est à pœna solutus, & eidem leo vt socius, est donatus. Exinde comitantibus sibi leone & homine & vrbem peragrantibus, cernentes omnes dicebant, *Hic est leo hospes hominis; hic est homo, medicus leonis.* Erubescant ergo homines, beneficiorum diuinorum immemores, tantam ferarum ad suos beneficos gratitudinem audientes.

VII. Instructio, quod vulnera Christi per memoriam sunt respicienda.

26. Septimo, Oculus est formæ seu speciei rei visibilis receptiuus. Cuius, inter alia, hæc est vna probatio manifesta. Probatur enim in principio Perspectiuæ, quod si quis in luce diei vehementer aspiciat in cælum, de loco, super quem domus habeat foramen magnum discoopertum ad cælum, & reuertatur posteà ad locum obscurum, vel claudat oculos, aspiciet formam illius foraminis, cum figura.

Foramen, quod nos debemus attentè & frequenter omnes aspicere,
Apoc. 1. est latus Christi perforatum in cruce. Vnde Ioannes. *Videbit eum om-*
Cap. 12. *nis oculus, & qui eum pupugerunt*, Et Zacharias. *Aspicient ad me, quem confixerunt.* Pluraliter dixit, *quem confixerunt*: omnes enim Christum confiximus, imò crucifiximus, quia pro nobis crucifixus est Christus. Intret igitur quisque domum conscientiæ suæ, & mentis oculo Christi vulnera contempletur, vt Christo pro suo modulo conformetur. Scribitur enim in lib. de commixtione elementorum, quòd si interfector, eum quem interfecit, aspexerit, vel si præsens affuerit, protinus sanguis de interfecti vulneribus emanabit. Quod si verum est, inferri potest, quod si Christum occidimus, cùm pro nobis occisus fuerit, non rectè ipsum aspicit, quem sanguis eius, ac si recenter de vulneribus eius flueret, non afficit.

Prou 1. Sed pauci hoc foramen aspiciunt: vnde conqueritur Dominus. *Extendi manum meam*, (supplè in cruce perforatam) *& non fuit, qui aspiceret.* O quàm deuotè respiciebat ista foramina Beatus Bernardus. Vnde exponens illud Cant. 2. *Veni*, &c. *in foraminibus petræ, in cauer-*
Serm. 61. *na maceriæ*, loquitur ita. [Securus habito, quia statuit supra petram pedes meos; fremit mundus, premit corpus, insidiatur Diabolus. Non

cado: fundatus enim sum supra firmam petram. Peccaui peccatum grande, turbabitur conscientia, sed non perturbabitur, quia vulnerum Domini recordabor. Nempe vulneratus est propter iniquitates nostras. Ego verò fidenter, quod ex me mihi deest, vsurpo de vulneribus Domini: quoniam misericordia affluunt: nec desunt foramina, per quæ effluant. Foderunt enim manus eius, & pedes, latúsque lancea perforauerunt, & per has rimas, licet mihi sugere mel de petra, oleúmque de saxo durissimo: id est, gustare & videre quoniam suauis est Dominus. Clauis enim reserans, clauus penetrans factus est mihi; vt videam voluptatem Domini Patet arcanum cordis; Per foramen corporis, patent viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto. Ibo igitur ad illa sic referta cellaria, atque ad admonitionem Prophetæ, relinquam ciuitates, & habitabo in petra, & ero quasi columba nidificans in summo ore foraminis.] Hoc sumptum est ex Ieremij 48. Ait enim S. Propheta, *Relinquite ciuitates, & habitate in Petra.* Et idem Bernardus Bernardo. In illud Psalmi 90. *Cadent à latere tuo mille,* *In Ps. 90. serm. 7. sub finem.* dicit; [Vtinam talis merear esse columba, quæ in foraminibus petræ habitem, & in foramine lateris Christi.]

VIII. Octaua instructio moralis, contra fatuos sua negligentes & aliorum facta temerè iudicantes.

Octauo, Oculus corporalis est non sui, sed alterius agnitiuus. Et in hoc differt oculus carnis ab oculo mentis. Nam oculi carnis seipsos videre non possunt, sed alia conspiciunt; è contrario oculi cordis de se, non de aliis infaillibiliter iudicare possunt. Vnde, qui alios iudicant, non seipsos, oculos mentales conuertunt in corporales, iuxta illud, *Numquid oculi carnei tibi sunt.* Et ideò fatui sunt qui facta aliorum *Iobi 12.* & cogitata, quæ conspicere nequeunt, temerè iudicare præsumunt. Sed hodie quamplures inueniuntur tales. Vnde Augustinus; Curiosum est genus humanum ad cognoscendam vitam alienam, desidiosum *Lib. 9. confess.* est ad cognoscendam suam. Et Beat. Bernardus. Multi multa sciunt, *Lib. meditat. initio.* & seipsos nesciunt; alios inspiciunt, & seipsos deserunt. Et Gregorius Nazianzenus. [Nihil suauius videtur hominibus, quàm aliena loqui, & aliena cogitare.] Quod è compositæ mentis arbitrio videtur alienum. Sed sicut Hieronym. scribit ad Asellam. [Periculosum est de *Epist. 99.* seruo alterius iudicare: & non facilis venia est praua dixisse de rectis.]

29. Isti sunt sicut scholaris fatuus, qui habet librum literis Latinis scriptum, quem benè intelligit, & in eo studendo multùm proficere posset; & tamen meam numquam inspicere vellet, sed in libro Græco, vel Hebraico sibi prorsus incognito mussitaret. Tales videntur speciem humanam exuisse, & lyncis speciem induisse: dum dicunt se cordium secreta videre, cùm tamen dicatur à Paulo. *Quis enim ho-* *1. Cor. 2*

minum ſcit, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt! Ita, & quæ Dei ſunt; nemo cognouit, niſi Spiritus Dei. Et verè ſtulti ſunt; quia, vt dicit Tullius. Proprium eſt ſtultitiæ; aliena vitia cernere, & ſuorum obliuiſci. Iſti ſunt quibus dicit Dominus, *Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui; trabem autem, quæ in oculo tuo eſt, non conſideras? aut quomodo potes dicere fratri tuo; frater, ſine eijciam feſtucam de oculo tuo, ipſe trabem, quæ in oculo tuo eſt, non videns?* In ſeipſis quidem non vident peccata grandia; in aliis autem vident, quæ parua ſunt, vel forſitam nulla. Vnde & Horatius Poëta dicit.

Tuſcul. qq.

Lucæ 6.

Horatius lib. 1 Satyr. 3.

Cùm tua peruideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitijs tam cernis acutum?

30. Tales aſſimilantur furibus, qui arcas apertas negligunt, id eſt, conſcientias proprias, quæ eis apertæ, & notæ ſunt; ſed arcas clauſas, id eſt, alienas conſcientias, quas non vident, quærunt Seneca. Fures ſignata quærunt, aperta prætereunt. Tales propriè dormitantibus comparantur. Ille enim qui dormitat, ad ſe claudit oculos, dum caput inclinat; ad alios autem oculos aperit, dum caput erigit. Sed audiant; quid eis dicatur in Prouerb. *Et induetur pannis dormitatio.* Occaſione enim huius dormitationis, qua volunt iudicare cæteros, ſe neglectis, veſtientur pannis, id eſt, veſte damnationis: & qui nituntur alios confundere temerariè iudicando, induentur quaſi diploïde, confuſione ſua.

Prou. 23.

31. Oculus exiſtens in luce non videt exiſtentem in tenebris, ſed potiùs è conuerſo. Sic peccatores in tenebris exiſtentes, iuſtos exiſtentes in luce gratiæ temerariè iudicare præſumunt; Iuſti verò cælitus illuſtrati peccatores iudicare non norunt. Et ideò, vt filij lucis ſimus, cùm peccatores conſpicimus, non eos facilè iudicemus; ſed magis condolentes miſeriis eorum, defleamus; quia in ſimilibus aut lapſi ſumus, aut labi poſſumus.

In vita.

32. Legitur de S. Ioanne Eleemoſynario, inter alia bona, quæ hic Sanctus habebat, quia neminem iudicabat; ſed, cùm audiebat iudicantes alios, corrigebat dicens; vos peccatis primò contra Domini mandatum dicentis? *Nolite iudicare, & non iudicabimini.* Deinde, quia neſcitis qualis futurus ſit, quem modò peccantem videtis. Sæpè enim peccatum furis, vel periuri iudicamus; ſed eius pœnitentiam, quæ Deo accepta eſt, non videmus. Legitur etiam de S. Moyſe Eremita, quòd inuitatus inſtantiùs ad iudicandum ibi fratrem culpabilem, ſportam plenam arena portabat. Interrogatus, quid hoc eſſet, reſpondit; peccata mea poſt me ſequentia non video, & hodie venio iudicare aliena. Benè iſte in luce gratiæ poſitus erat, qui peccatorem exiſtentem in tenebris iudicando temerariè non videbat.

Lucæ 6.

In vitis Patrum l. 3. n. 136. & l. 9. n. 9. refertur de Abbate Pior.

33. Dicit Anſelmus. Conſideratio alieni peccati multa mala in diuerſis parit. Si enim peccator eſt, qui alterius culpam conſiderat, malo illius exemplo in malo perſeuerat: ſi verò ſit pœnitens, à peccati pœnitentia

Lib. de ſimil. c. 110.

nitentia frigescit. Quod si eodem peccato, vel alio tentatur, faciliùs exemplo superatur. Si autem tentatione carebat, eo ipso tentatur, quod vitium ipsius considerat. Si autem iustus, se præferendo illi, in superbiam extollitur; quem si diligebat etiam in Deo, nunc incipit habere odio. Non est ergo facilè consideranda alterius culpa, cuius consideratio tot generat mala.

34. Sancti ergo viri non temerè iudicant alios, sed sollicitè nouerunt iudicare seipsos; scientes, quod scriptum est. *Posuit oculum ipsorum super corda ipsorum.* Eccl. 17. In quo verbo Sapiens prædictam proprietatem interioris oculi nobis apertè demonstrat; vt dum oculus super cor poni dicitur, seipsum posse videre monstretur. Secreta autem aliorum cordium videre non valet. Nam ea solus homo, cuius sunt, aspicit; & nullus alius, nisi Deus, cuius oculus cuncta cernit. Vnde in Iobo dicitur. *Semitam eius ignorauit auis; nec intuitus est eam oculus vulturis.* Cap. 28. Peccator per vulturem designatur: vultur enim pedibus libentèr graditur, vnde à quibusdam *gradiis* appellatur; quia terrena peccator amat, & terrenis inhiat; quandoque etiam vultur in altum volat; quia peccator mentem in altum leuat ad cælestia: sed qua intentione hoc faciat, alter ignorat. Quis intuetur oculos vulturis, id est, intentionem cogitationis? Hoc Omnipotens sibi reliquit, qui cogitationes hominum solus nouit.

IX. Nona instructio moralis; Quod peccatores cælestia paruifaciunt, & terrena magni pendunt.

35. Nonò, Oculus est secundùm diuersitatem distantiæ visibilium, diuersimodè cognitiuus: Si enim rem videat à remotis, eam iudicabit esse paruam: si verò de propè, iudicat esse magnam; Vnde Solem, quem à remotis cernimus, esse modicum iudicamus; cùm tamen demonstratione certissima probetur esse centies sexagesies septies maior terrâ.

Modo consimili peccatores à Deo, & à cælesti præmio per peccati distantiam plurimùm elongati, (*longè* & enim *à peccatoribus salus*, Ps. 118. Deum & cæleste præmium parui pendunt: terrena verò, quibus per amorem sunt propinqui, magni pendunt. Vnde dicitur in Num. *Dixit Balaam filius Beor: dixit homo, cuius obturatus est oculus*; &c. *qui cadens apertos habet oculos; videbo eum, sed non modò; intuebor illum, sed non propè.* Cap. 24. Peccatores siquidem cadentes, & deiecti ad temporalia per amorem, ad terrena apertos habent oculos; sed ad cælestia obturatos.

36. Deum quasi longè aspiciunt; & ideò ipsum non secundum eius magnitudinem æstimantes, contemnunt. Vnde & Pharao, per peccatum à Deo elongatus, dicebat, *Quis est Dominus, vt audiam vocem eius? Nescio Dominum, & Israël non dimittam.* Exodi 5. Vnde & talibus, tan-

Isaiæ 93. quam longè distantibus dixit Dominus. *Audite, qui longè estis, quæ fecerim: & cognoscite vicini fortitudinem meam.* Pari ratione quia contemplantur cælestia tanquam ob defectum amoris à se distantia, re-
Cap. 38. putant ea exigua; in quorum persona dicit Esaias, *Attenuati sunt oculi mei, suspicientes in excelsum.* Terrena verò vtpotè affectui eorum pro-
Cap. 22. xima iudicant esse magna. Vnde & de Auaro dicitur in Ieremia, *Qui dicit, ædificabo mihi domum latam, & cœnacula spatiosa*; & sequitur. *Tui verò oculi, & cor ad auaritiam*: Oculo enim auari terrestris domus, quam de propè respicit videtur magna: cælestis verò domus, quam procul aspicit, parua putatur. Cùm tamen scriptum sit. *O Israël quàm*
Baruch 3. *magna est domus Domini, & ingens locus possessionis eius! magnus est, & non habet finem excelsus & immensus.*

37. E conuerso verò Sanctorum oculis cęlestia, vt propè posita, videntur maxima; & ideò Dauid, cuius affectui Deus propinquus erat,
Ps. 34. Dei magnitudinem cognoscebat; vnde & dicebat. *Ego cognoui quòd magnus est Dominus, & Deus noster præ omnibus dijs.* Et de magnitu-
Ps. 30. dine cęlestis præmij, idem ait. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine!* Terrena verò, cum sint à Sanctorum cordibus & affectu remota, parua videntur eis; imò etiam quasi nulla. Vnde Ieremias. *As-*
Cap. 4. *pexi terram, & ecce vacua erat, & nihil.*

38. Consimilis est ratio de humilibus, & superbis, quare isti se magnos reputant, illi se paruos. Semel inter Scholares hæc quęstio fuit mota; Quomodò fit hoc quod quantò aliquis perfectior & sanctior est, tantò est humilior; & quantò maior peccator, tantò superbior: cùm è conuerso debeat esse, vt videtur. Nam homo Sanctus magis habere videtur materiam vnde extolli debeat; peccator verò vnde humiliari valeat; cùm nullum bonum habeat. Et respondit quidam loquendi promptulus, quòd imò è conuerso debet esse: humilitas enim hominem Deo proximat, superbia ab eo elongat. Videmus enim in hac machina Mundi aliquòd quantò circumferentia est minor, tanto est centro propinquior; & quantò fuerit maior, tanto est à centro remotior? sed
Cap 5. de diu. dicit Dionysius, quod Deus est quasi centrum. Per hunc modum est de hominibus qui suo modo circa Deum mouentur, iuxta illud. *In*
Actor. 17. *ipso viuimus, mouemur, & sumus.* Quantò ergo quis est breuior, id est humilior, tantò Deo est propinquior; & quantò per superbiam maior, tantò est à Deo remotior. *Humilia* enim *respicit* (scilicet à pro-
Ps. 137. pè) *& alta à longè cognoscit* (scilicet superba.) Et Ecclesiasticus. *Longè*
Cap. 15. *abest à superbia.* Nunc autem sic est quòd quantò aliquis à remotiori videtur, tantò minor videtur. Qui enim turrim à remotis respiceret, parua ei videretur & quantò remotior, tantò minor; & quantò propinquior, tantò maior; &, cùm ad pedem eius peruenerit, eam esse maximam iudicabit. Viri autem Sancti sunt prope Deum positi. Vnde
Job 17. petebat vnus ex eis, *Libera me Domine; & pone me iuxta te.* Quinimò sedent ad pedes Domini, tanquam eius discipuli vt est in Deuterono-

mio. *Qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina illius*, & Cap. 10.
ideò cùm se conspiciunt tanquam Nanos iuxta Gigantem positos Dominum magnum reputant, se autem esse paruos. Peccatores autem à Deo per peccatum distantes, seipsos magnificant, & extollunt, dum Dei magnitudinem non attendunt.

X. *Instructio decima moralis, quod bona quæ habemus, aliis libenter communicare debemus.*

39. Decimò, Oculus est totius corporis directiuus; vnde & oculi vocantur *luminaria*: quia lumen exterius respiciunt, & acceptum communicant, & refundunt. Vnde secundum Philosophum, oculum desiniens, ait. Oculus est dux corporis, vas luminis, index animi: Oculus enim sibi soli non videt, sed toti corpori. In quo natura nos instruit, vt bona quæ habemus, aliis studeamus impartiri. Vnde Sapiens de Sapientia loquens ait, *Quum sine fictione didici, & sine inuidia communico; & honestatem eius non abscondo.* Sap. 7. Ad hoc etiam admonemur à Petro. *Vnusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.* 1. Petr. 4. Bona enim spiritualia, si quis communicet, non minus habet. Et ideò, sicut, dicit Cassiodorus. [Non debet esse difficile beneficium, quod non patitur Lib. 1. largitate detrimentum.] Et Augustin. [Non fit minor, accedente, vel var. ep. permanente consorte, possessio bonitatis, quam tantò latiùs, quantò 14. concordiùs indiuidua sociorum possidet charitas. Non habebit deni- Lib. 15. que istam possessionem qui eam noluerit habere communem, quia de ciuit. tantò eam recipiet latiorem quantò ampliùs potuerit amare consor- c. 5. tem.] Et ideò etiam dicit antè Claudianus.

Exigit omne bonum, melius sub luce patebit: Lib. 1.
Namque bonum quod sæpè latet splendore minori,
Degenerat, crescitque magis si luce fruatur;
Sic flos in fructus, in flumen riuus inundans
Ibit, & in messem pinguis pracedet arista.

Idem in libro 7. dicit.

Gratia lux ingens animi, quæ prodiga largos
Vult possessores, & dedignatur auaros:
Clausa perit, diffusa redit; nisi publica fiat
Labitur, & multas vires acquirit eundo.

Dicit quidam sapiens. [Notam ingratitudini tuæ videris incurere dum pigritaris cæteris communicare, quod gratis probaris accepisse. Hac quippè negligentia quid deterius arcta seruare custodia, quod distributum, danti & accipienti conferre potuit incrementa salutis? Rapuisse videtur proximo, qui nulli communicat quod accepit, quasi glorias de priuato. Cocca prudentia est, nolle prodesse cum possis.] Huic au- Serm. tem sententiæ consonat quod dicit Bern. [Rem profectò proximi re- 18. in Cant.

tines, si donis scientiæ & eloquentiæ adornatus verbum bonum, quod posset prodesse multis, inutili, imo damnabili silentio ligas; cùm *maledictus sit, qui abscondit frumenta.* Prou. 11.

40. Spiritualiter autem sicut oculus corporalis lumen suum cæteris membris communicat, dum non solùm sibi videt, sed toti corpori; sic quicunque illustratus dono scientiæ, debet illud omnibus liberaliter impertiri, vt possit dicere illud Ecclesiastici, *Videte quoniam non solùm mihi laboraui; sed omnibus exquirentibus veritatem.* Cap. 24. Sic Dauid, qui petierat à Deo dicens, *Illumina oculos meos*; alibi dicit, *docebo inimicos vias tuas.* Ps. 50. Et Paulus, qui lumen oculorum amiserat, postquam visum à Domino per manum Ananiæ recepit, continuò Synagogam ingressus, Iudęis prędicare cœpit ideò dicebat Seneca in quadam Epistola ad Lucilium. [Omnia cupio in te transfundere, & in hoc gaudeo aliquid addiscere, vt doceam: nec me vlla res delectat licet sit eximia & salutaris, quam mihi vni sum sciturus. Si cum hac exceptione datur Sapientia vt intùs teneam non rejiciam? Abjiciam. Nullius siquidem boni siue socio iucunda est possessio] & sic videmus quod oculus corporalis; non ideò minus videt, quia toti corpori videt; quin potiùs ex videndi exercitio, potentior redditur in videndo. Vnde & ex longa mora in carcere, contingit aliquos cæcos esse: Sic & scientia communicando non minuitur, sed augetur. Vnde dicit Isidorus, scientiam quam aure concipis, ore funde. Lib. de contemptu mũdi. Sapientia enim dando fit amplior, retinendo minoratur. Et in prima epist. Alexandri ad Didymum Regem Brachmanorum sic dicitur. Libera res est doctrinæ communitas, & nesciens pati dispendium, cùm in alios participata transfunditur. Sicut ex vna face, si lumina vel ligna plura succenderis, nullum damnum principali materiæ generabis; quæ quidem facultatem accipit plus lucendi, quoties causas inuenit plus pretendi.

41. Aliquando verò donum scientiæ aliquibus à Domino subtrahitur, cùm accepta scientia cæteris non communicatur, sed magis illiberaliter occultatur. Vnde & Beatus Bernard. de seipso refert super Cantica, Serm. 82. & cùm inter loquendam exiis, quæ suggerebat Spiritus, etsi non infideli, minus tamen confidenti animo reseruaret, vt haberet, quid diceret, denuò tractaturus; Ecce vox venit ad eum dicens; donec istud tenueris, aliud non recipies: Simus ergo instar oculi corporalis, bonorum nostrorum communicatiui; dicit enim Tullius Lib. 3. de offic. vnum omnibus debet esse propositum, vt eadem sit vtilitas vniuscuiusque, & vniuersorum.

XI. Moralio instructio vndecima, quod per oculum corporis, perpenditur status mentis.

Lib. 1. histor. anim. cap. 20. Vndecimò, Oculus est arcanorum mentis indicatiuus. Vnde & motus oculi significat statum interiorem animi. Vnde etiam patet per Philosophum. Si oculus fuerit nimis mobilis, significat instabilitatem men-

tis; si nimis tardus, pertinaciam voluntatis; si motus mediocris apprehensionem mentis facilem, & in apprehensis debitam fixionem. Modo consimili ex ratione agendi quorundam, deprehendi potest quales sint. Sunt enim quidam in principio feruentes, qui postea à bono inchoato desistunt: quia ad tempus credunt & in tempore tentationis recedunt. Alij sunt tepidi & remissi, alij autem & bonum faciliter inchoant, & in cœpto firmiter perseuerant. Cùm enim oculus sit iudex animi, vt dicit Seneca Philosophus, hinc est quod plerumque per oculum possumus perpendere mentis statum. Qualis enim vnusquisque interiùs lateat, exteriùs oculus manifestat. Vnde & de Assuero legitur in libro Hester. *Cúmque eleuasset faciem, & ardentibus oculis furorem pectoris indicasset*; Et Ecclesiasticus. *Ex visu cognoscitur vir, & ab occursu faciei cognoscitur sensatus.* Lib. 1. de ira c. 1. Cap. 15. Cap. 15.

43. Vbi autem amor, ibi oculus: Et ideò facilè conuertitur oculus, ad quod inclinatur affectus. Vnde dicit Iob. *Si secutus est oculus meus cor meum.* Et ideò multùm decet honestum virum, vt ab obscœnis & impudicis spectaculis eius oculus arceatur; ne ipsius oculi incontinentia mentis impudicitiam fateatur. Vnde dicit Tullius, cùm Pericles & Sophocles ad colloquendum de consultationibus publicis consedissent, & casu quidam pulcher adolescens transiret, ait Sophocles, ô Pericle, vide pulcherrimum puerum. Respondit Pericles, Principem decet non solùm manum & linguam, sed etiam oculos habere continentes. Sicut enim de recentia piscis iudicamus per oculum: (non est enim recens piscis qui habet oculum putridum & sanguineum;) sic nec benè castus videtur, qui oculum habet impudicum. Nam vt dicit Gregor. impudicus oculus impudicæ mentis est nuncius. Et versificator quidam dicit, Cap. 31 Lib. 1. de Offi. 31. Moral. c. 7.

Inconstans animus, oculus vagus, instabilis pes
Hæc hominis signa, de quo mihi nulla bona est spes.

Duodecima instructio moralis, quod vtile sit relictis exterioribus, aliquando ad interiora conuerti.

Duodecimo, oculus est post longam vigiliam somnolentus, vnde & de Apostolis dicitur. *Inuenit eos dormientes: erant enim oculi eorum grauati.* Postquam enim oculus corporalis circa exteriora visibilia diu fuerit occupatus, oportet quod spiritus animalis qui ad exteriora vacauit, reuertatur interiùs, & tunc dormit animal, & quiescit. Matth. 26.

In quo oculi natura nos instruit, quod cùm homo diu circa exteriorem administrationem intenderit, expedit ei, vt ad interiora redeat, & sic somno spirituali dormire valeat, & in Deo delectabiliter requiescat. Et hoc est quod Psalmista dicebat. *Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, donec inueniam locum Domino.* Et alibi; *In pace in idipsum, dormiam, & requiescam.* Ideò nos admonet Deus per Ps. 131.

Cap. 26. Isaiam, *Vade populus meus, intra in cubiculum tuum, & claudi ostia tua super te.* Quasi diceret, claude exteriorum sensuum ostia, & intra in conscientiæ domum; & tunc interior homo noster dormit sopore contemplationis, quo sensus exteriores ligantur, & à suis actibus suspenduntur; vt possit dicere illud quod dicit Sponsa in Canticis; *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Nam viri spirituales, instar leonum & leporum, apertis exterioribus oculis dormire dicuntur. Vnde & Paulus excæcatus exteriùs, illuminatus est interiùs.

Cap. 5.

45. Exemplo igitur exterioris oculi, debet homo ab exterioribus ad interiora conuerti. In cuius rei mysterium Diaconus lecturus Euangelium primò baiulat sibi librum, sed redit vacuus; ad denotandum, quòd post prædicationis exercitium, est contemplationi vacandum. Et ideò Prælatus, qui est corpori Ecclesiæ pro oculo reputatus, postquam vacauerit exteriùs circa sibi commissum populum, debet redire interiùs ad seipsum. Exemplo Iacob circumspecti postoris, qui postquam pauerat oues Laban, dixit *Iustum est vt aliquando etiam prouideam domui meæ.* Vnde & Bernardus salubriter monebat Eugenium. Quid tibi prodest si vniuersos lucreris, & teipsum perdas? quamobrem cùm omnes te habeant, & tu esto ex habentibus vnus.

Genes. 30. Lib. 1. de consid. cap. 5.

46. Hoc autem non est solùm Prælato necessarium, sed etiam cuilibet aliorum vt aliquando, relictis exterioribus, interiùs redeat ad seipsum. Vnde Seneca. Quidquid feceris, citò redi à corpore ad animam, illam diebus, ac noctibus exerce. Idem [vir magnus ac prudens animam seducit à corpore, & multum cum meliore ac digniore sui parte versatur.] Et B. Bernardus in lib. meditationum dicit. [Vbicumque fueris, tuus esto, Noli te rebus tradere, sed commodare.] Sed multi sunt quorum semper vagatur oculus exteriùs; nec volunt redire ad suam conscientiam, vtpotè ad domum bonis cunctis spiritualibus destitutam; in hoc similes histrioni, qui inuitus inhabitat domum suam, & libentiùs frequentat domum alienam. Sicut enim in domo histrionis nihil foco frigidius, ideò quod histrio semper moratur exteriùs, nec ibi vas ad ignem, nec ibi scutella lota: sic in corde hominis, qui quotidie vagatur per inutilia, non est ignis deuotionis; nec scutella lota lachrymis compunctionis; Et ideò peccator non libenter vadit ad conscientiam; quia non inueniret ibi nisi malitiam suam. Et ideò potest dicere propriè illud Iobi. *Et non reuertetur oculus meus, vt videat bona.*

Epist. 15. Epist. 27. Simil. 1. de consid. cap. 5. & 7. Cap. 7.

CAP. VIII.

De septem differentiis oculorum iuxta differentiam septem capitalium vitiorum, ac primò de oculo superbiæ.

1. SVperborum oculi, quia semper ad magna & excelsa respiciunt, dicuntur tumidi & elati. Elationem enim animi prætendunt sublimes oculi. Gregor. in moralibus, cordis superbia vsque ad membra foras extenditur, & per oculos primùm indicatur. Et Architrenius describens statum-superbi dicit.

At nisi pro voto respondent omnia vultu
Candet, & ignitis oculis prognosticat iram,
Et digito nasum ferienti, magna minatur.

Hos oculos detestabatur Propheta Dauid dicens, *Superbo oculo & insatiabili corde, cum hoc non edebam.* Et iterum de semetipso dicit. *Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei; neque ambulaui in magnis.* Et ideò nycticoraci se comparat dicens, *factus sum sicut nycticorax in domicilio.* Nycticorax enim non quemlibet iustum nobis innuit; sed eum, qui inter homines degens ab intuitu hominum se in quantum potest abscondit; lucem refugit; quia humanæ laudis gloriam non attendit: sciebat enim, quod scriptum est. *Oculi sublimium deprimentur.* Et ideò etiam ipse dicit, *Oculos superborum humiliabis.* Tales oculi Deo, qui est mitis & humilis corde, potissimè sunt odiosi, ideò benè dicitur in Prouerbiis. *Sex sunt quæ odit Dominus & septimum detestatur*, nimirum *oculos elatos.* Ideò Publicanus, qui non audebat nec oculos sursum ad cælum eleuare, quasi diceret, *Non sum dignus videre altitudinem cœli, præ multitudine iniquitatis meæ*: legitur iustificatus fuisse.

Ps. 110. *Ps. 130.* *Ps. 101.* *Isaiæ 5.* *Cap. 6.*

2. Nec mirum si sublimes oculi, displicent Deo; quia in hoc homo maximè assimilatur Diabolo de quo Iob. *Omne sublime videt, & ipse est rex super omnes filios superbiæ.* Et de Antichristo dicitur. *Qui extollitur super omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur.* Ideò petebat Ecclesiasticus, *extollentiam oculorum ne dederis mihi.* Sunt etiam quidam, qui exteriores oculos satis humiles habent; sed interiores valdè sublimes; dum per subtilitatem nimiam plana fastidiunt, & arcana Dei curiosè perscrutari volunt: & ideò meritò hebetati ad talia non attingunt. Vnde dicitur in Prouerbiis. *Ne erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere, quia facient sibi pennas, quasi aquilæ, & volabunt in cælum*, id est, celabunt se tibi: multa enim sunt quæ quantò magis perscrutantur, tantò minùs sciuntur. Ideò dicitur in Canticis. *Auerte oculos tuos à me; quia ipsi me auolare fecerunt.* Imò tales sæpe

Lucæ 8. *Cap. 41.* *2. Thess. 2.* *Cap. 2.* *Cap. 23.* *Cap. 6.*

propter suam superbiam visionem interiorem amittunt: quia de sua scientia intumescunt. Et in hoc sunt similes vespertilionibus; qui ideò debiliter vident, quia humor cristallinus, qui est oculo necessarius ad videndum transit in substantiam alarum: vnde dicitur habere alas coriales de quibus dicit Ouidius.

4. Metam. fab. 2. *Sustinuere tamen se perlucentibus alis.*

Et ideò propter volatum amiserunt visum: quia subtractum est oculis, quod positum est in alis: & significant illos, qui quantò magis elati propter scientiam extolluntur, tanto magis lumine diuinæ gratiæ priuantur. De quibus dicitur. *Euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum.* Et 4. Regum de Assyriis, qui interpretantur *sublimes* dicitur. *Percute gentem hanc cæcitate.*

Rom. 1. Cap. 6.

Nec mirum est, si superbia excæcat oculum rationis quia superbia est albugo spiritualis in oculo, sicut exponit Gregorius super illud Leuitici. *Si albuginem habens in oculo.* Pupilla oculi nigra videt, alba non videt. In oculo habet albuginem, qui sibi arrogat virtutis candorem: & interdum incurritur huius cęcitatis dispendium propter exercitium virtuosorum operum. In cuius rei signum Tobias fatigatus à sepultura mortuorum, veniens domum, lumen perdidit oculorum. Et ideò dicit Gregor. de superbia loquens. Valdè timendum est vitium, quod de victoria nascitur vitiorum, & verè superbus cęcus est, cùm seipsum esse hominem non cognoscit: homo enim ab *humo* dicitur. Si autem de humo se esse, cognosceret benè, instar terræ, quæ elementorum est infima, nouissimum locum tenere contenderet; & se humiliando, in fimum reputaret. Ideò Psalmista, *Petebat, sciant gentes quoniam homines sunt.* Et ideò signanter dominus, quando aperuit oculos cæci nati, super oculos eius lutum liniuit, Ioan. 9. Per natum cæcum ille congruè significatur, qui de sua origine vel bonis naturalibus inaniter glorians, excęcatur: qui si lutum, id est, vilitatem humanæ originis, atque finis, mentis suæ oculis superposuerit, depresso tumore excęcantis superbiæ, humiliabitur, & videbit. Sidymus Rex Brachmanorum in Epistola quadam ad Alexandrum Regem, sic scripsit. [Sole calescimus, rore humectamur, sitim riuo frangimus, thorum ministrat humus, somnum sollicitudo non rumpit, mentem cogitatio non fatigat: In homines nobis similes, supra non agitamus imperium nec à quolibet seruitium exigimus, pręterquàm à corpore, quod solum animæ famulari censemus. Alioqui sæuitia est in obsequium cogere, quos nobis fratres eadem natura genuit, & quibus ab vno Deo Patre, omnium bonorum spondetur hæreditas.]

1. p. pastor. c. 11 Cap. 21

Lib. 19. mor. cap. 17.

Ps. 9.

II. De oculo inuidiæ.

4. Oculus inuidi, instar est strabonis nec rectè videt illum, cui inuidet. Vnde 1. Reg. dicitur quòd postquàm Dauid triumphauerat de Philisthino,

Cap. 8.

Philisthino, *Nec rectis oculis Saül aspiciebat David à die illa, & deinceps.* Nam felicitas alterius est inuido cruciatus. Nimirum

Inuidus alterius rebus macrescit opimis. Horat. l. 1 epist. ad Lollium.

Et ideò dicitur *inuidus*, quasi *non videns*: Inuidi namque dum alienæ felicitati inuident aliorum promotionem, seu prosperitatem videre non valent. Dicitur in Genesi. *Quod Labam audiens quod Iacob diues factus esset nimis & inclitus, non exhibuit faciem suam sicut heri & nudius tertius.* Cap. 31. Item in Genesi dicitur. *Vidit Esaü quòd pater suus non libenter aspiceret filias Chanaam*, Cap. 28. quod interpretatur *possidens*. Inuidia namque non est ad inopes, sed ad bonorum plurium possessores. Dicit enim Philosophus quod inuidia est tristitia ex apparenti prosperitate boni alicuius. Lib. 2. Rhetor. c. 10. Et ideò non est via, qua eam declinare valeas, nisi miserrimus fias; nam sola miseria caret inuidia. Vnde Socrates, Platoni discipulo suo, quærenti qua ratione inuidiam condiscipulorum suorum declinaret, Esto (inquit,) vt Thersites.

Hinc est quod illi, qui sunt illustrioris meriti, magis subiacent inuidiæ & detractioni: inuidi enim (vt ait Boëtius) nequeunt oculos tenebris assuetos, ad lucem perspicuæ veritatis attollere; similes auibus, Lib. 4. de consol. prosa 4. quarum intuitum nox illuminat, dies cæcat: Et hinc est, quod serui dominos, & subditi Prælatos, insequuntur detractionibus; & rarò euenit quod Prælato prudenti à subditis non detrahatur; quamuis Prælatus interdum rectè suum officium exequatur. Oculus igitur inuidorum torquetur visis prosperitatibus proximorum. *Et si subitò apparuerit aurora*, (id est, initium prosperitatis alicuius, *suspicantur vmbram mortis*, (id est, tristantur, & dolent, ac si mortem sibi imminere viderent.) Iob. 24. Et ideò Socrates dicit; Vtinam inuidi, in omnibus ciuitatibus oculos & aures haberent, vt de cunctorum felicitatibus torquerentur. Et ideò quidam volens alij summum malorum omnium imprecari, ait;

Omnibus inuideas, inuide, nemo tibi. Martial. l. 1. epigr. 38.

6. Hic est oculus de quo Ecclesiasticus. *Oculus malus ad mala.* Semper enim ad mala proximi respicit, & à bono se auertit. Et ideò per Heli figurantur, inuidi de quo dicitur quòd *Oculi eius caligauerant, nec poterat videre lucernam Domini donec extingueretur.* Cap. 14. 1. Reg. 3. Tales sunt inuidi, per inuidiam excæcati, qui bonos videre nequeunt, qui sunt lucerna Domini, donec sint per mortem extincti. Nam liuor post fata quiescit. Aliquando namque hominem post mortem commendant, cui, dum viueret, inuidebant. Vnde Poëta dicit,

Vrit enim fulgore suo, qui pregrauat omnes
Infra se positos, extinctus amabitur idem. Horat. lib. 2. epist. 1.

Lucerna extincta fœtet: inuidus ergo non potest videre lucernam, donec extinguatur, & fœteat: quia inuidus qui proximum non poterat respicere, dum erat in lumine gratiæ, tunc primo videt eum, cùm extinctus est, & fœtet per peccatum. Vnde dicit Richard. de S. Victore, inuidus bonum, quod videt, inuidet; quod audit, odit, quod contingit extinguit.

7. In tantum autem malum alterius eleuat, quòd vellet etiam pati graue dispendium, dum alter grauiùs læderetur: sicut ille, qui sibi vnum oculum erui volebat, vt vtroque proximus priuaretur. Infelix; quippe qui de sola proximorum miseria prosperatur; & cui sola prosperitas fratrum aduersatur. Et quando inuidus de bonis proximi visis dolet, in doloribus semper manet: & dicere potest illud Iobi. *In amaritudine moratur oculus meus.* Et Chrysostomus. Oculus inuidi liquatur tristitia. Inuidus etiam morte viuit continua, tanquam separatus ab eo, qui est vita: à quo, vt dicit Plato, relegata est omnis inuidia.

Cap. 17. Hom. 54. in Ioan. In Timæo.

8. Natura etiam aquilæ, in probando pullos suos talis dicitur esse. Ponit siquidem eos in Solis radio; & eum, qui immobiliter Solem respicit, tanquam suum conseruat, & nutrit: illos autem abiicit tanquam degeneres, quos viderit oculorum intuitum à Solis radiis deflectentes. Sic & ipse Deus, qui aquilæ comparatur in Deuteronomio. *Et sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos.* Inuidos abiicit tanquam sibi dissimiles; fulgorem bonorum in aliis respicere non valentes. Et quia lucem prosperitatis videre renuunt, congruè in Inferni tenebris miseriam obtinebunt.

Cap 10.

III. De tertia differentia, scilicet ira; De turbato oculo iracundi ad tempus insani.

Ps. 6.

9. Ira turbat oculum rationis. Vnde Psalmista, *Turbatus est præ ira oculus meus.* Iram furorem appellat; nam iratus, est insanus ad tempus, secundùm Senecam. Et Poëta dicit, *Ira furor breuis est.* Ideò dicit Hugo de S. Victore. Superbia aufert homini Deum, inuidia proximum, ira seipsum. Et interdum interior ira in exteriori oculo manifestatur. Vnde Architrenius statum irati describens, ait,

Lib 1 de ira c. 1. Lib. 1. epist. 2. In Abdiam, sub finem. Ioan. in Architrenio.

Nam cum turbatur animi pax intima, verbis
Intonat, ardescit vultu, oculisque minatur:
Surgit in articulos, oculisque mouentibus iram
Fulminat, & vomitus fumanti despuit ore.

Vnde etiam probatum est, quòd aliquorum hominum oculi sunt naturaliter infectiui; si quem respiciunt, cùm eos contigerit vehementer irasci. Refert Solinus, in Scythia fœminas quasdam nasci, quæ Bithyæ nuncupantur; & perhibet eas in oculis geminas pupillas habere, & visu perimere, si fortè aliquem respexerint, cùm fueriut vehementer iratæ.

In Polyhist. cap....

10. Et quoniam rationis oculus est in irato turbatus, ideò non potest rectè iudicare de rebus: Nec mirùm, cùm iracundiæ sanguine sit respersus: Ira enim secundùm Philosophum, est accensio sanguinis circa cor. Ideò dicitur Iobi. *Caligauit ab indignatione oculus meus.* Et sicut imago in aqua turbida non apparet, sic & in mente, dum per iram turbata fuerit, veritas non relucet: quia secundùm Poëtam.

1. animæ t. 16. Cap. 17.

Impedit ira animum, ne possit cernere verum.

Dionysius Cato cap. 2. distich. moral.

Hanc autem turbationem procurat Diabolus : Est enim sicut piscator astutus, qui propterea turbat aquam, vt piscis capiatur. Scit enim Diabolus, quod si in homine turbauerit, oculum rationis, capiet eum, ac ducet pro suæ libito voluntatis; exemplo equi, qui tunc ad molam circuit, cùm eius oculi sunt velati.

11. Hinc est etiam quòd iratus, cuius interiorem oculum turbauit iræ impetus, solet interdum immoderatè punire. Vnde Valerius Mamus refert quod Tharentinus Archytas, cùm diu in remotis partibus sub Pythagora Philosopho studuisset, & tandem post adeptum donum scientiæ ad patriam remeasset, remque suam propter villici negligentiam perditam, & corruptam vidisset, intuens malè meritum, hoc fertur dixisse notabile verbum. Nunc de te supplicium sumerem, si tibi iratus non essem: malo enim te impunitum dimittere, quàm propter iram, iusto grauiùs te punire. Hoc idem refert Hieronymus ad Saluinam. Vbi refert Archytam dixissa, iam verberibus te necassem, nisi iratus fuissem. Refert etiam Valerius Maximus libro prædicto, quod cum Plato aduersus delictum serui sui vehementiùs exarsisset, veritus quod vindictæ modum inspicere non posset, Speusippo amico suo castigationis mandauit arbitrium, deforme sibi futurum existimans, si commisisset, vt parem reprehensionem, culpa serui & Platonis animaduersio mereretur. Vnde ait Valerius; Fuit ergo nimis liberalis Architæ moderatio, temperatior Platonis. Ideò apud Iobum; dicitur, *non te superet ira; vt aliquem opprimas.* Et Tullius cauenda est ira in puniendo, ne maior sit pœna, quàm culpa.

Lib. 4. cap. 1. — *Epist. 9.* — *Cap. 36.* — *Lib. 1. de offic.*

12. Ex iam dictis possumus elicere saluberrimum documentum, quod impediente ira, nihil est attentandum, sed magis imposterum, donec motus iræ sedatus fuerit, saniori consilio differendum; iuxta illud Poëticum.

Dum furor in cursu est, currenti cede furori.

Vnde legitur in historia Romanorum, quod Theodosius Imperator cùm ad ferenda iussa seuera nimis esset pronus, à quodam Philosopho famosissimo est correctus. Cùm enim Philosophus aduertisset Imperatorem facilè commoueri, ne aliquid asperius statueret, monuit, vt, vbi cœpisset irasci, vigintiquatuor litteras Alphabeti memoria recenseret; vt illa concitatio, mente aliò traducta languesceret, quo facto si quid statueret, æquum esset. Vnde etiam dicit Seneca, Lex videt iratum, iratus non videt legem. Et Philosophus dicit quòd duo sunt maximè consilio contraria, videlicet festinantia & ira. Hinc etiam possumus informari, quod non debet aliquis indignari, si iratus cùm cæcus sit, in eum impingat; sed sibi potiùs irascatur, qui sibi ab irato non cauit. Ideò dicit Seneca, malè de te loquuntur; mouerent (inquit) si hoc iudicio facerent; sed morbo laborant.

Imò Augustus, vt est, apud Suidam cum de Athenodoro. — *Lib. 7. Ethic.* — *Lib. de remed. fortuit.*

IV. De quarta differentia scilicet Acedia. De putrido oculo acediosi, ad salutem suam pigri & somnolenti.

13. Acediosi, quorum oculi interiores somno pigritiæ sunt grauati, signantur per discipulos dormientes, de quibus dicitur. *Inuenit eos dormientes; erant enim oculi eorum grauati.* Huiusmodi possunt dicere illud Psalmistæ. *Dormitauit anima mea præ tædio.*

Matth. 20. Ps. 118.

14. Hoc autem prouenit ex inconsideratione satietatis æternæ. Si enim repromissam opulentiam gloriæ cælestis attenderent, mentis somnum discuterent, & ad eam consequendam oculos intentos & apertos haberent secundùm illud Prouerbiorum. *Aperi oculos tuos, & saturare panibus.* Causatur etiam somnus acediæ, ex inconsideratione pœnæ futuræ: de quo potest exponi, quod ait Iacob in Genesi. *Die noctúque æstu vrebar, & gelu; fugiebátque somnus ab oculis meis.* Ille æstu & gelu vritur, qui mentis oculis inferni supplicia meditatur. Vnde reprobi, *Transibunt ab aquis niuium ad calorem nimium.* Quæ si quis consideret, ab eius oculis somnus fugiet; quia somno pigritiæ non obdormiet.

Prou. 20. Cap. 31. Iob. 20.

15. Refert Macrobius quòd Imperator Augustus narrata sibi nimia magnitudine debitorum, quam quidam Eques Romanus, dum vixit, celauerat, culcitram eius, in qua dormire consueuerat, protinus iussit emi, & satellitibus, admirantibus iussionem, hanc reddidit rationem. Habenda est ad somnum culcitra, & sollicitè conseruanda, in qua ille dormire poterat, qui tantis debitis obligatus erat. Multò magis mirandum est, quomodò peccatores somnum capiant, qui tantis debitis, scilicet pœnæ æternæ obligatos se sciunt; cùm oculos, quos culpa potuit claudere, pœnæ consideratio debeat aperire. Vnde Iob post flagella dicit. *Nunc autem oculus meus videt te.* Et Ieremias dicit, *Virgam vigilantem ego video.* Virga enim vigilans à somno torporis & acediæ, est consideratio æternæ pœnæ futuræ. Et ideò in vitis Patrum legitur quòd Abbas Achilles, cuidam fratrum, cur pateretur acediam, sciscitanti, quid sibi esset faciendum, respondit, acediam pateris, quia nondum vidisti præmia quæ speramus, neque supplicia quæ timemus. Si enim ea diligenter respiceres, in cella tua etiam plena vermibus, sine acediæ torpore iaceres.

Lib. 2. Saturn. cap. 4. Cap. 41. Cap. 1. Lib. 3. vitæ Patr. num. 107.

16. Hic autem torpor acediæ non solùm facit interiorem oculum animæ præ tædio dormitare; imò interdum oculum exteriorem corporis. Sunt enim nonnulli Ecclesiastici hora matutinalis officij in cubilibus dormientes; vel in Choro, si fortè affuerint dormitantes; contra quos Bernardus: Quid hoc ignauiæ est, ô boni milites; sociis in sanguine & cæde versantibus, vos aut cibos diligitis delicatos, aut somnos capitis matutinos? aliis redimentibus tempus, quoniam dies mali sunt, vos è contrario, longas noctes dormiendo consumitis; & dies otiosos

In Apolog. ad Guliel. Abbatem.

fabulando ducitis? [Idem super Cantica. Doleo aliquos vestrûm graui Serm. 8.
in sacris vigiliis deprimi sumno; nec ciues cæli reuereri, sed in præsentia cælestium Principum tanquam mortuos apparere; cùm nostra ipsi alacritate permoti, nostris interesse solemniis delectentur. Vereor, ne vestram desidiam aliquando abominantes, cum indignatione recedant.

17. Et si somnus huiusmodi, vel dormitatio in tali tempore, rationabiliter argui possit in quolibet Ecclesiastico, multò magis in Prælato, qui tanquam vigil & speculator Ecclesiæ, sollicitè vigilare debet, vt non dormitet, neque dormiat, qui custodit Israël. Debet enim vt pastor peruigil, custodire vigilias noctis super gregem suum. Elinandus Frigidimontis Monachus in suis Chronicis, inter alia huiusmodi narrationem refert de seipso. Lib. 8. Audi, (inqnit,) fabulam non fabulam, sed rem gestam. Philippus Beluacensis Episcopus aliquando apud nos hospitatus est, non vt quidam deuorationis causa sed deuotionis; iam enim Ordinis nostri communis hospitalitas, plures inuenit, qui eum deuorent quàm singularis sanctitas qui eam honorent. Præcepit autem mihi præfatus Episcopus, vt eum facerem Missam matutinalem audire, ad quem cùm de crastina Prima iam cantatâ venissem, inueni adhuc dormientem, & nemo ex familia sua, eum excitare præsumebat. Ego autem accessi propiùs, & excitaui eum, quasi iocando dicens, iamdiu est quod passeres surrexerunt ad benedicendum Domino, & adhuc nostri Pontifices stertunt in cubiculo suo. Attende Domine Pater, quid dicat Psalmographus, *Præuenerunt oculi mei ad te diluculo.* Ps. 118. Super quod verbum dicit Glossa Ambrosij Indecens est Christiano, si ipsum otiosum confusus in lecto radius solaris inueniat. Ad quam vocem experge factus Episcopus, & confusus, indignatus aduersum me, quòd eum tam liberè arguissem, substomachans ait: vade hinc miser, & interfice pediculos tuos. Ego autem motum illius conuertens in risum, continuò respondi. Vide tu Pater, ne interficiant te vermes tui: ego enim iam vermes meos interfeci: Scito, Pater, hanc esse differentiam inter vermes diuitum & vermes pauperum, quia vermes diuitum diuites occidunt, vermes autem pauperum à pauperibus occiduntur. Lege Machabæorum libros, & Iosephum, & Actuum Apostolorum historias; & inuenies Reges potentissimos Antiochum, & Herodem Agrippam, à vermibus fuisse consumptos. Qua ratione simul & auctoritate Episcopus oppressus, statim obmutuit.

18. Acediosi ergo habent oculos interiores obscuratos. Vnde dicitur in Prouerbiis. *Sicut fumus oculis, sic piger ijs, qui miserunt eum.* Vt Cap. 10. enim fumus obscurat oculum corporis; sic acedia oculum mentis. Nec mirum si acediosorum, qui torpent otio, obscurentur oculi, ne videant: nam visus iuuatur ex gustu; Vnde dicitur. *Extendit Ionathas* 1. Reg. *summitatem virgæ, quam tenebat in manu, & intinxit in fauum mellis,* 14. *conuertit manum suam ad os suum, & illuminati sunt oculi eius.* Virga

est recta, & significat intellectum simplicem, & rectum: quæ in manu habetur, dum in opere exercetur. Summitas virgæ est sublimitas intelligentiæ. Hæc in fauum mellis intingitur, quando ad occultam sacræ Scripturæ dulcedinem peruenitur. Manus ad os conuertitur, quando opus doctrinæ sociatur. Cibus autem animæ spiritualis, est exercitium bonæ operationis. Vnde dicit Veritas. *Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me; vt perficiam opus eius.* Quia ergo otiosi de hoc cibo non comedunt, ideò oculi eorum obtenebrati sunt, & possunt dicere illud Psalmi. *Oculi mei languerunt præ inopia.* Ideò dicitur per Zachariam. *Brachium eius ariditate siccabitur, & oculus dexter eius, obtenebrescens obscurabitur.* In brachio intelligitur operatio. Verè ergo brachium ariditate siccatur, cùm homo torpens otio, bonum non operatur. Et tunc necessariò oculus dexter obtenebratur; quia intellectus quoad notitiam spiritualium obscuratur. Et ideò Salomon, cuius oculi præ aliis fuerunt per sapientiam illustrati, postquàm constructo Templo Domini cœpit otij torpore marcere, statim idololatra factus, legitur infatuatus fuisse. Infelix ergo acediosus; qui, dum sectatur otium, interiorem amittit oculum.

Matth. 20. Psal. 87. Cap. 2. 3. Reg. 11.

19. Refertur parabolicè Regem quendam tres filios habuisse; qui volens de regno suo secundum extremam sui voluntatem disponere, conuocatis coram se tribus filiis, dixit se pigriori velle regnum suum legare; Tunc ait primus, mihi ergo debetur regnum, quia adeò sum piger, quòd cùm ad ignem sedeo, priùs crus comburi permitto, quàm illud retraham ab incendio ignis. Imo, (inquit secundus,) ad regnandum sum aptior, quia sum pigrior. Nam si funem habeam in collo, & mox suspendi debeam, & gladium in manu teneam, propter pigritiam, ad abscindendam chordam non porrigerem manum meam. Imo, (subdit tertius,) ego regnare debeo, quia in pigritia cæteris antecello: cùm enim resupinus in lecto iaceo, si stillet aqua super vtrumque oculum, dextrum scilicet & sinistrum, propter summam pigritiam à statu meo me non remoueo ad partem dextram vel sinistram. Huic Rex legauit regnum, reputans eum magis pigrum. Rex iste significat Diabolum, qui *est rex super omnes filios superbiæ.* Per primum trium filiorum congruè designatur ille, qui existens in societate peruersa, per quam ad malum inceditur, magis eligit ab igne cremari peccati, quàm à tali consortio separari. Secundus autem filius, significat illum, qui licèt peccatorum suorum funibus videat se constrictum, vel etiam circumplexum, in quibus mox suspendendus est ad inferni patibulum, nihilominus pigritatur funem abscindere gladio linguæ id est confessione. Per tertium filium, super cuius vtrumque oculum, dextrum scilicet & sinistrum, aqua stillare dicitur, ille congruè signatur, qui doctrinam audit de paradisi gaudiis, & inferni suppliciis, & tamen præ pigritia statum suum non deserit: nec se voluit ad dextram, amore & desiderio præmiorum; nec ad sinistram, vt saltem peccatum deserat, territus metu tormentorum.

Jobi 41.

V. *Quinta differentia scilicet auaritia de oculo auari, terrenis possessionibus excæcati.*

20. Auarorum oculi mundanæ possessionis puluere sunt respersi, & ideò excęcati. Nam *oculi stultorum in finibus terræ.* Et super illud Psalmi. *Mane adstabo tibi, & videbo*, dicit Glossa, Non videt, qui temporalibus adhæret. Et ideò sunt sicut talpæ, quæ oculis priuatæ sunt, & tamen oculorum signa gerunt: terram fodiunt, & eam super se iaciunt. Sic & auari in hoc mundo, prudentiæ tenent similitudinem, sed non habent veræ sapientiæ veritatem; & dum terrena quęrunt, terrenis desideriis seipsos viuos sepeliunt. Quia, vt dicitur in Prouerbiis. *Desiderium impij, monumentum illius.* Hic est oculus, de quo dicitur à Zacharia. *Oculus eorum in vniuersa terra*, Quia ad acquisitionem terrenorum tendit tota intentio auarorum. Prou. 5. Psal. 12. Cap. 12. Cap. 5.

21. Oculus autem rem planè, clarè, & plenè videre non potest, nisi res ab eo proportionaliter distet. Et ideò quia cupidi temporales diuitias super oculos cordis ponunt, peruersum de diuitiis iudicium ferunt; vt, quæ sunt vilia, reputent pretiosa. Et sicut per interpositionem corporis opaci habet fieri corporalis eclipsis: sic quando terrenum aliquid, per amorem nimium interponitur inter oculum cordis, & Solem iustitiæ habet spiritualis Eclypsis in anima cupidi prouenire. Psalmo 57. *Super cecidit ignis* scilicet ardentis auaritiæ, *Et non viderunt solem*, supplè iustitiæ. Et ideò *argentum* congruè interpretatur *ardor gentium.* Sicut enim visus excęcatur per peluim ardentem, sic cupidus per terrenum amorem: vbi enim amor; ibi est oculus. Cupidus, ad aurum quod summè diligit, oculum intentionis omnino conuertit, & deinde eius fulgore & pulchritudine delectatur; & sic instar vrsi spiritualiter excæcatur.

22. Cùm autem auaritia homini oculum abstulit, ipsum ad molam, id est, volubilitatem horum temporalium molere facit. Vnde legitur de Samsone. *Quem cùm apprehendissent Philisthiim, statim eruerunt oculos eius*, &c. *& clausum in carcere molere fecerunt.* Nec mirum si cupidus clarè videre nequeat, cùm in oculo trahem gerat. Ille namque in oculo trabem gerit, qui per affectionem aspirat ad Ecclesiasticam dignitatem. Iudic. 16.

23. Aranea à trabe dependet, & se totam euiscerat, fila de suis visceribus educendo, & telam inutilem componendo. Sic ambitiosus & cupidus, mente pendet ab ea quam ambit & appetit, dignitate; educit fila, dum distrahitur per diuersa desideria. Inutilem telam texit, dum laborat propter rem transitoriam, quam aliquando non attingit; & si fortè ad eam peruenerit, non diu subsistit. Sed etiam se euiscerat dum diuersis cogitationibus absumptus animi virtutem eneruat. Ideò cupidi, qui dignitates ambiunt, verè dicere possunt, *Anni nostri sicut* Psal. 89.

Cap. 21. *aranea meditabuntur.* Et ſicut Leuitico. Prohibebatur a templi miniſterio habens albuginem in oculo: ſic ambitioſus eſſet ab Eccleſiaſticis beneficiis meritò repellendus, qui tanquam albuginem mentis oculum excæcantem, habet in oculo deſideratam Eccleſiæ dignitatem. Cui
Cap. 1. dici poteſt illud Ieremiæ. *Oculi tui, & cor ad auaritiam.* Quantum autem cupiditas in excæcando prȩualet, ex hoc patet; quod Prophetæ oculos cupiditas excæcauit; & diſcipulus pecunia corruptus, Dominum innocentem tradidit manibus impiorum. Hæc autem auaritia radiculam], & miſerandam contraxit familiaritatem cum ſenibus; qui cùm minùs egeant, auidiùs concupiſcunt; & quò rebus ſunt citiùs cariturі, tantò auidiùs ſtudent parcitati. Nam & manus in iuuentute porrecta, in ſenectute plerumque contrahitur: &, quæ in iuuentute contracta eſt, aut numquam, aut rarò in ſenibus dilatatur.

24. Quamuis autem auarus ſpiritualium oculorum luce ſit priuatus, ſibi tamen videtur prudentiſſimus, & præ aliis oculatus. Poſtquàm nummos in arca fuerit contemplatus, conſiderat primò quod dicit Petronius.

In Satyr. ſub finem.

Quiſquis habet nummos, ſecura nauiget aura,
Fortunámque ſuo temperet arbitrio.
Carmina componat, declamet, concrepet, omnes
Et peragat cauſas, ſitque Catone prior.
Iuriſconſultus, paret non paret, habetor.
Atque eſto quidquid Seruius & Labeo.
Multa loquor, quid-vis nummis præſentibus opta;
Et veniet; clauſum poßidet arca Iouem.

Cap. 3. Sed poteſt illi dici illud Apocalypſis. *Tu dicis quod diues ſum, & locuples, & nullius egeo: & neſcis quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.* Miſer in vita, miſerabilis in fama, pauper in bonis operibus, nudus in virtutibus, & cæcus, quia ſpirituali cognitione priuatus; & quia cupidus ſeu auarus, puluere temporalium, vt dictum eſt, excæcatur.

25. Ideò per Tobiam ſtercoribus hirundinum excæcatum congruè
Cap. 2. deſignatur. De quo dicitur in Tobia, *Et è nido hirundinum calida ſtercora ceciderunt ſuper oculos eius & factus eſt cæcus.* Stercora hirundinum, ſunt poſſeſſiones temporalium, quæ calidæ dicuntur, quando pluſquàm debeant diliguntur: & ideò, qui ea diligunt, excæcantur.
Cap. 6. Sed qualiter valeat eorum viſus reparari, dicitur in Tobia. *Exentera hunc piſcem, & cor eius, & fel repone tibi: ſunt enim hæc neceſſaria ad medicamenta vtiliter.* Piſcis eſt Chriſtus. Exenterat hunc piſcem, qui profundè cogitat Chriſti paſſionem. Cor eius reponit; qui, ex quanto corde dilexerit nos, attendit. Fel etiam reponit; qui quanta fuerit eius amaritudo paſſionis intelligit, & neceſſaria hæc ſunt vtiliter ad oculorum ſpiritualium medicinam. Aliter etiam curatur prȩdicta cæcitas felle piſcis, id eſt, cogitando amaritudines, quæ ſunt in diuitiis.

diuitiis. Est enim labor in eas acquirendo, timor in possidendo, dolor in amittendo. Quæ si quis diligenter attenderit, temporales diuitias non amabit; & sic spiritualiter illustratus, oculorum lumen, quod per cupiditatem amiserat, rehabebit.

VI. De sexta differentia scilicet gula. De oculo gulosi, nimia ingluuie sauciati.

26. Oculi gulosorum dicuntur carnei, quia ad procurandam carnem totaliter sunt intenti. Iuxta illud, *Nunquid oculi carnei tibi sunt?* Et Iuuenalis dicit. *Iobi 10.*

Sunt quibus in solo est viuendi cura palato. Gulosorum oculi ad escam contemplandam, sunt acutissimi, & quasi aquilini; de quibus dicitur, *Nunquid ad præceptum tuum eleuabitur aquila, & in arduis ponet nidum suum? inde contemplatur escam, & oculi eius de longè respiciunt.* Est enim natura aquilæ, quòd cùm ad alta volauerit, inde pisces in mari prospicit, & ad eos deuorandos subitò descendit. Gulosorum oculi, non solùm escam contemplantur in aquis, sed etiam in omnibus elementis, iuxta illud Poëticum. *Satyra 1.* *Iob. 39.*

Inter ventriculos versatur quæstio, pisce,
Quis colitur meliore lacus, quis fertilis aër,
Alitibus, quæ terra feras effundet edules.

Hic est oculus de quo dicitur Deuter. 33. *Oculus Iacob, in terra frumenti & vini.* Nam vt Poëta testatur.

Ingenium est quæsisse merum: Nam gratia mensis
Absque mero decisa venit, nec plena voluptas
Est mensa quæ fundit aquas, facinusque receptis
Naufragium fecisse cibis, solemnia mensæ
Bacchus agit.

Et, sicut spiritualium virorum oculi, semper ad Dominum, sic carnalium seu gulosorum oculi, semper ab cibum, & ad ventrem, de quo faciunt Deum, iuxta illud. *Quorum Deus venter est.* Quod cernens Hugo de claustro animæ dicit; Per singula Deo comparatur venter: solent enim Diis templa construi, altaria erigi, ministri ad seruiendum ordinari, pecudes immolari, thura concremari. Deus itaque venter est, cuius templum est coquina, altare mensa, ministri coqui, immolatæ pecudes, coctæ carnes, fumus incensorum, odor saporum]: Sed vt ait quidam, *Philip. 3.* *Lib. 2. de claustro animæ c. 18.*

Non tibi sit venter Dominus, sed viue decenter,
Serua gustando, quid, quantum, quomodò, quando,
Non properè, lautè, nimis, ardenter, studiosè.

Gulosus viso cibo delectabili oculo capitur sicut hamo, iuxta illud. *In oculi eius, quasi hamo capiet eum.* Namque cùm piscis capitur, esca superponitur, sed ferrum interiùs occultatur. Sic & in cibo delectabili, *Iobi 40.*

exteriùs dulcedo respergitur, intus tamen latet aculeus, quo mens spiritualiter sauciatur. Vnde Boëtius.

Habet hoc voluptas omnis,
Stimulis agit ferentes
Apiumque par volantum
Vbi grata mella fudit
Ferit icta corda morsu.

Et quia illecebra gulæ intrat per oculum ad animam, ideò signanter dicitur in Prouerbiis. *Ne intuearis vinum, quando flauescit, cùm splenduerit in vitro color eius: Ingreditur blandè; sed in fine mordebit, vt coluber; & quasi regulus, venenum diffundet.* Regulus enim interficit solo visu. In hoc autem quod dicitur, *ne intuearis vinum*, notat ingluuiem modernorum, quibus non sufficit sapor gulæ, sed volunt vt omnes sensus in eodem inebrientur calice. Delectatur autem visus claritate, tactus frigiditate, gustus sapore, nasus odore. Et quia non est in vino quod delectet auditum, assumimus lyram, & tympanum, & tibiam, & vinum in conuiuiis nostris. Gula ergo, quæ sic per oculos capit, oculos carnales sępè tollit. Malunt enim oculos perdere, quàm ebrietate carere; dicentes arguentibus, plus valet bonum vinum, quàm malus oculus. Ideò dicitur in Prouerbiis. *Cui væ? cuius patri væ? cui rixæ? cui fouea? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? Nonne ijs qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis?* Sicut autem gula interdum aufert oculos corporis & excæcat, sic etiam oculos cordis. Oseæ 4. *Fornicatio, & vinum, & ebrietas, auferunt cor.* Et Poëta dicit.

Cap. 25.

Cap. 23.

Ebrietas rationis vile sepulchrum.

28. Et sicut canis, qui cæcum ducit, cùm ossa in luto videt, dum illuc ex auiditate diuertit, cæcum per immunditias secum trahit: sic & gula, postquàm spiritum excęcauerit, per peccatorum spurcitias ipsum ducit. Sic protoplastis contigit. *Vidit enim mulier quod bonum esset lignum & ad vescendum suaue, & pulchrum oculis, tulitque de fructu illius, & comedit*, &c. Gulosi ergo ingurgitatione ciborum & potuum, opprimentes spiritum, rationis excęcant oculum; & rationis oculo priuati, & quasi bestiales effecti, instar pecudum, quorum tota cura versatur in quęrendis pinguibus pascuis, student delicatis cibariis, & calicibus epotandis. Et tunc arte multiplici, conquiruntur irritamenta palati, & vt verbis vtar Poëtæ.

Gen. 3.

Par labor & studium quo fercula fine parata,
Quo frustata modo, quâ scissa libidine possint
Ardorem fadisse gulæ: Nam forma paratûs
Delicias pretiumque parit, multumque tenetur
Materies forma, nam si labor improbus adsit,
Materiam superabit opus, dapibusque paratus,
Addet opes, acuetque gulis ardentibus ignes.

Quis autem (vt ait Philoſophus,) habens aliquid humani pudoris, voluptatibus his duabus, coëundi; & comedendi, quæ homini cum ſue, & aſino communes ſunt, captiuetur?

VII. Differentia ſeptima de luxuriæ, quod oculi mulieris, ſint tela impudicitiæ quibus multi vulnerantur.

29. Oculus corporis eſt ianitor cordis? qui ſi pudicus fuerit, quidquid indecens eſſe nouerit, excludit. Impudicus verò, quærens quod placeat, per omnia diſcurrit; ſicut malus ianitor, volentes intrare non patitur, nolentes verò monet, & hortatur. Legitur in Geneſi. *Iniecit domina oculos in Ioſeph.* Cap. 31. Sunt hæc impudicitiæ tela, quibus vulnerantur multi, licet longè poſiti. Iis telis, pudicitiæ ſcutum oppoſuit; ſcriptum eſt enim, *Auerte faciem tuam à facie mulieris.* Et ideò in oculis eius Eccl. 9. non fuit captus; ſicut econtra de Holopherne contigit, in Iudithæ hiſtoria. *Cúmque intraſſet ante faciem eius, ſtatim captus eſt in oculis ſuis.* Cap. 10.

30. Baſiliſcus, etiam aues volantes, intuitu ſuo interficit: Sic & mulieris aſpectus, quandoque viros cęleſtes ad ima voluptatis trahit, & ſic ſpiritualiter interficit. Vnde in Prouerbiis dicitur de muliere ornatu meritricio pręparata, *Multos vulneratos deiecit, & fortiſsimi quique, interfecti ſunt ab ea.* Cap. 7. Baſiliſcus, licèt ſit breuis ſerpens, multos viſu interficit; ſic & aſpectus, licèt modicum quid videatur, tamen multos vulnerat, & occidit. Videtur namque probabile, quòd cùm mulier libidinosè reſpicit virum, tunc à corde mulieris, libidinoſus fumus egrediens, vſque ad oculos venit, deinde radios viſuales mulieris inficit, qui ſic infecti veniunt ad oculos viri, (ſuppoſito quòd videamus extra mittendo:) & cùm ad oculos viri venerint, & eos infecerint, infectio vſque ad cor tranſit, ſicut à corde mulieris proceſſit. Hęc eſt enim natura radij venenoſi, ſicut per ſimile poteſt videri. Canis enim rabidus in cerebro venenum habet; & quando aliquem in quacunque parte corporis mordet, ille primò dum patitur, inficitur in cerebro, ſicut mordens infectus erat in ſimili membro: cordis enim infectio ad oculos exit, vnde & Poëta dicit.

Ex corde lampas, faculis, igneſcit ocellus.

Et ſecundùm Philoſophum, cùm menſtruata mulier, ſpeculum inſpicit, ipſum maculat, & inficit. Sic interdum mulier virum ex libidine reſpiciens, inficit animam, in qua tanquam in ſpeculo, Dei relucet imago.

31. Sicut autem aſpectus mulieris actiuus, id eſt, cum aſpicit, ſæpè lædit, ſic & aſpectus eius paſſiuus, id eſt, cùm aſpicitur, non minùs offendit. Vnde Quintilianus dicit, vitiis in animam per oculos via eſt. Declam. 1. pro cæco contra nouercam. Et Ieremias, *Aſcendit mors per feneſtras noſtras, ingreſſa eſt domos noſtras.* Cap. 9. Sicut enim contingit, quod intromiſſus latrunculus per fene-

ſtram, magnis latronibus oſtium aperit, qui ingreſſi domum ſpoliant, & dominum domus necant; ſic aſpectus illicitus per feneſtram oculorum immiſſus, portam conſenſus aperit; & tunc hoſtis intrans, & domum ſpolians virtutibus, ſpiritum occidit Ideò Ieremias, *Oculus meus, deprædatus eſt animam meam.* Et ideò, ſicut dicit Helinandus; ſtulta eſt caſtitas, quæ inordinatè ridet, vel aſpicit indecenter. Venatores, volentes feram inuenire & capere, paruos canes venaticos quos *furetos* appellant, conſueuerunt præmittere, qui huc & illuc vagari non ceſſant, donec prædam inueniant. Et cum ab his inuenta fuerit, venator magnos canes emittit, & poſtquàm feram cœperunt, venator ſuperuenit, & venabulo feram occidit. Sic & Diabolus qui hominem venatur ad mortem, tanquam ſuos furetos, impudicos oculos iuuenis præmittit, qui tamdiu vagantur per vicos, donec prædam inueniant; id eſt aliquam pulchram mulierem aſpiciant: Et tunc Diabolus mittit ad cor magnos canes, id eſt immundas cogitationes, & tandem ſuperuenit venatur & venabulo conſenſus vel operis, animam occidit. *Qui enim viderit mulierem ad concupiſcendum eam iam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Et ſic eſt interfectus. Vnde fornicatio dicitur quaſi fortis necatio vel formæ necatio, vel fornacis accenſio.

Cap. 2.

32. Natura leonis, dicitur hęc eſſe, quòd ſi quis iuxta leonem tranſeat, & leonem non reſpiciat, illęſus euadit: ſi autem leonem reſpiciat, ipſum Leo deuoraturus inuadit. Sic interdum, ex aſpectu mulieris in tantum inuadit hominem carnalis tentatio, quod ſi non aſpexiſſet, ſecurus euaſiſſet. Colloquium quarum non eſt niſi virus amarunt. Vnde Iob 31. dicitur, *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de Virgine.* Super quo dicit Gregorius [quia non licet intueri, quod non licet concupiſci.] Et Iſidorus in lib. de Syn. [Tolle naturam delinquendi ſi vis eſſe à formidine tutus, eſto viſione diſcretus. Nullus ſanæ mentis iret ad ſpectandum baſiliſcum, cuius aſpectus interficit. Ergo nullus debet ire ad ſpectacula mulierum, quarum aſpectus interficit, & occidit: Quidam iuuenis Eremita cum Abbate ſuo in ciuitatem iuit, vbi mulieres vidit, & cuiuſmodi res eſſent, ab Abbate ſollicitè quęſiuit; cui Abbas anſeres eſſe reſpondit. Reuerſus puer in clauſtrum, inconſolabiliter flere cœpit; cui Abbas, quid vis fili mi; Et ille dicit, volo de illis anſeribus quas in ciuitate vidi. Tunc Abbas fratribus ſuis conuocatis; conſiderate fratres, (inquit,) mente ſollicita, quàm periculoſa ſint mulierum ſpectacula. Nam hic puer innocens, qui priùs mulierem non viderat, in eremo nutritus; ſic ſolo viſu, eſt igne concupiſcentiæ carnalis incenſus.

33. Inſanus eſſet habendus, qui vas plenum balſamo, ſi illud in media platea poneret, & omnibus exponeret, vt vnuſquiſque contra vas lapidem iactaret. Inſanus igitur eſt, qui habens in corde balſamum gratiæ, tanquam in vaſe debili propter vertibilitatem liberi arbitrij, habeas etiam theſaurum caſtitatis & integritatis in corpore, quod pro-

pter pronitatem ad malum, multum est fragile; si ad spectacula mulierum sit ausus accedere, & vas suum ictibus lapidum passim exponere. Mulier enim quam primò respicit, ad cordis sui vasculum, speciei suæ similitudinem quasi lapidem vnum mittit. Et idem accidit, quando secundam aspicit, & quot impudicè cernuntur, quasi tot contra eum lapides jaciuntur. Et ideo dicitur Ezech. 6. *Oculi eorum fornicantes post idola*, id est post mulierum recepta simulachra. Et Seneca in quadam Epistola. [Nihil tam damnosum moribus bonis, quàm in aliquo spectaculo residere. Tunc enim per voluptatem facilius vitia subrepunt.] Et Gregorius in Dialogis, dicit. [Qui cor suum continentiæ *Lib. 3.*
dedicant, habitare cum fœminis non præsumant. Nam species mulie- *c. 7.*
ris oculis opposita, facit plures cogitare nefanda. Sicut enim magis nocet oculo corporis, aspectus visibilis nimis albi, quàm visibilis vehementer nigri; sic etiam magis periculosus est aspectus mulieris pulchritudinis excellentis quàm deformis; & eius quæ in habitu meretricio est præparata, quam eius quæ simplicites est induta. Nam luxus vestium, lasciuum fœminæ demonstrat animum, & imprudentes inuitat ad malum. Hinc est illud Poëticum.

Detegit exterior animum status; Intimus extra
Pingitur affectus cultu monstrante; latentis
Copia fit mentis; habitus quoque cœtera velans
Pectora deuelat, aperitque abscondita morum,
Garrulus interpres, & mentem veste loquenti,
Prædicat exterior internas pagina leges.

Ideò dicitur Ecclesiastici 9. *Auerte faciem tuam à muliere compta, & ne circumspicias speciem alienam. Propter speciem enim mulieris, multi perierunt.*

Narrat Sigebertus in suis Chronicis, quod Tribunus quidam cum vxore sua ad Ioannem Anachoretam accessit, & ipsum, vt se videndum præberet vxori, hoc multùm desideranti rogauit. Ille autem hoc respuit, & adjecit; Vade quia in domo tua, hac nocte me videbit. Nocte illa apparuit mulieri, & ait; Desiderio tuo parens, ô mulier, ad te veni, vt non faciem corporalem seruorum Dei, sed eorum gesta velis per spiritum contemplari. Et in vitis Patrum dicitur, quod quædam vidua ad B. Arsenium de remotis partibus venit, & prostrata cum lachrymis ait, Ora pro me Deum. Cui ille respondit. Oro Deum vt tui memoria deleatur de mente mea, & ab ea se diuertit; Illa verò ingemiscens recessit. Quantum ergo nos debiles timere possumus, cum audimus, quod sancti, adeò mulierum vitabant aspectus. Beatus Dauid, quia oculos suos jecit & fixit in mulierem, illicò appetitu deuictus, adulterium & homicidum perpetrauit. Nisi enim fœminam incautè aspexisset, in tantam carnis tentationem minimè ecidisset. Si ego per intuitum oculorum, tantus vir cecidit; nos qui longè ab eius sanctitate distantus, mortale præcipitium sum vt operè timere & cauere debemus.

& orare cum eodem Dauide & à Domino petere, *Auerte oculos meos ne videant vanitatem.*

35. Mulier autem non tantùm capit virum per oculos, sed etiam per singulos sensus. Et primò per auditum, sicut & Sirenes, quæ sunt monstra quædam marina, virgineum vultum habentia, quæ cantu suo nauigantes alliciunt: illectis soporem immittunt, & soporatos interficiunt; Sic & mulier, cantu suo hominem attrahit, & in peccato suo obdormire facit, & sic spiritualiter ipsum interficit. In quo facto vterque culpabilis existit; mulier, quia virum perniciosè perimit; & vir, quia ad cantum suum, vt stultus accedit. Secundò mulier capit per visum; tigris enim, dum cernit speculum in via à venatoribus ex industria positum, delectata pulchritudine speculi, sistit gradum, & obliuiscitur catulorum suorum. Per speculum lucidum, intellige corpus mulieris ornatum; quod cùm stultus aliquis respicit, spiritualem aliquandò gradum sistit, & cęlestia quæ deberet insequi obliuioni tradit. Capit tertiò mulier per olfactum: Sicut enim panthera, vt dicit Philosophus, odoris sui fragrantia, attrahit cętera animalia, quæ postquàm senserunt suauitatis eius odorem, ipsam comitantur vsque ad mortem: Sic & plerumque fatui, quorum cor vanis odoribus delectatur, currunt post odorem muliebrium vnguentorum. Sed audiant mulieres talibus operam dantes, quid Dominus comminetur. *Auferet Dominus olfactoriola, & inaures, & specula: & erit pro suaui odore fœtor.* (*Isaiæ 3.*) Tandem quarto mulier capit virum per tactum, opus nefarium perpetrando.

36. Et tunc interficitur misera anima, exemplo vnicornis: qui, sicut ferunt qui de natura scripserunt animalium, hoc modo capitur. Virgo namque puella decenter ornata in sylua ponitur, quæ veniente vnicorne sinum aperit, in quo ille omni ferocitate deposita, caput ponit, quem soporatum venatores capiunt, & occidunt. Sic Samson dormiens in sinu Dalilæ, oculos perdidit, ex quo mortem tandem incurrit. Aspectus siquidem mulieris & viri, aufert oculum rationis, vnde dicit Gregorius, sic fit rectæ retributionis examine; vt, qui exteriori oculo negligenter vtitur, interiori oculo non iniustè cęcetur. (*Lib. 21. moral. c. 7.*) Dicit etiam Eusebius quòd Gorgon meretrix, propter eximiam pulchritudinem, ita spectatores suos reddebat mentis inopes, vt eos putaretur vertere in lapides. (*In Chronico, ad annum mundi 3850.*) Coruus cum inuenerit animal mortuum, primò sibi oculos eruit, & deinde extrahit ei cerebrum, cum aufert ei sensum suum & reddit eum fatuum. Nam, (*In Polybist.*)

Omnis amor cœcus, non est amor arbiter æquus,
Nam deforme priùs, iudicat esse decus.

Sicut ait Solinus, Hic est modus capiendi simias. Nam cùm habeant ingenium ęmulandi, dum gestus venantium effigiare appetunt, visco à venatoribus in sylua relicto, oculos suos liniunt, sicut à venatoribus mendacio factum viderunt. Et cùm earum conclusi sunt oculi, pro-

num est eas capi. Sic etiam cùm mulier impudica oculos suos linit, ad hoc vt capiatur ab hominibus: vnde faciem exteriorem clarificat, interiorem offuscat, secundùm illud Ieremiæ. *Cum tinxeris oculos tuos stibio, frustra componeris.* *Cap. 4.*

37. Quædam meretrix, cum ex morbo vnum oculum amisisset, & ei Sacerdos diceret quod istud propter peccatum suum, digna Dei indicta contigisset; *Malo* (inquit) *contenta esse vno oculo quàm vno virò.* Ecce fœminam, propter suam incontinentiam, oculis orbatam vno tantùm in corpore, sed duobus in mortè. Hæc autem cæcitas carnalis concupiscentiæ de signata est in Sauli cœcitate Actuum 9. Ipse enim sequebatur legis ceremonias quæ præcepit carnales obseruantias, sed curatus fuit cadendo in terram, id est macerando carnem suam & ostendendo se Ananiæ, id est Sacerdoti in Confessione. Hæc etiam cœcitas proueniens ex peccati luxuriæ, est figurata cum suo remedio in cœcitate Tobiæ. Tobias siquidem stercoribus hirundinum excœcatus, felle piscis super oculos posito legitur fuisse curatus. Per stercora, signatur luxuria. Ecclesiastici 9. *Mulier fornicaria quasi stenus in via, ab hominibus prætereuntibus conculcabitur.* Piscis qui nutritur in aquis, signat peccatum carnis, quod nutritur in fluxu abundantiæ temporalis, quia

Non habet vnde suum paupertas pascat amorem.

Piscis habet in carne dulcedinem, sed in felle amaritudinem. Et peccatum carnis habet, dulcedinem in actu, sed amaritudinem in reatu. Si igitur super oculos mentis, ponatur fellis amaritudo, non carnium dulcedo; id est, si homo cogitet & attendat non delectationis carnalis dulcedinem, sed pœnæ subsequentis amaritudinem, tali medicamine curabitur à carnalis concupiscentiæ cœcitate.

38. Vt ferunt fabulæ domina quædam quandam vaccam habuit dilectissimam, quam pastoris cuiusdam custodiæ commisit. Pastor ille, Argus nomine, centum oculos fertur habuisse, iuxta illud Poëtæ.

Centum luminibus cinctum caput Argus habebat. *Ouid. lib. 1. Metamorph.*

Hic autem volens vaccam diligenter custodire, binos solùm oculos simul sinebat dormire, cæteris interim vigilantibus & vaccam custodientibus, quidam autem cupiens habere vaccam illam, filium suum, nomine Mercurium cum instrumento musico misit ei; qui cùm venisset, cœpit cum Argo, histrionico more fabulas dicere, & plerumque cantare; & tandiu non cessauit hoc agere, donec duo Argi oculi cœperunt dormitare. Deinde ad cantum eius, duo alij obdormierunt, & sic deinceps, donec somnum caperent vniuersi; quod cernens Mercurius, caput Argi protinus amputauit; & vaccam rapuit et ad patrem adduxit; eique retulit, qualiter Argum per cantus blandimenta seduxit. Argus iste centum oculis oculatus, figurat virum prouidum & vndique circumspectum; cui tamen timendum est, ne, si cantus mulierum libenter audiat, à circumspectionis suæ vigilantia cadat; & dor-

mitante ipsius prudentia, spiritualiter pereat; & animam, quam diligenter seruare debuit, per peccata amittat. Ideò dicit Hieronymus; Grandis virtutis est, sollicitæ diligentiæ, cum natus sis in carne, non carnaliter viuere; Tecum pugnare & quotidie & inclusum hostem, Argi, (vt fabulæ ferunt,) centum oculis obseruare.

Epist. 10 quæ est ad Furiam, & eadem paucis mutatis habet ad Demetriad. epist. 8.

CAP. IX.

De corporalium oculorum carentia æquanimiter ferenda.

1. TObias amisso oculorum lumine legitur Deo gratias egisse: Interdum enim amissio oculorum homini cedit in bonum: nam, ait Seneca, cæcitatem, innocentiæ magnam esse partem. Huic oculi, adulterium monstrant, huic incestum, huic domum quam concupiscat. Oculi enim Instrumenta vitiorum sunt, & duces scelerum. Melius est autem oculos non habuisse, quàm Deum oculis offendisse. Vnde dicit Tullius, in suis orationibus. [Miserior es cum in omnem fraudem oculis raperis, quàm si omnino oculos non haberes.] Hinc etiam sicut testatur Plutarchus, quidam Philosophi oculos sibi effodisse leguntur, ne exteriorum illecebris caperentur. Vtique admirando boni & honesti feruebant zelo, quamuis recti scientiam non haberent. Siquidem, vt dicit Aristoteles, Voluptatum initia obliuioni mandanda sunt, & soli exitus memorandi, pœnitentia pleni.

De remed. fortuit.

Lib de curiositate.

Ex Sarisb. 8. Polycr. cap. 6. & Loërtio in Aristotele, ac Valerio Max. l. 7. cap. 2.

2. Et ideò sancti Viri, dum mala ex oculis prouenientia diligenter considerant, in orbatione vnius oculi vel amborum, in orbatione vnius oculi vel amborum, (si contingat,) exultant. Vnde legitur de Petro Monoculo Abbate Clareuallensi, quòd cùm morbo oculum alterum perdidisset, iocando solebat vir Dei dicere; vnum se de suis hostibus euasisse: & se plus à residuo, quàm à perdito formidare. Consimili modo, vnus alius sanctus homo, amisso vno oculo, amicis flentibus, ait; Nolite flere, de duobus enim hostibus vnum amisi. Legitur in Historia Tripartita quòd dum Iulianus Apostata apud Constantinopolim Idolis immolaret; Maris Episcopus Chalcedonis ad eum accessit, & ipsum publicè Apostatam vocauit: Iulianus verò solam cæcitatem improperauit: Erat enim senex, & pro imbecillitate oculorum, manu alterius vtebatur: & addidit Impius Iulianus; Neque Galilæus tuus curare te potest. Respondens verò Maris, Ego, (inquit,) Deo meo pro cæcitate gratias ago: quia hoc gestum est, ne te viderem pietate nudatum. Narrat Sigebertus, & idem habetur in vita S. Audomari, quòd Audomarus Teroanensis Episcopus primò cæcus factus cum Atrebatis in translatione S. Vedasti visum diuinitus

Ex Socrate l. 3. c. 10.

In Chronico ad annum 658.

diuinitus recepiſſet, dolens quòd cæcitatem, quam donum Dei reputauerat, amiſiſſet; obtinuit quod iterum cæcus eſſet: & ſic cæcus factus, ait, *Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlis.* Pſ. 122.

3. Sæpè etiam contingit, vt, cùm lumen oculorum carnalium amittitur, ſpiritualium vigor augeatur. Legitur in Hiſtoria Tripartita, quòd Didymus à pueritia cæcus, Dialecticam, Rhetoricam, Geometriam, aliaſque Philoſophicas diſciplinas auditu didicit, & memoriter ſciuit. Inſuper nouum & vetus Teſtamentum ſic perfectè cognouit, quòd multos libros edidit, & de Trinitate tres libros fecit, & ſuper librum Periarchon Origenis explanationes eximias reliquit. Quem videns S. Antonius, ait ei, non te turbet, ô Didyme, amiſſio oculorum ſenſibilium: tales enim tibi deſunt oculi, quibus muſcæ & culices nocere poſſunt; ſed gaude potiùs, quia habes oculos, quibus etiam Angeli vtuntur; per quos & Deus videtur, & eius lumen inſpicitur. Hinc etiam legitur, quoſdam mundi Philoſophos ſibi oculos eruiſſe; vt totam cogitationem ad mentis conuerterent puritatem, ſicut dicit Hieronymus contra Iouinianum. Hoc etiam feciſſe Democritum Philoſophum, Claudianus in libro ſuo teſtatur. Et ideò Agellius ac etiam Iuſtinus referunt quod Platonis diſcipuli in templorum lucis & particibus verſabantur, vt admoniti auguſtioris habitaculi ſanctitate nihil aliud quàm de virtutibus cogitarent. Quidam etiam ob hoc ſibi eos eruiſſe perhibentur, ne per eorum vſum à contemplatione Sapientiæ tardarentur.

Ex Sozomeno l. 3. c. 14.

CAP. X.

De ſumptuoſitate oculi, reſpectu cæterarum partium corporis humani.

1. IN menſa cuiuſdam Prælati, mota fuit hæc quæſtio; quodnam eſt membrum ſumptuoſius in corpore humano, communiter loquendo. Reſponſum fuit ab omnibus, quod venter eſt membrum ſumptuoſius, iuxta illud Eccleſiaſtici. *Omnis labor hominis in ore eius.* Cap. 6. Interrogatus tandem quidam Philoſophus, qui cum aliis diſcumbebat, quid ſuper hoc ipſe ſentiret, ſentio, (inquit,) quòd oculi plus conſtant, quàm membrum aliud corporis humani. Quia ſex ſunt quæ diuitibus ſumptus nimios afferunt, ſcilicet pretioſitas veſtium, equorum, ædificiorum, librorum, & cibariorum, vaſorum argenteorum & aureorum. Superfluitas autem iſta non eſt ob aliud inuenta, niſi vt paſcat oculos; proprios, &, quod miſerabilius eſt, alienos: Vnde Seneca; Non fames magno nobis, ſed ambitio, conſtat. Et idem alibi ait. Iam non ſunt homines dentibus, & ventre, & ore contenti: oculis quoque guloſi ſunt. Et quidam ait,

Epiſt. 17. & 119. *L. 3. natur. qq. c. 18.*

Plus oculi paſcurit animum quàm fercula ventrem
Plus honor obſequij quàm ſuper ipſe ſapit.

Vnde & Poëta deſcribens auiditatem oculorum guloſi ſupra dicti.

Reſpicit ergo dapes; circumfuſoſque paratus
Iam votis oculiſque vorat, circumſpicit omnem
Luxuriam menſæ, metitur fercula, rurſus
Inſpicit, & blandis epulas percurrit ocellis.

2. Et in hoc patet oculi profuſio, quia aurum etiam conuertit in cibum: dum enim gula paſcitur cibo, oculus auro paſcitur, & argento, Vnde narrat Helinandus quòd anno Domini 1102. Rex quidam Angliæ, Guillielmus nomine, cùm calcearetur nouas caligas quodam mane, quæſiuit à cubiculario, quanto emptæ fuiſſent pretio: Cúmque ille reſpondiſſet tribus ſolidis, indignans ac fremens ait, fili meretricis, ex quo Rex habet caligas tam exilis pretij, vade ex parte Diaboli & affer mihi emptas marca argenti. Iuit ille, & multo viliores attulit, & ei, quanti præceperat, fuiſſe emptas dixit. Iſtæ, (inquit Rex,) conueniunt Majeſtati Regiæ, in quam omnium oculi ſunt intenri. Iſte verò vt alienos paſceret oculos, denarios commutauit in ſolidos.

Eccl. 2. 3. Tanta eſt oculorum ſumptuoſitas, vt Salomon qui de ſe dicit. *Om-*
Prou. 27 *nia, quæ deſiderauerunt oculi mei, non negaui eis*: Dicat alibi, *Oculi*
Cap. 14. *hominum inſatiabiles.* Et Eccleſiaſticus. *Inſatiabilis oculus cupidi.* Tanta eſt enim oculorum curioſitas, vt non ſolùm faciat in ſumptibus exce-
Cap. 1. dere, verùm etiam interdum inſanire, iuxta illud Ezechielis. *Inſaniuit concupiſcentia oculorum ſuorum.* Hoc etiam videre poſſumus in Nerone, qui, vt refert Oroſius, effigiem Troiani incendij videre deſiderans, vrbis Romæ incendium voluptatis ſuæ fecit ſpectaculum. Per ſex dies & ſeptem noctes ardens ciuitas, regios pauit aſpectus. Quod quidem vrbis incendium, ipſe ex altiſſima turri proſpectans, lætuſque (vt aiebat) flammæ pulchritudine, Tragico habitu, Iliad. decantabat. Et quod plus auditum offendit, matris ſuæ adhuc viuentis viſcera ſecari præcepit; vt ſic locum oculis cerneret, iu quo nondum natus multo temporis iacuiſſet. Ipſum planè oculi dementem fecerant, quem ad perpetranda tam nefaria pertrahebant. Propter quod non immeritò
Cap. 31. queritur Eccleſiaſticus. *Nequius oculo, quid creatum eſt?* Quàm damnoſa ſit curioſitas oculorum, teſtificantur non ſolùm diuinarum teſtimonia ſcripturarum, ſed etiam fabulæ Poëtarum. Vnde Fulgentius, ſic
L. 4. dicit. [Curioſitas oculorum, ſemper periculorum germana detrimenta
Mythol. nouit ſuis amatoribus parturire. Vnde Actęon venator, dianam lauantem ſe, curioſitate quadam oculorum videre voluit, & in ceruum conuerſus, non agnitus à canibus ſuis legitur eſſe deuoratus.]

CAP. XI.

De informatione Scholarium ex ſeptem conditionibus quæ requiruntur ad viſum.

1. AD hoc vt fiat completa viſio, ſeptem ſunt neceſſaria; Debita diſpoſitio organi, præſentia obiecti, proportio diſtantiæ, ſoliditas rei viſæ, attentio potentiæ, mora temporis, diffuſio luminis medium illuſtrantis.

I. Informatio prima, de humilitate diſcendi, nullum contemnendi, & iniurias tolerandi.

1. Debitam diſpoſitionem oculi, auferunt iſta tria, Tumor, puluis & humor. Sic ſpiritualiter tumor ſeu prominentia ſuperbiæ; puluis auaritiæ, humor concretus luxuriæ. Propter primum dicit Philoſophus, quòd oculus eminens eſt viſus debilis; & oculus profundus boni viſus & fortis. Modo conſimili eſt de homine humili: Nam, ſicut oculos profundos habentes, meliùs vident longè diſtantia, & ſubtilia, & minima, quàm habentes oculos tumidos vel prominentes, qui etiam de facili læduntur ab obiecto ſenſibili. Similiter humiles clariùs vident ſubtilia, quàm ſuperbi. Vnde Salomon. *Vbi humilitas, vbi ſapientia.* Ideò dicebat Saluator. *Confiteor tibi pater, Domine cæli & terræ; quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis.* Gloſſa, humilibus quandoque, id eſt, paruulis reuelantur à Deo, quæ ſapientibus abſconduntur. *Lib. 19. de anim* *Prou. 11.* *Matth. 11.*

3. In cuius rei ſignum nunciata fuit ſalus Samariæ per leproſos. Et ſubiugalis aſina Balaam per leproſos. Et ſubiugalis aſina Balaam dominum ſuum, à via reuocauit illicita. Vnde Antonius Eremita ſingulos Patrum interrogabat de Scripturis; & quiſque ſecundùm ſententiam ſuam reſpondebat. Sed Ioſeph interrogatus vltimo loco reſpondit, *neſcio*: & Antonius ait, hic ſolus viam ſciendi inuenit, qui ſe neſcire reſpondit. Hinc eſt quòd B. Bernardus, docet in libro de gradibus humilitatis. Illud quoque quod in ſcala illa quæ in typo humilitatis Iacob monſtrata eſt, Dominus innixus apparuit, quid nobis aliud innuit, niſi quod in culmine humilitatis, conſtituitur cognitio veritatis! Et Iſidorus dicit in lib. 2. Soliloq. Veritas mentem fugit quam humilem non inuenit. Et Valerius Max. dicit de Socrate quod dum ad diſcendum ſe pauperem credit ad docendum ſe locupletiſſimum fecit. Ad hoc ergo quod ſcholaris in ſcientia benè proficiat, oportet quòd humilitati bene ſtudeat: quia ſecundùm Pſalmiſtam, Dominus *intelle-* *4. Reg. 7.* *Numer. 22.* *In vitis PP. lib. 5 tit. de humilit.* *Lib. de grad. humil.* *Lib. 3. de ſummo bono c. 11.* *L. 8.* *Pſ. 118.*

Cap. 10. *ctum dat paruulis*, id est, humilibus. Et Ioannes in Apocalypsi. *Ecce coram te dedi ostium apertum*, (scilicet ad notitiam Scripturarum) *quia modicam habes virtutem.* Glossa humilitatem; quæ facit hominem in
Cap. 28. oculis suis modicum reputari. Et in Deuteron. *Si custodieris mandatum Domini Dei tui, aperiet thesaurum suum optimum, cælum*, id est, notitiam cælestium. Mandatum autem Dei est humilitas, iuxta illud.
Matth. 11. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.*

4. Hæc autem scholaris humilitas in tribus consistit. Primò quidem
Epist. 75. vt libenter discat; vt ait Augustinus. Ego senex, & tot annorum Episcopus, à collega meo nondum anniculo paratus sum edoceri. Vnde & Paulus sapientia legis præditus, vtpotè à Gamaliële edoctus, missus fuit ad Ananiam virum simplicem, ab eo instruendus. Vnde dictum est. *Surge & ingredere ciuitatem & dicetur tibi, quid te oporteat facere.*
Actor. 9. Vbi dicit Glossa exemplum discendi datur, & superbia increpatur; vt nullus alium indignum æstimet, à quo doceatur, quod ignorat.

5. Item quod nullam scientiam contemnat: Dicit enim Anselmus.
De simil cap. 155. Similitudo est inter stultos pauperes, & stolidos scholares. Pauper enim insipiens, dum obolum acquirit, vel aliud parui pretij, dicit, ad quid istud tantillum seruabo? Iam propter hoc diues non ero. Expendam ergo hoc in pomis, aut nucibus, aut quacunque re delectabili; non enim istud custodiendo sollicitus esse volo. Sic stolidus scholaris dum parui pendit minima, numquam proficit ad maiora. Sapiens verò pauper, parua quæ acquirit, diligenter custodit; & quo minus se habere considerat, eo magis seruare ea desiderat, & ex paruorum congerie ad maiora quandoque pertingere. Sic is, qui sentit se pauperem esse scientiæ, debet facere, si velit ad aliquem profectum scientiæ peruenire. Nam sicut plura grana massam, & guttæ fluuium, & multi nummi diuitem faciunt; sic multæ particulæ scientiæ sapientem efficiunt.

6. Item requiritur quòd illatas iniurias, & contumelias patienter sustineat. Circa hoc etiam antiqui Philosophi dicuntur fuisse studiosissimi. Vnde quidam Philosophus cuidam maledicenti sibi dixit; Tu didicisti maledicere, & ego didici maledicta contemnere. Legitur etiam quòd Socrates cùm semel per villam transiret, & quidam eum pugno in capite percussisset, nihil aliud respondit, nisi quod percutienti, iocando ait; Malum est quod homines nesciant quando armati, & quando inermes incedere debeant. Si enim hunc ictum præsciuissem, caput cooperuissem. Legitur etiam de hoc Philosopho, quòd cùm nubere vellet, mulierem litigiosissimam, quam inuenire potuit, sibi coniugio copulauit; quæ ipsum, statim vt domum intrauerat, iurgiis & contumeliis impetebat. Ille autem, vt patientissimus, ad omnia tacebat; cùmque ab amicis interrogatus fuisset, cur tam inquietæ mulieri nupsisset, respondit; vt discerem in domo, qualis deberem esse in foro. Hieronymus etiam in l. contra Iouin. loquens de patientia

eiusdem Socratis, dicit. Accidit quodam tempore, quod cum socrates vxori suæ in alto domus suæ solario existenti, eique infinita conuitia ingerenti, diu per patientiam restitisset, tandem aqua immunda perfusus, nihil respondit ampliùs, quàm deterso capite; Sciebam (inquit,) quod post ista tonitrua sequeretur pluuia. Olim cùm Philosophiæ studium floreret Athenis, senex quidam sedebat in porticu ciuitatis, & quando scholaris aliquis veniebat ad studium, senex ille conuitiis prouocabat illum; &, si videbat in eo aliquod signum impatientiæ, non permittebat eum intrare; sed tanquam ineptum ad studium, compellebat eum ire retrorsum. Scholaris ergo internus oculus, non debet esse prominens siue tumidus superbia, sed profundus humilitate.

7. Authores autem Perspectiuæ solent causam triplicem assignare quare peius vident, qui habent oculos prominentes, quàm qui oculos profundos habent. Prima causa est, quia profundus oculus est magis à nocumentis exterioribus elongatus. Secunda causa est, quia in oculo profundo virtus visiua ampliùs adunatur, eo quod magis interiùs profundatur. Tertia causa est, quia profundus oculus ad neruum communem propinquiùs accedit, in quo neruo virtus visiua consistit. Ex consimilibus sapientia magis conceditur humilibus, non superbis.

8. Primò quidem tumor id est superbia obstat visui animæ, eum vero iuuat & acuit humilitas: & quia humilitas est maximè à periculis elongata, & ideò nouit declinare pericula. Vnde cùm S. Antonius mundum laqueis plenum vidisset, & quæreret, quis laqueos euaderet, responsum est ei, quòd humilitas. Nec mirum si humilitas laqueos euadit, quia caput demittit, & quis ad terram respicit, vnde Psalmista, *Humiliatus sum, & liberauit me.* Hoc est autem initium sapientiæ *Ps. 114.*
scire scilicet mala declinare. Secundò quia bona sua non ostentat, sed magis congregat, & occultat; & quantò ampliùs, tantò videt perfectiùs. Vnde, sicut dicit Plinius; Oculus existens in profundo puteo *Lib. 2. hist. c. 14.*
potest de die stellas videre in cælo. Ideò dicit Ptolomeus, qui inter sapientes humilior est, sapientior existit; sicut locus profundior magis abundat aquis. Tertiò, quia humilitas est Deo maximè propinqua. *In principio Almagesti.*
Vnde & Beata Virgo, quæ fuit humillima, ac per hoc Deo summè proxima, omnia verba Saluatoris in corde suo legitur conseruasse. Et ideò *Lucæ 2.*
pleniorem notitiam de diuinis creditur præ cæteris accepisse. Et alibi dicitur. *Qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina illius.* *Deuter. 33.*
Qui ergo volunt ad veram scientiæ doctrinam peruenire, ad eum debent per veram humilitatem accedere; qui *scientiarum Dominus est in* *1 Reg. 2.*
quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi. Oportet enim *Coloss. 2.*
familiarem esse thesaurario, qui vult gaudere de thesauro. Debet quidem ad ostium eius pulsare humiliter, in cuius manu est liber omnium sciendorum, quem solus Agnus qui occisus est, dignus est aperire. Hæc *Apoc. 5.*
est clauis illa quæ aperit, & nemo claudit; claudit & nemo apertit, &

ſine qua ad intelligentiam veram nemo accedit: Hic eſt enim qui cum diſcipulorum oculi tenerentur, ne ſapientiam quæ eos alloquebatur agnoſcerent, aperuit eis ſenſum vt Scripturam intelligerent. Nam qui præſumptuoſe ingenij aut ſtudij viribus, ſcripturarum integritatem, quaſi oſtium infringere tentat, quaſi à ſacrario ſapientiæ excluſus, ab intelligentia veri, alienus exiſtit. Nam & ſodomitæ, dum Angelos correptores malitiæ & viri iuſti hoſpites corrumpere voluerunt, cæcitate percuſſi ſunt aberrantes contra parietem tanquam cœci & tenebris inuoluti. Sic dum elati ad parietem Scripturarum oberrant, iuſto Dei iudicio cœci fiunt, & ſenſnm rectum qui in domo eſt ſimplicis cum quo eſt ſermocinatio Dei, & qui correptor eſt malitiæ, videlicet Angelum non attingunt. Scriptura ſiquidem ſacra, eſt velut Angelus, qui Deo mittente ad increpandam hominum malitiam, in mundi Sodomam & Gomorrham deſcendit, & dicit. *Audite verbum Domini principes Sodomorum: auribus percipite legem Dei populus Gomorrhæ.* *Iſaiæ 1.*

9. Secundum quod impedit debitam diſpoſitionem oculi, eſt puluis auaritiæ, & ideò Philoſophi quidam execrabantur diuitias: nec putabant cum earum ſollicitudine poſſe aliquam ſcientiam obtineri. Vnde, ſicut dicit Tullius, Nobiles Philoſophi, deſiderio ſcientiæ acquirendæ patriam relinquentes, in exilium iuerunt, numquam poſtea reuerſuri. Etiam Anaxagoras vt refert Valerius, cum poſt longa tempora ſtudiorum, in patriam rediiſſet, ac poſſeſſiones ſuas quas reliquerat, deſertas reperiſſet; Non eſſem (inquit) ſaluus, niſi iſtæ periſſent. Dicit etiam Socrates. Nemo locuples fiat vt doceat, niſi ſe ad diſcendum pauperem & egenum credat. Sicut enim puluis oculum obtegit, & viſum impedit; ſic rerum afluentia lumen rationis extinguit. Vnde pulchre ait Polycraticus.

Lib. de Offic. Multos collegit Hieron. epiſt. 103. initio.

Joannes Sariſber.

Nulla libris erit apta manus ferrugine tincta,
Nec nummata queunt corda vacare libris.
Non eſt eiuſdem libros, nummoſque probare;
Nummipetes cum libricolis nequeunt ſimul eſſe.
Ambos crede mihi, non capit vna domus.

Crates etiam, cùm Athenas diſcendi cauſa pergeret; magnum pondus auri procecit in mare, & ait; ite peſſimæ diuitiæ, ſollicitudinibus plenæ: ſubmergam vos, ne ſubmergar à vobis. Refert Vitruuius, quod Ariſtippus Philoſophus Socraticus; cum per naufragium ad littus Rhodienſium fuiſſet eiectus, cum Geometricas figuras vidiſſet in Sabulo, ad comites exclamauit præ gaudio, Benè ſperemus, hominum enim veſtigia video: ſtatimque in oppidum Rhodienſe conſcendit, & ad gymnaſium deuenit. Ibique diſputans cum Philoſophiæ profeſſoribus, donatus eſt multis muneribus, vt non tantùm ſe ornaret, ſed etiam eos qui ſecum fuerant, & veſtitum & cætera quæ opus erant, ad victum præſtaret. Cum autem eius comites in patriam voluiſſent reuerti, &

L. 6. in proœm.

ei dicerent, quæ domum vellet renunciari; Dicite (inquit) cum ad patriam veneritis huiusmodi possessiones & viatica, oportere parare liberis, quæ facto naufragio possint euadere, & possessoribus suis, cum ipsis euadentibus, talia vitæ præsidia præstare, quibus obesse nequeat quantalibet rerum mutatio, nec belli vastitas, nec fortuna aliqua, quantumuis aduersa. Ecce Philosophicum simul & salutiferum documentum, hortans ad sapientiam potiùs quàm ad pecuniam acquirendam, iuxta illud, *Præposui sapientiam regnis & sedibus & diuitias nihil esse duxi in comparatione illius. Arena exigua est, & tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius.* *Sap. 8.* De hoc etiam Theophrastus ait. Inter homines solus ille qui fuerit doctus, in alienis locis non reputabitur peregrinus. Amissis enim familiaribus non erit amicis necessariis destitutus, sed in omni ciuitate reputabitur tanquam ciuis & notus difficilesque fortunæ, sine timore potest despicere casus. Ille verò qui non scientiis sed diuitiis est vallatus, lubricis incedit, itineribus, pręsidiis innitens infirmis & instabilibus. Omnia enim munera fortunæ, cum dantur ab ea, facilè adimuntur: Disciplinæ verò cum animis coniunctæ, permanent stabiliter, vsque ad exitum vitæ. Hinc apparet quorumdam modernorum stultitia, qui omnem scientiam, laborem inutilem arbitrantur, nisi eam diuitiæ sequantur: cùm tamen secundùm Sapientis sententiam constet, eam super salutem & speciem diligendam. *Sapien. 7.*

Tertium quod impedit debitam oculi dispositionem, est humor carnalis concupiscentiæ. Vnde dicit Philosophus quòd aues habentes in oculis humorem purum & temperatum, sunt acuti visus, & alti volatus: *Lib. 1. de animal.* sicut patet de aquila, quæ propter puritatem oculorum volat cęteris auibus altiùs, & Solem cernit irreuerberatis obtutibus. Modo consimili, habentes puritatem mentis & corporis, pennis virtutum volant sublimiùs, & cælestia contemplantur limpidiùs. Hinc est quod Ioannes Euangelista propter Vitgineæ puritatis pręrogatiuam, præ cæteris, tanquam cælestis aquila, tunc altiùs volauit; quando fluenta Sapientiæ de ipso Dominici pectoris fonte potauit. *1. Cor. 1.* Paulus etiam qui de puritate sua loquens, ait, *Gratias ago Deo meo, cui seruio in conscientia pura*, *Philipp. 3.* quasi iam ad cælestia volasset, dicit, *Conuersatio nostra in cœlis est.* *2 Cor. 12.* Fuit ergo alti volatus, fuit etiam acutissimi visus, quando ad tertium cęlum, id est, tertium genus visionis, vt intellectualiter contemplaretur cælestia, fuit raptus. *Cap. 7.* Et dicit Cassiodorus quòd Paulus venit ad tantam Sapientiam propter carnis munditiam. Sapientia enim cùm speciosior sic Sole, vt dicitur in lib. Sapientiæ mundum requirit hospitium.

10. Narrat Gregor. Nazianz. quòd cùm ipse iuuenis studeret Athenis, apparuerunt ei in visione duæ speciosissimæ puellæ, & accedentes propiùs ruerunt in eius amplexus. Ipse verò, vt castus, erubuit; & admiratus non modicum, (ait;) quænam estis, & vnde? Nos (inquiunt) *Refert Ruffinus in præf. ad tractatum eius de fide & Aldel. de Virginit. cap. 13.*

sumus puellæ admodùm tibi familiares, & dilectæ. En ego sum Castitas, dicit vna, & ego Sapientia, subiungit alia; & venimus ad te, ô castissime iuuenis, habitare tecum: quia tu nobis in corde & corpore tuo sanctum habitaculum preparasti. Sapientia enim in animas sanctas se transfert, & immundum detestatur habitaculum. *Sap. 7.*

Cap. 19. In cuius rei figuram legitur in Exodo quòd Moyses filiis Israël recepturis legem præcepit vt vestimenta lauarent, & à mulieribus abstinerent. Cùm enim *lex Domini sit immaculata*, vt dicit Psalmista, *& eloquia Domini eloquia casta*; diuina Sapientia immaculatum & castum requirit habitaculum, & discipulum. Ideò dicit Hugo; Illaudabilis est scientia quam vita maculat impudica. Et 1. Reg. 21. Abimelech Sacerdos antequam panes propositionis daret Dauid; & pueris eius, diligenter quęsiuit, *Sunt ne vasa puerorum munda maximè à mulieribus.* In quo mysticè datur intelligi, vt qui desiderant à summo Sacerdote Christo, pane sapientiæ & intellectus cibari, studeant castitati. Vnde dicit etiam Augustinus quòd Socrates, primus inter Philosophos, Philosophiam conuertit ad mores, cùm omnes ante illum magis naturalibus intenderent. Hoc autem fecit Socrates, dicit August. vt deprimentibus libidinibus exoneratus animus, ad notitiam diuinorum ascendere posset; vbi tanquam in suo fonte, omnium rerum causas aspiceret. Sicut enim candela madefacta vix potest accendi; sic in corde pleno carnali concupiscentia, lumen doctrinæ vix potest suscipi; Et, si fortè recipitur, citò à vento vanitatis extinguitur. Et sicut oculus carnalis clarè videre non potest, si fuerit lippus, vel sordibus plenus. Si ad hoc quod oculus sincerè diuinam Sapientiam contempletur, oportet vt ab humore prauo carnalis concupiscentiæ depuretur. Vnde dicitur de puero Prophetæ, *Aperuit Dominus oculos eius, & vidit montem plenum curribus, & equitibus in circuitu Heliæ.* Perfecta namque Sapientiæ contemplatio non compatitur fœditatem incontinentiæ. Vnde dicit Hieron. ad Rusticum Monachum. Ama scientiam Scripturarum, & carnis vitia non amabis.

Psalm. 18. — *Lib. 3. erudidi dasc. c. 13.* — *Lib. 8. de ciuit. c. 3.* — *4. Reg. 6.* — *Epist. 4.*

11. Non solùm autem debitam dispositionem interioris oculi tollit vel impedit humor carnalis concupiscentiæ ad luxuriam, sed etiam quantum ad gulam. Nam vt ait Seneca copiâ ciborum, animi subtilitas impeditur. Vnde Psalmista, *Turbati sunt, & moti sunt, sicut ebrius, & omnis sapientia eorum deuorata est.* Et Hieron. contra Iouinian. Sapientiæ operam dare non possumus, si mensæ abundantiam cogitemus. Nam, vt dicit idem Hieronymus non est eiusdem hominis manè gustare, & Prophetas vel Apostolos intelligere. Et Isidorus. Qui nimium cibis vtuntur, quanto magis ventrem pascunt, tantò amplius sensum mentis obtundunt. Nam Gręci dixerunt, ex crasso ventre subtilem sensum gigni non posse. Et ideò dicit Ecclesiastes, *Cogitaui à vino abstrahere carnem meam, vt animum meum transferrem ad Sapientiam.* Ideò dicitur in Daniele quòd pueris, qui à vino abstinuerunt,

Ps. 106. — *Epist. 56.* — *Lib. 2. de summo bon. c. 42.* — *Cap. 1.*

runt, & cibis regiis vesci noluerunt, *dedit Deus scientiam & disciplinam.* In omni libro & sapientia; Danieli autem omnium visionum & somniorum intelligentiam. Et Danielis 10. dicitur; *In diebus illis, ego Daniel lugebam trium Hebdomadarum diebus, & panem desiderabilem non comedi, & caro & vinum non intrauerunt in os meum.* Et sequitur postea, quod missus ad eum Angelus, reuelauit arcana.

12. Cùm ergo sobrietas mensæ, & studium Sapientiæ sint connexa, & tanto fœdere sociata, indecens est viris Scholasticis, si vacent epulis, & studeant calicibus epotandis. Vnde quidam scholaris socio suo, qui relicto studio, comessationibus intendebat, ita scripsit. Tu qui disciplinarum militiæ & libris omnia postposueras, nunc codices ad calices transtulisti, & *scribere* in *bibere* conuertisti. Et nunc prædicaris egregius potator, qui priùs fueras nominatissimus disputator; Plus studens in calicibus, quàm in codicibus; plus vacans comessationibus, quàm lectionibus; *Plus in salmone, studes quàm in Salomone.* Non est hæc mutatio dexteræ Excelsi: Patet igitur, quantum spectat ad informationem scholarium, quod debita dispositio organi requiritur ad visum & qualiter hæc dispositio impeditur per tria.

II. De libris scholarium, non tam sacculo, quàm memoriæ commendandis.

13. Secundo ad visum requiritur præsentia obiecti: non enim sufficit scholari, vt à magistro audiat; sed etiam oportet vt etiam libros diligenter inspiciat. Nam duo sensus deseruiunt acquirendæ scientiæ, scilicet visus & auditus. Ideò dicitur, *Aurem audientem, & oculum videntem, Dominus fecit vtrumque.* Propterea dicit Augustinus, Sine Scriptorum notario, aures decerpunt labores studentium, sicut venti puluerem tollunt. Ideò dicit Hieronymus, Vtinam omnium tractatorum haberem volumina, & tarditatem ingenij, eruditionis diligentia compensarem. Sunt etiam quidam, qui libros multos & benè aptos habere volunt; sed in eis studere nolunt; & tales per Herodem signari possunt, qui interpretatur *glorians in pellibus.* Gloriantur enim in pellibus caprinis, vel vitellinis. Sed sciendum est illis illud, quod dicitur apud Iobum. *Pellem pro pelle*, vt scilicet pro pelle caprina, quam detinent in iniustitia, detur pellis in inferno cremanda.

Prou. 10
Epistol. 41.
L. contra Academ.
Cap. 2.

Scholaris debet esse assiduus in legendo & studendo. Hieron. Diuinæ Scripturæ semper sint in manibus, & iugiter mente voluantur: nec sufficere potest mandata memoria tenere, & operibus obliuisci. Idem Diuinas Scripturas sæpius lege; imò sacra lectio de manu tua nunquam deponatur. Væ autem habentibus libros, nec legentibus. Nam tales, vt dicitur ab Apostolo, *Veritatem Dei in iniustitia detinent*, quia libros suos, de quibus nihil faciunt, deberent tradere pauperibus scholaribus, qui libenter addiscunt. Isti fructus scientiæ non attingunt, quia

Epist. 1. Nepot.
Rom. 1.

in libris, quos propter eorum pulchritudinem detinent clausos, rarò vel numquam student; ideò non est mirum si in eis parum intelligant, qui libros etsi habeant, sibi velant. Ad visum, sicut dixi, requiritur præsentia obiecti; & ideò de talibus dici potest, quod legitur in Isaia, *Et erit vobi visio omnis, sicut verba libris signati, quem cum dederint scienti litteras*, (id est, qui reputatur scire, cum tamen nihil sciat,) *dicens; lege istum, & respondebit*, (id est, respondere poterit,) *non possum; signatus est enim.*

Cap. 29.

14. De talibus scholaribus, ait quidam: in nugis sunt subtiles, in necessariis tardi & habetes; &, ne nihil fecisse reputentur, cum repatriauerunt, de pellibus vitellinis cum magnis expensis lata componunt volumina, eáque pellibus rubris & pulchris vestiunt; & cum sapienti sacculo, (licet cum insipienti animo) ad parentes redeunt. Quæ est ista scientia, quam fur subripere, & aqua delere, & ignis comburere & mus rodere & tinea demoliri potest? Cùm quidam semel de numero talium clericorum fatuorum rediret ad patriam cum numerositate librorum, casu contigit quod eius somarius libros portans in aqua cecidit; & sic totum amisit. Quod attendens scholaris quidam post eum peditans, pauper libris, diues autem scientia qui, quod in scholis audierat, non libris, sed memoriæ commendauerat, hos versus composuit; & ei, qui libros simul, & scientiam amiserat, recitauit.

Cordi, non chartæ tradas, quæ noueris arte,
Vt si charta cadat, tecum sapientia vadat.

L. 1. prosa 5. Et ideò dicit Boëtius in Consolatione. Nec bibliothecæ potiùs comptos ebore ac vitri parietes, quàm tuæ mentis sedem requiro, in qua non libros, sed id quod libris pretium facit, librorum quondam meorum sententias collora tui & Seneca dicit; non refert quàm multos libros habeas, sed quam bonos, & in mente tua reconditos.

Epist. 45

III. Quod elongatio à Deo per peccatum, à studentibus tollit notitiam diuinorum.

15. Tertiò, requiritur ad visum proportio distantiæ: nam si visibile super oculum ponitur, vel nimis distat ab oculo, non videtur. Modo consimili si scholaris ab aliqua scientia nimis distat per odium, vel si accedat nimis per amorem inordinatum, non videt eam, nec rectum iudicium de ea habet. Et, sicut dicit Seneca. Perit omne iudicium, cùm res venit ad affectum. Hinc contingit aliquando quòd multis opera propria non multum valentia, videntur aliorum operibus, quamuis præstantioribus meliora.

Lib. de tranq. anim. c. 1.

Nam, quod fecit, homo quisque tuetur opus.

16. Vt enim vt dicit Petrus Alphonsus naturaliter quisque gloriatur in suo carmine qualecunque sit, sicut & simia in sua prole. Videtur enim simiæ, quod sua proles cæteris antecellat in pulchritudine; cùm

tamen extremum locum teneat in deformitate. Vnde ſimia de ſuo filio fingitur dixiſſe,

Iudicio ſuper eſt omnibus iſte meo.

Sic etiam dicit Poëta, *Anthor opus laudat.*

Et iterum.

Eſt cupidus doctor, ſtudiorum quiſque ſuorum.

Sicut interdum homo de ſuis operibus malè iudicat, eo quod ſunt ei nimis proxima per amorem; ſic de aliorum operibus, ſi diſtent ab eius affectu per odium vel rancorem. Nam vt dicit Gregorius, non facilè capit intellectus, quod abhorret affectus.

17. Poteſt etiam poni ſecundum alium modum proportio diſtantiæ, quæ requiritur ad viſum; vt dicatur quod ſicut diſtantiâ temperata ad viſionem requiritur, ita vt nec ex ſuperflua diſtantia, nec ex approximatione nimia, viſibile videatur; ſic & in ſpirituali viſione requiritur. Nam elongatio à Deo per infidelitatem & multitudinem peccatorum, tollit notitiam diuinorum. Vnde Iſaias, *Iniquitates veſtræ diuiſerunt* Cap. 59. *inter vos, & Deum veſtrum; & peccata veſtra abſconderunt faciem eius à vobis.* Et Auguſtinus dicit. Errat qui ſe veritatem cognoſcere putat, ſi adhuc nequiter viuat. Hoc etiam impedit præſumptio diuinæ familiaritatis nimia, & perſcrutatio maieſtatis, ſecundùm illud *Scruta* Prou. 25 *tor maieſtatis opprimetur à gloria.* Et in Canticis dicit Sponſus ad Cap. 6. Sponſam. *Auerte oculos tuos à me; quia ipſi me auolare fecerunt.*

IV. Quarta informatio, quod ſcientiis ſolidis ſtudendum ſit, non vanis.

18. Quartò, Ad viſionem requiritur ſoliditas rei viſæ; vnde quia aër non eſt corpus ſolidum, non eſt viſionis obiectum. In quo informantur Scholaſtici citra intellectuales viſiones intenti vt ſtudeant in ſcientiis ſolidis, non in vanis. Dicitur autem in libro Sapientiæ. *Vani* Cap. 2. *ſunt omnes homines, in quibus non eſt ſcientia Dei.* Scientia autem Dei eſt ſacra doctrina, per quam homo cognoſcit Deum, & ſeipſum. Et Beatus Bernardus orans, ſanctus quidam, Deus (inquit) nouerim me, nouerim te. Breuis oratio, ſed fidelis; hęc enim eſt vera Philoſophia, & vtraque cognitio prorſus neceſſaria ad ſalutem. Ex priori quidem concipitur fides, & humilitas: ex poſteriori ſpes, & charitas generatur. Et Auguſtinus dicit. Scientiam cœleſtium tenes triumque L. de Trinit. rerum, magni æſtimare ſolet genus humanum, in quo profectò meliores ſunt qui huic ſcientiæ præponunt noſſe ſemetipſos. Laudabilior quippè eſt animus cui nota eſt infirmitas ſua, quàm qui ea non reſpecta vias ſyderum ſcrutatur etiam cogniturus; aut qui iam cognitas tenet, ignorans ipſe viam qua ingrediatur ad ſalutem. Et Seneca Lib. de liberal. ſtudiis, ſub initium. dicit Fatuum eſt ſtudere diuiſionibus terrarum, & ſeipſum neſcire metiri: ſtultúmque eſt vacare concordiæ muſicorum, & non habere con-

cordiam cum proximo vel cum seipso. Et Bernardus super Cantica;
Serm. 36. Vtilitas scientiæ in modo sciendi consistit; vt scias quo ordine, quo studio, quo fine, quantum scire oporteat. Quo ordine, vt id priùs, quod magis necessarium est ad salutem: quo studio, vt illud ardentiùs, quod vehementius ad amorem: quo fine, vt non ad inanem gloriam, aut curiositatem, aut aliquid simile, sed tantùm ad ędificationem tui, vel proximi.

19. Sacra Scriptura est tanquam spiritualis apotheca; in qua inuenitur efficax contra omne vulnus vnguentum, salubre contra morbos antidotum, salutiferum contra dolores remedium. Et sicut dicit Chrysostom. In sacra Scriptura inuenit ignorans, quod discat, contumax quod timeat; laborans præmia, pusillanimis solatia. Ecce quanta est in sacra Scriptura soliditas; & quam elongata est ab ea vanitas. Ideò
Prou. 22 Sapiens inuitans nos ad studium Sapientiæ diuinæ, dicit. *Ecce descripsi eam tibi tripliciter: in cogitationibus & scientia; vt ostenderem tibi firmitatem, & eloquia veritatis.* Et ideò ad hanc tanquam ad objectum firmum & solidum debemus dirigere oculum rationis. Vnde
2. Petri 8. dicitur ab Apostolo. *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benè facitis attendentes.* Ergo iuxta consilium Hieronymi ad Paulinum
Epist. 103. discamus in terris, quorum scientia nobis perseueret in cælis.

20. Sed sunt multi qui sacram doctrinam adeò solidam, reputant,
Cap. 11. vt inanem & vanam, dicentes illud Numeri, *Nil aliud respiciunt oculi*
Cap. 21. *nostri, nisi Man.* Quod interpretatur, *Quid est hoc.* Et rursum. *Anima nostra iam nauseat super cibo isto leuissimo.* Sed istorum visus decipitur. Nam in sacra Scriptura, veritas solidissima continetur. Dicitur enim II. Petri I. *Non enim voluntate humana, allata est aliquando Prophetia, sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.* Dicitur etiam à Salomone. *Labium veritatis firmum erit in perpetuum.*
Prou. 12. In secularibus verò scientiis est vanitas multiplicis erroris. Ideò dicit
Cap. 10. Ieremias, *Hæc dicit Dominus: iuxta vias gentium nolite discere; quia*
Cap. 3. *leges populorum vanæ sunt.* Et Apost. ad Titum. *Stultas autem & inanes quæstiones deuita, sunt enim inutiles & vanæ.* Narratur Geneseos 11. quod turris Babel dum præsumptuosè erigeretur in cælum, præsumptuosis sublatum est vnitatis linguæ commercium, & facta diuisione linguarum, subsecuta est sectio populorum. Sic & Philosophi, dum sui ingenij machinas erexerunt in altum, cælestia & diuina curiosè rimantes, & de suis viribus præsumentes, subtracta est eis veræ & incommutabilis vnitas veritatis; & ignorantiæ nebula obuoluti, & in reprobum sensum dati, in sectas errorum varias sunt dispersi, &
Rom. 1. *dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt.* Et ideò in dictis eorum parum est soliditatis, & multùm vanitatis Ecclesiasticis 6. *Verba sunt*
Ierem. 2. *plurima multámque in disputando vanitatem habentia,* Et Ieremia, *Ambulauerunt post vanitatem, & vani facti sunt.* Et tandem cùm hoc per-
Psal. 87. cipiunt, dicunt, vel dicere possunt illud Psalmi. *Oculi mei languerunt*

præ inopia. Quia in talibus ſcientiis non reperitur refectio ſpiritualis. Vnde Hieronymus ad Damaſum, loquens de ſiliquis, quibus non poterat filius prodigus ſaturari, dicit: in his nulla ſaturitas veritatis, nulla refectio reperitur iuſtitiæ, ſtudioſi earum in fame veri, & virtutum penuria perſeuerant. Et ideò dicitur in Pſalmis, *Beatus vir cuius eſt nomen Domini ſpes eius, & non reſpexit in vanitates & inſanias falſas.* Iſtæ enim ſunt ſcientiæ quæ faciunt inſanire. Vnde dictum eſt Paulo, *Inſanis Paule, multæ literæ faciunt te inſanire.* Epiſt. 146.

21. Et ideò ſcientiis ſæcularibus, non debet homo eſſe nimis intentus. Hieronymus ad Euſtochium, refert de ſeipſo, quòd, ideò quia circa libros Ciceronis erat nimiùm ſtudioſus, ante tribunal æterni Iudicis eſt deductus, & ibi atrociſſimè verberatus. Narratur etiam in vita Beati Vgonis Cluniacenſis, quod cùm ſemel dormiret, vidit per ſomnum ſub capite ſuo cubare multitudinem ſerpentum & ferarum; & euigilans & inquirens, inuenit librum Naſonis ſub ceruicali repoſitum, obſcœnitatibus plenum, & ritibus gentilium, quem poſtquàm abiecit, in pace quieuit. Epiſt. 21.

22. Et ideò debet ſcholaris orare, *Auerte oculos meos, ne videant vanitatem*, ſcilicet ſcientiarum ſæcularium. *In via tua viuifica me.* Hæc via eſt ſacra Scriptura, ſiue lex diuina, de qua Pſalmiſta. *Viam mandatorum tuorum cucurri.* Hæc eſt via, quæ ducit ad cælum. Iuxta illud. *Concupiſcentia ſapientiæ deducit ad requiem perpetuam.* Huic ergo debet vnus quiſque ſcholaris adhærere; &, quidquid de ſæcularibus ſcientiis nouit, in huius ſeruitium dedicare. Vnde Hieronymus exponens quod habetur Deut. 21. ita dicit. Sæcularis ſapientiæ typus in Deuteronomio ſub mulieris captiuæ figura deſcribitur; de qua diuina lex precipit, vt ſi Iſraëlites habere voluerit eam vxorem, caluiciem ei faciat, vngues reſecet, & pilos auferat; & cùm munda fuerit, tunc tranſeat in eius amplexus. Hoc ſic intelligimus, quod, quando in manus noſtras libri venerint ſapientiæ ſecularis: ſi quid in eis vtile reperimus, ad noſtrum dogma conuertamus. Si quid verò ſuperfluum de idolis, de amore, de curis ſecularium rerum viderimus, iis caluicium inducamus; hæc in vnguium morem, ferro acutiſſimo reſecamus, & ideo nec abſurdum eſt, nec inconueniens, ſi inter verba Prophetæ Philoſophia vel ciuilis ſcientiæ doctrina, maximè cum ratio hoc poſtulauerit, admittantur. Nec debet aliquis calumnioſè quærere de qua facultate ſumantur, dummodò ædificent ad ſalutem. Sicut de herbis non quæritur, quæ terra eas procreauit, aut quis hortulanus excoluit, dummodo virtutem habeant ſalutarem. Et ideò interdum cauſa eruditionis communis aliqua de Gentilium libris recipi poſſunt in diuinis eloquiis: Nam & Paulus Apoſtolus cum quoſdam vellet redargui, vſus eſt verſibus Epimenidis Poëtæ.

Pſ. 118. Sap. 10. Epiſt. 146. Ad Titum 1.

V. Informatio quinta, de diligenti attentione & retentione doctrinæ, & indefesso circa studium discendi amore.

23. Quintò, Ad visionem requiritur attentio visiuæ potentiæ. Cùm enim species multorum visibilium afficiant aërem medium, & circunstent oculum, tamen aliquando de omnibus illis visibilibus coram oculo positis, visus vnicum apprehendit; illud scilicet ad quod anima attendit. Sicut cum canis venaticus odori vnius cerui per attentionem potentiæ vehementer fuerit alligatus; sic illum ceruum insequitur, vt alios ceruos occurrentes, vel casualiter emergentes, non videre aut sentire videatur. De hac attentione dicit Isaias. *Vtinam attendisses mandata.* Et ad eam hortatur Dominus. *Ponite hæc verba mea in cordibus & in animis vestris*, &c. *& inter oculos vestros collocate.* Sed multi scholares similes sunt marmosetis qui semper magistro legenti assistunt, nec scholis exeunt; tamen, quia cor & attentionem ad doctrinam magistri nequaquam apponunt, ideò, licet in scholis diu fuerint, nihil tamen sciunt. Tunc enim scholaris in studio proficit, cùm iis, quæ legit, vel audit, diligenter intendit: & cum ea, quæ legerit vel audierit, intus in cordis scrinio examinat & reuoluit. Aliter *legere, & non intelligere*, (id est, intus non legere,) *negligere est.* Et ideò dicit Bernardus ad fratres de monte Dei: De quotidiana lectione, aliquid in ventre memoriæ reponendum est, quod fideliùs digeratur, rursúmque reuocatum, crebriùs ruminetur. Item dicit Seneca, cùm multa percurreris in die, vnum elige, quod illa die concoquas. Et idem Qui scripta sua torquent, & de singulis verbis in consilium veniunt, necesse est vt quoties ad intellectum reuocant, memoriæ affigant, Quorum enim velox est stylus, eorum labilis est memoria.

Cap.40. *Deuter. 11.* *Dionys. Cato in præfat.* *Epist. 2.* *Lib.3.de benef. c. 2.*

24. Sed multi sunt scholares desides, qui studio nolunt mentem apponere, vt multiplicem laborem studij valeant euitare. Nam, vt ait Seneca, desidiose, studere, torpere est. Dum amat piger Clericus sine labore viuere, quęrit solatium suæ imperitiæ. Dicit enim, cùm audit quod ardenter alij student, ad quid labori studij me subiicerem? Ad quid sapientiæ studerem? Non enim peribunt, qui sapientes non sunt. Prętereà satis sapientum est in mundo, non est opus quod ego me fatigem, & cruciem in discendo. Prętere a dicit; Satis sunt Sapientes in mundo. Non est opus vt me fatigem, & cruciem in discendo. Primam pueritiam exitui, & senectuti appropinquaui, nec iam possem ad magnæ scientiæ fructum peruenire, si modò inciperem laborare. Sic secum piger tractat, & in sua desidia, simul & ignorantia perseuerat: nec percipit, quod antiquus hostis ad interitum eius talia suggerit: quatenus in tota vita sua nulli vtilitati intendat, sed in torpore & ne-

gligentia simul & imperitia semper viuat, & tandem pereat. Dicit enim; moritur similiter doctus & indoctus. In fine moriar pœnitens; & ita benè saluabor, sicut sciens. De talibus ait quidam Poëta.

Sunt quidam, qui scire volunt, sed non operari,
Nec studium pœnámque pati: modus iste Catiuus.

25. Catus benè vult comedere piscem, sed non piscari. Habui ego socium, qui poterat tota nocte de otiosis & friuolis fabulando vigilare; qui tamen, prout est mihi confessus, sæpè studium sic habuit exosum, vt si contingeret quod aliter dormire non posset, aperto libro & perlectis in eo 4. vel 5. lineis, protinus obdormiret. Iste planè contrarius erat ei, de quo refert Cassianus. Cum, (inquit,) Ægypti prouinciam petiissemus; vidimus senem quemdam nomine Machetem hanc à Domino gratiam diutinis precibus impetrasse, vt diebus ac noctibus nunquam dormiret, cùm ageretur collatio spiritualis. Si quis verò detractionis verbum, seu otiosum tentaret inferre, in somnum protinus concidebat; Sic quod nec vsque ad aurem eius, polluti virus alloquij poterat peruenire. *Lib. 5 de institut. c. 29.*

26. Non sic leguntur fuisse desides olim ad studium Philosophi; immo potiùs tanquam indefessi Sapientiæ milites, circa Philosophicum gymnasium miro modo fuerunt intenti. Narrat Valerius Maximus, quod Marcellus captis syracusis, machinationibus Archimedis Philosophi, multùm ac diu victoriam suam senserat retardatam. Eximia tamen Philosophi prudentia delectatus, vt capiti illius parceretur, edixit, penè tantum gloriæ in Archimede seruato, quantum in syracusis castis reponens. Iste verò Philosophus, dum anima & oculis in terram defixis formas describit, militi qui prædandi gratia domum irreperat, strictóque super caput gladio, quisnam esset interrogabat, propter nimiam cupiditatem inuestigandi quod inquirebat nomen suum indicare non poterat: sed protracto manibus puluere, noli (inquit) obsecro, istum disturbare. Ex quo quasi negligens imperij victoris, capite truncatus, sanguine suo, artis suæ lineamenta confudit. Et sic accidit vt propter idem studium, modò donaretur vita, modò spoliaretur. Eadem ergo industria sibi dedit vitam & abstulit. Narrat etiam Hieronymus. Cùm Antisthenes Philosophus nullum discipulum reciperet, & Diogenem remouere non posset, nouissimè minatus ei est verbera, vt abiret; cui ille caput dicitur subiecisse, atque dixisse, nullus baculus tam durus esse poterit, qui me à tuo obsequio possit separare. Benè iste Magistri verba intenta cupiebat aure percipere, quem ab eo non valuit claua seiungere. Refert etiam Symmachus in Epistolis quod Anaxagoram Philosophum grauis de filij nuncius à disputationibus non retraxit. Refert etiam Valerius, quod Solon Philosophus, qui summo sapientiæ feruore semper flagrauerat, supremo vitæ die cęteris Philosophis amicis suis isti confestim morituro assidentibus, & de quadam quæstione inter se conferentibus, letho iam ferè mersum caput erexit

L. 7. *Lib. 2. in Iouinian.* *Lib. 8. c. 7.*

interrogatúsque cur hoc faceret; respondit, vt, cùm illud, de quo disputatis, percepero, iucundiùs migrem è vita. Erubescant ergo scholares desides, cùm audiunt Philosophum, etiam morientem, ab attentione studij non cessasse. Legitur etiam in Chronicis, quòd Virgilius Poëta eximius interrogatus quomodò versus suos componeret; respondit, ego compono versus meos more vrsino: Nam sicut vrsa, quæ fœtum, pariendo ineffigiatum & informem ediderat, eum postmodum lambendo effigiat & format; sic versus mei, quos pario, quasi partus, cùm primo prodeunt in esse, rudi & imperfecta sunt facie; sed postmodùm tractando eos & versando, & summam circa eos diligentiam adhibendo, eos benè formatos reddo. Et ideò; sicut ait quidam Philosophus, artium mater est instantia, Nouerca eruditionis negligentia. Quidam describens vitam scholaris studiosi, dicit quod potus eius est ex fonte fletus, cibus ex prece, & somnus in codice. Sed hodie, scholarium plures inueniuntur desides, & pauci feruentes. Quæsiuit semel à me quidam laicus mihi familiaris & notus, in qua facultate essent plures scholares studentes Parisiis: & respondi quod in artibus, vel in Logica. Et ipse; imo in Musica, quia plures mussant quàm student. Describens diligentiam & attentionem scholaris in studio Architrenius, eleganti metro loquitur.

Languidus, insomnis, & ocello & pectore noctes
Extrahit alterutro vigiles, oculósque lucernæ
Peruigil, ac lippit, & lippum torquet ocellum.
Imprimit ergo libris, oculi mentisque lucernam
Et libro cubito dextróque innixus, & auri
Quid noua quid veterum peperit cautela reuoluit.
Nunc oculo, nunc mente bibens, nunc haurit vtroque
Illo plus, illáque minus, nunc lecta camino
Decoquit ingenij, memorique in pectore, nodo
Preßius astringit; nunc quid rodosius obstat
Ingeniumque tenet, nec tollit in altius alas
Instanti rodit studio, conamine toto
Pectoris, externis primisque ignescit ocellis
Immergitque caput gremio, longumque volutat.
Præcipites reserasse vias, cursumque negantes
Oppositas fregisse fores, oculúmque reducit
Sæpius ad librum, digitique & mentis acumen.

Post hoc de sopore scholaris fatigati, versus subiungit huiusmodi.

Nulla quies somno, nec enim cessura quieti
Cura soporatur, & nulla pacè soporis
Pacis eget studij labor insopitus & ipso
Cura vigil somno libros operámque ministrat.
Excutitur somnus animæ, nec prima soporis
Anxietas cedit, sed quæ vigilauerat ante.

Sollicitudo redit, quod non sperauerat ante,
Sequior intuitus vigilantis, multa magistro
Nox aperit somno, cum strati corporis extra
Sarcina dormitet, vigilant in pectore sensus.

Tandem attentionem scholaris in pręsentia Doctoris describit Architrenius versibus istis.

Suscitat ingenij flammas, conamina mentis
Contrahit, exacuit animum corpusque coacti
Pectoris, incumbit oculis, riguaque Magistrum
Aure & mente bibit, & verba cadentia piluo
Promptus vtroque leuat, oculis: & mentis in illo
Fixa vigilque manet facies, aurisque maritat
Pronuba dilectam cupida cum mente Mineruam.

Nota septem sunt claues Philosophandi quas ponit Polycraticus istis versibus.

Mens humilis, studium quærendi, vita quieta
Scrutinium tacitum, paupertas, vita remota.

Et septima clauis, est amor docentium, vnde & quintilianus ait; *Hac reserare solent, multis obscura legenda.*

VI. Sexta informatio, quod studio lectionis sit insistendum, nec ante mortem desistendum.

27. Sextò, Ad visionem requiritur mora temporis. Nam, vt probat Ptolomeus quinto libro de aspectibus, licèt visibile subitò visui ostendatur, non tamen distinctè cognoscitur, nisi prius aliqua deliberatio habeatur; quæ mora indiget, & tempore mensuratur. In quo scholaris instruitur quòd lectioni debet insistere, non eam subitò pertransire, vt possit ad notitiam veritatis peruenire. Vnde dicit Bernardus ad fratres de monte Dei tantum abest studium à lectione, quantum amicitia ab hospitio, essentialis affectio à fortuita salutatione. Et Gregorius. Veritatis intelligentia cum quæritur, assiduitate penetratur. Legitur in Genesi quod Patriarcha Iacob in itinere constitutus cum Angelo vsque ad ascensum auroræ luctam exercuit; in qua lucta neruus femoris eius emarcuit, & ab hac lucta non ante cessauit, quo vsque benedictionem Angelicam reportauit. Exemplo cuius & nos in via peregrinationis, Scripturam tanquam Angelum nuncium voluntatis diuinæ, debemus apprehendere, & cum ea luctari vsque ad ortum auroræ, id est, donec notitia veritatis luceat, & oriatur in mente. Secundum illud. *Colluctata est anima mea cum illa.* Ex quo luctamine marcescit neruus femoris; quia ex studio sapientiæ, debilitatur in homine concupiscentia carnis, Hieronymus. Ama scientiam Scripturæ, & carnis vitia non amabis. Ex hoc etiam, quòd scholaris, intellectu & affectu, quasi duobus brachiis, cum sapientia luctatur, pro benedictione clarificatio-

L. 5. Moral.
Gen. 31.
Eccl. 51.

Cap. 4. nem obtinet. Vnde in Prouerbiis dicitur, *Poßide ſapientiam; arripe eam, & exaltabit te gloria, cùm eam fueris amplexatus.* Vt enim dicit Gregorius in Moral. Idcirco nonnumquam ſtudioſus tarditate intelligentiæ punitur, vt eo maiora præmia retributionis inueniat, quo magis in ſtudio inuentionis elaborat. De hac etiam ſpirituali lucta dicit Poëta.

Mens quandoque ſtudens, tanquam pugil, anxia pugnat,
Perſtet adhuc inſtans, poterit mora quod nequit hora.

In hoc ergo quod ad viſionem corporalem temporis mora requiritur, ad lectionis inſtantiam informamur. In hoc etiam inſtruimur, vt omni tempore ſtudium ſapientiæ amplectamur. Ait enim Auguſtinus ad Voluſianum (Epiſt.): tanta eſt Chriſtianarum profunditas litterarum, vt ſemper in eis proficerem, ſi eas ab ineunte pueritia vſque ad ætatem decrepitam, ſummo ſtudio & meliore ingenio conarer addiſcere. Et ideò Sapiens (Sapient. 8.) de ſapientia loquens, ſignanter ait. *Hanc amaui, & exquiſiui à iuuentute mea; quæſiui eam ſponſam mihi aſſumere.* Debet Sapientiam homo tanquam ſponſam, non vt concubinam aſſumere: vt videlicet ei indiſſolubili fœdere copuletur, non vt ei ad tempus adhæreat, & poſt hoc ab ipſa recedat. Sic leguntur quondam feciſſe Philoſophi, qui mihi videntur in multis memoria digni. Vnde ait Valerius (Lib. 8. c. 7.), Plato 81. anno decedens ſub capite libros Sophronis fertur habuiſſe. Sic nec extrema eius quidem hora, cogitatione ſtudij vacua remanſit, Sed idem illi viuendi & Philoſophandi finis fuit: in quo etiam oſtendit aliis tempus deeſſe, alios verò tempori. Et Quintilianus dicit (Lib. 10. inſtit. c. 7.). Amor ſcientiæ, & vſus lectionis, non ſcholarum temporibus, ſed vitæ ſpatio terminetur.

VII. Inſtructio ſeptima, quod ſtudentes indigent lumine gratiæ, & de triplici oculo.

29. Septimò & vltimò, Requiritur ad viſionem diffuſio luminis medium illuſtrantis: nihil enim videtur in tenebris. Vnde probatur in Perſpectiua ſcientia, quod nihil videtur niſi per lucem Orientem ſuper rem viſam, ab eadem vſque ad oculum multiplicatam. Sic ad hoc quod oculus noſter intellectualis veritatem aliquam apprehendat, neceſſe eſt vt ſuper eum Solis iuſtitiæ ſplendor fulgeat: *Deus* enim *eſt lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* (Ioan. 1.) Et ideò, ſicut ſine corporali lumine non fit viſio corporalis, ſic abſque iſto diuino lumine, non fit viſio intellectualis; Deus eſt enim, *qui docet hominem ſcientiam*, vt dicit Pſalmographus (Pſ. 93.). Et Auguſtinus (Serm. 23. de Sanctis & ſerm. 22. ex). In cælis cathedram habet, qui corda docet. Solus enim Deus docet hominem effectiuè, homo autem docet alium tantum excitatiuè. Quod in libro de Magiſtro, docet Auguſtinus triplici ſigno. Primò, quia ſine doctore poteſt homo ad ſcientiam peruenire. Ergo oportet illum

alium doctorem habere, & ille est Deus qui docet interiùs. Psalm. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Secundò, quia homo discendo, aliquando ea, quæ non intelligit, alium instruit: quod non posset esse, si doctor haberet scientiam causare quia nullus potest quod non habet dare. Tertiò, quia, postquam doctor fecit quidquid potest; non statim discipulus sciens efficitur, immò postea cogitando, quasi consulendo lumen rationis, intrinsecùs in eo scientia generatur. *40. no-uis. Cap. 12. & seqq.*

30. Ideò dicit Hieronymus ad Paulianum. Nisi aperta fuerint vniuersa, quæ scripta sunt ab eo, qui habet clauem Dauid, qui aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit, nullo alio reserante pandentur. Et Bernardus falleris, fili, falleris; si te putas inuenire apud mundi magistros scientiam, quam soli Christi discipuli Dei munere assequuntur: non enim hominem docet homo, sed vnctio. Vnde dicit Apostolus, *Vnctio eius docet vos de omnibus.* Frustra ergo sibi blanditur aliquis de memoriæ tenacitate, de studij assiduitate, de linguæ volubilitate; Cùm solius Dei, qui scientiarum Dominus est, sit docere. Ab eo est igitur scientia postulanda. Secundum illud Iacobi. *Si quis indiget scientia, postulet à Deo.* Et Augustinus; Oratione melius soluuntur dubia, quàm inquisitione alia. Et B. Bernardus ad FF. de monte Dei. [Hauriendus est de serie lectionis, affectus, & formanda oratio quæ lectionem interrumpat, non tamen impediat. Et Salomon, *Optaui; & datus est mihi sensus: innocaui, & venit in me spiritus sapientiæ.* Et ideò legitur quòd quando B. Bernardus legere volebat, aperto libro orationem præmittebat, dicens, *Declinate à me maligni, & scrutabor mandata Dei mei.* Studium enim sapientiæ salutaris maximè displicet spiritibus malignis: Et, sicut Hugo de Sancto Victore docet lib. 8. de Sacr. Triplex est in nobis oculus; scilicet oculus contemplationis, rationis, & carnis. Propter peccatum primi hominis, primus oculus extinctus est in nobis: oculus rationis factus est lippus: sed oculus carnis, remansit clarus. Cùm igitur homo considerat, & attendit cæcitatem & obscuritatem suæ intelligentiæ, & percipit quod nihil sciri potest sine diuini luminis illustratione, quid ei restat nisi orando dicere, *Domine Deus meus, illumina tenebras meas?* *Epist. 34. Epistol. 108. Cap. 1. Sap. 1. Ps. 17.*

CAP. XII.

De informatione Prælatorum ex septem proprietatibus oculorum.

1. OCulus in eminentiori loco corporis locatur; pro toto corpore speculatur; ea, quæ sunt ab eo distantia, non sibi adhærentia contemplatur; senescente corpore deficit, & debilitatur; cæteris mem- membris dolentibus, tanquam compatiens, lacrymatur; pilos habet in palpebris, quorum quantitas non augetur. Magna in eo reputatur macula, quæ in cęteris membris modica censeretur.

Prima instructio, quod Prælati sicut dignitate, sic præcellere debeant sanctitate.

2. Primò igitur oculus in corpore præ cæteris membris locum obtinet celsiorem; & hoc propter maiorem inter cętera membra dignitatem; In quo, natura docente, instruuntur oculi spirituales Ecclesiæ, scilicet Prælati, qui loco oculorum sunt Ecclesiæ dati, vt, sicut præcellunt alios status dignitate, sic & vitæ supereminеant sanctitate. Nam, vt dicit Gregorius; Moribus debet esse conspicuus, qui cæteris proponitur imitandus. Et Bernardus ad Eugenium. Audi Canticum minùs suaue, sed salubre. Monstruosa res est gradus summus, & animus infimus; sedes prima, & vita ima; lingua magniloqua, & manus otiosa; sermo multus, fructus nullus. Et ideò Constantinus Imperator Helenæ matri suæ, quæ sibi aliquid mandauerat iniquum, sic legitur scripsisse. Quanto excellentiorem tenemus locum inter homines, tanto magis omnium patemus aspectibus. Omnium itaque mortalium, oculi, omnium iudicia, omniumque vota, nostrum velle, & nostrum nolle considerant; & ideò non solùm debet esse irreprehensibile, sed etiam laudabile, quod volumus.

1. part. pastor. c. 2

Lib. 3. de consid. c. 7.

3. Lapis magnus de monte corruens multos subiectos lapides secum trahit; sic & Prelatus si peccauerit, exemplo suo multos in barathrum inferni demergit. Gregorius, cùm pastor per abrupta vitiorum graditur, necesse est vt ad præcipitium grex ducatur. Quia etiam in alto Prælati sunt positi, possunt, & debent non immeritò casum vereri. Vnde B. Bernardus in quadam Epistola quam scripsit Eugenio nouiter in Papam creato, sic dicit. Factus est de filio meo Bernardo pater meus Eugenius: Magna prorsus mutatio; qui post me venit, ante me factus est. Fateor; non inuideo: Considero namque gradum, & vereor casum: fastigium dignitatis considero, & iterum periculum re-

Epistol. 237.

formido; pro eo quod ſcriptum eſt, *homo, cum in honore eſſet, non intellexit.* Ac ſi vellet dicere, honor obſcurauit intellectum.

4. Debet etiam Prælatus attendere quia quanto gradus altior, tanto caſus grauior. Vnde legitur quòd *cecidit Ochoſias per feneſtras cœnaculi, quod fecerat in Samaria, & mortuus eſt.* Non tam lethaliter ex 4.Reg.1. caſu vulneratus fuiſſet, ſi tam altè non aſcendiſſet. Reſonare debet ſæpiùs in auribus Prælati, illud verbum Donati. Præpoſitioni quot accidunt? vnum. Quid? Caſus tantùm. Quot caſus? duo. Qui? accuſatiuus, & ablatiuus. Hoc enim debet Prelatus timere, accuſari de crimine, & auferri de regimine, & ſic ignominioſè cadere.

5. Oculus in alto poſitus, inferiora modica iudicat; &, ſi inferiùs reſpiciat, timendum eſt homini ne per hoc euaneſcat, & cadat. Sic & Prælato timendum valdè, ne dum ab alto ſubiectos tanquam puſillos conſiderat, per ſuperbiam euaneſcat, & ſic ſpiritualiter cadat. Ideò dicitur in Eccleſiaſtico. *Rectorem te poſuerunt; noli extolli. Eſto* Eccleſ. *in eis, quaſi vnus ex illis.* Vnde & de Rege nouiter ſublimato dici- 32. tur. *Nec eleuetur cor eius per ſuperbiam ſuper fratres ſuos.* Deut.

6. Ex hoc etiam quod in humano corpore, oculus eſt ori ſuper- 17. poſitus, &, ore vnico exiſtente, oculus eſt geminus, ſpiritualiter informatur Prælatus, vt principaliùs & ampliùs intendat circunſpectioni, quàm locutioni. Vnde & *Epiſcopus* interpretatur *ſuper intendens.* Sic etiam oris vnitas, & manuum dualitas ipſum monet, vt ampliùs intendat operi, quàm ſermoni. Nam principem & Prælatum decet eſſe pauciloquum, & multificum. Et ideò Iob, qui dicebat, *Sedebam quaſi Rex circumſtante me exercitu;* dicit, *ſtillabat ſuper illos* Iob 29. *eloquium meum.* Sed multi ſunt Prelati, qui magis poſſunt dicere, *Cúmque ſederem in medio, circumſtante me ſociorum collegio, inundabat ſuper eos eloquium meum.* Sed attendant quod in multiloquio non deerit peccatum. Et quòd Prælatorum, qui pauca & prudenter loquuntur, ſermo pretioſus eſt. Vnde & Iob dicit ibidem. *Verbis meis nihil addere audebant.* Vnde Ariſtoteles libro de ſecretis ſecretorum, quem ſcripſit ad Alexandrum, dicit, Specioſum & honorificum eſt Regi, abſtinere multiloquio, niſi neceſſitas, vel ratio hoc expoſcat. Melius eſt enim, quod aures hominum ſemper ſint ſitibundæ ad eius eloquium, quam ſuis affatibus ſaturentur: quoniam ſaturitas faſtiditur. Si ergo pauciloquum decet Regem eſſe, quanto magis rectorem animarum? Et ideò Socrates Philoſophus, cùm quidam ab eo quæreret, quomodò quis famam optimam compararet; reſpondit: ſi fecerit optima, & locutus fuerit pauca.

Secunda instructio Prælatorum; Quod speculatoris, id est Prælati, est vigilare non cœcum esse.

7. Secundò; Oculus speculatur pro toto corpore. Sic & Prælatus in Ecclesia habet speculatoris officium exercere iuxta illud Ezechielis. *Fili hominis speculatorem dedi te domus Israël.* Superioris est vigilare: ne fortè si somno cordis obdormiat, hostilis gladius subditos incautos feriat. Sed audiant nostri vigiles, quid eis dicat Bernardus super illud, *Inuenerunt me vigiles qui custodiebant ciuitatem.* Parum (inquit) est nostris vigilibus quod non seruant, nisi etiam perdant. Alto quippè demersi obliuionis somno, ad nullum diuinæ comminationis tonitruum expergiscuntur, vt vel suum periculum expauescant. Inde est vt non parcant suis, qui non parcunt sibi, perimentes pariter & pereuntes, Quem dabis mihi de numero Præpositorum, qui non plus vigilet, subditorum euacuandis marsupiis, quàm extirpandis vitiis. O vtinam tam vigiles reperirentur ad curam, quàm alacres currunt ad Cathedram. Vigilarent vtique, nec sinerent de se dici, *Amici mei & proximi mei aduersum me appropinquauerunt.* Vtinam superiores nostri essent adeò sollicitè vigiles, vt sunt grues vt enim dicit Physiologus & Hugo de S. Victore in lib. de Iudicibus, grues quæ eliguntur ad hoc vt aliis dormientibus vigilent, in pede tantùm à terra suspenso, lapillum tenent: vt si fortè aliqua illarum dormiat, lapsus à pede lapillus cadat, & tunc euigilans clamet. Prælatus igitur, qui ad custodiam sui, & aliorum vigilat, lapillum in pede, id est, Christum in mente portet. Lapis enim Christus est, pes mentis affectus. Illud autem summoperè caueat, ne lapillus à pede, id est, Christus à mente recedat. Si autem ceciderit, per confessionem clamet, vt dormientes excitet, id est plebem sibi commissam, tam pro se, quàm pro eorum excessibus ad vigilantiam circumspectionis inuitet. Ideò dicitur Prouerbiis. *Fili, si spoponderis pro amico tuo, discurre, festina, suscita animum tuum; ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ.*

(Cap. 3. — Serm. 78. in Cant. — Ps. 37. — Cap. 6.)

8. Sed dicitur in Isaia. *Speculatores eius cæci omnes* sunt, vt Heli cæcutientes, in otio residentes, & de exercitu Domini tantummodò rumores sciscitantes: volentes experiri laborem exercitus, nec militare cum militantibus. Sunt etiam velut alter Iacob cęcutiens, qui cancellatis manibus dexteram super Ephrain ponunt; quia principales intentiones & opera terrenis infigunt, quæ per *Ephraim*, qui interpretatur *frugifer*, designatur: super *Manassem* verò, qui interpretatur *obliuio*, & ideò significat cælestia, quæ sunt à multis obliuioni tradita, sinistram manum collocant; quia secundarias intentiones & opera cælestibus applicant. Operantur principaliter manu dextra, sed raro & secundariò sinistra. Patet etiam quod sint cæci. Sunt enim velut alter Lamech, qui feram conficere putans, hominem interfecit. Sic & ipsi

(Cap. 16.)

plerúmque, cùm ſe credunt alicuius perſequi culpam, reuera perſequuntur perſonam. Iſte Lamech ſecundùm veritatem Hebraicam legitur primus cæcitatem incurriſſe & bigamiam induxiſſe. Et ex Prælatorum cœcitate, verum eſt vel certum, bigamiam ſpiritualem in Eccleſia originem habuiſſe.

9. Legitur in libris Regum, quòd Iebuſęi dixerunt ad Dauid, *Non* 2.Reg.5.
ingredieris huc, niſi abſtuleris cæcos & claudos dicentes, non ingredietur Dauid huc. Et ſequitur *cæcus, & claudus non intrabunt in templum.* Cæci ſunt, quorum intellectiuus oculus, eſt excæcatus per ignorantiam, & oculus affectiuus per malitiam. Claudus verò dicitur, qui obtentis duobus beneficiis in duabus Eccleſiis; cùm ſimul in ambabus non valeat reſidere, ad inſtar claudi inæquales tibias habentis, videtur ſpiritualiter claudicare. Cæcus etiam eſt, quia vtrumque beneficium non poteſt videre. Iſti verò dicuntur in muris Ieruſalem poni, & prohibere Dauid, ne valeat in Ieruſalem ingredi; quia tales homines conſueuerunt in Prælatione ſtatui, & impedire ne alius bonus poſſit in Eccleſia promoueri. Iſti ergò, cùm ſint cęci, non poſſunt dicere illud
Iobi, *Oculus fui cæco, & pes claudo.* Sed dicit Bernardus, Monſtruoſa Iob 29.
res eſt ſpeculator cæcus, doctor inſcius, præco mutus. Poteſt verò eorum cæcitas apparere, cùm videamus eos interdum in via morum pluſquam laïcos ceſpitare. Et ideò, qui deberent alios vt oculi dirigere, faciunt eos à recto tramite deuiare.

9. Cæci autem dicuntur, quia etſi oculos habeant, ad ſui tamen, & aliorum regimen iis non vtuntur. Habent enim plerumque ſcientiam; ſed non ſecundùm ſuam ſcientiam dirigunt vitam ſuam. Et in hoc aſſimilantur pauoni, qui in cauda multos oculos habet, ſed illis oculis nihil videt. Et ideò ſæpè contingit quod Prælati, & multi per ſcientiam oculati diuinam dulcedinem non deguſtant, quibus poteſt dici illud, quod dicit Elizeus cuidam, *Videbis oculis tuis, & inde non co-*
medes. Illiterati verò & ſimplices oculos ſcientiæ non habentes, ple- 4.Reg.7.
rumque diuinæ conſolationis dulcedinem experiuntur, & guſtant. Et iſti poſſunt per Iſaac deſignari, cuius oculi caligauerant, & videre non poterat, quando oblatum à filio pulmentum edebat, vt dicitur in Geneſi. Cap.27.

10. Vt habetur in ſcientia Perſpectiua, idcirco duos ingenerauit oculos natura, vt clauſo vno, vel etiam impedito, ſpiritus viſibilis ad alium ſe transferens virtuoſiùs operetur in illo; Tunc enim in actu videndi, pupilla oculi confortatur: quia viſiua facultas in ea abundantiùs adunatur. Hoc videmus in ſagittariis, qui vnum oculum conſueuerunt claudere, vt poſſint directiùs ſagittare. Sic, cùm in pręſenti Deum videamus oculo duplici, ſcilicet rationis & fidei; interdum, cùm oculus rationis clauditur, oculus fidei Deum certius & clariùs contemplatur. Vnde contingit aliquando, quod vna ſimplex vetula aliquem articulum fidei firmiſſima fide tenebit, circa quem aliquis lit-

Cap.27. teratus, dum rationi innititur, hæsitabit. Legitur in Genesi. *Oculi Israël caligauerant præ nimia senectute, & videre non poterat.* Israël interpretatur *videns Deum*; & significat litteratos, qui Deum in Scripturis inspiciunt. Et tamen quoad operabilia cæci sunt. Econtra legitur
Deuter. 10. de Moyse. *Quod non caligauerant oculi eius.* Per Moysem, qui interpretatur *sumptus ab aquis*; significantur simplices & illiterati, qui ab aquis sapientiæ sunt per ignorantiam separati; & isti in iis, quæ ad mores pertinent, plerumque clariùs vident. Litterati namque discussione nimia, excæcantur à sublimium excellentia. Nam secundùm Phi-
2.anim. losophum, excellentiæ sensibilium sensum corrumpunt. Vnde & de
Actorum 9. Paulo legitur. *Subitò circumfulsit lux de cælo, & apertis oculis nihil videbat.*

Tertia instructio Prælatorum; quod Prælatus debet non solum aliorum, sed etiam suorum mores diligenter discutere.

11. Tertiò, Oculus non videt sibi adhęrentia, sed ab eo distantia. Sic & Prælati vitam aliorum discutiunt, sed mores suorum collateralium & familiæ propriæ non considerant, nec attendunt; vt verè pos-
Ps. 37. sint dicere illud Psalmi, *Lumen oculorum meorum ipsum non est mecum.*
Lib. 1. in Iouin. cum de Sylla & Metella Epist. 48. c. 5. Nam vt ait Hieronymus ad Sabinianum. Solemus mala domus nostræ scire nouissimi; & liberorum ac coniugum vitia vicinis canentibus, ignorare. Si enim iste oculus esset super se reflexus, vt sui & suorum vitam & mores inspiceret, interdum in iis multa mala inueniret. Nam *sicut decipula plena est auibus, sic domus eorum plenæ sunt dolo; & foris*
Ierem 5. Thren. 1. *interficit gladius, & domi mors similis est.* Viderent in domo sua superbiam, iuxta illud Iuuenalis.
Satyr. 5. *Maxima quæque domus seruis est plena superbis.*
Sed Dauid dicit, *Non habitabit in medio domus meæ qui facit super-*
Ps. 100. *biam.* Tales enim de domo Prępatorum abjiciendi sunt, & tollendi,
Cap. 18. quantumcumque videantur aliàs necessarij iuxta illud Matthęi. *Si oculus tuus scandalisat te, &c. Erue eum & projice abs te.* Sæpè enim, cùm talis eruitur, in vnius exterminio, multorum incolumitas procuratur. Cùm enim, qui remanent, hoc aduertunt, considerant seipsos, & dicunt, cui parcet, qui sæuit in oculos? Corrigamus ergo mores nostros.
Horat. lib. 1. epist. ad Lull. *Nam tua res agitur, paries cùm proximus ardet,*
Felix quem faciunt aliena pericula cautum.
12. Si etiam domum suam diligenter inspiceret Prælatus, interdum inueniret in ea homines se inuicem odientes, & sibi mutuò inuidentes. Nam, vt vulgariter dicitur; habitantes in curia, sunt, vt canes in coquina. Nam,

Cum

Cum canis os rodit, socium, quem diligit, odit.

Et, vt dicit Claudianus.

Regales famuli socium spreuere superbi.

Et canis in prato herbam non comedit, nec tamen alia animalia comedere sinit. Sic & in curiis Prælatorum nonnumquam inueniuntur aliqui, qui etsi beneficiis sint indigni, prohibent alios nihilominùs admitti. Videret etiam in domo sua fœditatem luxuriæ, vt posset dicere cum Iobo se domum luteam habitare. Sed Dauid dicit, *Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.* Et de beato Edmundo Cantuariensi; legitur quod à seruis suis carnis mundiciam exigebat, volens omnem familiam suam semper esse mundam. Videbit etiam in domo sua versipelles, dominum suum seducere molientes. Vnde dicit Beda quod serpens, qui Euam seduxit, faciem habuit humanam & caudam serpentinam. Huic sunt similes consiliarij mali, qui frequenter inueniuntur in domo Prælati. Nam eorum sermo videtur rationabilis & discretus, sed intentionis suæ finis est toxicatus. Attende ergo Domine Pater, ne decipiaris. Forsitan *subuersores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas.* Videbit etiam in manibus sociorum iniquitates; nam dextera eorum repleta est muneribus.

Cap. 10. *Ps. 100.* *In eius vita.* *Ezech. 2.*

13. Tandem, cùm vniuersa in summam redegerit, videre potetit, quod *non deficiat de domo sua fluxum seminis sustinens, & leprosus, & tenens fusum, & cadens gladio, & indigens pane.* Videbit enim fluxum seminis in luxuriosis, lepram in detractoribus, gladium in iracundis, & inuidis; panis indigentiam in cupidis, & auaris. His visis verè poterit dicere illud Ieremiæ, *in domo mea inueni malum.* Et præ dolore simul, & admiratione poterit exclamare & dicere, *Numquia ergo spelunca latronum facta est domus ista?* Respiciens etiam ad illum quem in domo sua plus diligit, admirans exclamabit, *Quid est quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa?* Et verum esse quod dicit Bernardus ad Eugenium. Curia bonos recipere faciliùs, quàm facere consueuit. Et iterum. Non dicam te sanum, dolentem latera.

2. Reg. 9. *Ierem. 23.* *Ierem. 7.* *Ierem. 11.* *Lib. 4. de consid. c. 4.*

14. Et ideò præceptum est in Leuitico, vt Sacerdos non solùm consideret lepram, quæ domos corrodit, quia Prælatus non solùm aliorum vitam debet discutere, sed etiam suorum mores diligenter attendere, & inquisitis extraneorum meritis ad se reuertens dicere, quod Patriarcha Iacob. *Iustum est igitur vt aliquando prouideam etiam domui meæ.* Multum enim per omnia Prælatum decet honesta familia. Nam, vt dicit Seneca. Compositus Princeps debet habere compositam familiam.

Leuit. 13. & 14. *Gen. 30.*

15. Sicut enim in mundo maiori videmus, quòd Sol non potest illuminare remota, nisi illuminet media, seu propinqua; nec etiam potest illuminare proxima, nisi luceat in propria substantia; sic nec Prelatus, qui est vt Sol, in Ecclesia, benè potest illuminare Ecclesiam, nisi illuminet se, & propriam familiam. Nam, vt dicit, Paulus. *Si quis*

1. Timoth 3 *domui suæ præesse nescit., quomodò Ecclesiæ Dei diligentiam habebit?* Si enim radius offuscatur in proximo, id est, per prauos socios, & consiliarios, necesse est vt talis ad remotiora perueniat. Nec etiam Prælatus potest habere bonam familiam, nisi ipse duxerit bonam vitam. Vult esse discipulus, sicut magister suus: nam vt dicitur in Ecclesiastico. *Secundùm iudicem populi, sic & ministri eius: Et, qualis rector est ciuitatis, tales & inhabitantes in ea.* Cap. 10.

Quarta instructio Prælatorum, quod Prælati & Clerici caligantibus oculis peiores sunt laicis.

16. Quartò; Oculus debilitatur in corpore senescente. Sic proh dolor! iam quasi senescente Ecclesia videmus eius oculos caligasse, dum processu temporis Prælati & Clerici fiunt deteriores Laicis: vt impletum sit hodie illud vaticinium Isaiæ. *Et erit sicut populus sic sacerdos*; Cap. 24. Et vtinam non sit peior sacerdos, quàm populus vt addit Bernardus legitur in Genesi quod *Senuit Isaac, & caligauerunt oculi eius, & videre non poterat*; & sequitur quomodò Iacob sibi pulmentum obtulit, Gen. 27. & comedit. Et sic gustus deceptus non fuit, nec tactus; quia pilositatem colli, ac manuum benè sensit. Nec auris; quia ait, *vox quidem vox Iacob est*: Nec odoratus, quia sensit fragrantiam vestimentorum Gen. 27. eius. Solus ibi visus defecit. Sic & modò vergente mundi vespere videmus Prælatos Ecclesiæ à statu perfectionis pristinæ plusquàm laicos cecidisse.

17. Et ideò status Ecclesiæ figurari potest per statuam Nabuchodonosor quam legitur vidisse in somnis, cuius caput erat ex auro, & Daniel 10. pectus & brachia de argento, venter & femora ex ære, pedum autem quędam pars erat ferrea, & quædam fictilis. Talis fuit Ecclesia in primitiuis Prælatis; aurea per sapientiam, argentea per vitæ munditiam, ærea par eloquentiam; quæ tria sunt prædicatori necessaria, scilicet fulgor sapientiæ, munditia vitæ, & sonoritas eloquentiæ. Sed pedum, id est, vltimorum Pręlatorum (scilicet modernorum,) pars quædam est ferrea per cordis duritiem, & quędam fictilis per carnis luxuriam.

18. Cùm Petrus bonæ memoriæ Senonum Archiepiscopus Abbatiam Clareuallensem aliquando adiuisset, vt quemdam Conuersum eiusdem, qui frequenter rapiebatur in ecstasim, visitaret; &, cum quadam vice cum illo staret, postularétque ab eo vt sibi visionem aliquam enarraret. Vidi, (inquit,) dominam quamdam speciosissimam, & auro & gemmis ornatam; dixitque mihi stupenti, & eius ornatum & pulchritudinem admiranti. Quænam sum? Ego respondi, videtur mihi quòd sis Virgo Beata. Et ipsa respicias me à tergo. Cùmque tergus eius respicerem, vidi eam putridam, & vermibus scaturientem. Nunc, (inquit,) potes perpendere me gloriosam Virginem non esse, non sum

enim Virgo Maria, sed sum mater Ecclesia: quæ in primo statu, quasi in anteriora parte, scilicet in Apostolis, in Martyribus & Confessoribus, fui pulcherrima, & decenter ornata; sed à parte posteriori, id est postremo tempore, vt in modernis Prælatis sum putrida, & corrupta, & ignominiæ plena; *& argentum meum versum est in scoriam.* *Isaiæ 4.*

19. Narrat Valerius Maximus cùm omnes optarent Dionysij tanquam crudelissimi tyranni mortem, mulier ætatis prouectæ, quæ Syracusis degebat, sola quotidie matutino tempore, vt Dionysius diu viueret, Deos deuotissimè exorabat. Quod vt cognouit Dionysius tantam mulieris erga se beneuolentiam admiratus, eam, vt ad se veniret, protinus aduocauit. Et quare hoc, vel quo suo merito, faceret, inquisiuit. Cum essem (inquit) puella, Tyrannum crudelem Dominum, habuimus, eóque carere plurimùm optabamus: quo defuncto, crudelior eo successit; cuius etiam mors ampliùs, quàm prioris, nobis desiderio fuit. Postremum, tertium te videlicet, superioribus importuniorem cœpimus habere rectorem. Ne igitur si tu per mortem fueris sublatus, succedat alius omnium nequissimus, idcirco consueui quotidie pro tua longæuitate orare Deum. Hoc modo, proh dolor! procedit Ecclesia. Si quis consideret priora tempora & moderna. Olim enim Moyses faciem suam velabat, quia non poterant in eum intendere filij Israël, propter gloriam vultus eius, vt dicitur 2. Cor. 3. Sed hodie nostri Moyses, id est Sacerdotes moderni temporis, præ confusione possunt faciem suam velare. Iam enim filij Israël in eos non tantum non dedignantur intendere, sed potiùs erubescunt & gemunt præ dolore. Legitur enim 2. Machab. 3. *Iam verò qui videret vultum summi Sacerdotis, mente vulnerabatur.* Sed hodie si quis benè considerat statum Ecclesiæ, vulneratur mente, hanc differentiam Prælatorum Ecclesiæ considerans. Gregorius ait. In iudicio ostendetur, quid vnusquisque lucratus est. Ibi Petrus, cum Iudæa conuersa apparebit: Ibi Paulus cum gentibus conuersis ad fidem: Ibi Andreas post se Achaian ducens, Ioannes Asiam; Thomas Indiam Cum ergo tot Pastores cum suis gregibus, ante iudicem venerint, quid nos miseri dicturi sumus? qui ad Dominum post negotium nostrum vacui redimus, qui pastorum nomen habemus, & oues quas ex nutrimento debemus ostendere, non habemus. Hîc pastores vocati sumus, & ibi gregem non ducimus. *Lib. 6. cap. 2.*

Quinta instructio Prælatorum. De Pia Compassione Prælatorum erga subditos & de ouo struthionis.

20. Quintò oculus cęteros membris dolentibus quasi compatiens lacrymatur. Sic & Prælatus inspectis subditorum miseriis erumpere in lacrymas debet compassionis exemplo Ieremiæ dicentis. *Plorans plorabit, & deducet oculus meus lacrymas, quia captus est grex Domini.* Talis erat Beatus Iob, qui dicebat *Flebam quondam super eo qui afflictus*

erat & compatiebatur anima mea pauperi. Narrat Valerius Maximus lib. 6. quod Marcellus captis à se Syracusis stetit in ciuitatis arce, vt inde ciuitatem priùs opulentissimam, tunc afflictam aspicere posset. Cuius casum lugubrem intuens, fletum non potuit cohibere; quem si quis ignarus vidisset, alterius esse victoriam credidisset. Itaque syracusana ciuitas, hoc saltem in clade tua maxima solamen habuisti, quòd, etsi incolumis stare non poteras, saltem sub victore clementissimo cecidisti. Si ergo Princeps iste, inspectâ hostium clade lacrymas non valuit continere, quantus deberet à Prælatorum oculis lachrymarum fluuius emanare, cùm spiritualem cladem inspiciunt animarum suo regimini commissarum? Audiant quid dicat Ieremias. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum & plorabo die ac nocte interfectos*, &c. Debent enim flere cum flentibus & per compassionem infirmari cum infirmantibus exemplo Pauli, qui dicit. *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* &c. Natura piscis est; quod cùm videt periculum pisciculos recipit in os suum, donec eos perduxerit ad locum securum. Sic & prælatus videns subditum in periculo constitutum, debet ipsum in ore recipere per orationem salutiferam & exhortationem; & intra cordis viscera per compassionem. Sic faciebat Paulus qui dixit ad Philipp. 1. *Testis est mihi Deus, quomodo cupiam vos in visceribus Iesu Christi.*

21. Narrat Iulius Francius, & etiam Valerius Maximus lib. 5. Cum Codrus rex Atheniensium contra Dorenses pugnans, congregasset exercitum, super euentu belli consuluit Apollinis oraculum: cui responsum est, quod pars sua aliter non vinceret, nisi ipse hostili gladio interiret. Quod quidem innotuit castris Atheniensium, & etiam aduersæ parti Dorensium. Tunc Athenienses regis sui custodiam militibus commiserunt; Dorenses autem, ne quis Codri corpus læderet, edixerunt. Quod postquam Cedrus audiuit, mutato regio habitu, familiarem cultum induit, & saccum collo gerens hostium pugnacium cuneos penetrauit. Et vnus ex militibus, quem falce percussit, ipsum repercutiens interfecit. O quantum iste propter populi sui defleuisset salutem, qui ob hanc caussam gladium super se hostilem desiderauit. Erubescant ergo Prælati inertes qui exemplo illius non se opponunt murum pro domo Domini: quorum oculi sic aruerunt, quod nondum, pereunti compatientes populo, lacrymam amicam emiserunt.

22. Verificatur hodie illa Euangelij parabola, qua dicitur Lucæ 10. Velo sauciato prætereunt sacerdos & Leuita: quia videmus tam de maioribus quàm de minoribus Prelatis, quòd non compatiuntur animabus spiritualiter sauciatis, cùm tamen ad eorum spectet officium, vtpotè modicorum spiritualium, saluti intendere animarum. Nam vt dicit Greg. [Cùm curam populi electus præsul suscipit, quasi ad ægrum medicus accedit.] Sed sicut ait Bern. ad Eugenium in persona loquens huiusmodi Prælatorum. [Quotidianas expensas quotidiano reciproca-

mus ſcrutinio, & continua Dominici gregis detrimenta neſcimus. De pretio eſcarum, & numero panum, quatidiana cum miniſtris diſcuſſio eſt; rara admodùm cum presbyteris collatio celebratur de peccatis populorum. Cadit aſina & eſt, qui ſubleuet; cadit anima, & non eſt, qui requirat. Vnde quidam verſificans ait. [*Non curant aras; ſed haras non vera, ſed æra.*] *Non æquum; ſed equum non inopes; ſed opes.*

23. Mirum eſt & miſerabile, quod dolent de amiſſione denarij, & non triſtantur de amiſſione ſubditi. Quæſitum fuit aliquando cur oua ſtructionum ſuſpendantur in Eccleſia: & qui ſint homines, qui plura dicunt mendacia. Prima quæſtio ſoluta fuit hoc modo; Oua ſtructionis, ideò ſuſpenduntur in Eccleſia & Prælatorum oculis proponuntur, ne ſtructionem quoad filiorum incuriam imitentur. De ſtruthione namque dicitur Iob 39. *Induratur ad filios, quaſi non ſint ſui.* Sed ad ſecundam, ſic fuit reſponſum. Sacerdotes & clerici, præ cæteris hominibus, mentiuntur frequentius & etiam ſolennius. Nam quotidie declamant coram omnibus, *Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.*

Sexta Inſtructio Prælatorum. De Mediocritate Prælatorum ſeruanda circa temporalia bona.

24. Sexto Oculus habet pilos in palpebris quorum quantitas non augetur proceſſu temporis. Per pilos qui animali exterius adhærent ſignantur temporalia, quæ homini quaſi exteriùs adiacent. Vnde Matth. 6. *Hæc omnia* (ſcilicet temporalia) *adjicientur vobis.* In hoc igitur quod pili, qui ſunt in oculorum palpebris, non creſcunt per proceſſum ætatis ſed ſunt terminatæ naturaliter quantitatis, informantur Eccleſiaſtici oculi, videlicet Pręlati, ne temporalia ſibi multiplicent, ſed mediocribus ſint contenti. Si enim regi terreno præcipitur à Domino. Deut. 17. *Ne habeat argenti & auri immenſa pondera*; Quanto magis dicit illud Pręlatis & perſonis Eccleſiaſticis, qui non ſunt Domini, ſed diſpenſatores Eccleſiaſticæ facultatis? Sed hodie in Prælatis & Perſonis Eccleſiaſticis, multum creuerunt, & multiplicati ſunt iſti pili, ita quod facti ſunt ex omni parte piloſi, vt iam de Eccleſia impletum ſit, quod olim de Babylone prædictum fuit. Iſaiæ 13. *Habitabunt ibi ſtruthiones, & piloſi ſaltabunt ibi.* Per ſtruthionem, qui pennas habet, ſed mole corporis prægrauatus in altum volare non poteſt, ſignantur hypocritæ, qui bonorum vitam exteriùs imitantur, ſed à terrenis ad cæleſtia numquam per deſideria eleuantur. Piloſi verò ſunt homines diuitiis temporalibus inuoluti & iſti dicuntur ſaltare in Babylone, id eſt in Eccleſia, in qua ferè confuſa ſunt omnia, quia ex temporali opulentia, ſurget laſciuia. Deut. 32. *Incraſſatus eſt dilectus & recalcitrauit.*

25. De istis etiam pilosis idem Propheta meminit cum de Babylone loquens ait. *Pilosus clamabat alter ad alterum.* Hodie namque videmus in Ecclesia, quod pilosus pilosum vocat, quia diues diuitem inuitat; cùm tamen dicatur. Matth. 24. *Cum facis prandium vel cœnam, noli vocare diuites, sed pauperes.* Hæc maledicta pilositas, multùm inualuit in Prælatis Ecclesiæ: nam à maiore vsque ad minorem, omnes auaritiæ student, & pecuniæ congregandæ. Considerant enim illud, quod ait Tullius. [Optimum vectigal parsimonia est.]

26. Vtuntur metaphoris & exemplis in fomentum auaritiæ & cupiditatis. Pauper (inquiunt) si parcus est, facillimè impletur; diues verò si prodigus, facillimè exinanitur. Videmus enim, quod arca capacissima quotidianis, licet paruis, immissionibus ad vltimum impletur. Et è contrario quæ plena est iteratis emissionibus euacuatur. Pauco etiam aquarum exitu tandem stagnum in aridam commutatur. Videmus etiam quod si fonti vena scaturiens auferatur, non multo post fons ipse consumitur & siccatur. Sic dum congestarum diuitiarum aceruus, minutissimis, dum tamen frequentibus & continuis sumptibus expenditur, tandem totaliter quotidianis minutiarum subtractionibus exhauritur. Nam vt ait Claudianus.

Est luxus populator opum, cui semper adherens
Infelix humili gressu comitatur egestas.

Ergo sumtibus est parcendum & cumulandis diuitiis insudandum. Et vt dicit Iuuenalis.

Lucri bonus est odor ex re
Qualibet illa tuo sententia semper in ore.
Versetur, Dis atque ipso Ioue digna, Poëta.
Vnde habeas nemo quærit, sed oportet habere.

Nam, secundùm eundem.

Quantum quisque sua nummorum seruat in arca
Tantum habet & fidei.

Et iterum.

Viuunt diuitiæ: nec sacro cedit honori,
Nuper in hanc vrbem pedibus qui venerat albis.

27. Meditationibus & fomentis huiusmodi, ipsorum animos amor nouit habendi. Hæc autem est Vanitas quam sub sole testatur se Salomon reperisse. Ecclesiastes 4. *Vnus est, & secundum non habet*, id est, hæredem aliquem, *non filium, non fratrem: & tamen laborare non cessat* congregando superflua, de quibus ignorat, cui congregat ea, *nec satiantur oculi eius diuitiis* acquisitis, sed semper inhiant acquirendis. Et reuera illud est vanitas, imò etiam magna peruersitas. Nam vt ait Philosophus [Commensuratio in fine non attenditur, sed in his, quæ ad finem ordinantur.] Vnde cùm sanitas sit finis quem Medicus intendit, in ea inducenda commensurationem non attendit, sed quantumcunque potest sanitatem inducit; sed in eis quæ sunt ad finem, scilicet

in medicina commensurationem considerat: quia non quantamcunque medicinam, ei qui patitur, administrat, ne eum interficiat; sed potiùs medicina dosim & quantitatem determinat, prout morbus & patientis virtus expostulat.

28. Nunc autem scimus quòd spiritualia sunt bona finalia; & temporalia, tanquam ad finem ordinantur ad ea: ergo spiritualia sine commensuratione induci debent, & appeti; temporalia verò in mensura vnumquemque decent. Sed hodiè huius contrarium videmus fieri. Nam quilibet commensurat sibi spiritualia, dicens; sufficit mihi, si hanc virtutem habeam, & gradum talis virtutis attingam. Sed rarus est, qui commensuret sibi temporalia, dicens; Mihi sufficit hæc Præbenda; sed obtentâ primâ appetitur secunda, & post hanc tertia, & sic vlteriùs sine meta. Nam *In cupido crescit censu crescente cupido.*

Septima Instructio Prælatorum.

Quod multò deformius & nociuius est peccatum in sacerdote aut Prælato, quam Laïco.

29 Septimò magna reputatur in oculo macula, quæ interdum in cæteris membris modica censetur. Sic & idem peccatum maius est in Prælato quam in subdito & in Sacerdote, quam in Laïco. Sic & spina plus lædit oculum, quàm pedem vel manum: vt meritò sit tanta differentia inter Prælati & subditi, sacerdotis & Laïci præuaricationem, quanta est inter festucam & trabem. Propter quod dicitur Matth. 7. *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, & trabem, quæ in oculo tuo est, non consideras?* Sicut enim sacer locus, in quo delinquitur, aggrauat peccatum, sic & personæ gradus & dignitas, culpam exaggerat. Vnde & Iuuenalis ait.

Omne animi vitium, tanto conspectius in se
Crimen habet quanto qui peccat, maior habetur.

30. In huius rei figuram, Moyses legislator, quando de animalibus immundis tractabat, per quæ hominum immunditiam designabat, circa immunditiam auium diligentior fuit: nam plures aues immundas, quàm pisces aut bestias numerauit vt patet Deut. 14. Immunditia auium designat immunditiam clericorum; bestiarum autem & piscium, Laïcorum. Sic & ceteris (non dubito omissam esse à librario vocem paribus) prohibetur idem peccatum commissum à sacerdote seu clerico grauius esse, quàm commissum à Laïco. Sicut enim sacerdos bonus, est melioris conditionis, quàm laïcus bonus; sic & peioris, si vterque fuerit malus. Nam sacerdos si malus est, officium, ad quod tenetur, absque peccato exercere non potest, quod tamen potest laïcus, etsi fuerit malus. Vnde sicut bonus sacerdos vocatur angelus bonus Ma-

lach. 2. *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est.* Sic & sacerdos malus vocari potest angelus malus. Nam sicut Diabolus peccat in omni opere suo, licet etiam in se bono, vt quia credit Deo, vel quòd ad Dei iussum egreditur de corpore obsesso, quia hoc totum facit, cum murmuratione & animo malo: sic & sacerdos malus peccat etiam bonum opus faciendo, vt scilicet missam celebrando, & sacramenta Ecclesiastica ministrando. Et sicut periculosius est, si quis dormiat super equum, quàm si dormiat super solum propter casus periculum, sic grauius & periculosius peccat Prælatus, quàm subditus.

31. In cuius rei designationem Heli sacerdos de sella corruens legitur expirasse. Et iterum, cùm subditi quasi de collò pendeant Pręlati, si Prælatus ceciderit ex consequenti sequitur, quod etiam subditi cum labente labantur. Vnde Prælato dicitur Is. 3. *Princeps esto noster, ruina autem hæc sub manu tua.* Et sicut cum videmus in nauigantibus, quòd si nauta remigando defecerit, modicam affert remigibus læsionem; si verò Nauclerus in gubernando defecerit, affert naui naufragium & submersionem. Sic peccatum Prælati, qui habet alios regere, magis nociuum est, quàm priuatæ personæ. Ecclesiastici 10. *Rex insipiens perdet populum suum.* Et ideò dicitur de Reg, Deut. 17. *Non reducet populum in Ægyptum, equitatus numero subleuatus.*

32. Diligenter est cauendum omni, qui in sublimitate constituitur, ne exemplis suis commissus sibi populus corrumpatur, & qui debuit eum ad supernam perducere Ierusalem, ducat eum ad tenebras & in mœrorem. Ægyptus siquidem *tenebræ* vel *mœror* interpretatur. Pręlatus siquidem de omnibus tenetur, & omnium auctor esse videtur, quia, cùm mala quæ fiunt à subditis, possit corrigere, eorum meritò particeps est, quæ noluit emendare. Vnde valdè possunt & debent Prælati timere, audientes, quòd postquàm Israël cùm Madianitis fornicando Dominum prouocauit, iratus Dominus ad Moysen dixit. *Tolle cunctos principes populi, & suspende eos in patibulis contra solem, vt auertatur furor meus ab Israël.* Peccasse siquidem populus legitur, & fornicatio Principum nusquam exprimitur: & tamen ad patibulum principes tradi iubentur, & in eorum pœna Dominus populo delinquenti placatur, eo quod ex negligentia Prælatorum sæpissimè excessus prouenit subditorum.

Patet igitur, quod peccati macula magis nocet, cum oculum corporis id est Prælatum inficit, quàm cùm membrorum aliud, id est priuatam personam polluit. Et ideo sapienter acutæ naturæ prouidit, vt in sole non esset macula, sicut eam videmus esse in Luna. Nam secundùm Bernh. Siluestrum. *Sol est oculus mundi, quoniam omnibus astris præminet, & cælum vendicat esse suum.* Sicut enim Sol vniuersis eminet, vt radiis suis cuncta perlustret; sic Pręlatus quasi altus Sol omnibus præminens, singulorum merita conspicere debet, instar solis, virtuosorum

tuoſorum exemplis operum, quaſi quibuſdam radiis debet lutum, id eſt, fluidum per luxuriam, deſiccare, & congelatum per auaritiam, & immiſericordiam, & impietatem, & arrogantiam deſſoluere. Nam non ſine notabili documento raro vel nunquam in ſacra Scriptura de obſcuratione ſolis fit mentio quin ſtatim ſubſequatur Lunæ, & plerumque ſtellarum obtenebratio. Vnde dicitur Iſa. 13. *Obtenebratus eſt Sol in ortu ſuo, & Luna non ſplendebit in lumine ſuo.* Et Ioëlis 2. *Sol & Luna obtenebrati ſunt, & ſtellæ retraxerunt lumen ſuum.* Et iterum Ioëlis 2. *Sol conuertetur in tenebras, & Luna in ſanguinem.* In quo ſpiritualiter datur intelligi, quòd Prælato peccante communiter peccant & ſubditi exemplo illius ad peccandum inducti. Dicitur enim Eccleſiaſtici 10. *Secundùm iudicem populi, ſic & miniſtri eius: & qualis eſt rex ciuitatis, tales & in habitantes in ea,* &c.

CAP. XIII.

De Quatuor rebus, quas ſpirituales oculi iugiter debent contemplari.

1. HÆc quatuor debet homo ſæpiſſimè reſpicere, ſcilicet, fœditatem iniquitatis propriæ; calamitatem alienæ miſeriæ; acerbitatem pœnæ perpetuæ; remunerationem vitæ beatæ vt ſic ſit oculatus ex omni parte, inſtar animalium, quæ Ioannes dicit ſe vidiſſe Apoc. 4. *Et animalia erant plena oculis, ante & retro,* &c. Dextro enim oculo debet homo inſpicere præmia; ſiniſtro ſupplicia: poſteriori proximorum & miſerorum quaſi à mundo deiectorum miſeriam; anteriori propriam culpam. Pſ. *Delictum meum contra me eſt ſemper.* In huius rei figuram dictum eſt Moyſi. Deut. 3. *Aſcende cacumen Phaſgæ, & oculos tuos circumfer ad occidentem, & ad aquilonem, auſtrumque & orientem, & aſpice.* Per Orientem æterna præmia ſignificantur, quæ ſemper erunt in ortu, & quaſi noua. Per Occidentem, æterna pœna, in qua occidit, & deficit omnis temporalis lætitia; per auſtrum feruor peccati; per aquilonem miſeria proximi. Debet igitur vnuſquiſque multipliciter oculatus eſſe, vt non ſolùm aſpiciat preſentia, verùm etiam diligenter conſideret futura. Vnde Boët. de conſol. Philoſoph. [Non quod ante oculos eſt, ſufficit intueri; ſed rerum exitus prudentia metitur.] Hęc prouidentia ſeu circumſpectio, maximè decens eſt in Principe ſeu Prælato. Vnde Ariſtoteles in libro de ſecretis ſecretorum ad Alexandrum. [Sis prouidus prouidendo, quæ poſſunt contingere: nam cum euenerint; tunc ſcient homines, quòd oculi tui procul viderint, & propter hoc tuam laudabunt ſapientiam, & cauebunt tuam offendere maieſtatem.]

De consideratione proprij peccati.

2. Primum autem inter quatuor aspicienda superiùs enumerata est propria culpa. Vnde peccatori dicitur Ierem. 3. *Leua oculos tuos in directum, & vide vbi non prostrata sis.* Viator siquidem si oculos suos leuauerit, & viam immundam, periculosam & distortam viderit, reuertens, ab ea diuertit. Via autem peccatorum, est immunda propter lutum luxuriæ; periculosa propter foueas auaritiæ, distorta propter deuiationem superbiæ. Et ideo securum est à tali via retrorsum abire. Vnde & paulò ante præmiserat Propheta: *Scito & vide, quia malum est & amarum, dereliquisse te Dominum Deum tuum.* Debet enim homo scire per prẹteritorum recordationem, videre per præsentium inspectionem, quia malum est sibi, propter gratuitorum spoliationem, & amarum propter Conscientiæ læsionem, se dereliquisse Deum, qui eum creauit, cùm non erat: qui eum redemit, cùm perierat.

3. Debet igitur homo respicere culpam suam. Hoc autem ad detestandum, non ad delectandum; aliàs peccatum per solam recordationem interficit. In cuius signum vxor Lot interijt, quia Sodomam, de qua exierat, respexit Gen. 19. Ideò dicit aug. [O homo si te videres tibi displiceres, & mihi placeres. Nunc autem quia te non vides, tibi places, & mihi displices: Veniet tempus, in quo & tibi & mihi pariter displicebis; mihi, cùm iudicaberis; tibi, cùm ardebis. Num enim non vident peccatores periculum status sui, nec mirum, quia sunt excæcati. 4. Reg. 6. *Percute gentem hanc cæcitate.* Et sequitur. *Domine, aperi oculos istorum, vt videant. Aperuitque Dominus oculos eorum, & viderunt se esse in medio Samariæ*, inter hostes. Sic peccator, si oculos apertos haberet, in medio hostium, id est, dæmonum se videret. Diabolus enim nititur primò hominem excæcare, vt non possit peccatum suum videre, sicut latro domum ingressus, consueuit primò lumen extinguere. Vnde & Antiochus ingressus templum, legitur candelabrum luminis abstulisse. 1. Machab. 1. Sicut etiam samson à Dalila deceptus, à Philisthæis captus, primò crinibus est nudatus, postmodùm excœcatus, & tertiò est funibus ligatus. Sic & peccator deceptus à carne, captus à dẹmone, primò virtutibus spoliatur, secundò oculis interioribus excæcatur, tertiò funibus peccatorum astringitur.

4. Et sicut vrsus excæcatus peluis claritate, coram domino suo ludit, sic peccator, excæcatus apparente delectatione, coram dẹmonibus in peccato lasciuit. Vnde legitur Iud. 26. postquam Philisthiim excœcauerunt Samsonem, præceperunt, vt vocaretur Samson, & ante eos luderet. Et sicut rex Babylonis filios Sedeciæ in eius oculis interfecit, & ipsius Sedeciæ oculos eruit, sic & rex confusionis Diabolus bona opera per peccatum mortificat, & peccatorum spiritualiter excẹcat. Quia

postquàm homo cessat à bonis operibus, lumen gratiæ ei subtrahitur, & penitus excæcatur. Pro tanto autem peccatores excæcati sunt, quia discretionis iudicium amiserunt, signati per Sodomitas, qui prout dicitur Gen. 19. percussi cœcitate ostium Lot non poterant inuenire; Lot enim interpretatur *declinans*, & ipsi à peccato nesciunt declinare.

De Consideratione miseriæ proximi.

5. Secundò inspicienda est proximorum miseria. Eccli. 4. *Oculos tuos ne transuertas à paupere.* Et iterum. Ab inope ne auertas oculos tuos. Idem ingeminat, vt magis nos ad pietatis affectum moueat. Pauci enim sunt, qui per compassionem in pauperem respiciunt, sed multi sunt, qui ab eis oculos misericordiæ auertunt, & eorum miserias videre non possunt. Oculus enim qui est in lumine, non videt eum qui est in tenebris. Sic & diues qui est in luce prosperitatis, non videt pauperem, qui est in caligine aduersitatis. Inde & Pincerna, quamdiu fuit in tenebris carceris, Ioseph afflictum nouit, & socius eius fuit: sed egressus ad fulgorem prosperitatis, ipsum ampliùs non agnouit: imò succedentibus prosperis, oblitus est pincerna interpretis sui. Gen. 11. Intellexi, quod quædam domina, dum videret pauperes tempore caristiæ, herbas ad esum colligentes in agro: nonne, (inquit,) possent comedere pisa cum lardo? Respondit vnus de assidentibus; possent vtique, si haberent. Huius siquidem oculus, quia in luce prosperitatis positus erat; idcirco pauperum in tenebris degentium non videbat inopiam. *Nam venter plenus, nescit quid captet egenus.* Et sicut videmus, quod qui diu in lumine fuit, si accedit ad ægrum existentem in tenebris, non statim eum cognoscit, nisi postquàm diu cum eo permanserit; sic qui in prosperitatis lumine vitam agit, eos qui sunt in tenebris aduersitatis positi, pietatis oculis non aspicit, nec agnoscit; nec eorum miseretur, nisi postquàm per compassionem se coaptauerit, vt sic compatiatur in mente, sicut illi patiuntur in corpore.

6. Hæc figurata sunt Exodi 3. Vbi legitur, quod Moysi ituro, vt videret visionem magnam, ait Dominus. *Solue calceamentum de pedibus tuis*, quasi diceret. Hanc visionem non poteris videre, nisi priùs calceamentis depositis. Quæ postquàm deposuit, ad videndum visionem, quare rubus arderet, & non combureretur, accessit. Rubus ardens & non combustus, est pauper & infirmus in paupertate & miseria per impatientiam non fractus: sed permanens, per patientiam illibatus; quod diuites calceati, rem admirabilem, & magnam reputant visionem. Hunc rubum videre non valet oculo compassionis diues stipatus diuitiis; & deliciis, & nullis adustus incommodis, nisi priùs soluerit calceamenta pedes ab offendiculis protegentia; id est carnis nutrimenta quibus impediuntur affectus mentis, ne procedant ad opera pietatis. Vnde & pincerna, de quo priùs mentio facta est, in carcere

tanquam discalceatus, id est à deliciis sagregatus, benè videbat rubum, qui ardebat, & non comburebatur, id est Ioseph, qui patiebatur sed non deducebatur: sed postquàm prosperitatis & deliciarum calceamenta resumpsit, ipsum alteriùs non agnouit.

7. Vis videre hominem in panperes liberalem, & ab eorum necessitatibus nequaquam oculum auertentem? Respice ad beatum Iob, & audi, quid loquatur ait iustus, & timens Deum, & recedens à malo. Non dicit, Ad me confluebant histriones, & mimi; adulatores & fabularum inutilium concentores. Non dicit, vrsos alebam, simias & catulos educabam. Sed dicit. *Humerus meus à iunctura sua cadat, & brachium meum cum ossibus confringatur si negaui pauperibus, quod volebant, si oculos viduæ expectare feci. Si comedi buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea.* Et paulò ante dicit, *Oculus fui cæco, & pes claudo; pater eram pauperum*, & non prędo. Et vt magis affluas pietatis visceribus vide alium, qui beatum imitatus Iob oculos viduæ non fecit expectare. Narratur in historiis Romanorum, Quod cùm Trajanus ab bellum iturus cùm exercitu suo, iam ascendisset equum, quædam paupercula vidua, pedem eius apprehendit, & exclamauit ad Imperatorem, & dixit. Domine fac mihi iustitiam de eo, qui filium meum interfecit. Cui ille. Ego cùm rediero plenam iustitiam exhibebo. Et illa, quid, (inquit,) si non redieris? Et ille, satisfaciet tibi successor meus. Cui illa. Tu mihi debitor es, secundùm merita tua recepturus. Et fraus est non reddere, quod successor tuus, præmiabitur de liberali iudicio: te autem non liberabit aliena iustitia. His verbis motus Imperator de equo descendit, & totum exercitum expectare fecit. Et sedens pro tribunali de causa viduæ diligentissimè inquisiuit, & satisfactione dignissima mœstitiam eius releuauit. Et ideo, quod dictu est mirabile, Deus cum oculo pietatis respiciens, precibus Beati Gregorij ab inferis reuocauit. Beati enim misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Iste cum Beato Iob verè potuit dicere. *Si oculos viduæ expectare feci.* Iob. 31. *Et cor viduæ consolatus sum.* Iob. 29.

Sequitur consideratio pœnæ Gehennalis.

8. Tertiò inspicienda est Gehennalis pœna. Ieremias Propheta postquàm ollam succensam viderat, & faciem eius à facie Aquilonis, & audierat Dominum dicentem, *Ab Aquilone pandetur omne malum. Ierem.* 1. Hortabatur postmodùm cæteros ad idem contuendum spectaculum. *Ier.* 13. *Leuate oculos vestros, & videte, qui venitis ab Aquilone*, &c. Per Aquilonem enim, quæ est regio intemperatissima, & à sole maximè elongata, congruè datur intelligi infernalis pœna, in qua erit acerbitas pœnæ & elongatio à sole iustitiæ, propter carentiam visionis diuinæ. Hanc pœnam benè respiciebat Hieronymus, qui dicebat.

[Cùm conſidero Iob ſedentem in ſterquilinio, Ioannem eſurientem in eremo, Paulum occiſum gladio, Petrum ſuſpenſum in patibulo, tunc cogito, quid in futuro reprobis faciet, ſi in præſenti ſic affligit, quos amat.

9. Hic aſpectus vtilis eſt & vt culpa vitetur, & vt præſens pœna facilis reputetur. Vnde dicit Iſidorus primo ſoliloquiorum. [Propone tibi aduersùs carnis ardorem, futuri ſupplicij ignes; Memoria ardoris gehennæ, ardorem excludit luxuriæ.] Videmus quod quando digitus eſt aduſtus applicatur ad ignem vt minor calor poſſit extrahi per majorem, ſic & peccator inflammatus igne peccati, ſi per conſiderationem ignis ſe applicat infernali, minor calor extrahi poterit à maiore. Eccli. 7. *Memorare nouiſſima tua*, id eſt inferni ſupplicia, *& in æternum non peccabis.* Facit etiam hęc meditatio, vt præſens pœna reputetur facillima. Vnde dicit Bernardus. [Vigilias times, & ieiunia, manuumque labores, ſed hæc leuia ſunt flammas perpetuas meditanti.] Narrat Beda in libro de geſtis Anglor. quod tempore Conſtantini Imp. Iunioris, quidam paterfamilias cùm deceſiſſet in Anglia, eius anima ante tribunal æterni iudicis eſt adducta. Vbi tandem obtinuit Dei Genitricis interceſſionibus vt priùs inſpectis pœnis infernalibus poſt hoc rediret ad corpus. Reuixit ergo, qui erat mortuus, & narratis iam viſis mirabilibus, & rebus ſuis erogatis pauperibus, ſalutatis cognatis & familiaribus, profectus eſt in quandam ſiluam, vbi egit tantam pœnitentiam, vt lingua ſimul & opere oſtenderet, quanta tormenta vidiſſet. Etiam in maxima hieme nudum ſe mergebat in flumine. Et cum ſuper hoc eum arguerent amici & noti, reſpondebat: ſinite me, nam grauiora vidi.

10. Conſideratio gehennalis pœnæ facit oculos aperire. Nam ſecundùm Gregorium pœna oculos aperit quos culpa claudit. Et non ſolum hoc facit, cum fuerit experta, (vt patet in diuite epulone, qui eleuatis oculis ſuis, cùm eſſet in tormentis, vidit Lazarum, à quo prius cùm eſſet in diuitiis, auertit oculum:) ſed etiam, ſi fuerit oculo conſiderationis diligenter inſpecta. Sicut enim collyrium clarificat oculos, ſic conſideratio infernalium tormentorum clarificat animum & intellectum. Vnde & Iob oculus erat ad videndum adeò validus, vt Domino diceret. *Nunc oculus meus videt te.* Iob 42. Quaſi collyrio vnxerat, vt videret. Dicit enim Iob 17. *In amaritudinibus moratur oculus meus.* Collipium eſt oculi medicamentum. Illius igitur oculus moratur in amaritudine, qui diligenter conſiderat amaritudinem gehennalis pœnæ. Et per hanc amaritudinis conſiderationem, amiſſam recuperat viſionem. Vnde in ſignum illius, Tobias fellis linitione viſum legitur recepiſſe. *Tobiæ* 11. Et ideò peccatores, qui non conſiderant infernalè tormentum, ſunt ſicut rei, qui velatis oculis ducuntur ad patibulum. Sicut enim cæcus eſt, qui non videt peccatum ſuum, vt ei diſpliceat, & cæleſte præmium, vt ei placeat, ſic qui non videt æter-

num supplicium, vt eum deterreat.

11. Et mirum est, quod homines inferni supplicia non considerant, vel si considerant, non formidant, cùm tamen dæmones credant, & contremiscant, vt dicitur Iacobi 2. Legitur in Vitis Patrum, quod sanctus quidam cùm eum Spiritus fornicationis grauiter tentaret, orauit Dominum, vt tentator ei Spiritus visibiliter appareret. Tunc dæmon in humana ei facie apparuit. Quo viso, sanctus ait. Quid tibi proficis, quod me tentas? Hęc est enim summa fatuitas. Nosti namque cùm aliquem in peccatum præcipitas peccatum tuum, & per consequens pœnam augmentas. Nihilominus studium tuum tendit totaliter ad præcipitandum homines in peccatum, & sic per consequens ad pœnæ tuæ cumulum. Respondens diabolus: Scito, (inquit,) verum esse, quod loqueris. Sed dico tibi caussam tentationis. Scio enim, quod quanto plures peccare fecero, tanto diem iudicij retardabo. Illum autem diem super omnia reformido, in qua duram illam sententiam me auditurum expecto. *Ite maledicti in ignem æternum qui præparatus est Diabolo & Angelis eius.* Et vt fulminationem illius sententiæ, saltem ad tempus, valeam retardare, idcirco nitor homines sic tentare.

De Consideratione vitæ cœlestis.

12. Quartò consideranda est remuneratio vitæ beatæ. Vnde dicitur de Moyse ad Hebr. 11. *Aspiciebat enim in remunerationem.* Et ideò dicitur Isa. 33. *Oculi tui videbunt Ierusalem habitationem opulentam.* Hęc est ciuitas quam describit Bern. in lib. meditat. O ciuitas cælestis mansio, secura patria, totum continens quod delectat; populus sine murmure, incolæ quieti, homines nullam indigentiam habentes. *Quàm gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei! Sicut lætantium omnium habitatio est in te.* Ibi.

Pax, bonitas, pietas, lux, virtus, splendor, honestas,
Gaudia, lætitiæ, dulcedo, vita, perennis,
Gloria, laus, requies, amor, & concordia pacis.

Quæ ergo nos agit vesania, vitiorum sitire absynthium, huius mundi sequi naufragium, impiæ tyrannidis ferre dominium, & non magis conuolare ad Angelorum societatem, sanctorum, splendorem Regis potentis honorem, supernæ gloriæ decorem.

13. Vnde in cælestibus oculus cordis nostri per meditationem & desiderium deberet esse defixus. Quod etiam docet humani corporis erecta figura: & hoc est, quod dicit Poëta.

Pronáque cùm spectent animalia cætera terram,
Os homini sublime dedit, cælumque videre
Iussit, & erectos ad sidera tollere vultus.

Hinc etiam Empedocles interrogatus, ad quid natus esset, respondit vt;

cælum & ſidera contempler. Cuius etiam dicti Bernard. Siluestris meminit dicens.

Quærenti Empedoclis, cur viueret, (inquit,) vt aſtra
Inſpiciam: cælum ſubtrahe, nullus ero.

In Vitis Patrum legitur quod beatus Arſenius, cùm moreretur, à fratribus requiſitus vt prius quàm migraret ad Dominum, relinqueret verbum ædificatorium & memoriale, dixit: Ibi, vbi. Quo dicto emiſit ſpiritum. Poſt cuius tranſitum ſolliciti fratres vt intelligerent verborum ſenſum pro habenda expoſitione miſerunt ad quendam ſenem alium, qui reſcripſit eis. Hæc eſt, vt puto, verborum intelligentia, Ibi noſtro fixa ſint corda, vbi vera ſunt gaudia.

14. Ad hanc inſpectionem cæleſtium, hortabatur Hieron. virginem Euſtochium dicens in Epiſtola 22. [Egredere pauliſper de carcere, & præſentis laboris mercedem ante oculos tuos depinge, Quam oculus non vidit, nec auris audiuit. Qualis erit illa dies, cùm Maria mater Domini occurret tibi concitata Virgineis choris, poſt mare rubrum, ſubmerſo cum ſuo exercitu Pharaone, tenens tympanum præcinet reſponſuris. *Cantemus Domino glorioſè enim honorificatus eſt*, &c. Tunc etiam ipſe ſponſus occurret, & dicet. *Surge propera amica mea*, &c. Tunc etiam Angeli mirabuntur, & dicent: *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora?* Videbunt te filiæ, & deprecabuntur, &c. Sara cum nuptis obuiam veniet. Anna cum viduis. Pueri quoque clamabunt, Oſanna in excelſis. Quoties te vana ſeculi delectat ambitio, quoties videris aliquid glorioſum, ſic ad paradiſum mente transcende.]

CAP. XIV.

De Tribus viſibilibus oculum corporalem delectantibus.

1. Tria quidem ſunt quæ corporalis oculus delectabiliter intuetur videlicet, aquæ limpiditatem, florum & erudium venuſtatem, & ſpeculi claritatem. Verſus.

Delectant oculum lympha, viror, ſpeculum.

Per aquam, ad præſens intellige Virginem Mariam glorioſam, per florem & viridia, ſanctorum agmina: per ſpeculum, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Beata ſiquidem Virgo dicitur. *Fons hortorum, puteus aquarum viuentium.* Canticorum 4. Nam ſicut aqua communis eſt omnibus, iuxta illud. *Vſus communis aquarum.* Sic & virgo benedicta, iuſtis & peccatoribus. Vnde B. Bernardus. [Maria omnibus omnia facta eſt, vt de plenitudine eius accipiant vniuerſi, captiui redemptionem, ægri curationem] &c: Et Anſelm. in meditat. O (dicit,)

Domina ad te venit, & te laudat concio læta iustorum; ad te fugit territa turba reorum. Vtinam in amore tuo cor meum langueat, anima liquescat, caro deficiat: summum enim post Deum est te videre & intueri, in tuis laudibus delectari. Propter hoc, instar aquæ ipsa omnibus se exponens, dicit Eccli. 24. Transite *ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis implimini.* Ac si diceret: illud, quod scriptum est Isaiæ 55. *Omnes sitientes venite ad aquas*, &c. In aspectu huius aquæ, omnes delectabiliter infiguntur oculi animæ sanctæ iuxta illud Cantic. 5. *Oculi eius sicut columbæ super riuos aquarum, quæ resident iuxta fluenta plenißima,* Nec mirum si delectabilis est aspectus eius. *Nam pulchritudinem candoris eius admirabitur oculus,* vt dicitur Eccli. 43. Hæc est etiam Esther regina de qua dicitur. *Erat enim formosa valde & incredibili pulchritudine omnium oculis gratiosa,* Esth. 2.

2. Fuit quidam clericus beatissimæ Virgini deuotissimus, qui diligenter attendens illud, quod scribitur Cantic. 4. *Quàm pulcra es amica mea suauis & decora.* Et illud 7. *Quàm pulcra es & decora, charißima in deliciis.* Audiens, quod etiam intelliguntur & exponuntur de Beata Virgine, rogauit eam, vt ei dignaretur se ostendere: beatum se reputans, si eam tam speciosam semel posset respicere. Post multa venit ad eum Angelus ex parte Beatæ Virginis destinatus, & salutans Clericum, dixit ad eum. Beata Virgo exaudiuit orationem tuam, & mandat quod tali die & hora, ad te veniet, & videbis eam. Sed scias hoc esse nimis inconueniens & indignum, vt postquàm oculi tui eius speciositatem aspexerint, & decorem omnium excessiuum, postmodùm videant terrenum aliquid & caducum. Non curo, (inquit clericus,) si de cætero fiam cecus, ex quo semel eam fuero contemplatus. Cùm autem abiisset Angelus, cœpit ille ex infirmitate, multùm esse sollicitus, & cogitat, quid vltra faceret, postquàm oculos amisisset. De cætero, (inquit,) non potero scribendo lucrari panem meum, sed oportebit me alteriùs esse miserum & mendicum; & amittam omne solatium, & potero dicere cum Tobia *quale gaudium mihi erit qui in tenebris sedeo: & lumen cœli non video*? Tandem cogitauit & dixit. Quando Beato Virgo venerit, vnum oculum aperiam ad videndum, & alium claudam; & sic tantùm vnum amittam. Et cum mihi vnum remiserit, hoc mihi benè sufficit. Postquam autem assignatâ horâ, Beata & gloriosa Virgo apparuit, tantam claritatem & pulchritudinem aspexit, quod nec exprimi, nec cogitari possit. Cumque manum superpositam alteri oculo, ne eam cum illo cerneret, amoueret, vt illum oculum aperiret, & sic eam pleniùs aspiceret, Virgo gloriosa disparuit, & eam vltra non vidit. Tunc ille vno orbatus oculo, eo scilicet quo eam viderat, altero saluo quo eam non aspexerat, seipsum acriter arguebat, & mœstus nimium cum lacrymis hoc dicebat. Heu miser, quare vnum oculum clausi? Quare ambos non aperui? O vtinam

totus

totus fuiſſem oculatus, vt eam potuiſſem vidiſſe pleniùs. Cúmque diu B. Virginem exoraſſet; vt ſe iteratò ſibi oſtenderet, vt reſiduo ſaltem oculo eam vſquequaque videret, deſiderans vtroque oculo priuari vt eam poſſet iterum contemplari, Miſſus iterum Angelus dixit ei. Mandas tibi Domina mea cuius ſum nuncius. Amice, quid petis amplius? Viſne iterum videndo orbari reſiduo oculo. Cui ille. Vtique Domine. Etiamſi mille oculos haberem, optarem perpetuò pendere, vt poſſem eam perfectè videre. Cui Angelus. Et ipſa clementiſſima mandat tibi, quod eam iterum videbis, & ſuperſtitem nequaquam amittes oculum, imò recuperabis etiam perditum. Quod & non multo poſt factum fuit. Iteratò namque dulciſſima Virgo apparuit, & ſe ſibi videndam & contemplandam exhibuit, & amiſſum ei oculum reſtaurauit. Ex quo poſſumus perpendere, quantà ſit pulchritudo Virginis glorioſæ, & quam delectabile eſt eam oculis videre. Vnde & Anſelmus dicit in meditationibus. [Pulchra eſt Maria ad intuendum, amabilis ad amplexandum, delectabilis ad fruendum.]

Secundum quod delectat viſum, ſignificat quod virentia ſanctorum exempla ſunt diligenter attendenda.

3. Secundum quod delectat oculos eſt florum venuſtas, & viridium amœnitas. Vnde dicitur Eccli. 40. *Gratiam & ſpeciem deſiderabit oculus tuus, & ſuper hoc virides ſationes.* Eccli. 39. *Florete flores, & frondate in gratiam.* Quia enim ſancti floruerunt interiùs per propoſitum ſanctum, & floruerunt exteriùs per exemplum, ideò ſunt grati oculo ad videndum. Delectatur ſiquidem oculus viri iuſti cum cernit roſas Martyrum; violas Confeſſorum; lilia Virginum. Nam ſecundum Plinium l. 21. c. 5. flos roſæ inter ceteros flores obtinet principatum: & ideò principalis pars hominum, ſcilicet caput, ſolet floribus roſarum coronari. Eſt enim flos roſæ venuſtus aſpectu fragrans olfactu. Suo namque decorè reficit aſpectum, & ſua fragrantia allicit odoratum. Per quem congruè deſignatur præeminentia Martyrum. Vnde & calathus ſanguineas habens roſas, figurauit protomartyris Stephani loculum, vt habetur in legenda Inuentionis reliquiarum ipſius. Et Eccli. 50. dicitur de Simone, qui interpretatur obediens, & ſignat quemlibet Martyrem, qui Deo Patri obediens fuit vſque ad mortem. *Quaſi arcus refulſit inter nebulas gloriæ; & quaſi flos roſarum in diebus vernis.* Arcus enim cæleſtis refulget in medio nubis & ſancti Martyres rutilant in mediis tormentis. Et dicuntur eſſe inter nebulas gloriæ, quia dum affligebantur, erant in cæleſti gloria meditatione. Dicuntur autem quaſi flos redolere in diebus vernis, propter imitationem Dominicæ Paſſionis quæ fuit in tempore veris.

4. Flos violæ cùm ad perfectum venerit, caput inclinat & deprimit; & paruitatem ſubſtantiæ recompenſat magnitudine virtutis & fragran-

tiæ. Et ſanctos ſignat confeſſores, qui maximè fuerunt humiles. Vnde vnus eorum ait. [Qui ceteras virtutes ſine humilitate congregat, quaſi qui puluerem in ventum portat. Dicit & alius.] Nil ita à pueritia conatus ſum vitare, quàm tumentem animum, & erectam ceruicem Dei contra ſe odia prouocantem. Noui enim Dominum & magiſtrum meum in carnis humilitate dixiſſe. *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde.* Flore verò filij ſecundùm Plinium nihil eſt generoſius in colore, redolentius in odore, efficacius in virtute. Habet etiam flos lilij hoc proprium dum integer & intactus permanet, ſuauiter redolet; confractus autem, & manibus confricatus horribiliter fœtet. Et congruè Virginitatem ſignat, qua nihil eſt gratioſius, nihil fragrantius, dum permanet illibata, foret autem Deo & hominibus, ſi fuerit per impudicitiam violata?

5. Sancti ergo floruerunt in via per puritatem conuerſationis. Florent & nunc in patria, quoad animam per adeptionem felicitatis. Vnde Pſ. *Plantati in domo tua Domine*, &c. Florebant tandem & in corpore per dotem incorruptionis. Vnde Pſ. *Florebunt de ciuitate; ſicut fœnum terræ*: id eſt ad ſimilitudinem herbæ. Sicut enim herba in hieme moritur, & in renouatione temporis renaſcitur ſic & corpus hominis in peccati vita ſoluitur in puluerem, & in futura reſurget in incorruptionem. Benè videtur ſpiritualiter eſſe cæcus, quem non delectat florum tam ſpecioſorum aſpectus. Et ſicut aſpectus florum & viridium viſum corporalem roborat & confortat, ſic & vita ſanctorum & gloria intuentium ſpirituale robur augmentat. Vnde Greg. [Si facta præcedentium recolamus non erunt grauia, quæ toleramus.

6. Aſpiciamus ergo roſas patientiæ Martyrum, & exuentes ignauiam, fructus bonorum operum producamus. Ad quod monet Eccli. 39. *Obaudite me diuini fructus & quaſi roſa plantata ſuper riuos aquarum fructificate.* Aſpiciamus & violas humilium confeſſorum, & deponentes ſuperbiam, per humilitatis redolentiam Domino placeamus, vt poſſimus dicere illud Canticorum 1. *Cum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum.* Nardus eſt herba media, & aromatica, & humilitatem ſignat, (ſicut dicit Gloſſa, quæ Deo plurimum eſt accepta. Aſpiciamus etiam lilia Virginum & abjicientes immunditiam, ſanctimoniam inducamus. Eccli. 39. *Florete flores, quaſi lilium, date odorem.* Qui vult ergo oculos mentis reficere, debet eos ad ſanctos leuare, & cum Pſalmiſta dicere. *Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi*: id eſt in ſanctos, per altitudinem cæleſtis conuerſationis ſublimes. In his montibus amœnitatem tantam inueniet, quod multi oblectamenta deſpiciet, inſtar onagri, de quo Iob dicit 39. *Contemnit multitudinem ciuitatis, circumſpicit montes paſcuæ, & virentia quæque perquirit.* Circumſpicit enim in monte Martyrum paſcua patientiæ, in monte confeſſorum paſcua humilitatis, & obedientiæ, in monte Virginum paſcua pudicitiæ.

7. Propter iam dicta sancti congruè figurati sunt per virgas virides in parte decorticatas quas Iacob posuit in canalibus; ad quarum aspectum, oues conceperunt varios fœtus. Vt legitur Gen. 30. Virgæ istæ sunt sancti, qui quamuis essent in terra, quantum poterant, erigebantur ad cœlestia. Dicuntur autem *virides*, quia ad bonum operandum semper erant recentes, & cum consummauerant, se esse adhuc in initio reputantes. Dicuntur autem *ex parte decorticati*, quia eorum sanctitas non est nobis detecta totaliter, sed in parte, multo autem plura latent in eis intrinsecùs, quàm apparent nobis extrinsecùs. Canticorum 3. *Absque eo quod intrinsecus latet*. Hæ virgæ in canalibus sunt positæ, quia in sanctorum scriptis sunt commendatæ, & quasi quibusdam canalibus per huiusmodi scripta fluit ad nos sanctorum notitia; horum autem conuersationem debemus ante oculos habere, vt eos imitando varios fœtus bonorum operum possimus concipere.

8. Postquàm autem oculus mentis nostræ nitorem sanctorum aspexerit quem habuerunt in via, eleuari debet vt ampliùs delectetur ad intuendum etiam nitorem quem ipsi iam contemplantur in patria: de qua dicit Hugo libro 3. de claustro animæ. [Veriditas pratelli, quod est in medio claustri, oculos supernorum ciuium recreat, & eos semper suâ nouitate confortat. Nihil enim ibi vetustum vel transitorium erit, sed semper in nouitate suæ veriditatis absque dubio permanebit. In medio pratelli ponitur lignum vitæ, vt vita sed in amœnitate. Est enim lignum vitæ Sapientia Dei Patris, cuius fructus salutem conseruat, & vitam præstat.] Cùm illuc homo peruenerit. Quod petat vlterius, non habebit. Tunc enim silebit iniquitas, abundabit charitas, nec quicquam ibi deficiet, vbi vnusquisque omnia in se habentem habet. Nihil deesse poterit, quando Dei sapientia omnibus omnia prouidebit. Ibi nullus in suo ordine deficiet, quoniam in libro diuinæ sapientiæ, in quo scriptus est ordo naturæ, vnusquisque leget.

De tertio, quod delectat visum:

Quòd speculum id est Iesum Christum frequenter respicere debemus.

9. Tertium delectamentum oculi, est aspectus speculi. In libro 2. de speculis, demonstratiuè probatur, quod oculus naturaliter in speculo delectatur. Ibi enim tantummodò se speculatur eo quod in termino contactus, radij aggregantur, & in superficie specularis corporis reflectuntur. Sic & contemplatiuus oculus in æternitatis speculo delectatus, in seipsum reflecti non cessat, & ex consideratione puritatis & munditiæ quam in speculo illo aspexerat, conscientiæ maculas incessabiliter purgat. De quo dicitur Exodi 25. *Inspice & fac secundum exem-*

plar quod tibi in monte monstratum est. Et ideò dicitur Ierem. 3. ipsi animæ. *Leua oculos tuos in directum*, scilicet ad intuendum hoc speculum; *& vide vbi non prostrata sis.* Cum enim Deus & homo sint in eadem imagine, cùm anima contemplatur puritatem Dei, perpendit veritatem sui. Et ideò Iob postquàm hoc speculum respexerat defectus suos considerans, seipsum arguebat. Vnde & dicebat, *nunc oculus meus videt te, & idcircò me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere.*

10 Dicitur autem vulgariter, quòd turpis non libenter speculum intuetur ne de sua turpitudine inspecta tristetur: sic & multi in suis peccatis & immunditiis obstinati, non libenter speculum istud aspiciunt, sed ab eius contuitu se auertunt; & ideò suas immunditias non attendunt, vt auferant. Et ideò dicit Dominus Ierem. 2. *Verterunt ad me dorsum & non faciem.* Et post pauca sequitur. *Quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas?* Et quid morum si vilis facta sit, quæ speculum ad suas maculas deprehendendas non aspicit? Et ideò homines qui nec verba Dei libenter audiunt, nec eius facta & opera oculo aspiciunt, in peccatis suis tanquam iumenta in stercore computrescunt. Et ideò speculum illud frequenter respicere debemus, vt mentis nostræ maculas possimus in nobis deprehendere, & purgare. Et ideò dicitur in Psalmo. *Respice in faciem Christi tui.*

11. In aperta visione istius speculi, beatitudo consistit hominis & Angeli. Ioannis 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum,* &c. Et 1. Petri. *Inquem desiderant Angeli prospicere.* Nec mirum, quod illud speculum est purissimum. *Est enim splendor lucis æternæ, & speculum sine macula.* Sapientiæ 7. Est etiam omnium repręsentatiuum. Dicit Gregorius. [Quid est, quod non vident, qui videntem omnia vident.] Et ideò Beati in patria speculatores facti illius magnitudinis, pro tali speculatione Deum laudant, & extollunt pręconijs. Vnde dicitur Is. 52. *Vox speculatorum tuorum: leuauerunt vocem, simul laudabunt, quia oculo ad oculum videbunt.*

CAP. XV.

De Oculo Septemplici intuitus diuini.

1. DIcit Ioan. in Apocal. *Vidi & ecce, in medio throni agnum stantem quasi occisum, habentem cornua septem, & oculos septem.* Per agnum occisum, intelligimus Christum innocentissimum, mansuetum & pro nobis in ara-crucis immolatum. Per septem oculos agni intelliguntur septem proprietates intuitus diuini.

Quod diuinus oculus omnia respiciat.

2. Primò enim diuinus oculus est omnium inspectiuus ad Hebræos. *Omnia munda sunt, & aperta eius oculis.* Et Eccli. 24. *Omnia videt oculus eius.* Narrat Petrus Damiani quod homo quidam, suem furatus est alienam. Erat autem vir ille hospitalis valdè: & quia beati misericordes quoniam ipsi misericordiam consequentur, Dominus Iesus, qui nunquam obliuiscitur viros misericordiæ, statim adest in pauperis effigie, & tanquam prolixo crine, tonsuram rogauit. Ille protinus pauperi reuerenter assurgens, assumptis forcipibus tondere eum cœpit. Quod cùm faceret, in occipite eius, duos oculos latentes reperit. Quo viso vehementer expauit, & quid hoc esset, quæsiuit. Cui Iesus. Ego (inquit) Iesus vocor, qui vndique cuncta contemplor. Et isti sunt oculi, quibus vidi suem, quam in cauea conclusisti; moxque disparuit. Et ille vir compunctus, suem restituit. Et ideò dicitur Eccli. 23. *Oculi Domini multo lucidiores sole, circumspicientes vias hominum in abscondītas partes.*

Secundus intuitus diuini oculi, quo incutit timorem, Solis exemplo.

3. Secundò oculorum diuinorum intuitus est timoris incussiuus, ac per hoc à peccati perpetratione retractiuus. Fur enim non auderet furari, si sciret se à iudice videri Prou. 20. *Rex qui sedet in solio iudicij, intuitu suo dißipat omnia mala.* Et Amos 9. *Ecce oculi Domini super regnum peccans, & conteram illud à facie terræ.* Nullus auderet fornicari in oculis hominum: quanto magis confundi deberet, aliquid turpe committere ad diuinum aspectum? Bernardus: [O homo, quouis loco, quouis diuersorio, quouis angulo, reuerentiam exhibe angelo tuo, qui te custodit vt eo præsente non facias, quæ me vidente facere non audes.] Hic est magni consilij Angelus, cui patens est omnis angulus, Et quidam ait.

Cùm quid turpe facis, quod me spectante ruberes,
Cur spectante Deo non magis inde rubes?

4. In cunctis igitur quæ cogitando vel loquendo, vel agendo delinquimus, superni iudicis aspectum formidare debemus. Quia si aliquando non apparent hominibus nostra vitia, illius tamen oculis omnia sunt munda, & aperta. Et sicut videmus, quòd sol aspectu suo lutum desiccat: vbi autem non aspicit, lutum abundat: sic quia homines Dei præsentiam non attendunt, putantes eum non aspicere flagitia quæ committunt, idcirco in peccatorum sordibus vitam ducunt. Vnde Ps. *Non est Deus in conspectu eius: inquinata sunt viæ illius in omni tempore.*

Tertius intuitus diuini oculi, lacrymas pœnitentiales educit exemplo ignis.

5. Tertiò diuinus aspectus est lacrymarum pœnitentialium eductiuus. Dicitur in Apoc. 19. *Oculi eius vt flamma ignis.* Peccator autem est peccati gelicidio congelatus, & instar glaciei frigidus, & durus effectus. Et ideò sicut aspectus ignis glaciem liquefacit, sic diuinus à spectus, peccatorem in lacrymas soluit. Vnde dicitur Lucæ 22. *Respexit Dominus Perrum, & egressus foras fleuit amarè.*

Quartus intuitus diuini oculi, qui operationes strenuas promouet exemplo vineæ, &c.

6. Quartò diuinus aspectus est operationis strenuæ promotiuus. Vnde Boët. 5. de consolatione. [Magna vobis, si dissimulare non vultis, indicta est necessitas probitatis, cùm cuncta agitis ante oculos iudicis cuncta cernentis.] Dominus est sicut paterfamilias, qui pro eo, quod operarios in vinea respicit, eos magis strenuè operari facit. Ipse enim tanquam vineam Ecclesiam custodit. Vnde dicit de vinea Ecclesiæ. *Ego Dominus qui seruo eam* Isaiæ 27. Et in Psalmis dicitur; *Oculi Domini super iustos.* Dicuntur autem iusti, non quicumque, sed operarij: ad Rom. 2. *Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur.*

Quintus diuini oculi intuitus spiritualem fortitudinem confert exemplo stellarum.

7. Quintò, diuinus aspectus est spiritualis fortitudinis collatiuus, 2. Paralip. 16. *Oculi Domini contemplantur vniuersam terram, & prabent fortitudinem his qui perfecto corde credunt in eum.* Si enim planeta stellam aliam fixam vel erraticam aspectu suo fortificat, vt maioris efficatiæ, & virtutis existat, non est mirum, si aspectus Dei virtuosissimi atque fortissimi *dat lasso virtutem: & his qui non sunt, fortitudinem, & robur multiplicat.*

Sextus intuitus diuini oculi, infirmitates animæ sanat exemplo Charadrij.

8. Sextò diuinorum oculorum aspectus, est infirmitatis animæ sanatiuus. Eccli. 11. *Est homo marcidus?* Quia morbo culpæ grauiter afflictus, *Egens recuperatione*; Quia bonis spiritualibus spoliatus; *Deficiens virtute*, quia benè agendi viribus destitutus *& abundans paupertate.* Quia bonorum spiritualium inopia pregrauatus. *Et occultos Dei res-*

pexit illum in bono. Qnia aspectu suo morbum expulit, & amissam sanitatem restituit. Vnde dicit Physiologus. [Charadrius est auis colore candido, cuius talis fertur esse natura, quod si ad hominem infirmum fuerit adducta, cùm infirmi vultum diligenter considerat, vitam signat. Si autem oculos ab infirmo auertat, mortem prognosticat. Similiter & Christus conuersatione mundus, quasi colore candidus, si oculo pietatis peccatorem respiciat sanitatem eius non solùm signat, sed etiam caussat. Quod si eum non aspiceret peccator finaliter interiret. Ideò dicitur Eccli. 34. *Oculi Domini super timentes eum.* Et sequitur. *Dans sanitatem, & benedictionem, & vitam.*

Septimus intuitus ad regnum gloriæ sempiternum perducit.

9. Septimò diuinorum oculorum intuitus est ad regnum gloriæ perductiuus. Iob 36. *Deus non auferet à iusto oculos suos, & reges in solio collocat in perpetuum & illic eriguntur.* Ad illud regnum nos perducat, qui sine fine viuit & regnat. Amen.





SVPPLEMENTVM.

Antehac Lugdunensi editioni attextum; ad explendum defectum partis capitis duodecimi, & trium sequentium capitum, quæ tunc desiderabantur.

MONITIVNCVLA AD LECTOREM.

IRREPSERAT *Lacuna in Manuscriptum Codicem, è quo editio Lugdunensis anni* 1641. *adornata erat. Ea labes vt obduceretur, atque adeò ne opus hiaret, fœdeque deformatum remaneret; capita quæ in illo Codice desiderabantur, genuinis capitibus anterioribus subiuncta fuerant ex conjectura. Spectato ordine ab Autore in sua præfatione proposito. Nunc tametsi opus integrum quale ab Autore prodijt publico datur ex varijs Codicibus plenis quorum postea facta est copia: illud tamen supplementum, qualecumque demum fuerit, libitinæ quæ ipsum iure manebat, subductum est, & in hoc angulo repræsentatum ob causas adductas inter proponendum cogitationes posteriores de hoc Autore.*

.... *Et vetula intrepidè respondit percontanti cur tantam pro eius salute curam gereret; Ego cum puella essem & grauem haberemus Tyranorum, Deos sæpè fatigabam pro eius interitu. Illo interfecto, successit aliquanto tetrior cuius exitium exorasse me, postea dolui. Nam tertium te, anterioribus tru-*

culentiorem

culentiorem experti sumus dominatorem. Itaque verita ne te absumpto immanior quispiam succedat, deos pro tua incolumitate precor. Sic Prælatis antiquis successere minùs perfecti, & istis suffecti sunt deteriores, mox habituri successores vitiosiores.

Quinta proprietas Oculi.

20 QVintò, Oculus compatitur cuicunque corporis membro aliquod incommodum subeunti, & ad indicandum sensum compassionis & commiserationis suæ, emittit lachrymas. [Hinc (ex oculis) illæ misericordiæ lachrymæ (ait Plin.) Hos cùm osculamur, animum ipsum videmur attingere. Hinc fletus, & rigantes ora riui. Quis ille humor est, in dolore tam fœcundus & paratus? aut vbi reliquo tempore?] Modo consimili bonus Prælatus, cùm aliquis è subditis, corpore aut animo infirmatur, debet patienti condolere, & infirmari cum infirmante, vt exemplo suo monstrauit Paulus, qui de se dixit, *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* [Paulus, (iuxta Gregorium,) quia in se trahebat damna infirmitatis alienæ, crucem portabat in corde.] Ad quem modum facile est Prælatis in pace Ecclesiæ viuentibus, pertingere ad martyrij coronam. Nam vt dicit S. Bernardus. Triplex est genus martyrij, vnum in sanguinis effusione, alterum in carnis maceratione, tertium in proximi compassione. Itaque si Prælatus non potest obtinere martyrium sanguinis defectu persecutorum Ecclesiæ; Item si non potest durè & asperè tractare corpus suum, quia fortassis est tenui & afflicta valetudine; saltem non prætermittat martyrium compassionis, quod subibit condolendo subditis afflictis, & eorum defectibus ac necessitatibus collachrymando, sicque super se tollendo incommodum eorum per veram commiserationem. Ideò Iob, qui erat exemplum boni prælati, dicebat, *Facies mea intumuit à fletu.* Gregorius. [Facies sanctæ Ecclesiæ, sunt hi qui in locis regiminum positi, apparent primi: vt ex eorum specie, sit honor fidelis populi, etiamsi quid in corpore latet deforme. Qui nimirum Prælati fletibus, plangunt culpas infirmantium, séque sic de alienis lapsibus, ac si de propriis affligunt.] Hæc sunt vbera Sponsæ meliora vino, quia misericordia & compassio superexaltat iudicium, hoc est iustum rigorem, sicut oleum superexaltat omnes liquores, eisque supernatat, secundùm Richardum de S. Victore, qui etiam interpretatur, quod odor vnguentorum Sponsæ, dicitur esse super omnia aromata: quia [huius suauitatis fragrantia, & vnctionis spiritualis qua tam benè afficitur ad omnes, condolet, gemit, orat, & subueniri cupit; in naribus superni Sponsi, suauis omnium virtutum operibus redolet, & placere cognoscitur.]

Lib. 11. c. 37.

2. Cor. 11.

Hom. 32. in Euang.

In sententiis.

Cap. 16. 13. Mor. c. 11.

Suo c. 28. in Cant.

21. Sed ô quàm multi Prælati, cùm contingit aliquem è subiectis,

corpore vel animo infirmari, aliter se erga eos gerunt quàm oculi erga membra. Non enim illis collachrymantur, nec patiuntur aliquid super contritione Ioseph. Hoc est abdicare à se dignitatem Prælati. Nam verus Prælatus, debet esse sicut mater, & sicut nutrix alumnum suum confouens. Mater autem nunquam adeò efferatur in vteri sui infantem, vt videns eius miseriam, non compatiatur ei, & non simul crucietur ac doleat cum illo. Item nutrix tenerè diligens puellum quem lactat, ad omnes eius gemitus commouetur, nec potest viscera sua super eum claudere. Mater & nutrix non auertuntur ab infante ob eius spurcitias, & infantiles necessitates, sed ei sollicitè subueniunt, nec præ amore lassantur. Sic ergo Prælatus, ne fatigetur animo deficiens in subditorum infirmitatibus, tam spiritualibus, quàm corporalibus; atque ita monstret non modò compassionem, sed etiam sapientiam suam, suscipiendo & fouendo infirmos. *Prou.11.* *Qui enim suscipit animas, sapiens est.*

22. Est autem hoc presertim verum, cum subditus est qualis filius phreneticus, qui exacerbatur contra remedium sibi adhibitum. Non enim idcircò tunc Pater filium abiicit, sed multo magis ei compatitur, & fundit lachrymas super calamitate illius: eóque sollicitiùs illi subuenit, quo magis videt illum egentem, nec agnoscentem quod egeat. Nec hoc dico, quòd oporteat blandiri peccanti, & prætextu compassionis, veriùs crudelitatis, fouere peccata, sed ita oportet condolere malè habenti, vt tamen cohibeatur, ne ei peius fiat. Augustinus. *In Psal. 100. & 101. & hom. 6. ex 50.* [Duo sunt nomina, homo & peccator. Quia peccator est, corripe; quia homo miserere.] Legitur de quodam patre qui videns serpentem circumplicatum corpori filij, tam dextrè sagittam intorsit in serpentem, vt filium non læserit. Similiter ergo sæuiendum piè est in peccatum; personæ autem impendenda compassio & collachrymatio, quod non faciunt illi Prælati, quorum *furor carnificalis*, vt dicit D. Gulielmus Aruernus, multum abest à vero Zelo, qui compassione & dulcore misericordiæ leniri debet. *Lib. de moribus c. 8.* [Multum verò interest inter atrocem carnificinam, & piam disciplinam: nec minùs quàm inter Chirurgicam modestiam, & trucidantem insaniam]

23. Tenenda itaque est moderatio quam sapiens ille Antistes præscribit, ducem secutus Antistitem summum S. Gregorium. Cauenda est vt falsa misericordia & impiissima pietas, qua nulla maior crudelitas; ita durities immisericors. *Hom. 32. in Euang.* [Compassionem animi (inquit Gregorius,) plerunque latenter obsidet pietas falsa, vt hanc nonnunquam vsque ad condescendendum vitiis pertrahat, cùm ad culpas quisque non debeat compassionem exercere, sed zelum. Compassio quippe homini, & rectitudo vitiis debetur; vt in vno eodémque homine, & diligamus bonum quod factum est, & persequamur mala quæ fecit: ne dum culpas incautè remittimus, non iam per charitatem compati, sed per negligentiam concidisse videamur.] Per hanc veram compassionem zelo per-

mistam, Prælatus probat se esse gregis Dominici canem, qualem eum vocat Gregorius super illud Iob *non dignabar eos ponere cum canibus* Iob. 30.
gregis mei; & Augustinus in illud Dauidis *lingua canum tuorum.* Canis Ps. 67.
ita mordet inimicos, vt lingat vlcera, & eorum saniem extergat. Quod ab illo Sancto Episcopo Gallo de quo scribit Cæsarius corporaliter in Lib. 8.
vno leproso ex charitate semel factum, quotidie in pluribus à Sanctis cap. 32.
pastoribus ex syncera compassione exercetur.

14. Est etiam alia falsa compassio cauenda, qua aliqui ita compatiuntur subditis, vt sibi sint nocumento, ob nimiam compassionem, & excessum afflictionis de aliorum culpa. Sic oculus aliquando propter nimiam lachrymationem, & compassionem immoderatam erga alia membra, valdè læditur, & interdum etiam excæcatur. Nam legitur de quibusdam mulieribus, quæ ob nimium ploratum in morte maritorum aut filiorum, lumine oculorum sunt orbatæ, salsugine lachrymarum & humoris acrimonia, visum exedente. Imo Hieremias præ nimietate ploratus, adductum se in mortis discrimen testatur. *Oculus meus*, (inquit,) *deprædatus est animam* Thren. 3.
meam, id est, vitam vocauit in discrimen. Similiter ergo aliqui Prælati, propter nimiam compassionem erga subditos delinquentes aut infirmos, dum nimiùm tristantur de eorum damno, eripiunt sibi visum animæ, & in vitæ spiritualis discrimen veniunt, malè memores quomodò Deus erga peccantes se habeat, non enim idcircò perdit suam pacem. Nec item SS. Angeli, cùm vident suam pro nobis sollicitudinem abire irritam, amittunt suam tranquillitatem & beatitudinem.

15. Porrò oculus non collachrymatur tantùm membris valdè nobilibus vel valdè necessariis, v. g. non tantùm lachrymatur, si caput offendatur, quo pereunte periret. Nec tantùm lachrymatur, si lædatur cor, quod est fons vitæ, & quasi Rex in corpore: Vel si stomachus videtur, qui est communis omnium membrorum promuscondus. Sed quodcunque tandem corporis membrum, etiamsi vilissimum, offendatur, puta pes, aut extremus digitus, oculus ei impendit lachrymas compassionis. Modo consimili, Prælatus non debet spectare in subdito vt ei compatiatur, cuius sit conditionis; an nobilis, an doctus, an sapiens: Sed quisquis sit subditus qui corpore aut animo infirmatur, debet ei compati ex animo, & subuenire pro posse. Sicut faciebat S. Paulus, qui simpliciter & absolutè dicebat, *quis infirmatur, & ego non infir-* 2. Cor.
mor. Nec quærebat an is qui infirmabatur, esset Episcopus, vel magnæ 11.
inter fideles autoritatis. [Hoc erat, (inquit Chrysostomus,) quod tri- Homil.
bulabat ipsum, & angebat, ac sauciabat eius mentem, quod in singu- 20. in
lis infirmis hæc pateretur, quicunque illi essent. Non enim de maio- 2. Cor.
ribus quidem dicebat, minores autem despiciebat, sed etiam abiectum inter necessarios ponebat. Ideò dicebat, *quis infirmatur?* quisquis fuerit.] Apud diuinum oculum non est personarum acceptio. Æmuletur

ergo Deum pius Prælatus, & diuinam erga quoscunque subditos ęquitatem imitetur, compatiens omnibus. Et sicut in corpore, œconomus à Deo constitutus, nempe hepar, non suppeditat alimentum conueniens soli cordi aut cerebro, sed omnibus planè membris, prout eorum necessitas postulat, ita in corpore mystico, fidelis seruus & prudens quem constituit Dominus super familiam suam, non debet curare aliquos tantùm, abiectis cæteris simili vel maiori necessitate grauatis; sed debet omnibus condolere, & collachrymari, ac subuenire prout potest.

Sexta proprietas oculi.

26. Sextò, Oculus habet in palpebris pilos, quorum quantitas non augetur. Id enim est maximè admirabile in palpebris oculorum. [Qua de causa, (inquit Chrysostomus,) dic mihi, capitis quidem capilli crescunt & detondentur, ciliorum verò minimè? Neque enim hoc nobis temerè & casu factum est, sed ne se demittentes, oculos obtenebrarent; quod ad profundum deducti senium, patiuntur.] Consimili modo, cilia palpebrarum oculi spiritualis, siue Prælati, non crescunt procedente tempore. Sunt enim cilia, oculi tela & hastilia. Sicut namque in spicis aristæ, (iuxta Chrysostomum,) tanquam quædam prætenta spicula aues repellunt, non sinentes fructui insidere, & stipulam infirmiorem diffringere; sic profectò & in oculis velut quædam aristæ & spicula, prętentæ sunt palpebrarum setæ; puluerem, & festucam, & omnia vexantia extrinsecùs, repellentes ab oculis, nec palpebras infestari sinentes.] Animalcula quoque his quasi teniculamentis, repelluntur ab oculo, vt ait Theodoretus. [Vbi enim cilia, instar palorum & sudium præfixa conspexerint, retrò fugiunt.] Sunt igitur cilia velut tela, & hastilia oculi: quæ in spirituali oculo siue Prælato, non debent crescere processu temporis, quia Prælatus ob longi temporis regimen, non debet fieri subditis magis metuendus, atque terribilis.

Hom 11. ad pop. — *Ibid.* — *Orat. 3. de prouid.*

27. In quo labuntur quidam Prælati, qui initio prælationis, sunt satis affabiles subditis; postea verò cùm per longam in prelatione moram contraxerunt habitum imperandi, fiunt morosi; ac per diuturnum vsum viuendi suo nutu, & extra alienum ductum, feruntur ad regendum cum summo imperio & terribiliter; dominantes fidei subditorum, quod se fecisse negat Apostolus. Tales Prælatos, Sapiens appellat *ictum fluuij*; quia sicut ictus fluuij, vulgo *filum aquæ* incitatum, rapidissimè decurrit, & omnia obuia, inordinatè ac ferociter conuoluit; lætas segetes boúmque labores, domos perpulchras, & virentia prata, vel amœnissimos hortos, nullo discrimine vastat: Ita imperiosus Prælatus, cùm longo vsu imperandi, dedidicit subesse, omnia in quæ incurrit, abripit. S. Gregorius, huiusmodi Superiorem vsque ad eius similitudinem perduci ait, qui omne sublime videt, & est Rex super vniuersos

1. Cor. 1. — *Eccl. 4.* — *2. p. pastor. c. 6.*

filios superbiæ; quia [in luxum superbiæ, ipso potentiæ fastigio lenocinante, corrumpitur.]

28. Qui talis est, deberet repelli à ministerio Christi, ac præpositura super eius familiam, qui est gradus oculi spiritualis in corpore mystico. Est enim lippus, & albuginem habet in oculo: quod genus hominum Deus à sacro ministerio repellebat, iuxta eundem Gregorium. Habet albuginem, quia stultum te & peccatorem non intelligit, quæ nigredo necessaria est oculo, vt videre possit. Lippus est, quia sensum à natura fortè datum, conuersationis prauitate tanquam viscidi & crassi humoris turbiditate, confudit. Itaque quamuis initio fortè fuerit frugi, sibique & aliis ducatum præstare vtcunque potuerit; tamen longo vsu imperfectè operandi, propter impunitatem delinquendi, & diuturnam ab aperta reprehensione immunitatem, quam ferè aduehit prælatio, hebetudinem spiritualis visus contrahit, fitque sibi in exitium, & aliis in exterminium. *1. p. pastor. c. 11.*

29. Iste est oculus ille superbus, quem Dauid auersabatur. *Oculus sublimis*, qui à Sapiente, primus ponitur inter ea quæ odit Dominus. *Oculus excelsus, cuius palpebræ in altum surrectæ. Oculus nequam*, qui aliorum defectus, etiamsi exiguos videt, suos tametsi trabales, non videt. Quæ est similitudo illius (vt ait) magnæ difficultatis motæ à Richardo de S. Victore circa oculum corporeum [qui videndo non sentit vbi est, & sentit vbi non est. In cœlo vbi vtique non est, stellam positam videt: palpebra tamen obductus, ipsam sub qua latet palpebram non videt. Cæteri sensus corporei, sola adhærentia sentiunt, & discernunt. Solus oculorum sensus ad adhærentia hebet, ad longinqua & remotissima viget.] Et quo plus spirituales oculi pergunt sic se habere, eo magis circa se hebescunt, quia acquirunt habitum: Vnde in dies euadunt nequiores, & minùs apti ad præstandum corpori mystico ducatum, quod non contingit oculo corporeo penes hoc caput, quia operando non acquirit habitum. Itaque talis oculus scandalizans, sempérque nequior, eruendus est, & proiiciendus à corpore mystico, tanquam monstrosus, quia crescunt in eo cilia procedente tempore. *Ps. 100. Prou. 30. Lib. 4. de Trinit. c. 2.*

30. Non debent etiam spiritualium oculorum cilia crescere, quatenus cilia, sunt velut suggrandia arcentia ab oculo incommoditates. Prælatus enim processu temporis non debet fieri sollicitior de suis incommodis declinandis, quàm initio esset. Aliquibus Prælatis, in sui regiminis principio, magna cura est vt præluceant subditis verbo & exemplo, nec à se alienum ducunt quicquam, quo subditos grauent. Postea tamen, quia raro dicitur illis *cur ita facis?* alligant onera grauia & importabilia super humeros hominum; digito autem suo nolunt ea mouere, quod est vitium Pharisaïcum à Christo reprobatum. Bonus Prælatus, non debet pro sua parte refugere sustinentiam incommodorum quibus tota congregatio subiacet: nec debet culmen potestatis qua cęteris pręeminet, & libertatem ei potestati coniunctam, in

occasionem carnis dare. Sed quanto plus cæteris potest, tanto & aliis virtutibus, & sui odio debet eminere. Cùm S. Benedictus piè constituisset, vt Abbas cum hospitibus seorsim ad mensam recumberet, postea tamen deprehenso damno, iussus est Prælatus à conuentu & communi mensa non recedere, & fidelem dispensatorem hospitibus assignare comitem. [Tunc enim (vt ait hoc referens Magister Petrus,) tolerabilior omnibus quælibet habetur inopia, cùm ab omnibus æquè participatur, maximè verò à Prelatis] Et addit exemplum Catonis qui in magna siti totius exercitus, oblatum à quopiam aquæ pauxillum recusauit, quo pacto omnes ad sitim tolerandam animauit. Elisæus venit ad scindenda ligna cum filiis Prophetarum. Abimelech vt induceret milites ad strenuè laborandum, dixit eis, vt facerent quod ipsum facere viderent. Dauid quia non fuit cum exercitu in obsidione vrbis hostilis, sed mansit domi, expectans donec ad triumphandum vocaretur, quia in labore hominum non fuit, turpiter cecidit.

In reg. cap. 56.

Petr. Abelard epist. 8. quæ est reg monial.

31. Quod ergo semper debet in Prælato crescere, est amor in Deum, & charitas erga suos, de conscientia bona, & fide non ficta. [Cum honor crescit, etiam sollicitudo proficiat (aiebat Virgilio Episcopo S. Gregorius, & erga cæterorum custodiam vigilantia excrescat. Vitæ quoque merita subiectis in exemplum veniant, & nunquam sua per suscepti honoris gratiam, sed lucra cœlestis patriæ, Prælatus acquirat.] Crescere autem potest honor, non intensiuè tantùm, sed etiam extensiuè, cùm prorogatur & diutiùs durat. Itaque non ei duntaxat qui ad prelationem primùm euehitur, sed & ei qui in ea prorogatur, rectè dicitur, cùm honor crescit, etiam sollicitudo proficiat. Oculus quidem corporis procedente tempore euigescit, & longè hebetiùs videt, fitque ad functionem suam minùs habilis, quia eius virtus est corporea, & diuturniore vsu atteritur. At oculus animæ semper magis perficitur, secundùm Platonem, qui idcirco senes esse sapientiores affirmat. Idem ergo cernatur in oculo mystico, si verè spiritualis est, & non corporeus ac materialis.

Lib. 4. epist. 51.

Septima oculi proprietas.

32. Septimò, Oculus hoc habet, vt eius maculæ quantumuis paruæ, deformiores habeantur, & citiùs prodantur & appareant, quàm maculæ aliarum corporis partium. Nam pedis, & femoris, vel humerorum macula, facilè occultatur, sed labes oculi in prospectu est, & prima omnium aspicitur, censetúrque longè maior & turpior, quàm si esset in aliis membris. Modo consimili, maculæ inferiorum facile latent, sed maculæ superiorum sunt in propatulo, & quia eminent, statim videntur ab omnibus. Sicut dicit Boëtius. [Multorum minùs pateret indignitas, si nullis honoribus inclaresceret.]

Lib. 3. de cons. prosa 4.

33. Eorum qui cæteris eminent, vt eximiæ dotes, ita & dedecora

ſtatim incurrunt in contuentium oculos. Seneca ad Neronem. [Alia *Lib. 1.*
eſt conditio eorum qui in turba quam non excedunt, latent. Quorum *de Clem.*
& virtutes, vt appareant, diu luctantur, & vitia tenebras habent. Ma- *cap 8.*
gnorum facta, dictáque rumor excipit.] Et Plinius ad Traianum. [Ha- *In pa-*
bet hoc magna fortuna, quod nihil tectum, nihil occultum eſſe patia- *negyr.*
tur. Principum verò non modò domus, ſed cubilia ipſa, intimóſque
receſſus recludit, omniáque arcana, noſcenda proponit famæ.] Legitur
in Salluſtio quod Cæſar rogatus ſententiam, ſic reſpondit apud PP. *In bello*
Conſcriptos. Qui demiſſi in obſcuro vitam agunt, ſi quid iracundia *Catilin.*
deliquere, pauci ſciunt. Fama atque fortuna eorum, pares ſunt. Qui
magno imperio præditi in excelſo ætatem agunt, eorum facta cuncti
mortales nouere. Ita in maxima fortuna, minima licentia eſt.

34. Et propterea bonus Poëta, licèt homo malus, dicebat Liuiæ *Ouid. in*
vxori Auguſti. *conſ.*

Impoſuit te alto fortuna, locúmque tueri
Iuſſit honoratum: Liuia perfer onus.
Ad te oculos aurêſque trahis, tua facta notamus,
Nec vox miſſa poteſt Principis ore tegi.

Et Claudianus Honorio. *In panegyr. de 4. Hono conſ.*

Hoc te præterea crebro ſermone monebo,
Vt te totius medio telluris in orbe
Viuere cognoſcas; Cunctis tua gentibus eſſe
Facta palam, nec poſſe dari Regalibus vſquam
Secretum vitiis. Nam lux altiſſima fati,
Occultum nihil eſſe ſinit, latebráſque per omnes
Intrat, & abſtruſos explorat fama receſſus.

Denique Poëta Chriſtianus. *Gunterus l. 4.*

Nec Princeps latebras, nec Sol deſiderat vmbras;
Abſcondat Solem, qui vult abſcondere Regem.

35. Itaque prudentiſſimè D. Philippus Abbas bonæ ſpei qui vixit *Epſt 3*
tempore S. Bernardi, admonet Prælatum, vt ſit maximè ſollicitus de
ſanctimonia vitæ ſupra omnes domeſticos, ſi non vult de dignitate de-
jici, & haberi deridiculus. [Dignitati (inquit) comes indiuidua, ſan-
ctitas aſſignetur, vt eius conſortio tanquam muro inexpugnabili mu-
niatur; Cuius patrocinium ſi inuenta fuerit dignitas non habere, com-
pelletur detrimento, iuſtóque contemptui ſubiacere.] Ita planè effun-
ditur contemptio ſuper Principes, & quibus dignitas venerationem
deberet conciliare, perſpectæ nimiùm ob gradus eminentiam imperfe-
ctiones, pariunt deſpectionem. Quod non contigiſſet eis, ſi eſſent in
humili ſtatu collocati, nec ſupra cæteros per munus quod obtinent,
collocarentur; indéque creſcit infamia & dedecus Prælati, vnde auctior
& maior debere eſſe gloria videbatur. Idem Abbas. [Dignitas, eum *Ibid.*
quem efficit gradu & ordine celſiorem, reddit etiam conſequenter,
longè latéque cæteris notiorem: Et cuius vitam indigna conuerſatio

deprimit & inceſtat, inceſtum eius dignitas quaſi Prælato lumine manifeſtat.] Nimirum ſicut dicit Apoſtolus. *Omnia quæ arguuntur, à lumine manifeſtantur. Omne enim quod manifeſtatur, lumen eſt.* Qui igitur in luce & ſole dignitatis collocantur, ſicut ſunt manifeſtiores, ita facilius arguuntur & contemnuntur. Quod S. Bernardus grauiter Eugenium admonuit.

Ephe*ſ*.5. Lib.2 de conſ.c.7.

36. Sed hoc exiguum eſſet damnum, ſi in contemptione Prælati, manifeſtatis eius defectibus ſiſteretur. Verùm quod eſt longè magis extimeſcendum, nihil procliuius, quàm vt Prælati velut oculi defectum, ruina totius corporis conſequatur. Omnes enim ad ea quæ in Prælato conſpiciunt, ſe conformant. Vnde ſi oculus myſticus tenebreſcat, totum corpus tenebroſum erit. [Quandoquidem oculus, (inquit S. Iſidorus Ægyptius) vniuerſum corpus moderatur, faciémque exhilarat & exornat, atque omnium membrorum lucerna eſt, propterea velut in regia quadam ſede collocatus eſt, vt qui ſupernam ſedem nactus ſit, aliiſque ſenſibus præſideat. Quæmadmodum enim Sol in terrarum orbe, ſic quoque oculus in corpore eſt. Et quemadmodum ille ſi extinguatur, omnia perturbabit; ſic etiam extincto oculo, & pedes & manus, ac totum penè corpus, inutile reddetur. Prælatus, corporis ſacri oculus eſt. Quare ſi hic lucidus fuerit, hoc eſt virtutum radiis ſplendeat, totum corpus lucidum erit, vtpotè quòd ab ipſo regatur & gubernetur, eámque quam par eſt, curam conſequatur. Si autem tenebroſus ſit, hoc eſt ea quæ tenebris digna ſunt, perpetret, vniuerſum propemodùm corpus obſcuratur.] Nemo ergo amplius in Eccleſia nocet, quàm qui peruersè agens, nomen ſanctitatis habet, vt ait in hanc rem S. Gregorius.

Lib. 2. Epiſt. 112. 1 p. paſtor.c.2.

37. Tandem paruæ oculorum maculæ, cenſentur longè maiores quàm cæterarum corporis partium grandiores neui; & labeculæ quæ in aliis partibus non curarentur, in oculo maximi fiunt: Simili modo, culpæ quæ in aliis cenſerentur exiguæ, in Prelatis habentur magnæ. Et ideò Deus, idem ſacrificium expiatorium depoſcebat pro ſolo ſacerdote, plebis fidelis Prælato, quod pro tota plebe. [Quod quidem, (iuxta S. Chryſoſtomum,) quid aliud ſignat, quàm Sacerdotis vulnera maiori medicamento atque auxilio indigere, atque adeò tanto, quanto coniuncta ſimul vniuerſi populi vulnera indigent? Porrò maiori nequaquam indigerent, niſi ea grauiora forent. Atqui grauiora certè fiunt, non natura ipſa, ſed Sacerdotis qui ea commiſerit conditione & dignitate.] Ob hanc ipſam cauſam, vulgaris puella quæ turpiter ſe geſſiſſet, mitiùs plectebatur, quàm filia Sacerdotis quæ ſimiliter deliquiſſet. Nam filia Sacerdotis comburebatur, quia ob paternam dignitatem maiorem, iniquitas filiæ Sacerdotis habebatur maior.

Leuit.4. Lib.6.de Sacerd. Leuit. 21.

38. Itaque ex celſiore loco, grauior eſt caſus, & maior ruina, pleniórque contritio, quia culpæ grauitas non eſt tantùm æſtimanda penes damnum quod infert Prælato peccanti, ſed etiam penes damna quæ

infert

infert aliis qui ad eum attendunt. Et considerãda quoque est maior indignitas ex parte Prælati, qui honoratus à Deo vicaria numinis dignitate, & præpositus aliis, tamen delinquit. Sicut enim eius ingratitudo plenior est, ita & iniquitas maior. Iuxta Ambrosium, Prælatus oculorum in corpore officium obtinet, vt reliquum corpus ducatum lucis assequatur. Vnde si obnubiletur nequitiæ cæcitate, non solùm quia ipse malè agit, dignè perit; insuper & alios indignè perdit, quia sicut ipse cunctos respicit, ita etiam cunctorum oculi in illum respiciunt. Atque ita multo maior & tetrior est eius labes, quàm si in humili quopiam mystici corporis membro cerneretur, & verum apparet quod dixit S. Gregorius. [Grauius ergo onus de honore nascitur.]

CAP. XIII.

De quatuor rebus quas spirituales oculi debent iugiter contemplari.

1. OCuli spirituales debent esse semper intenti in contuitu quatuor obiectorum. Primum est, Deus; Secundum, Christus Dominus; Tertium, Sancti, cum anteriores, tum præsentes; Quartum nos ipsi. Horum enim obiectorum visio, immensæ est vtilitatis, & idcirco sæpè præcipitur in sacra Scriptura.

Obiectum primum oculorum spiritualium, Deus.

2. Deus est obiectum dignissimum in quod iugiter designantur oculi nostri, iuxta illud. *Oculi mei semper ad Dominum.* Et rursus. *Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum.* Et hoc multis de causis. Nam Deus est principium nostrum, dans vitam, inspirationem, & omnia, in quo viuimus, mouemur, & sumus. Ipse est patientia nostra in tribulationibus, refugium in necessitatibus, misericordia in via, corona in gloria. Atque ita debemus semper Deum spectare vt causam nostri esse, vt subleuatorem necessitatum nostrarum, vt iudicem, & coronatorem operum nostrorum. *Ps. 24.*

3. Perspicuum est, quòd Deus sit causa nostra in genere entis: Nam si non essemus ab eo, qui ex se est, procreati, cur non semper fuissemus, aut quomodò desinere aliquando possemus. Sed quia sumus factura Dei liberè agentis, incepimus esse quando ipsi libuit, & desinemus quando subtrahet manum suam, & succidet nos. Est item Deus causa nostra in genere gratiæ. *Ipsius enim factura sumus, creati in Christo* IESV *in operibus bonis, quæ præparauit Deus.* Et meritò dicimur à Deo creati, quia sicut in creatione deest subiectum, résque *Ephes. 2.*

producitur nullo ipsius præexistente quod concauset quoquomodo existentiam, ita quando accipimus primum esse supernaturale, nullum nostrum meritum propriè dictum ad id interuenit, sed pura causalitas efficientis Dei, sine qua nullam gratiam consequeremur. *Non enim sumus sufficientes cogitare aliquid tanquam ex nobis, sed omnis sufficientia nostra ex Deo est.* Et, *nemo potest dicere Dominus* IESVS, id est, velle credere Christum esse Saluatorem nostrum, qui est primus actus liber supernaturalis, *nisi in Spiritu sancto.*

4. Quis itaque non videat, quàm sit stultum, gloriari de eo quod aliunde habes? Iuxta illud Apostoli, *Quid habes quod non accepisti?*
1.Cor.4. Nempe inter ea quæ sunt verè bona, siue naturalia, siue supernaturalia & pertinentia ad salutem Nam peccata & defectus, non accepimus à Deo, sed habemus ex nobis: *si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Itaque si omne bonum nostrum naturæ & gratiæ est à Deo, qui gloriatur, in Domino glorietur. Aspiciat quisque in autorem & consummatorem fidei, eique honorem pro omnibus suis bonis deferat, sibi autem confusionem faciei. In cuius rei signum, iubebat Deus, *Non plantabis lucum & omnem arborem, iuxta altare Domini Dei tui*: quia vt dicit quidam Sapiens, non licet sibi arrogare plantationem bonam, factam in anima, & inde altare Dei inumbrare, siue diuinam claritatem & gloriam minuere. In eiusdem rei signum dicitur in Exodo, *Si super altare cultrum tuum leuaueris*, id est, si tibi adscripseris, & acumini tuo ac industriæ tribueris tuum bonum opus, *polluetur.* Esse autem magnam impudentiam sic extolli de bono non suo, expendit egregiè Richardus premens illud Apostoli. *Quid habes quod non accepisti?*

Deuter. 16.

5. Hinc est, quod multi in via salutis ruunt ac pereunt. Quemadmodum enim funambuli, nisi oculos semper sursum erectos habeant, in præceps abeunt & colliduntur, ita & nos, vt ait Chrysostomus, cùm viæ insistamus longè arctiori, & ad cælum vsque protensæ, nisi semper sursum corda & oculos ad Deum conuertamus, cademus deorsum, & deiiciemur in æternum exitium. Idcirco multis expedit, vt Deus permittat illos cadere, sicut dicit Augustinus de Iudæis; permisisse Deum vt Iudæi ruerent in immania peccata, quoniam tanta erat eorum superbia, vt tali humiliatione esset deiicienda. Et hoc est quod ait Gregorius, super illa verba, *propter superbiam, quasi leænam capies me*, quod mira dispensatione pietatis, ante superbi oculos res quælibet in quam corruat ordinatur. Sicut leænæ vt capiatur, ouis in fouea obiicitur, in cuius secretiore parte, cauea per quam leæna securè educatur, constituitur; & sic clausa sine timore extrahitur. Habemus exemplum Nabucodonosoris, qui decreto vigilis efferatus est, & fœnum vt bos comedit, donec cognosceret quod potestatem haberet Altissimus in regno hominum. Item exemplum illorum Regum, quorum Deus baltheum dissoluit, & præcinxit fune renes eorum, id est illarum

regiarum quondam animarum, quas Deus ob superbiam siuit cadere in fœda peccata, vt disserit S Gregorius, qui alibi quoque ait, hoc esse de vtero Dei egredi glaciem, & gelu de cœlo generari.

6. Respiciendum præterea est in Deum, vt in subleuatorem quarumcunque nostrarum necessitatum: quod Scriptura perpetuò celebrat, inculcans quod Deus est adiutor in opportunitatibus, in tribulatione, & quod pugnat & patitur nobiscum; descenditque cum Azaria & sociis eius in fornacem. Item quod descendit cum Iosepho in foueam, & in vinculis non dereliquit eum. Et alibi laudatur Deus quod redemerit sibi ex Ægypto gentem & Deum eius. Quod si redemptus est, captiuus ergo erat cum captiuis. Denique alibi dicit *cum ipso sum in tribulatione*, nimirum quia adiuuat eum qui tribulatione premitur, ita vt rectè dixerit Propheta, *In omni tribulatione eorum non est tribulatus*? Quando contigit, vt in aliqua eorum tribulatione, Deus non se gesserit perinde ac si tribulatio ipsum attingeret? Quando defuit illis, vel solatium & auxilium ne deficerent, non præbuit? Quis sperauit in eum & confusus est?

7. Sunt ergo stulti, qui cùm haberent Deum paratum ad illis opitulandum, statuerunt potiùs oculos suos declinare in terram, ponentes carnem brachium suum, eique maledictioni se subiicientes qua feriuntur qui confidunt in homine: Detestabiliter verò stulti sunt, qui quærunt à Satana auxilium in necessitatibus suis, v. g. in morbis: vt ille Rex, qui auersis à Deo oculis, consuluit Beelzebub, Deum Accaron, cùm posset ad Deum verum cum fructu recurrere. Satanæ enim remedia, omnibus sunt nocentiora vulneribus, vt S. Leo admonuit. Et qui ita ad Satanam recurrunt in morbis, adhibentes ligaturas vel incantationes, fiunt cultores Diaboli, sicut dicit Chrysostomus. Sicut è contrario, qui dicit cum Ezechia ægrotante, *Attenuati sunt oculi mei suspicientes in excelsum*, vel mox curatur, sicut Ezechias per miraculum curatus est; vel si perseuerat patiens, expectans Dei misericordiam, secundùm Augustinum, [fit martyr in lecto, coronante illo, qui pro illo pedendit in ligno.]

8. Insuper respiciendus est Deus, vt idoneus ac legitimus iudex actuum nostrorum, eiúsque sensus exquirendus, neglecto contrario sensu cuiuscumque alterius. De B. Maria dicitur, [arbitrum mentis solita non hominem, sed Deum quærere.] Modo consimili, omnes Sapientes habent oculos in hoc suo capite, vt ait Salomon. Nam de oculis corporis, non esset mirum, quod dicit oculos Sapientis esse in capite eius, cùm nullum sit animal quod alibi oculos habeat, quàm in capite. Igitur de animi oculis, tanquam peculiare sapienti dictum est, quòd oculos in capite, id est in Deo iudice habeat, sicut dicit Gregor. Nyssenus, quia Deum solum respicit, & à solo eius ludicio pendet. Est enim summè sapiens; vnde non potest falli; & summè bonus, vnde nec fallere potest, & rectitudinem iudicij quòd ferendum

agnoſcit, velle peruertere: ac proinde ſtandum eſt eius iudicio; & vel ſi mundus totus ſtet in contrarium, non eſt ab eius ſenſu recedendum, iuxta illud Auguſtini, [Cælum tonat, ranæ taceant.] Optimè Gregorius Theologus. Dei iudicium cordatis hominibus, pluris faciendum magiſque curandum eſt, quàm omnium aliorum in vnum coactorum. An tu duos quidem homines, quorum alter acutior & ſagacior, alter imperitior & hebetior eſſet, de eodem negotio in conſilium adhibens, haud recta mente præditus eſſe videreris, ſi relicto prudentis conſilio, iudicium imperiti ſequereris; (neque enim Roboam ex eo laudem eſt conſecutus, quod pro nihilo habita ſenum ſententia, iuuenum conſiliis paruit:) cùm autem Deus & homines inter ſe expendantur, iudicia hominum potiora duces quàm Dei ?] Intendamus ergo in Deum oculos, & ab eius iudicio pendeamus, poſthabitis corruptis hominum iudiciis.

9. Tandem reſpicere Deum debemus, vt remuneratorem bonorum operum. Aliqui valdè ſtultè ſpoliant ſe mercede quam pro ſuis actibus ſperare poterant, vt aliquem gloriæ fumum conſequantur, & honorificentur ab hominibus. Ideò cum benè faciunt, canunt tuba ante ſe. Sed receperunt mercedem ſuam. Laudatur Ozias, quia fecit quod rectum eſt, ſed etiam quia in conſpectu Domini, id eſt quia Dei ſolius laudem & approbationem in bono opere quæſiuit, vt dicit Chryſoſtomus, qui contra eum qui aliter ſe gerit, addit. [Quid facis homo? Alij redditurus es rationem factorum tuorum, & alium teſtem citas eorum quæ facis ? Alium habes iudicem, & alium adhibes ſpectatorem ? Non vides aurigas, qui prætercurrentes totam illam ſtadij partem qua vniuerſa ciuitas è ſublimi ſpectat, ſedens in equeſtri certamine, ibi contendunt concertatorum currus ſubuertere, vbi Cæſarem viderint ſedentem, & vnum oculum, digniorem cui fidant, ducunt, quàm tot hominum vultus? At tu cùm videas ipſum Angelorum Regem, tuo curſui, agonothetam, hoc eſt certaminis iudicem, & præmiatorem, præſidere; eo prætermiſſo, ad conſeruorum fugis oculos? Atque ideò ſanè poſt innumeras luctas incoronatus recedis; poſt ſudores plurimos, abſque brauiis venis ad agonothetam. At non talis erat Ozias, ſed in conſpectu Domini faciebat quod rectum eſt.

Chriſtus Dominus, obiectum ſecundum oculorum ſpiritualium.

10. Poſt Deum in ſeipſo, neceſſe eſt vt oculi noſtri ſemper ſint defixi in Deum hominem, ſiue Chriſtum qui eſt caput noſtrum homogeneum; & eodem proportione modo ſe habet ad nos, quo ipſemet Deus. Nam eſt cauſa noſtra atque principium; Eſt item refugium noſtrum & virtus, & legitimus arbiter ac iudex noſter, cui Pater omne iudicium dedit, ac denique eſt agonothetes & remunerator noſter.

Est Christus Dominus causa nostra in ordine gratiæ, & idcirco dicitur *pater futuri sæculi* & sponsus Ecclesiæ. Omnes enim ex eo patre, & ex Ecclesia matre procreamur, omnes de plenitudine eius accipimus. Ipse omnibus gratiam promeruit, & remissionem peccatorum. Ipse fidelibus per ministerium Ecclesiæ sanctificationem quotidie impertit. Itaque nobis quoque dicitur illud Isaiæ. *Attendite ad petram vnde excisi estis, & ad cauernam laci de qua præcisi estis. Attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram quæ peperit vos.* Glossa. Attendite ad Christum patrem multarum gentium, & ad Ecclesiam quæ priùs sterilis peperit vos. Christus est secundus Adam, quia nos genuit ex matre omnium viuentium Ecclesia. Legitur de S. Ephrem, quod ingressus Edessam, obuiam habuit meretricem, ipsum intentissimè contuentem, de quo valdè miratus, cùm eam interrogasset cur ita faceret, accepit responsum sapiens, *quia ex te viro sumpta sum.* Similiter igitur, quia ex Christo sumpti sumus, debemus in eum iugiter respicere, nec vnquam ab eo auertere oculos.

11. Nec tantùm Christus, est causa nostra efficiens & veluti pater, sed etiam est exemplar nostrum, & idea. Quemadmodum enim architectus, priusquam ædificet, præconcipit domum ad cuius imitationem construat ędificium quod molitur; ita Deus cùm aliquem formaturus est in filium adoptiuum, habet propositam formam filij naturalis, quam vult adoptiuo filio secundùm eius capacitatem imprimere, quia intendit eum conformem facere imaginis filij sui naturalis, qui proinde est idea nostra. Et propter omnes *sanctificantes se*, vt dicit Apostolus, *sicut & ille sanctus est*, conformantur exemplis Christi, eúmque sibi proponunt pro Idea, inspicientes & facientes secundùm exemplar.

12. Respicere insuper debemus Christum, tanquam refugium nostrum. Non est enim homo qui non peccet, & multiplices irascendi causas Deo prębeat. Vnde totum refugium nostrum est Christus, præsertim crucifixus, in cuius vulneribus, abscondimur iuxta monitum Isaiæ, *Ingredere in petram, abscondere in fossa humo, à facie timoris Domini.* Bernardus. [Si intellexerimus fossam humum, illam quæ ait, *foderunt manus meas, & pedes meos*, non erit ambigendum, de sanitate in ea citiùs adipiscenda animæ vulneratæ, quæ in ea demorabitur. Quid enim tam efficax ad curanda conscientiæ vulnera, nec non ad purgandam mentis aciem, quàm Christi vulnerum sedula meditatio? Quod certius refugium herinaciis & timidissimis leporibus quàm hæc petra?] Idem Bernardus. [In foraminibus petræ, passer inuenit sibi domum, & turtur nidum vbi reponat pullos suos. In his se columba tutatur, & circumuolitantem intrepida intuetur accipitrem. Et ideo ait: Columba mea in foraminibus petræ, *&c.* In petra firmitas atque securitas est. Petra refugium hermaciis. Et reuera vbi tuta firmáque infirmis securitas & requies, nisi in vulneribus Saluatoris? Tanto illic

ſecurior habito, quanto ille potentior eſt ad ſaluandum. Fremit mundus, premit corpus, diabolus inſidiatur? Non cado; fundatus enim ſum ſupra firmam petram.] Deſperatio opprimeret nos, in recogitatione peccatorum noſtrorum: ſed releuat nos cogitatio tantæ Dei miſericordiæ, quanta elucet in Chriſto crucifixo, ad quem confugientes non deficimus, & omnia à Deo fiducialiter ſperamus. Qui enim proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis ómnibus tradidit illum, quomodò non cum illo omnia nobis donauit? vtique in præparatione animi, ac ſi per nos non ſteterit.

13. Contuendus quoque eſt Chriſtus, vt arbiter mentis, & idoneus per omnia iudex noſter, eſt enim ſapientiſſimus vt falli non poſſit, & optimus vt fallere nolit. Itaque eius æſtimationi & iudicio ſtandum potiùs eſt, quàm iudicio carnis aut ſæculi. Amauit Chriſtus paupertatem, probauit demiſſionem, docuit tollendam cuique crucem ſuam. Non eſt tale, (ait Bernardus) iudicium mundi. Aut Chriſtus fallitur, aut mundus errat. Sed diuinam falli impoſſibile eſt ſapientiam. Meritò proinde & carnis prudentia (mors ſiquidem & ipſa,) inimica eſt Deo, & ſæculi quoque prudentia, ſtultitia nominatur. Quid enim? Chriſtus vtique qui non fallitur, elegit quod carni moleſtius eſt. Id ergo melius, id vtilius, id potiùs eligendum: & quiſquis aliud doceat vel ſuadeat, ab eo tanquam à ſeductore cauendum, *&c.* Quis enim prudentior è duobus? Cuius iudicium iuſtius? cuius ſententia ſanior?

14. Quod ſi adhærendo ſenſui Chriſti, inferantur ſannæ, non eſt cadendum animo, ſed recordandum eſt, ſtultam feciſſe Deum ſapientiam huius mundi. Et ſic fecit Zacchæus, cùm relictis humi turbis aſcendit in arborem ſycomorum, quod interpretatur *ficus fatua*, quia fatua ſæculi iudicia calcauit vt Chriſtum videret, ſecundùm Auguſtinum. Conſideret qui huiuſmodi eſt, quod Deus benedicet iuſto; quod mirum in modum roborare debet animum eius, quem grauant peruerſa iudicia in adhærendo ſenſui Chriſti. Nam vt ait Chryſoſtomus. [Quid damni accipit ſi homines contemnant, & vniuerſus orbis terrarum, quando Angelorum Dominus eum laudat & prædicat?] Qui ergo pendet ex linguis hominum, & à tam infelici retinaculo nutat, cuidam ſedi omnino inconcuſſæ ſtabilique ſe religet; nec, quid putent homines, ſed quid Chriſtus optimus rerum æſtimator iudicet, attendendum ſibi exiſtimet; monentéque Auguſtino, ſtatuat, qui talium putatorùm linguis concidi timet, lignum eſſe aridum.

15. Neque verò figendus tantùm eſt mentis oculus, in Chriſtum iudicem rectum, & ſapientiſſimum æſtimatorem, per huius vitæ tempus, ſed inſpiciendus eſt tanquam iudex ſcrutaturus in lucernis Hieruſalem, in vitæ meta, & mundi fine, vbi monſtrabit ſe habere oculum ſemper vigilem, quem quiſquis ſemper conſiderauerit, numquam abducetur à recto. In cuius rei euidentiam legimus, cum quidam tonſor alteri

ſurripuiſſet ſuem, Chriſtum paulo poſt ei eſſe obuerſatum ſpecie hominis comati, tonſoris operam depoſcentis; quam cùm ille non negaſſet, & ad occiput tondendo perueniſſet, reperit duos ſub crinibus oculos, & ad ſubitum tantæ nouitatis contuitum expaueſcens, cum inquiſiuiſſet quid hoc eſſet, reſponſum retulit. Ego IESVS vocor, qui vndique cuncta contemplor, & iſti ſunt oculi, quibus etiam ſuem vidi quam rapuiſti. Videbit igitur Chriſtus in iudicio, etiam ea quæ retrorsùm ſunt poſita, quantumuis ſint abdita, & de eis feret ſententiam. Eáque conſideratio, non terrorem tantùm, ſed etiam ſecuritatem & fiduciam ingenerare apta eſt. Nam & vulgo, & vulgariter dicitur, vt ait quidam Sapiens, ſecurus vadit ad placitum qui patrem habet iudicem.

16. Contuendus denique eſt Chriſtus, vt corona noſtra, & munerator noſter. Ipſe intendentibus in eum, coronam gloriæ & diadema ſpeciei eſt pollicitus, & quæ promiſit, fideliter iam exhibuit innumeris ſeruis ſuis. Nec nos igitur fallet, ſi ab eo expectemus bonorum operum noſtrorum compenſationem. Miſeri, qui actus pretioſiſſimos, quibus æterna bona emercari potuiſſent, pro fumo vendunt, & ab humano die magnificari, magni pendunt: Chriſtus è contrario, pro terra ſilicem dabit, & pro ſilice torrentes aureos: & ſecundùm magnitudinem laboris & perpeſſionum, rependet gloriam & honorem. Sicut legitur in Ioſepho, de Caio Imperatore qui Agrippæ è carcere educto auream catenam impoſuit, eiuſdem ponderis cuius fuerat ferrea, qua in carcere ligatus fuerat. Quod verò fingere in humanis poſſumus auctius munus, quàm ſi regnum omnibus à Chriſto diſpoſitum dicamus, vt ipſemet profeſſus eſt? Ait enim, *Et ego diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi Pater meus, regnum.* In huius rei ſignum, in ſerie ſacrorum librorum, ponitur primò lex, deinde iudicium, poſtea hiſtoria Regum: quia vt ait quidam Sapiens, ſeruantibus legem, poſt iudicium, rependetur ſine fine regnum.

Tertium obiectum oculorum ſpiritualium, viri Sancti.

17. Poſt Deum & Chriſtum, defigendus eſt viſus noſter in viros ſanctos. Hique ſunt montes in quos leuaſſe ſe oculos aiebat Dauid. Et ſecundùm B. Gregorium, hi ſunt teſtes quos Deus inſtaurat contra nos. [Quia bona quæ facere ipſi negligimus, hæc ad correptionem noſtram fieri ab aliis demonſtrat, vt qui præceptis non accendimur, ſaltem exemplis excitemur, atque in appetitu rectitudinis, nihil ſibi mens noſtra difficile æſtimet, quod perfectè peragi ab aliis videt.] Nimirum ſi Deum duntaxat & Chriſtum oculis noſtris obiiceremus, ſuppétere poſſet excuſatio: quia Deus eſt ex ſe ens puriſſimum & indefectibile; Chriſtus item quia Deus & homo eſt, non poteſt à recto deflectere.

Cum autem obuersantur oculis nostris Sancti, ex eadem massa lutea ex qua nos coagmentati, meritò dicitur nobis, tu non poteris, quod isti, & istæ? Et idcirco dicebat Iob de peccatore reuerso ad cor, *Respiciet homines, & dicet peccaui.* Ac si dicatur, ait B. Gregorius. [Sanctorum virorum exempla conspicit, atque eorum comparatione se pensans, iniquum se esse deprehendit.] Et hoc secundùm eundem Gregorium, est inuenire thesaurum, effodiendo sepulchrum.

18. Nec tantùm respicere debemus antiquos Sanctos iam cœlis illatos, sed eos etiam quibuscum degimus. Propterea enim peruidit Deus, vt in omni ætate, & gradu, & regione, inueniantur viri sancti qui velut stellæ in tenebris micent, vt dicit Augustinus; quarum plerisque varias virtutes singulatim præmonstrantibus, ex nomine propositis, subiungit B. Gregorius. [Ecce quàm fulgentes stellas in cælo cernimus, vt inoffenso pede operis, iter nostræ noctis ambulemus.] Has stellas quamdiu durant tenebræ, & donec verus Lucifer oriatur, subministrat omni loco ac tempore Deus, ita vt de Demetrio, quem virum probum & sanctimoniæ exemplar putabat, dicat Seneca, illum fuisse à Deo prouisum, ne seculo suo testis deesset, possentque reuinci qui difficultatem vel impossibilitatem rectè viuendi causarentur. In eos ergo sanctos quibuscum viuimus, respiciendum iugiter est; quod ad fouendam charitatem, & promouendam humilitatem, mirum in modum conferre potest. Sicut narrat B. Bernardus de vno laïco sui Monasterij qui valde confundebatur in seipso, & in proximi venerationem & amorem valdè incendebatur, cum triginta virtutes in vno è sodalibus annotasset, quarum se expertem profitebatur.

Quartum spiritualium oculorum obiectum, nos ipsi.

19. Tandem quartò, debemus iugiter oculos animæ coniicere in nos psos, iuxta illud oraculum quod è cœlo descendisse dictum est, *nosce teipsum.* Conspiciendus autem est, & ortus noster, & progressus, & exitus è vita. Cùm autem è duplici substantia simus compacti, nempe ex anima & corpore; ortus noster quoad animam, est ex nihilo, quia anima sit per creationem. Natales ergo nostri ex ea parte sunt valdè obscuri, nec habemus vnde ex eo capite inflemur. Quid enim tenuius & abiectius, quàm nihilum? ex parte verò corporis, secernenda sunt principia materialia & effectiua ortus nostri, & vtraque sunt valdè misera.

20. Principia materialia, duo sunt distinguenda; nempe mediatum, siue terra de qua primus homo sumptus est, & proximum ac immediatum, è quo quilibet nostrum nunc primò formatur. Ortu suo è terra, homo & fragilitatis suæ & humilitatis admonetur, secundùm illud, *quid est homo, vt immaculatus sit?* Vbi Gregorius. [Eo ipso quo dicitur homo, terrenus exprimitur, & infirmus. Homo enim ab humo appellatus

appellatus est. Et quomodo esse valet sine macula, qui sponte sua ad infirmitatem concidit factus de terra? [Homo ergo ex puluere aqua subacto & intrito confectus, quomodò spiritus tollat? Quid superbit terra & cinis? Gregorius Nyssenus. [Sumpsit Deus puluerem è terra, & hominem te formauit. Si è terra discederes, fortè conditionis tuæ posses obliuisci. Nunc autem ab ea nunquam discedis, sed cum illa naturaliter coniunctus es, *&c.* Quamobrem quicquid agis in terra, siue magnum siue paruum id sit, abiectæ conditionis tuæ monumentum habes, *&c.* Rationi terra semper suppetias ferat, eámque semper commonefaciat.] *Orat. 2. de hom. procreat.*

21. Legitur in historiis, quod Agathocles Rex Siciliæ, vt recordaretur suæ conditionis primæ, & quod ex figlina prouectus esset ad regnum, vtebatur vasis fictilibus. Vnde Poëta. *Auson. epigr. 7.*

Fama est fictilibus cœnasse Agathoclea Regem,
Atque abacum Samio sæpè onerasse luto.
Fercula gemmatis cùm poneret horrida vasis,
Et misceret opes, pauperiémque simul.
Quærenti causam, respondit; Rex ego qui sum
Sicaniæ; figulo sum genitore satus.

Hoc ipsum debet conspicere oculus Christianus, sicut faciebat S. Paulinus, qui dicebat, [Amamus vasa fictilia, quia & secundùm Adam cognata nobis sunt, & Domini thesaurum in talibus vasis commissum habemus.] *Epist. 1. ad Seuerum, in fine.*

22. Iam initia nostra immediata, quoad materiam eiusmodi sunt, vt si inspiciantur, opportunissima sint censenda ad remouendum tumorem nostrum. Nam ex parte quidem, ea materia talis est, vt nec honestè nominetur. Ex alia verò parte, talis materia, nempe menstruum maternum, est aliquid non modò abiectum, sed etiam tetrum ac virulentum. Et sicut dicit Plinius, [nihil facilè reperiatur muliorum profluuio magis monstrificum. Acescunt superuentu eius musta, sterilescunt tactæ fruges, moriuntur insita, exuruntur hortorum germina, & fructus arborum, quibus insedere, decidunt: speculorum fulgor aspectu ipso hebetatur, acies ferri præstringitur, eborísque nitor; aluei apum emoriuntur, æs etiam ac ferrum rubigo protinùs corripit, odórque dirus aëra, & in rabiem aguntur gustato eo canes, atque insanabili veneno morsus inficitur.] En quanta sit virulentia, materiæ de qua maiori ex parte compingimur; ac proinde quanta inde nobis existat seges humilitatis, & diffidentiæ nostri ipsorum. *lib. 7. c. 15.*

23. Generamur autem ex tam fœdis initiis materialibus, longè miserabiliùs quàm Adam ex suis. Hic enim quamuis per mortem in corruptionem descenderit, tamen à corruptione non cœpit. Ideò dicitur putredo, sed non vermis, secundùm Gregorium in illud; *homo putredo, & filius hominis verbis.* [Primus namque humani generis parens, homo, non filius hominis; ex quo quisquis prodiit, non solùm homo, sed filius

quoque hominis fuit. Sicut ergo ex homine filius, ita ex putredine nascitur vermis. Vnde rectè homo putredo, filius verò hominis, vermis vocatur. Primus quippe homo, putredo non vermis, quia etsi per mortem putruit, non tamen ex putredine per natiuitatem venit. Qui autem hominis est filius, vermis dicitur, quia iam ex mortalium corporum corruptione propugatur.] Itaque omnium Adæ filiorum productio, est ex corruptione, propterea̋que fugiuntur etiam ab honestè conuenientibus, oculi omnium. Vnde Augustinus, [cum agitur vnde filij nascantur, nec ipsi filij, si qui inde iam nati sunt, testes fieri permittuntur. Sic enim rectè factum, ad sui notitiam lucem appetit animorum, vt tamen refugiat oculorum. Vnde hoc? Nisi quia sic geritur quod deceat ex natura, vt etiam quod pudeat comitetur ex pœna.] Nempe multiplex corruptio, cui subsequitur prolis sic conceptæ corruptio miserrima. *Ecce enim*, aiebat Dauid, in legitimo satus connubio, *in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Glossa, [in peccatis originali,] in quo virtute sunt omnes iniquitates & peccata.

Psalm. 50.

24. Sic genitus in sordibus & corruptione, feruoréque libidinis, & mortali suo peccato, miser homo, primordia vitæ habet humillima, & inserendæ demissioni commodatissima. [Natura (ait Plinius) vnum animantium cunctorum alienis velat opibus. Cæteris variè tegumenta tribuit, testas, cortices, coria, spinas, villos, setas, pilos, plumam, pennas, squammas, vellera: truncos etiam arborésque cortice, interdum gemino, à frigoribus & calore tutata est. Hominem tantùm nudum, & in nudâ homo, natali die abiicit ad vagitus statim, & ploratus, nullúmque tot animalium aliud, ad lachrymas, & has protinùs vitæ principio, *&c.* Ab hoc lucis rudimento, quæ ne feras quidem inter nos genitas, vincula excipiunt, & omnium membrorum nexus; itaque flebiliter natus iacet, manibus pedibúsque deuinctis, flens animal, cæteris imperaturam, & à suppliciis vitam auspicatur, vnam tantùm ob culpam, quia natum est. Heu dementiam, ab iis initiis existimantium, ad superbiam se genitos]

25. Cœpta ad eum modum vita, perpetuæ corruptioni est obnoxia, ita vt aliud non sit quàm quædam prolixitas mortis iuxta Gregorium, ob quotidianum defectum nostræ corruptionis. Inde superbiam detestari docet Origenes, quod eidiscat quàm fragili vasculo homo contineatur, & quibus stercoribus homo immersus sit, & qualia semper purgamenta de sua carne proiiciat. [Quid enim ait Scriptura? *Quid superbit terra & cinis? Et in vita eius proiecit interanea eius.*] Chrysostomus eundem locum expendens, ait. [Obscurum est fortassis dictum istud. *Interanea* dicit intestina, dicit viscera, ventrem stercoribus plenum, & multis sordibus ac fœtore. Non quod naturam damnet, sed vt ad humilitatem adducat. *Quoniam in vita, ad nihilum redacta sunt.* Vides quàm vilis & fluxa sit nostra substantia. Noli diem obitus expectare, vt infirmitatem tuam discas. Adhuc viuentem hominem scrutare, atque in eius viscera cogitatione descende, tum videbis quàm nihil sit & abjectus.]

26. Nec ista consideratio Ethnicos fugit. Seneca. [Quid est homo? Quodlibet quassum vas, & quodlibet fragile. Iactatu, non tempestate magna, vt dissiperis est opus. Vbicumque arietaueris, solueris. Quid est homo? Imbecillum corpus, & fragile, nudum, suapte natura inerme, alienæ opis indigens, ad omnem contumeliam proiectum, *&c.* ex infirmis fluidisque contextum, & lineamentis exterioribus nitidum; frigoris, æstus, laboris, impatiens: Ipso rursus situ & otio iturum in tabem, alimenta metuens sua, quorum modò inopia, modò copia rumpitur, anxiæ sollicitæque tutelæ, precarij spiritus, & malè hærentis, *&c.* Numquid enim vt concidat, res magni moliminis est? Odor illi, sapórque, & lassitudo, & vigilia, & humor, & cibus, & sine quibus viuere non potest, mortifera sunt. Quocunque se mouet, infirmitatis suæ statim conscium, non omne cœlum ferens, aquarum nouitatibus, flatuque non familiaris auræ, & tenuissimis causis atque offensionibus morbidum, putre, cassum.] Epicharmus hominem vocauit vtrem inflatum. Vt autem dixit Gregorius Nyssenus. Non magno negotio euenit vt exinaniatur vter spiritus. Anacreon acino vuæ passæ; Fabius senato poto in lactis haustu vno pilo strangulatus est, vt narrat Plinius. Alij minimis ex causis ac plerumque latentibus & improuisis, vitam abrupere. Huc ergo oculum mentis sæpè reflectamus. Videamus qui, & vnde simus, ac quò tendamus, breui ad metam peruenturi.

27. Spirituali denique contuitu prospiciamus, quod pleniùs erimus cum animus è corpore excesserit. Nempe plena putredo, nec iam saccus tabi & stercoris, vt ille Sapiens nominabat, sed mera corruptio & fœditas. Hoc in prosperitate, & lætitia, hoc in aduersitate & tristitia iugiter ab oculos ponendum erit. Legi quod Romani, cum aliquis triumphabat, collocabant in eodem curru ponè eum, carnificem, vt mortis admoneretur, ne efferretur nimia superpia ob gloriam triumphi. Iidem in conuiuio, cùm periculum erat ne animus exundante lætitia mergeretur, circumferebant laruam argenteam, inclamantes illud:

Heu heu nos miseros, quàm totus homuncio nihil est!
Sic erimus cuncti, postquàm nos auferet orcus,
Ergo viuamus, dum licet esse, benè.

Digna non Ethnicis inter epulas, sed maximè sobriis sapientiæ cultoribus conclusio, qua oculos in mortem certò secuturam defigere, & ad omnem honestatem studiosè ferri, admonemur.

CAP. XIV.

De tribus visionibus oculum delectantibus.

1. TRia sunt, quorum conspectu oculus corporalis oblectatur. Nempe primò lumen, & Sol, iuxta illud, *Dulce lumen, & delectabile oculis videre Solem.* Eccl. 11. Secundò Iris, de qua Iesus Sirach. *Vide arcum, & be-*

Eccl.43. *nedic eum qui fecit illum. Valdè speciosus est in splendore suo. Gyrauit*
Æneid. 6. *cœlum in circuitu gloriæ suæ.* Tertiò color viridis, iuxta illud,

Deuenere locos lætos & amœna vireta.

Modo consimili, tria sunt quorum visio maximè oblectat oculos spirituales.

2. Primo, valdè delectabile est oculis spiritualibus videre Solem Iustitiæ, quod lumen respectu oculorum internorum est Deus, in cuius visione tanta est delectabilitas vt dicat Dauid, *Memor sui Dei & delectatus*
Psalm. 76. Deus est lux æterna, nulla vmbris permixta, nullis nebulis infuscabilis, nullis obnoxia eclipsibus, nec ita transmutabilis per motum, vt sequatur nox. Vnde de patre luminum, id est, de Sole mystico seu Deo; dicitur Iacobi 1. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Nos in hîc in vmbra sumus, quia habemus lucem, cui admista est tenebricositas; vnde status vitæ præsentis, à Iobo nominatur *lux & tenebræ,*
Iob 26. Psalm. 18. cùm ait *donec finiantur lux & tenebræ*, id est, vita præsens. Et Dauid cursum huius vitæ describit per successionem diei ac noctis, dicens, *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam.* Quia ergo vmbra est lux diluta tenebris admistis, meritò in hac vita dicitur esse in vmbra, vt disse-
Ser.72. rit S.Bernardus. In Inferno autem sunt puræ tenebræ, & ideò esse ibi vm-
Psal.28 bra mortis; & Dauid ait, vocem Domini intercidere flammam ignis, id est, iuxta S.Basilium, facere vt in Inferno, etiam flamma ignis separetur prorsus à lumine, sitque omnino tenebrosa. At Deus est lux perpetua, & nullo modo diminuta, qua in cœlo potientur beati. De ea dicitur, *An-*
Iob 36 *nunciat* Deus, *de luce amico suo, quod possessio eius sit, & ad illum possit ascendere.* Hæc est lux vera illuminans omnem hominem venientem in hanc mundum. Quam non obscurant quacunque ex parte tenebræ, vt ait Poëta laudans lucem, sed ei primam & principem lucem quę totum pręcessit opus, longè anteponens.

3. Lux ista valdè recreat & exhilarat oculum mentis in eam defixum,
Prou.15. iuxta illud, *Lux oculorum lætificat animam.* Verè enim Deus est lumen oculorum nostrorum, multò magis quàm iunior Tobias, *lumen oculorum* dictus est à matre. Et Dauid cùm peccasset & Deum amisisset, conque-
Ps.37. ritur, *lumen oculorum meorum non est mecum.* Hoc ergo lumen lætificat visum animæ, quantumuis mœrore pressæ. Et ideò S. Iacobus admonebat, *Si quis tristatur, oret.* Et Dauid suam tristitiam professus, dicendo, *Ad meipsum anima mea conturbata est*, addit, *propterea* vt scilicet hanc
Ps.41. turbationem depellam & mœrorem diluam, *Memor ero tui de terra Iordanis & Hermoniim, à monte modico.* Ab angustiis meis quæ tristitiam mihi & mœrorem offendunt, auertam oculos, eósque ad te sustollam, sicque exhilarabor. Ad huius lucis oblectationem, studiosè confugiendum est fatigatis oculis. Aliqui ob diuturniorem moram in tenebris, sunt excœcati; & ratio est, quia sedes facultatis visiuæ nimis diu destituta spiritibus, frigore corripitur & marcet, nec est vlteriùs idonea suæ functioni. Quam etiam ob causam, vt dicit Seneca, artifices ex alicuius rei sub-

tilioris inrentione quæ oculos defatigat, si malignum & precarium lumen habent, in publicum prodeunt, & in aliqua regione ad populi otium dedicata oculos libera luce delectant. In tantis ergo tenebris nostris, subinde ad Deum conuertendi sunt oculi: & sine hoc spectaculo, omne gaudium humanum mœror est & tristitia, secundùm illud Tobiæ senioris, quod quilibet peccator sibi debet accommodare; *quod gaudium mihi esse potest, qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non video?* Tobiæ 5.

4. Sed quia nimia lux, qualis est Solis in se spectati, noceret oculis; & legimus aliquos amisisse visum, per subitam eductionem è carcere tenebroso ad nimiam lucem, propterea consultius, & nobis accommodatius est dum hîc peregrinamur, nec per speciem ambulamus, conuertere oculos spirituales in Solem iustitiæ, amictum nube: hoc est, in Verbum incarnatum, de quo Deus per Prophetam. *Solem nube tegam.* Nam humanitas fuit illa nubes paruula, quasi vestigium hominis, quam monstratam legimus prænunciam Domini, diluuium inhabitare facientis. Hæc lux diluta, est tam delectabilis, vt antiqui eam à montibus æternis mirabiliter illuminantem prospectantes, & à longè salutantes, valdè exhilararentur. Abraham enim tenuem eius radium contemplatus, *vidit & gauisus est.* Ezech. 32.

5. Est autem maximè gratus oculis spiritualibus, aspectus huius Solis quando oritur: quia lux Solis orientis cùm sit temperata, non præstinguit visum, sicut lux Solis in meridiano exurentis terram, qui radiis suis obcœcat oculos. Consimili modo, visitans nos oriens ex alto, in sua conceptione & Natiuitate Christus Dominus, cuius *quasi diluculum præparatus est egressus,* vt ait Oseas, valdè lætificat & oblectat oculos in eum conuersos, qui ei dicunt salutem, & læta acclamatione illum excipiunt, sicut legitur acclamasse luci nouæ Paganos, dicendo Χαῖρε νέον φῶς, *Salue nouum lumen*, Salue Sol oriens, Sol noue. Et iidem loquentes sicut asina Balaam, & nesciendo prophetantes, illum ipsum diem quo Christus natus est vocabant *Solem nouum*, vel diem nouæ lucis, vt dicunt Ambrosius, Augustinus, & Leo Papa.

6. In ortu igitur Christi conspiciendo, valdè oblectantur oculi spirituales de quibus dicitur. *Exortum est in tenebris lumen rectis corde.* Sicut legitur de S. Bernardo, quod à prima ætate maximè delectabatur in consideratione mysticorum nascentis & infantis Christi: Videre enim tantam Dei erga nos teneritudinem, valdè dulce est ac delectabile; Deinde suauissima nobis est recordatio liberationis nostræ è teterrimo & olidissimo ac obscurissimo carcere, per aduentum eius in carnem. Sicut non licet dubitare, quin maxima & prorsus extra communem modum exaggerata fuerit lætitia illius Michaëlis Imperatoris, qui cùm esset conclusus in obscuro carcere, indéque paulo post esset educendus ad viuicomburium, cui eum ob linguæ procaciam addixerat Leo Armenus; eductus subitò è carcere est, in ipsa nocte Natalis Domini; & interfecto Leone euectus in thronum Imperij, de tam immanibus

malis quæ ipsi imminebant ereptus, & tam magnis bonis ornatus, in ipso puncto aduentus Christi in mundum. Consimili modo, genus humanum erat in tenebroso carcere, addictum morti æternæ, & ignibus qui nec succenduntur, nec extinguuntur. Inde autem ereptum est, & in regnum filij dilectionis Dei translatum, per aduentum Verbi in carnem, cuius proinde aduentus contuitio, valdè grata est spiritualibus oculis. Meritò B. Virgini cantat Ecclesia; *Felix es sacra Virgo Maria, ex te enim ortus est Sol Iustitiæ, Christus Deus noster.* Verè de Maria ortus est Sol, meliùs quàm de matre Augusti, cuius pater in puncto natiuitatis eius, vidit è sinu conjungis suæ oriri Solem, vt legitur in historiis.

7. Secundò valdè grata & amœna est oculis visio Iridis, quæ

Mille trahit varios aduerso sole colores,

Estque pulcherrimum Dei opus. Vnde Psalmista proferens speciosissima quæque Dei opera, cum quibus Salomonis thronum conferat, recenset quoque testem in cœlo fidelem, id est Iridem, quam Deus posuit in nubibus, vt esset in testimonium fœderis Dei cum humano genere, deinceps non perdendo per diluuium. Et valdè quidem Iris oblectat visum corporalem: sed multò magis spiritualem visum recreat, & delectat, significatum Iridis, siue Christus crucifixus, quem Isaïas confert cum Iride dicens in Dei nomine, *In misericordia sempiterna misertus sum tui, dicit Redemptor tuus Dominus. Sicut in diebus Noë istud mihi est, cui iuraui ne inducerem aquas vltra supra terram, sic iuraui vt non irascar tibi, non increpem te. Montes enim commouebuntur, & colles contremiscent, misericordia autem mea non recedes à te, & fœdus pacis meæ non mouebitur, dixit miserator tuus Dominus.* Et meritò cælestis arcus dicitur designare Christum crucifixum, qui velut arcus in ligno tensus est, fuitque signum fœderis inter nos & Deum; vnde & versus & cœlum tensus est, ne homines teneantur.

8. Pius Poëta hunc arcum si expressit.

Pendulus obliquum Solem cum senserit humor,
Ancipites vario mittens splendore colores
Nec numerare queas, sic mixtos lumine visus
Multiplici illudunt diuersis vultibus orbes,
Saphyrino, viridi maculoso, cœrulo, & albo,
Purpureum de nube trahit, de Sole coruscum, &c.
Hanc formam signo trepidis mortalibus arcus
Præstitit esse Deus, promittens nube serenum;
Nullàque iam terris debere pericula cælum.

Talis quidem fuit prima Iridis formatio, & in prædictum finem vsurpata. Sed rectè subdit Alcimus, verum huius arcus significatum esse Christum, sic canens.

Nunc quisquis semel allatam seruare salutem
Optas, signatum potiùs signo inspice Christum:

Verus enim atque vnus firmati fœderis arcus,
Ille Deum atque homines inter, qui virgine carne
Virgineo ex vtero sumpta, iam munere lucet
Multiplici in cælo varius, sed fulgidus omni
Vitalem monstrat sacrati pignoris arcum.

9. Hinc maximè delectatur visus spiritualis, cùm videt summum Dei erga se amorem, & clementiam inexplicabilem, qua Pater Filium tradidit, & quidem pro seruis & peccatoribus. Itaque Bernardus ait hunc fasciculum myrrhæ respectu Christi, cui tot perpessiones fuere amarissimæ: sed respectu nostri, myrrhæ amaritudinem mutari in vinum quod lætificat cor hominis, vinum iucunditatis, & botrum Cypri, dummodò hanc myrrham non retrò in humeris, sed ante oculos habeamus, & inter vbera commoretur. Qua ratione spondet, omnes angustias nostras præ angustiis Domini fore dulcorandas, & suauitate replendas. Sicque enascitur in nobis, vnus ille oculus vulnerans cor Dei, vt dicitur in Canticis; vbi Richardus, hunc oculum tradit esse visionem laborum Christi pro nobis, præsertim in cruce, vnde intramus in gaudium Domini, & cum summa iucunditate videmus, quanta nobis Deus bona per tanta sua mala parare voluerit, quæ visio summè recreat & oblectat videntem. [Deuotus miles non sentit sua, dum ad Christi vulnera sustollit oculos, [vt ait Bernardus.

10. Tertia visio quæ valdè grata est oculis corporalibus, ea est qua intuetur colorem viridem. Nam vt dicitur in scientia Perspectiua color viridis maximè delectat oculum. Et rationem reddit Philosophus quia color viridis medius est inter extremos, & neque nimia luce perfunditur, qua dissipet spiritus visorios & lædat oculum, neque adeò mouet oculum, vt in perceptione sic diluti coloris, sit ei valdè laborandum.

11. Modo consimili, quamuis candor lucis æternæ curiosiùs inspectus disgreget visum nostrum; (*scrutator enim maiestatis, opprimetur à gloria*;) nigredo autem pœnarum Inferni si nimium profundè cogitetur, apta sit lædere oculos mentis, & terrore nimio vrgere animam: Tamen viror promissionum Dei, & bonitatis eius, ac spes temperata misericordiæ diuinæ, oblectat oculos spiritualium virorum. Vnde Abbas Apollo, negabat fas esse homini credenti esse sibi Patrem in cœlis, & regnum præparatùm, tristitiam pati vehementem. Et S. Ambrosius sub mortis horam dixisse legitur, non ita vixi vt me pudeat inter vos viuere, sed nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus. Quæ verba S. Augustinus valdè admiratus legitur eáque tanquam valdè elimata & librata laudasse, quod sciens Ambrosius examen æquitatis diuinæ, de bono Domino magis confidere videri voluisset, quàm de suis purgatissimis moribus temerè præsumere. Itaque temperabat fiduciam sobrio metu, indéque internum visum qui in ea hora solet fatiscere, recreabat.

Prou. 25.

12. Hoc quoque debet similiter seruari, quoties quis ante obitum videns labores & asperitatem piæ vitæ, experitur languorem & fatigationem mentalis oculi. Sicut etiam plerique, vt scribit Plinius, ab intentione alia obscuratam aciem, aspectu smaragdi recreant. Est autem smaragdus viridis coloris, cuius aspectus est oculis iucundissimus: Vnde herbas quoque virentes, frondésque, auidè spectamus. Et qui gemmas scalpunt, hac grata oculorum refectione & viridi lenitate lassitudinem luminum mulcent. Quod spectans Salomon, vt significaret fessi leuamen post longam in expetendo fatigationem, dixit; *gemma gratissima, expectatio præstolantis.* Sic inspicienti per virorem & amœnitatem bonorum promissorum, asperitates præsentes; non secus videbuntur iucundæ aspectu, & pulchræ oculis, quàm horrendæ & cruentæ gladiatorum pugnæ, quas Nero spectasse dicitur interposita smaragdo, vt Plinius recitat, Hæque sunt vernantes gemmæ, quas sibi à sponso circundatas affirmabat B. Agnes. Cogitatione enim & prospectione futurorum bonorum, leuabat oculos, tot tormentis obseruantibus fatigatos.

13. Qui verò animum fessum recreare & leuare satagunt obiectu rerum caducarum, mœrorem sibi potiùs, & angorem cumulant: Nec aliter mentis suæ oculos afficiunt, quàm facerent erga Catholicorum corporeos oculos, impij illi Hæretici, de quibus S. Augustinus narrat, quod viuam calcem oculis, & acetum immitterent. Similiter oculis suis laborem & dolorem accersit, qui eos quærit oblectare per bona caduca, quæ non sunt vera hominis bona. Sed heu quàm pauci sunt, quorum oculi non deprauentur & ferantur in obiectum cruciamentorum animi. Omnia alia animalia, in verum suum bonum rectà feruntur. Vni animalium homini, deprauantur oculi; Vnde Strabonum & Pætorum cognomina, quia solus homo à vero suo bono auertens oculos, accersit sibi laborem & dolorem, per creata bona quæ captat. Sed saltem cùm de morte cogitamus, & suprema funera oculis obiicimus, spectemus cœlestia, spretis his ærumnis terrenorum, sicut ait Plinius, morientibus operiri oculos, rursúsque in rogo patefieri, Quiritium magno ritu sacrum fuisse; ita more condito, vt neque ab homine supremùm eos spectari fas sit, & cælo non ostendi, nefas.

CAP. XV.

De osculo septemplici intuitus diuini.

1. SPiritus est Deus, ac proinde nulla nostra membra habet, vt benè tradit S. Paphnutius. Sæpè tamen memorantur in Scriptura oculi Dei, æquè ac alia membra nostra, puta aures, nares, manus, quæ reuera in eo quippe incomposito & simplici non habent locum. Efficaciæ igitur ibi diuinæ per membra monstrantur, non habitus Dei, nec corporalia li-

neamenta

neamenta ponuntur, vt quidam Sapiens ait. Cæterum ipse totus oculus, quia totus videt. Pro varietate tamen rerum visarum multiplex Dei oculus à Scriptura proponitur, nec semel in ea septem Dei oculi referuntur, id est multi, vt cum de versuto dicitur *oculi illius septemplices sunt*; id est omnia circumspiciet vt te emungat. Possumus itaque distinguere in Deo septemplicem contuitum, siue oculum; Nempe visionis præsentium, præuisionis futurorum, recordationis antecedentium, miserationis ac beneuolentiæ, prouidentiæ remunerationis & vltionis. Hic est oculus septemplex intuitus diuini, de quo dicendum. Eccl. 20.

2. Oculus visionis, ille est quo Deus, omnia præsentia quocunque tandem loco lateant, deprehendit; quod extendendum est ad arcana cordis nostri. Nam quamuis de corde humano scriptum sit, *Prauum est cor hominis & inscrutabile, quis cognoscet illud?* Tamen de Dei oculo perspicuè dicitur quod *discretor est cogitationum & intentionum cordis, & non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius. Omnia enim nuda & aperta sunt oculis eius.* Hæc postrema verba Isidorus Monachus putat continere allusionem ad victimas excoriatas. Quemadmodum enim illæ, cùm pelles detrahuntur, omni conspicuo indumento spoliantur, abditarúmque internè partium statum & affectionem indicant, atque ad ossium omnium & membrorum indagationem dissecantur: ita Dei oculus, ad omnes nostri cordis latebras, nullo obstante operimento peruadit. *Quoniam multa sapientia Dei, & fortis in potentia, videns omnes sine intermißione. Oculi Domini ad timentes eum, & ipse agnoscit omnem operam hominis.* Et rursus. *Posuit oculum suum super corda illorum.* Eccl. 15.

3. Quàm ergo stulti sunt, qui putant inueniri posse latebras in quas diuinus oculus non penetret. Hæc est omnium peccantium insania, qua dicunt apud se, *Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob.* Sed valdè falluntur, eósque sæpissimè reprehendit Scriptura. Et Dauid. *Et dixi, forsitan tenebræ conculcabunt me.* Hanc suam peruersam cogitationem vel potiùs peccatoris, cuius personam ibi assumit, illico refellit Dauid, subiungens, *nox illuminatio mea, in deliciis meis*, id est, illa nocturna carnis opera, quæ putabam extinctis luminibus clam omnibus peragi, nocte tibi clarescente, non potuerunt à te abscondi; quia tibi *nox sicut dies illuminabitur, sicut tenebræ eius, ita & lumen eius.* Ita tibi clara est nox, ac dies. Iob eodem modo contestatur impios. *Non sunt tenebræ, & non est vmbra mortis, vt abscondantur ibi qui operantur iniquitatem.* Et Ecclesiasticus. *Non dicas, à Deo abscondar, & de summo quis mei memorabitur? In populo magno non agnoscar. Quæ est enim anima mea in tam immensa creatura? Ecce cælum & cæli cælorum, abyssus, & vniuersa terra, & quæ in eis sunt, in conspectu illius commouebuntur*, &c. *Et omne cor intelligitur ab illo.* Et alibi. *Omnis homo qui transgreditur lectum suum, contemnens in animam suam & dicens, quis me videt? Tenebræ circundant me, & parietes cooperiunt me, & nemo circumspicit me, quem vereor? Delictorum meorum non memorabitur Altissimus. Et non intelligit, quoniam* Ps. 39. Ps. 138. Eccl. 16.

omnia videt oculus illius, quoniam expellit à se timorem Dei huiusmodi hominis timor, & oculi hominum timentes illum. Et non cognouit, quoniam oculi Domini, multò plus lucidiores sunt super Solem, circonspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes.

4. Hoc item perpetuò admonent & inculcant Sancti. Et benè Bernardus, postquàm proposuit verba impij, qui dixerat, *parietes sunt vndique, quis me videt?* Respondet; [Esto, nemo te videat, non tamen nullus. Videt te Angelus malus, videt te Angelus bonus; Videt te & bonis & malis maior Angelis Deus. [Et rursum.] Audit planè qui plantauit aurem, & qui finxit oculum, ipse considerat, Non illius Solis arcet radios; maceria lapidum quos ipse creauit, non vel ipse corporis huius paries, veritatis excludit aspectum. Nuda sunt oculis eius omnia. [Ambrosius, hanc esse ait stultitiam impiam, quam Sol peruadens omnia, apertè coarguit. [Si igitur radius Solis fundit lumen suum super omnem terram, & in ea quæ clausa sunt se inserit, nec vectibus ferreis aut grauium valuarum obicibus quo minùs penetret, impeditur; quomodò non potest intelligibilis Dei splendor in cogitationes hominum, & corda, semet, (quæ ipse creauit) insêrere?]

5. Legitur de oculis smaragdinis leonis marmorei, quòd tam radiosi erant, vt illustrarent subiectam abyssum, ita vt thynni instrumenta refugerent, diu mirantibus nouitatem piscatoribus, donec mutauere oculis gemmas. De Tiberio quoque scriptum est quod haberet oculos tenebrarum depulsores, ita vt expergefactus noctu, paulisper, haud alio modo quàm luce clara contueretur omnia, paulatim tenebris sese obducentibus. At oculus Dei, non modò ad breuem moram & modicam distantiam illustrat obscura, sed etiam quantumuis loco dissito perpetuò illustrat, & non secùs ac splendidissima quæque, clarè conspicit. Minimas quoque cogitationum fibras, exactè perspicit. Quod multo est admirabilius, quàm quod narrat Plinius de illo dicto Strabone, qui peruidebat centum triginta quinque millia passuum, ita vt à Lilybæo Siciliæ promontorio, exeunte classe Carthaginis portu, etiam numerum nauium diceret. Myrmecidis quoque & Callicratis, tam acutum visum fuisse dicit, vt quæ aliorum oculos fugerent, nec particulatim inspici ab aliis possent, opera fabricarent. At nihil est adeò minutum, adeóve dissitum, vt diuini oculi præcellentissimam aciem possit effugere.

6. Meritò igitur Augustinus obtestatur peccatorem. [Si peccare vis, quære vbi te Deus non videat, & fac quod vis] Legitur de viro sancto, quòd volens abducere à scelerum consuetudine miseram mulierem, adiit ad illam quasi idem præstiturus quod cæteri. Sed cùm posceret locum secretiorem quàm is esset in quo alij peccare cum ea consueuerant, inductus est in locum abditiorem. Cùm autem nec iste ei videretur satis abditus, deductus est in penetralia adhuc remotiora. Verùm cùm neque ibi se satis absconditum diceret, contestata est mulier, quod ibi à nemine

videri possent, præterquàm à Deo. Siccine igitur, exclamat vir sanctus, quæ hominum conspectum reformidas, nec auderes in propatulo coram vili plebe peccare, non horres peccare in conspectu Dei? Ego quidem delinquere nolo, nisi eò deducar, vbi Deus nos nequaquam conspiciat. Audiuerat iste illud Ambrosij. [Hominem vereris præsentem, Dei Patris & Filij non vereris præsentiam? *&c.* Noli esse sicut cœcus oculis corporalibus, qui eo quod non potest videre præsentes, solum esse se credit, & in plurimorum cœtu, cùm putat nullum esse præsentem, perpetrare adoritur quod arbitratur esse secretum: Non potest enim videntes videre, qui non videt. Similiter & tu mentis cœcatus oculis, noli æstimare, quod sine teste delinquas, quia hominis præsentiam declinare potuisti, *&c.* Putas te solum esse cum fornicaris, & non recordaris quia oculi Domini vident orbem terrarum?]

7. Propter hanc causam, quodcunque peccatum est graue multo magis; non modò quia est Dei iniuria, ob abusum rei suæ, inuito Domino; (agit enim peccator, atque adeò seipso vtitur contra Dei veri Domini voluntatem;) sed etiam quia fit in conspectu Dei. Valdè autem impudens & in iudicem contumeliosus est, qui facinus ipso iudice teste committit, vt dicit Petrus Rauennas.

8. Denique non tantùm Deus videt omnes, & omnia, sed etiam æquè perfectè singulos ac vniuersos, & singula ac omnia videt. Vnde super illud quod Moysi dictum est, *noui te præ omnibus*, Glossa Augustini sic habet. [Nunquid ergo Dominus Deus, nouit plus aliqua, & aliqua minùs? An secundùm quod dicitur quibusdam, in Euangelio, *non noui vos*; (secundùm hanc enim scientiam Deus dicitur scire quæ illi placent, nescire quæ displicent, non quia ignorat ea, sed quia non approbat, sicut ars rectè dicitur nescire vitia, cùm improbat vitia;) præ omnibus Deus Moysem sciebat, quia Deo præ omnibus Moyses placebat? Itaque nihil plus, nihil meliùs, aut distinctiùs, quàm alia videtur ab oculo Dei, sed omnia æquè clarè atque perfectè, non obstante multitudine, vel elongatione à nobis; secundùm illud, *Putásne Deus è vicino ego sum, dicit Dominus, & non Deus de longè! Si occultabitur vir in absconditis, & ego non videbo eum, dicit Dominus. Numquid non cælum & terram ego impleo?* Nec visio diuina eget illustratione rei visæ, sed vno obtutu totam perfectè & exactè contuetur. Vnde propriè Deus dicitur *respicere* non *circumspicere*, secundùm doctrinam Richardi.

Exod. 33.

Matth. 25.

Ierem. 23.

9. Secundò oculus Domini ad futura quoque porrigitur, & hoc est proprium illius: quia futura cùm nondum existant, non possunt realiter mouere potentiam cognitiuam. Creatura autem cùm sit finita, & debeat aliunde determinari ac compleri, non parit cognitionem nisi fœcundata ab obiecto per immissionem speciei, sicut dicit B. Augustinus. Cùm ergo obiectum quod non nondum est, nihil actiuè conferre possit ad efformandam sui notitiam, & grauidendam potentiam; perspicuè infertur, creatam facultatem visiuam non posse futura prospicere; sed hoc esse pro-

prium diuini oculi. Et idcirco talium rerum præcognitio, non secus dicitur *diuinatio*, nomine ducto à diuinitate, sicut *humanus* dicitur ab *humanitate*, sicut dicit Lactantius.

10. Hæc veritas frequenter inculcatur in Scriptura. Dicit enim Ecclesiasticus. *Domino Deo antequam crearentur omnia sunt cognita.* Rursúsque alibi. *Opera omnis carnis, coram illo, & non est quicquam absconditum ab oculis eius. A seculo vsque in seculum respicit, & nihil est mirabile in conspectu eius.* Id est nihil eueniet illi non præcognitum, quódque eum admiratione afficiat cùm euenerit; sicut miramur quæ nobis nec opinantibus acciderunt. Item Dauid dicit Deo, *Tu cognouisti sessionem meam & resurrectionem meam*, id est, quod eram sessurus & surrecturus, atque adeò omnia quantumuis minuta opera mea externa tu probasti, & penitissimè perspexisti. *Intellexisti omnes cogitationes meas de longè, semitam meam & funiculum meum inuestigasti*; omnes inquam meos itus & reditus, omnes circuitus & gyros, quales facit prædam insequens canis venaticus, & præda illum fugiens: *Et omnes vias meas præuidisti, quia non est sermo in lingua mea*, quem tu non præuideris. *Ecce Domine, tu cognouisti omnia nouissima.* Omnia quantumcunque à tempore præsenti abjuncta, & extremis temporibus euentura, tu præuidisti. Sapiens quoque ait. *Sapientia de futuris æstimat*, &c. *Signa & monstra scit antequam fiant, & euentus temporum & seculorum.* Et Esaias, ait quod Deus fecit quæ futura sunt, quia perinde ea conspicit oculus Domini, ac si iam facta essent, ita vt non videatur præscientia, sed præsens scientia, vt dicit S. Anselmus.

Ps. 138.

11. Magna hinc consolationis & confidentiæ materia subministratur bonæ animæ, cùm perspicit nihil posse sibi euenire, quòd à Deo præcognitum non fuerit, ac proinde aduersùs quod non possit diuinitùs muniri, & protegi. Vnde Augustinus super illud *firmabo super te oculos meos*, dicit ex Dei nomine. [Non à te auferam oculos meos, quia & tu non auferes à me oculos tuos, &c. Ergo leua oculos tuos semper in Deum, vt firmet super te oculos suos. Sed quid times, ne cùm habeas oculos ad Deum, offendas, ne non respicias ante te, & fortè incurras in laqueum? Noli timere; ibi enim sunt oculi ipsius, quos obfirmat super te.]

Ps. 31.

12. Nec tantùm oculus Dei ea prospicit quæ reuera aliquando erunt, sed etiam quæ reipsa non erunt; essent tamen, si aliquid aliud poneretur. Sic enim Dauide rogante, an si ipse in Ceila maneret, & Saul eò veniret, Ceilitæ essent ipsum traditurì, respondit Dominus, *tradent.* Tam ergo perspicax est diuinus oculus, vt rem quæ futura non erat, fuisset tamen futura, si Dauid ibi mansisset, & Saül eò venisset; præcognouerit perinde ac si absolutè futura fuisset. Nimirum illud quod fieret, aut non fieret, si conditio aliqua poneretur, est aliquid verum determinatè: (non enim vtrumque contradictoriorum, vel neutrum, sed alterum duntaxat, verè tunc accideret:) Cum igitur oculus diuinus

perſpiciat omne verum, non poteſt Deus hoc ignorare. Vnde magis firmatur fiducia & conſolatio bonæ mentis, ex tanta diuini viſus perſpicacia, quæ ad omnia quomodocunque nos ſpectantia, pertingit.

13. Tertiò, Oculus Domini videt quoque quæ remotiora ſunt ab eſſe, quàm præſentia vel futura, hoc eſt præterita, vt dicit Eccleſiaſticus. *Domino Deo, antequàm crearentur omnia ſunt agnita, ſic & poſt perfectum, reſpicit omnia.* Non eſt ergo timenda in Deo obliuio: & mentita eſt iniquitas ſibi, cum dixit, *oblitus eſt Deus auertit faciem ſuam ne videat in finem.* Deus enim etiam quæ nobis præterierunt, æquè habet oculis ſuis præſentia, ac cum reipſa exiſtebant. Vnde nihil illi excidit. Et ſicut nullum iuſti folium defluit, ſed Deus accuratam omnium rationem ſeruat, compenſaturus quantumuis minuta bona opera eius in tempore; ita de malis operibus nullum planè erit, quod Deus non adducat in iudicium. *Omnis miſericordia*, (inquit Sapiens) *faciet locum vnicuique, ſecundùm meritum operum ſuorum.* id eſt, Deus qui eſt ipſamet miſericordia, & quidem vniuerſalis & infinita, aſſignabit vnicuique ſedem ipſius meritis debitam, *& ſecundùm intellectum peregrinationis ipſius*, id eſt, provt videbit eum ſe geſſiſſe in corpore, cum peregrinaretur à Domino, & eſſet viator. Et propterea ſubdit. *Non dicas, á Deo abſcondar, & ex ſummo quis mei memorabitur? In populo magno non agnoſcar; quæ eſt enim anima mea in tam immenſa creatura?* &c. *In omnibus his inſenſatum eſt cor*, (id eſt quia) *omne cor intelligitur ab illo.* Eccleſ. cap. 16.

14. Hoc eſt quod Iob Deum compellans, aiebat. *Signaſti quaſi in ſacculo delicta mea.* Sicut enim antiqui annulo obſignabant ſacculos, ne quid inde ſubduceretur, ita Deus delicta peccatoris aſſeruat in ſuo intellectu, & ita cuſtodit, vt nihil inde effluat, ſicut dicit per Moyſem, *Nonne hæc condita ſunt apud me, & ſignata in theſauris meis? Mea eſt vltio, & ego retribuam in tempore.* Quaſi diceret, ego ſemper video coram me omnia ab hoc populo hactenus malè geſta, ita vt nihil eorum apud me pereat, ſed eorum perfectè meminerim. Imò Deus propriè non meminit, neque recordatur. Nam recordatio eſt iterata cognitio rei præcognitæ, ſiue viſio intellectualis rei provt priùs viſæ. At Deus eandem viſionem atque notitiam, abſque vlla variatione continuat. Non igitur habet in rigore loquendo, memoriam vel recordationem, ſed perennem contuitum rei in tali differentia temporis poſitæ; quæ eſt multo perfectior rei præteritæ viſio, atque cognitio. Matth. 18.

15. Quartò, Eſt in Deo oculus amoris. Nam de re cupidiſſimè amata dicit Zacharias. *Hæc eſt oculus eorum in vniuerſa terra.* Et Dominus ait. *Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum.* Oculum vocat rem chariſſimam, nec ſecùs dilectam quàm oculus, vt exponit Iſidorus Monachus. Et Dauid dicebat, *non proponebam ante oculos meos rem iniuſtam.* Gloſſa Auguſtini. Quid eſt *non proponebam ante oculos?* Non diligebam. Deut 32. Solet enim dici de homine, qui ab aliquo diligitur, *ante oculos illum* Pſ. 100.

habet. Et ille qui contemnitur sic solet quæri, *non me habet ante oculos.* Quid ergo est ante oculos habere? Diligere.] Et alibi ait, quod dicitur vxor Putipharis iniecisse oculos in Iosephum, quia ea est visitata locutio pro eo quod est, *amauit eum.* Denique oculus amor est, & amare, videre est, vt dicit Richardus. Etiam profani idem tradiderunt. Idcirco enim Græcus Poëta affirmauit, quod oculis stillat amor.

16. Hic oculus & hæc visio, est manifestè in Deo, & sæpè inculcatur in sacra Scriptura. Sic enim oculi Domini dicuntur esse super iustos, quod est Deum amare illos. Et alibi dicit Deus, *Ponam super te oculos meos*, id est, amabo ac fouebo. Similiter apud Zachariam dicit Deus. *Non transibit super eos vltra exactor, quia nunc vidi in oculis meis*, id est, aspexi eos amoris oculis, & dilexi. Item apud Ezechielem: *cum esses in sanguine tuo, vidi te.* hoc est, amaui, & eripere tantis malis volui. Hanc Dei erga se visionem agnoscebat Agar dicens. *Tu Deus qui vidisti me*, demonstrans amorem quo Deus eam prosecutus fuerat. Puteum quoque ad quem Deus testimonium amoris illi exhibuerat, vocauit *puteum viuentis & videntis.* Erat etiam antiquum prouerbium, *in monte Dominus videbit.* Id est, sicut amauit Deus Isaacum, & è summo discrimine ac præsentissimo illum eripuit, ita amabit nos, & erit adiutor in opportunitatibus, in tribulatione, vt Hieron. exposuit.

17. Agebat gratias de his Dei erga se oculis B. Maria, dicens, *respexit humilitatem ancillæ suæ*, id est, amauit me, & beneuolus erga me pusillam & abiectam fuit. His ipsis oculis Dominus apud Lucam, *conuersus respexit Petrum*, qui tunc erat in atrio, nec poterat à Christo in domus penetralibus constituto, videri corporaliter. Sed vidit eum Dominus, amando deiectum in tam infelicem statum, vt dicit S. Aug. Sicut ergo impij, iuxta Apostolum, *habent oculos plenos adulterij, & incessabilis delicti*, quia iugiter vident, id est, amant & concupiscunt, quod concupiscere & sibi amare vetantur, secundùm quod dicit Isidor. Monachus exponens verba Christi *qui viderit mulierem*, ita Deus habet oculos plenos charitatis & incessabilis amoris in nos, quod innumera beneuolentiæ argumenta, quæ perpetuò edit, satis superque testatum reddunt. Et hi verè sunt oculi catti, quæ est gemma præstantissima, de qua fabulantur, quod diuitem faciat possessorem, obstétque ne prematur paupertate: de qua etiam illud narrant admirabile, quod si lineus pannus applicetur eius oculo, id est, meditullio, vri non potest. Is enim super quem sunt oculi Dei, nec potest diues non esse, nec vri igne vllo profano, aut consumi, vel quomodolibet lædi.

18. Quintò, Est in Deo oculus prouidentiæ quo dirigit nos, & præparat nobis necessaria, tam ad corporis bonum, quàm ad animæ salutem. Dicit Macrobius, quod Ægyptij sceptro Dei appingebant oculum, & hoc vt significarent prouidentiam Dei oculatissimam, sempérque vigilantem super nos. Id quod etiam S. Cyrillus Ægyptius scriptum reliquit. Sed & historia prona refert, quod Ara Iouis in subdiali ad

quam Priamus capta Troia confugit, tribus oculis erat insignis, quibus diuina de tribus orbis partibus, per tria tempora, exprimebatur prouidentia. Imo Ieremias, rectricem Dei prouidentiam expressit per virgam vigilantem, id est, oculatam, nec indormientem, sed excubantem rebus nostris.

19. Iste oculus est valde mirabilis, & eius consideratio magnam parit iustis consolationem. Nam quamuis omnibus planè creaturis, maximéque hominibus prospicit, tamen specialiùs inuigilat iustis. Et ideo dicitur, *Oculi Domini super iustos.* Et alio loco. *Oculi Domini super timentes eum.* Saluianus. [Aspicere iustos homines Deus dicitur vtique vt conseruet & protegat. Aspectus enim diuinitatis propitiæ, munus est conseruationis humanæ.] Quàm ergo dulce est, cogitare, quantámque securitatem ingenerat, benè attendere, quod oculus Dei, qui non dormitat, neque dormit, inuigilet nobis & firmetur super nos, vt iustis & piis promittitur? Vnde sequitur, quod Dei oculo regente & dirigente nos, nihil nobis deerit, & omnia mala auertentur à nobis. Ps. 33. Ps. 32.

20. Hic oculus præuenit nos, nec facit expectare oculos nostros. Nam si Iob protestabatur se non fecisse expectare oculos viduæ, vt non solùm ex munere (inquit Gregorius,) sed ex celeritate quoque muneris, bonorum operum merita augeret: Multo magis Deus, non expectatione nos fatigat, sed præuenit nos inexpectata beneficia conferens, sicut dicit Philo. Tantùm quoad ea quæ præexigunt consensum nostrum liberum, expectat Dominus vt misereatur nostri: Qua in parte bono nostro ac honori consultum voluit secundùm Gregorium Nazianzenum, vt salus nostra non esset purum Dei beneficium gratuitum, destitueretúrque ratione meriti, sed aliquo etiam modo, nostra esset. Id quod multo nobis dignius est quàm merè alieno munere salutem adipisci. Et quanquam nos ferè semper malè respondeamus tantæ Dei beneuolentiæ, expectanti nos, & tam parum à nobis deposcenti, tamen oculus iste nunquam friget vel torpet præ rigore, quod de oculo corporali dixit Philosophus, quia tam multis tunicis obuolutus est, támque multo adipe circumfartus, vt non periclitetur à frigore: vnde nulli vnquam legitur conglaciasse. Hoc multo verius est de Dei oculo. Nam ob nimiam charitatem suam, Deus, magna prouidentia & amore curat res nostras, tametsi nostrum frigus erga Deum, aliud exigeret.

21. Sextò habet Deus oculum vltorem. Iste est oculus iustitiæ, quem agnouerunt Pagani. Dicit enim Gellius ex Diphilo. [Est qui tuetur cuncta Iustitiæ oculus.] Isti oculi sunt scintillantes, de quibus scriptum est. *Oculi eius velut flamma ignis.* Respicit Deus his oculis montes, & facit eos tremere, quia superbi & impij, respiciente & succensente Deo, dant scelerum pœnas. Aiebat quidem Propheta Deum alloquens, *Mundi sunt oculi tui, vt non videant malum, & respicere ad iniquitatem non poteris*: quia etiamsi Deum nulla latet iniquitas, secundùm illud, *Infernus & perditio coram illo*, ac etiam alibi, *cognoui sce-*

lera vestra; tamen dicitur Deus non videre & non respicere, malum quod odit & plectit: sicut ait Augustinus circa illud *de cælo respexit Dominus.* [Vidit eos ille qui ait, cùm esses sub ficu vidi te. Vidit enim eum, qui miseratus est eum. Vnde plerumque, egenti misericordia dicimus homini, *Vide me.* Et de illo qui te contemnit, quid dicis? *Non me videt.* Est ergo quædam visio miserantis cordis, non visio punientis. Illa visio ad peccata, animaduersio est. Quia illa peccata non vult videri qui dicit; *Auerte faciem tuam à peccatis meis.* Quod vult ignosci, non vult agnosci. *Auerte* (inquit) *faciem tuam à peccatis meis.* Cùm ergo auertit faciem suam à peccatis tuis, non videbit te. [

22. Hoc oculo videt Deus omne peccatum, quia seriùs ocyùs illud punit: Estque iste oculus incorruptibilis, multo magis quàm oculus illius sancti Episcopi Ludouici Catalaunensis, qui quod iniustè conspicere noluisset, inuentus est longè post mortem incorruptus, & intentior crystallo; quàmuis totum reliquum corpus esset resolutum in puluerem. Ne putent ergo peccatores, quod corrupturi sint oculum Dei, iusti vltoris. Et aliqui quidem pingunt ascititiis coloribus hos Dei oculos, vt appareant non truces & terribiles, sed pulchri, sicut faciebat Iezabel, pingens stibio oculos suos: & illæ quas S. Hieronym. & Isidorus Monachus damnant, habentes orbes stibio fuliginatos. Oculos enim fuligine collinebant, vt dicit Tertullianus, vt apparerent pulchræ oculis. Aliæ crocum apponebant, iuxta illud.

Nec pudor est, oculos tenui signare fauilla,
Vel propè te nato lucide Cydne croco.

Sed hæc picturatio & suffuscatio, vt eam sanctus Cyprianus appellat, non potest habere locum circa Dei oculos, quia quantumuis peccator, Deum sibi fingat, dissimulaturum & dimissurum cùm peccauerit, tamen Deus non irridetur.

23. Septimò habet Deus oculum præmiantem, de quo dicitur. *Domini est oculus hominis, & omnium tribuum Israël*, quia Deus omnem Israëlem, quod est interpretatum *videns Deum*, aspiciet æquissimis & beneuolentissimis oculis, reddens ei bona quæ oculus non vidit. Et tunc apparebit verum, quod dixit Sapiens. *Rex qui sedet in solio iudicij, dissipat omne malum intuitu suo.* Nam ex quo Christus venerit iudex, & deinceps per totam æternitatem, exterminabitur malitia quæ prorsus à cœlo aberit, & omnis iniquitas oppilabit os suum, id est, Diabolus, (vt dicit Gregor. Nyssen qui est omnis iniquitatis incentor, desinet vrgere & sollicitare iustos ad culpam, cui vlteriùs non erunt obnoxij. Et hæc erit præcellentissima electorum præmiatio, tam arctè, támque indissolubiliter iungi Deo, vt nulla ratione auelli ab eo possint, & declinare in obligationes.

Zach. 9. *Prou. 20.*

24. Hic idem Dei oculus, complebit bonis positiuis, & immensa, nec satis vnquam per nos explicanda beatitate, omnes electos. Nam ibi verè videbitur esse rectè dictum, quod omnes dicunt, inquit Chrysologus,

logus. [Hoc vniuersitas sentit ex vsu, de felicibus sic dicendo, *Vidit illum Deus.*] Quia ergo cumulabit Deus electos omnibus bonis, faciétque felicissimos, in præmium rectè anteactæ vitæ, dicetur illos videre. Et ipsi quoque, mundato mentis oculo Deum videbunt. Nam nunc quidem *omnes homines vident eum & vnusquisque intuetur procul.* Procul eum intuentur, atque adeò verè non vident, secundùm Gregorium, qui eum per sola opera conspiciunt, non vident autem, sicuti est, quod in cœlo dabitur.

25. Sed ad hoc exquisita exigitur præpurgatio. Nam, vt ait quidam Sanctus, si nascentis iubar Solis, oculorum nostrorum vix suffert sanitas tota vel puritas, quanta interni visus est præparanda synceritas, vt splendorem sui ferre possit orientis & radiantis autoris? Purgationum autem & aptationum oculi Deum visuri; ea est potissima, vt homo in omnibus videat Deum; Vbique inquam, & in omnibus studiosè intendat Dei gloriam. Deinde regendus, & aberratione quàm exactissimè prohibendus est corporis oculus; nam & idcircò modicæ extensionis creatus est, vt faciliùs administrari & curari ab homine possit. [Dei est, (ait idem Sanctus,) quod oculus in orbem sic apertus, arctatur angustissimus in pupillam, quatenus moderatè visum videat, non inuideat; præuideat, non proripiat; prospiciat, non despiciat. Oculus sit animæ fenestra, speculum sit mentis, sit lumen corporis; membrorum dux sit, non introitus vitiorum.] Sic dirigendo corporeos oculos; qui nunc nostri non sunt, nostri fient, iuxta promissionem Domini, *quoniam oculis tuis considerabis*, quia vt dicit Bernardus, cum oculus mentis mundatus Deum videbit, oculi corporis nunc alieni, nostri erunt, quod concedere tandem dignetur dulcis & rectus Dominus. Fiat, fiat.





REGVLÆ VITAM CHRISTIANAM COMPLECTENTES.



RIMA REGVLA si homini videtur dura via virtutis, quia continuè oportet nos pugnare aduersus carnem, & diabolum, & mundum; recordetur quòd quamcumque elegerit vitam, etiam secundùm mundum; multa illi aduersa, tristia, incommoda, laboriosa patienda sunt.

Secunda. Recordetur quòd in rebus mundi, diutiùs pugnatur, & laboriosiùs, & infructuosiùs, in quibus labor est finis laboris, & tandē pœna æterna.

Tertia. Recordetur stultum esse, credere ad cœlum posse perueniri nisi per huiusmodi pugnam, sicut & caput nostrum Christus, non ascendit in cœlum nisi per crucem; nec debet serui conditio, melior esse conditione Domini.

Quarta. Recordetur non solùm esse ægrè ferendam hanc pugnam, sed optandam, etiamsi nullum inde nobis præmium perueniat, solùm vt conformemur Christo Deo & Domino nostro. Et quoties resistendo alicui tentationi, alicui ex sensibus tuis vim facis, cogita cuinam parti crucis Christi conformis reddaris; vt quando gulæ resistens, gustum affligis, recordare illum felle potatum & aceto. Quando manus retrahis à rapina alicuius rei quæ tibi placet, cogita manus illius pro te ligno crucis affixas: Et si resistis superbiæ, recordare illum, quum in forma Dei esset, pro te formam serui accepisse, & humiliatum fuisse vsque ad mortem crucis: Et quum ira tentaris, recordare illum qui Deus erat, & omnium hominum iustissimus, quum se tamen videret quasi latronem, & illudi, & conspui, & flagellari, & opprobriis omnibus affici, & cum latronibus deputari; nullum tamen vnquam, aut iræ, aut indignationis signum ostendit, sed patientissimè omnia ferens, omnibus, mansuetissimè respondebat.

Et sic discurrendo per singula, inuenies nullam esse passionem quæ te Christo aliqua ex parte conformem non efficiat.

Quinta. Caue ne in vllis mortalibus armis, nec in quoquam alio humano remedio confidas, sed in sola virtute Iesu Christi, qui dixit: *Confidite, ego vici mundum*, & alibi: *Princeps mundi huius, eijcietur foras*, quare & nos sola eius virtute confidamus, & mundum posse vincere, & diabolum superare. Et ideò debemus semper petere eius auxilium per orationem, & sanctorum suorum inuocationem.

Sexta. Recordare quum vnam vicisti tentationem, semper aliam esse expectandam, quia diabolus semper circuit quærens quem deuoret: Quare oportet semper seruire in timore, & dicere cum Propheta: *Super custodiam meam stabo.*

Septima. Non solùm non vincaris à diabolo quum te tentat, sed vincas ipsum, & hoc est quando non solùm non peccas, sed ex ea re vnde te tentauerat, occasionem sumis alicuius boni: vt si opus tuum bonum aliquod tibi offert, vt inde in vanam gloriam incidas, tu illud statim non opus tuũ, sed vt beneficium Dei cogitans, humilias te, & iudicas parum gratum te esse Deo de beneficiis eius.

Octaua. Cùm pugnat, pugnes quasi vincendo, deinde perpetuam pacem habiturus, quia fortè hoc tibi dabit Deus ex gratia sua, & diabolus ampliùs non redibit, confusus de tua victoria. Sed quum vicisti, geras te quasi mox pugnaturus, vt in pugna semper victoriæ, & in victoria semper sis memor pugnæ.

Nona. Vt quamuis te sentias vndique benè munitum & paratum, semper tamen fugias occasiones peccandi, quia vt dicit Sapiens; *Qui amat periculum, peribit in illo.*

Decima. Vt tentationibus semper in principio occurras, & allidas paruulos Babylonis ad petram, *Petra autem erat Christus*: quia serò medicina paratur.

Vndecima. Recordare quod licèt in ipso conflictu tentationis ardua videatur pugna, tamen longè dulcius est vincere tentationem, quàm ire ad peccatum, ad quòd te inclinat. Et in hoc multi decipiuntur, quia non comparant dulcedinem victoriæ dulcedine peccati, sed comparant pugnam voluptati: & tamen homo qui millies expertus est quid sit credere tentationi, deberet semel saltem experiri, quid sit vincere tentationem.

Duodecima. Propterea quòd tentaris, ne credas te à Deo derelictum, Deo parum gratum esse, aut parum iustum & perfectum. Memor sis, quod postquam Paulus vidit diuinam essentiam, patiebatur tentationem carnis, qua permittebat Deus eum tentari, ne de superbia tentaretur. In quo etiam homo debet aduertere, quòd Paulus qui erat vas electionis, & raptus vsque ad tertium cœlum, tamen erat in periculo, ne de suis virtutibus superbiret, sicut ipse dicit de se; *Ne magnitudo reuelationum extolleret me, datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus Satanæ qui me co-*

laphizet. Quare super omnes tentationes, homo debet maximè se munire contra tentationem superbiæ, quia radix omnium malorum superbia est; contra quòd, vnicum remedium est, cogitare semper, quòd Deus se humiliauit pro nobis vsque ad crucem, & mors nos vel inuitos eò vsque humiliabit, vt simus esca vermium.

ANNOTATIONES IN PSALMVM Decimum-quintum.

Conserua me Domine. Si quis perfectus vult recognoscere statum suum, vnum habet periculum, ne de sua virtute superbiat. Ideò Dauid loquens in persona iusti, de statu suo, incipit ab hoc verbo: *Conserua me.* Quòd rectè consideratum, omnem amouet occasionem superbiæ. Nam qui potest aliquid ex se acquirere, potest illud ex se sibi conseruare. Qui ergo petit à Deo conseruari in statu virtutis, significat per hoc, quòd nec à principio, ipsam virtutem ex se acquisiuit: Qui autem recordatur virtutem se consecutum non virtute propria, sed virtute Dei, non potest de ea superbire, sed magis humiliari coram Deo, iuxta illud Apostoli: *Quid habes quòd non accepisti, & si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Duo sunt ergo verba quæ semper habere debemus in ore, alterum scilicet: *Miserere mei Deus*, quum scilicet recordamur peccatorum. Alterum est: *Conserua me Deus*, scilicet cum recordamur virtutum. Quoniam speraui in te. Hæc vna res est, quæ facit nos à Deo impetrare quod petimus; quum scilicet nos impetraturos speramus. Et si duas has conditiones obseruabimus, vt numquam petamus à Deo nisi ea quæ nobis sunt salutaria, & vt id quod petimus, ardenter petamus, cum firma spe quòd Deus nos exaudiat, nunquam erunt irritæ orationes nostræ. Quum igitur non impetramus, est, aut quòd illud nobis est noxium: nescimus enim quid petamus, vt inquit Christus, & idem dixit: *Quidquid petieritis in nomine meo, dabitur vobis.* Hoc enim nomen Iesus, Saluatorem significat: & ideò nihil petitur in nomine Iesu, nisi quod est ad salutem ipsi petenti. Aut non exaudit, quia si bona petimus, non benè petimus, hoc est cum parua spe: qui autem timidè sperat, frigidè petit. Ideò dicebat Iacobus: *Postulet autem, in fide nihil hæsitans.* Dixi Domino Deus meus es tu. Postquam muniuit se contra superbiam, incipit describere statum suum. Totus autem status iusti consistit in hoc verbo; *Dixi Domino, Deus meus es tu.* Quòd verbum licèt videatur ferè omnibus commune, pauci tamen sunt qui illud possint vere dicere: Illud enim quis habet pro Deo, quod habet pro summo bono: & illud habemus pro summo bono, quo solo habito, si cætera desint, putamus nos esse fœlices: & quòd vnum si desit, etiamsi habeamus omnia alia bona, putamus nos esse miseros:

Dicit igitur auarus pecuniæ; *Deus meus es tu*: Quia etiam si ei desint honor & sanitas, & virtus & amici, modò pecuniam habeat, contentus est. Et si habeat omnia illa bona quæ diximus, & pecunia desit, putat se esse infelicem. Gulosus item, crapulæ; & incontinens, libidini: & ambitiosus, imperio siue gloriæ dicit: Deus meus es tu. Vide igitur quàm pauci possint dicere: *Dixi Domino, Deus meus es tu:* quia illi solus Deus sufficit; itavt si ei proponantur omnia regna mundi, & cœlestia omnia, & terrena bona, non tamen vt illa consequeretur, Deum offenderet. In hoc igitur dicto consistit totus status hominis iusti. Quoniã bonorum meorum non eges. Reddit rationem propositi sui, quare scilicet soli Domino dicat: *Deus meus es tu.* Ratio autem est, quoniam solus Deus bonis nostris non eget: nulla enim creatura est, quæ non indigeat aliis creaturis, quamuis imperfectioribus, vt probant Philosophi & Theologi, quia si illæ non essent, ipsa non esset. Quia destructa vna parte vniuersi, destruitur totum vniuersum: Destructo autem toto, destruuntur omnes partes: omnes autem creaturæ sunt partes vnius vniuersi; cuius vniuersi, ipse Deus, non pars est, sed principium, nihil ab eo dependens: nihil enim acquisiuit Deus ex hoc quòd creauit mundum, & nihil perderet, si totus mundus annihilaretur: solus ergo Deus bonorum nostrorum non eget. Debemus autem erubescere, illum habere pro Deo, qui bonis indiget nostris, qualis est omnis creatura. Præterea non debemus habere pro Deo, hoc est pro summo bono, nisi illud in quo est summum bonum: In nulla autem creatura est omne bonum: Soli igitur Domino debemus dicere: *Deus meus es tu.*

Sanctis qui sunt in terra. Post Deum maximè debemus amare illos qui sunt Deo maximè coniuncti, quales sunt Angeli & beati in patria: Ideò postquam dixit Domino. Deus meus es tu: subdit, quòd Deus. Mirificauit voluntates meas in eis, hoc est, mirabiles fecit amores eius, & desideria eius erga sanctos, qui sunt in terra eius: hoc est, in cœlesti patria, quæ dicitur terra Dei, & terra viuentium. Et verè, si consideremus quanta sit illius patriæ fœlicitas, quanta huius mundi miseria, quanta ciuium illorum bonitas & claritas, desiderabimus semper hinc discedere, vt illic habitemus. Hæc autem & similia quum meditamur, illud semper curare debemus, ne infructuosæ sint meditationes nostræ, sed ex qualibet meditatione aliquam semper acquirere virtutem debemus. Vt ex hac cogitatione de bonitate patriæ superioris, debemus acquirere virtutem hanc, vt mortem non solùm fortiter feramus & patienter, quum venerit hora nostra, aut si pro fide Christi nobis obeunda sit; sed vltrò etiam appetamus; cupientes scilicet ex hac valle miseriarum discedere, vt in illa felici patria, cum Deo & Sanctis eius regnemus. Quum ergo iustus descripsit statum suum, qui totus est in affectu erga Deum & diuina, despicitque ex alto statum hominum malorum, dicit:

Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum. *Per infirmitates* autem intelligit idola, & ita habet textus Hebręus: ſicut enim bonus, vnum habet Deum quem colit, ita mali, multos habent Deos & idola, quia multas ſcilicet voluptates, multa deſideria vana, paſſiones diuerſas quibus ſeruiunt. Ideò autem multas quærunt voluptates, quia nullam inueniunt quæ eos quietet, & ideò in circuitu impij ambulant. & ſubdit, poſtea accelerauerunt: quia ſcilicet poſt ſua deſideria pręcipites ruunt, & inconſideratè. Vnde edocemur, vt non minùs ipſi celeriter curramus ad virtutes, quàm ipſi currant ad vitium, nec Domino noſtro minùs diligenter ſeruiamus, quàm ipſi ſeruiant Domino ſuo diabolo. Iuſtus autem conſiderans ſtatum malorum, proponit firmiter, ſicut & nos ſemper debemus facere, nullo modo velle eos ſequi, & dicit:

Non congregabo conuenticula eorum de ſanguinibus, nec memor ero nominum eorum per labia mea. Dicit autem *de ſanguinibus*; tum quia idololatræ ſolebant collecto ſanguine victimarum circa idolum ſuas agere ceremonias: tum quia tota vita malorum, relicta ratione, ſenſualitatem ſequitur, quæ in ſanguine ſita eſt. Dixit autem quod non ſolùm non vult ſacrificare idolis, ſed nec nominare ea, quod tamen dici & fieri poteſt; oſtendens per hoc, quòd non ſolùm homo perfectus, debet abſtinere ab illicitis voluptatibus, ſed etiam à licitis, vt magis totus feratur in cœlum, & contemplationi diuinorum puriùs vacet. Et quia aliquis poſſet credere quod eſſet ſtultitia, priuare ſeſe omni voluptate, ſubdit:

Dominus pars hæreditatis meæ. Quaſi dicat, non mireris ſi omnia alia relinquo vt Deum poſſideam, in quo etiam alia omnia bona poſſidentur. Debet hæc eſſe vox cuiuſlibet boni Chriſtiani, *Dominus pars hæreditatis meæ*; quia nos Chriſtiani, quibus Deus ipſe pro hæreditate promittitur, debemus erubeſcere aliquid præter ipſum deſiderare. Et quia poſſet videri alicui præſumptio, audere hæc ſibi promittere, ideò ſubdit. *Tu es qui reſtitues hæreditatem meam mihi.* Quaſi dicat: Domine Deus meus, benè ſcio quòd quum nihil ſim reſpectu tui, viribus meis non poſſum aſcendere ad te poſſidendum, ſed tu es qui trahes me ad te per gratiam tuam, & tu es qui teipſum dabis mihi poſſidendum. Vt conſideret deinde iuſtus, quanta ſit hæc felicitas, vt ei Deus pro hæreditate contigerit, ſubdit:

Funes ceciderunt mihi in præclaris. Pars enim & ſortes antiquitùs per funes diuidebantur: & quoniam multi ſunt qui licèt ad hanc felicitatem ſint vocati, ſicut ſunt omnes Chriſtiani, ipſam tamen nihil faciunt, vtpotè quam pro leui ſæpè voluptate commutant, ideò ſubdit. *Hæreditas mea præclara eſt mihi.* Quaſi dicat, ſicut ipſa eſt præclara, ita ego eam præclaram reputo, & omnia alia reſpectu eius, vt dicebat Paulus, ſicut ſtercora reputo. Quoniam autem habere hoc lumen intellectus,

vt homo cognoſcat felicitatem ſibi à Deo datam, donum Dei eſt, ideò ſubdit.

Benedicam Dominum qui tribuit mihi intellectum. Quoniam autem ſæpè homo iudicat ſecundum rationem ſeruire Deo, ſenſualitas autem & caro repugnant: tunc autem homo perfectus eſt, cùm non ſolum anima eius, ſed & caro in Deum feruntur, iuxta illud: *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum*; ideò ſubdit: *Inſuper & vſque ad noctem, increpuerunt me renes mei.* Id eſt renes ipſi in quibus maxima ſolet eſſe inclinatio ad concupiſcentiam, non ſolùm inclinant me ad malum, ſed potiùs increpant; hoc eſt retrahunt; etiam vſque ad noctem; id eſt eoúſque, vt etiam ipſi vltrò proprium corpus affligant. Afflictio enim ſæpè, per noctem ſolet deſignari. Oſtendit deinde quæ ſit radix tantæ perfectionis, & dicit.

Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper. Nam ſi quis Deum ſemper haberet ante oculos pro regula omnium operationum ſuarum, & in omnibus operationibus ſuis, nec propriam vtilitatem, nec gloriam, nec voluptatem quæreret, ſed ſolùm vt Deo placeret, breui perfectus euaderet. Et quia qui ita agit, ſemper in omnibus proſperatur, ideò dicit: Ipſe à dextris eſt mihi ne commouear. Oſtendit deinde quanta ſit felicitas iuſti viri, quia ſcilicet erit in æternum felix, & in anima & in corpore, ideò ſubdit.

Propter hoc lætatum eſt cor meum. Id eſt, anima mea lætata eſt, ſciens poſt mortem ſibi cœlum eſſe paratum. *Et caro mea requieſcet in ſpe.* Id eſt, quamuis ipſa non lętetur, quaſi acceptura ſtatim poſt mortem ſtatum ſuum; requieſcet tamen in ſepultura, cum hac ſpe, quod reſurget in die iudicij, cum anima ſua immortali, & ſplendidiſſima. Et hoc totum declarat in ſequenti verſiculo: nam quia dixerat quod anima lętabatur, ſubit rationem.

Quia non dereliques animam meam in inferno. Et quia dixerat, quod caro requieſcebat in ſpe, ſubdit rationem dicens. *Nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* Quia quod fuit corruptibile: & quia Chriſtus fuit primus qui intrauit paradiſum, & nobis vitam aperuit; & fuit primus qui reſurrexit, & reſurrectio eius eſt cauſa noſtræ reſurrectionis, ideò iſta quę diximus de reſurrectione, principaliter de Chriſto intelliguntur, ſicut declarauit Petrus Apoſtolus, & ſecundariò intelligi poſſunt de nobis, in quantum ſumus membra Chriſti, qui ſolus non vidit corruptionem, quia corpus eius in ſepulchro putrefactum non fuit. Quoniam igitur via benè viuendi, ducit nos ad perpetuam vitam animę & corporis, ideò ſubdit.

Notas mihi feciſti vias vitæ. Et quia tota felicitas huius vitæ conſiſtit in aperta viſione & fruitione Dei, ideò ſubdit.

Adimplebis me lætitia cum vultu tuo. Et quia felicitas in æternum durabit, ideò ſubdit.

Delectationes in dextera tua vsque in finem. Dicit autem *in dextra tua*, quia felicitas nostra completur in visione & fruitione humanitatis Christi, qui sedet in dextra maiestatis in excelsis, iuxta illud Ioannis; *Hec est vita aterna vt cognoscant te, & quem misisti, Iesum Christum.*

FINIS.



DE RAYMVNDO IORDANO
CANONICO REGVLARI,
QVI HACTENVS
IDIOTÆ
NOMEN PRÆTVLIT;
COGITATIONES
PRIORES ET POSTERIORES
Theophili Raynaudi ex Societate IESV,

EIVSDEM
Facula ad subobscura quædam loca.



DE RAYMVNDO IORDANO CANONICO REGVLARI, QVI HACTENVS IDIOTÆ NOMEN PRÆTVLIT.

PRIORES COGITATIONES, SIVE coniecturæ de Autore anno 1630. euulgatæ.

1. VIS & cuias fuerit, quo æuo vixerit, quod institutum professus sit, Autor contemplationum quæ *Idiotæ* nomine circumferuntur, nondum liquet. Coniecturas nostras aliorum sensibus in hoc limine subnectere, operæ pretium videtur. Quamquam de omnibus capitibus propositis præterquàm de ætate, altum hactenus apud omnes silentium. Hos & de æuo nonnulla distinctiùs, & de reliquis aliqua proponere possumus, beneficio M.S. exemplaris quod nacti sumus, continens præter quinarium libellorum, *Idiotæ* nomine pridem vulgatorum, alios præterea plerosque pios fœtus intermistos prioribus, eodem ordine ac stylo, & quod caput est, eodem spiritu ac pietate conscriptos: vt indubitatum planè videatur, eiusdem ingenij partus esse, de quo prouoco ad pij & periti Lectoris saliuam: nam nunc tandem exhibentur è mendosissimi, & maculosissimi codicis salebris, tanquam è luto gemeno recens educti, ope benè oculati ac industrij librarij, cuius peritiæ

ac fidei, in tam incommoda conformatione characterum, & aspectus nostri suppressione, plus tribuendum necessariò fuit, quàm voluntas, quæcumque euulgamus, omnia per nos dispiciendi non aliena fide edendi, ferre solet. Ex illis ergo alijs libellis, non paucas aut leues coniecturas, cùm quoad æuum, tum quoad alia auctoris adiuncta promere licet, quas Lectoris interest non ignorare.

2. I. *Ætatem*, certum est non prætergredi, vel etiam attingere sæculum à Christo nato sextum, quo vixit Sanctus Gregorius magnus; Eius enim verba vsurpat Autor, tanquam anterioris & recepti scriptoris. Vt *cap. 3. de beatitudine. num. 2.* locum profert S. Gregorij ex Homil. 37. in Euangelia. Et cap. 11. meditat. *de Spiritu Sancto robor. animam*; *num. 1.* locum adducit ex Libro 25. Moral. c. 12. & ex Homil. 11. in Ezech. Hæc exploratum reddunt, Autorem de quo agimus, esse D. Gregorio posteriorem. Nec vllus sanè adeo promouit eius ætatem, vt D. Gregorio æqualem statueret: sed qui illam maximè prouexit Genebrardus, in Chronologia, Idiotam collocat sub annum Christi 850. cum Treculpho, Ansegiso, Vvandelberto, ac Theophane Nicæno, cuius æui designatorem, laudat Trithemium. Sed apud hunc nihil inuenio tametsi vt ita scripsisset Trithemius, densi apud eum anachronismi suaderent, fidem non facilè adhibendam dictis, quæ potiore & ineluctabiliore, quàm Trithemij autoritate destituerentur. Idem circiter æuum tribuunt Idiotæ Ferdinandus Salazar l. de Concept. c. 42. & x. & Ægidius à Præsent. l. 3. de præseruat. q. 4. art. 1. §. 1. dicens Idiotam floruisse anno 800. Et pugnat cum ea nota temporis, quo vixerit & scripserit hic Autor, multiplex ratio, & quidem potens. Nam Autor *in meditationibus de Spiritu Sancto c. 18.* in fine, meminit flagellationis Christianæ, quam passim vocamus *disciplinam*, eóque ipso nomine illam signat. Et hoc nomen, tempore Petri Damiani, hoc est sub annum Domini M. L. inductum esse in Ecclesiam, Cardinalis Baronius, anno 1056. annotauit; & liquet ex eiusdem Petri Opusc. 50. cap. 14. ac ex libri 5. Epist. 8. qua inuehitur contra molles quosdam sancti illius vsus tamquam noui insectatores. Fortiùs etiam vrget argumentum ex eo ductum, quod Autor S. Bernardi verba aliquoties vsurpet. Vt in *Prologo contemplat. de Deip. num. 3.* cùm ait. [Iuxta cōsiliū cuiusdā deuoti serui eius,] Mariā semper cogita, Mariam semper inuoca: non recedat ab ore, non recedat à corde: & vt impetres eius orationis suffragium, non deseras conuersationis exemplum. Quæ hausta sūt ex calce Homiliæ 2. super *Missus est* apud Bernardum. Ex eodem item petita sunt illa in cap. 2. earundem *contemplationum* directa ad Deiparam. [Quodcumque alicui sanctorum vnquam datum fuit, tibi non fuit negatum.] Hoc enim veluti principium, apud Bernardum legitur Epist. 174. Apertè quoque numerus 1. & 2. cap. 10. *meditationum de amore*, compactus est ex Bernardi tractat. de diligendo Deo in §. primi calce. At citra controuersiam est, posteriorem Damiano fuisse Bernardum; quippè qui anno 1153. è viuis excesserit; cùm Petri Damiani anno 1072. obijsse prodatur. Itaque Idiota non antecessit fines sæculi duodecimi,

3. Ausim verò dicere, multò etiam inferiùs summouendum esse. Nam passim deprehendo, receptas in schola Theologica loquendi formulas apud eum adhiberi. Sic cap. 26. *meditat. de amore, num. 1.* præceptorum meminit affirmatiuorum, & negatiuorum. Et ibidem cap. 16. num. 2. & cap. 21. num. 2. mentio est actuum ab amore imperatorum, vt sint Deo grati. Capite item 15. num. 3. & cap. 17. num. 1. virtus moralis, absque charitate pronunciatur informis. Capite 16. *de beatitud.* Autor distinguit beatitudinem in obiectiuam & formalem; quæ omnes sunt Scholasticorum Phrases, anterioribus Ecclesiasticis scriptoribus incompertæ: primùm autem inductæ, ex quo efferbuit scholastica docendi & scribendi ratio, sub annum scilicet Christi 1250. Quin etiam, tam liquida conceptæ absque parentali labe Deiparæ assertio, quam proponit *cap. 2. contemplat. de beata Maria num. 4.* & cap. 6. num. 1. sapit posteriora tempora, quibus Scoti præsertim, eiusque partiariorum studijs, mollitie piæ illius sententiæ prætento rigore, & depulsa nouitatis inuidia, promptiùs in eam à Catholicis, pro sua erga Deiparam veneratione, ventum est. Accedit denique quòd Autor in *contemplat. de morte cap. 2. num. 2.* deplorat Catholicæ Ecclesiæ angustias, & compactionem in angulum Occidentis; quod perfectum est sæculo 15. post Constantinopolitanam cladem, & Turcicam Imperij Orientalis inuasionem, quæ contigit anno 1452. Quare in hos fines sæculorum, concludendus omnino videtur Idiota, quamuis vbi præcisè statuendus sit, compertum non habeam. Et cum ætatis annum 50. attigisse se scribat *p. 3. de glor. cap. 2.* potuit inchoato iam sæculo decimosexto, vixisse. Hæc de Autoris æuo.

4. II. Natione Gallum fuisse, frequentes Gallismi testatum faciunt. Eiusmodi sũt quos subijcio; initio Proœmij tractatus deplorationũ: *Oportet quod homo cultiuetur.* Hominem *cultiuare*, Gallis idem est, quod expolire & excolere; metaphora ab agris ducta. *Cap. 1. medit. de Spiritu Sancto. Carpentarius similitudinem suam, quam habet in mente, imprimit in arca;* Carpentarium pro vsu Gallico vsurpat, loco fabri lignarij Cap. 33. *de amore* num. 2. *video per effectum, quod laqueus est in auro.* Et hæc Gallica Phrasis est, aliquid verè & re ipsa positum designans. Capite 16. *de morte,* num. 2. *proprium magistrum occidit inuidia.* Hic verò purissimus est Gallismus; quo passim Dominus & possessor rei cuiuspiam, *eius magister* audit. Hæc, (ne plura anxiè conquiram,) perspicuè produnt, scriptorem de quo agimus, Gallum fuisse, quando quidem omnes lingua nostra loquimur, in qua nati sumus.

5. III. Professio citra dubium est. Disertè enim se sacerdotem testatur, in *deplorat. par. 1. cap. 6. num. 2.* Nec nudè sacerdotem fuisse, sed cui credita esset cura animarum, constat *ex cap. 11. eiusdem partis num. 1. & 2.* Et verò Ecclesiasticæ Præfecturæ adiunctos fuisse annuos prouentus, profitetur *ibidem cap. 7. num. 2. & parte 4. cap. 5. num. 2.* Necesse autem est, fuisse beneficium regulare. Nam ipse disertè *parte illa 1. cap. 13.* initio, se à mundo segregatum affirmat: idque iurat *parte 4. cap. 8. num. 2.* vbi se com-

munem fratrum vitam profiteri scribit, & se S. Augustini filium profitetur. Quod præfectura illa animarum, & adiuncti prouentus, suadent de Canonicis Regularibus accipiendum, non de Eremitis, quibus ex Regula, neutrum quadraret. Eiusmodi porrò sunt hæc adiuncta, quæ protulimus, vt non liceat comminisci Autorem veluti formam precandi, aut pium aliquid mente agitandi, proponentem; ea exempli gratia adhibuisse, à Lectore, (vti in hisce scriptionibus assolet,) in se transformanda. Quid enim intererat, ætatem quinquagenariam, & concreditam animarum procurationem, ac talem religiosam professionem signare, in precandi vel meditandi formula, nulli (quod ex epigraphe doceamur,) accommodata, sed omnibus vniuersim proposita? Itaque haud dubiè Autor, adiuncta illa status sui exprompsit, vt se eorum commemoratione, ad pietatem excitaret, non vt alijs orandi vel meditandi paradigma perscriberet.

6. IV. Nomenclatio *Idiotæ*, in nostro Codice nusquam compâret: & verisimile est ab eo qui vulgatos quinque libellos primus edidit, fuisse appositam, spectata styli simplicitate, & scriptionis ratione, quæ tota est in sanctis affectibus, & pijs igniculis excitandis, abiecta omni lenociniorum, & phalerarum, (verius dixerim, muscarum morientium, vnguenti suauitatem perdentium) sollicitudine. Quamquam Iacobus Faber Stapulensis, qui priusquàm Neracum in Aquitania, ad Caluinismum profitendum secederet, ante annos circiter centum, Parisijs, quinque illos libellos Typographico prælo, (fortasse primus,) commisit, Autorem non alio se, quàm Idiotæ nomine prodidisse testatur. Et ita semper in omnibus posterioribus editionibus, quæ extant quàmplurimè, nominatus habetur. Quanquam si Commentarius in Psalmum 15. & Regulæ Christianæ vitæ, *Idiotæ* nomine hactenus vulgatæ, & idcirco huic quoque editioni adiunctæ, sunt reuera Ioannis Mirandulæ Comitis, vt fert eiusdem operum Elenchus, & in eius vita à nepote edita insinuatur; liquet, lucubrationes viri & ingeniosissimi & facundissimi, *Idiotæ* nomen præferre: tametsi planè diuersi ab eo cuius sunt Tractationes reliquæ huius voluminis: Neque enim adiuncta quæ proposuimus num. 2. & 3. possunt in Ioannem Picum cadere. Et potuit sanè Picus, in illis duobus lucubratiunculis, disertus licet cæteroqui ac doctus; potuit Autor reliquorum huius operis tractatuum, quamuis aliàs facundus & eruditus, in hoc tamen opere Idiotæ audire; eodem iure quo apud plerosque, S. Ephrem; cuius tam vilem verborum testam. quæ Idiotam planè referat, in plerisque operibus, & fere in omnibus asceticis, mirati iampridem sunt veteres apud Photium Cod. 196. quamuis doctrinam, & cùm res fert, etiam facundiam, vix alibi reperias exquisitiorem & amæniorem; quod prodit bona pars tomi quarti, quo orationes encomiasticæ continentur.

7. Vt vt sit, latere sub hoc nostro sordido pallio sapientiam, intersiti identidem tantæ dictionis humilitati, grandium sensuum velut purpurei claui, demonstrant: vnde prudens Lector, Autoris doctrinam non difficilè æstimabit. Nam vt est apud Constantinum Manassem in annal. num. 133.

Gustus etiam perexiguus, dolij totius, & contexti egregiè pepli documentum, fimbria præbet; vt leo magnanimus, ex vnguibus agnoscitur.

Posteriores de Idiota & eius operibus cogitationes.

8. SIc scribebam ante annos viginti, ex luce quæ tunc affulgebat. Nunc affusa pleniore luce, illustranda, ac etiam corrigenda sunt aliqua; Et in primis, commutanda est voluminis inscriptio, his verbis concepta, *ante hac truncus, nunc integer ex M.S. Cod. Lugdunensi.* Breuius etiam, ad mollis scalpturæ tabellam, epigraphe his duobus verbis inscripta. *Idiota totus.* Existimabam enim, post tam numerosam seriem lucubrationum, quæ tunc primùm edebatur, nullam deinceps expetendam esse accessionem eidem Autori faciendam. Verùm præter spem πρὸς ὅλον, nactus postea sum, quod falsum me esse in prima illa inscriptione, demonstrauit, non modò ob refossum, deniquè ac è tenebris eductum Autoris nomen genuinum; sed etiam quoad lucubrationes aliquas, hoc admodùm pio & planè sapiente Autore dignas, in quas postea incidi, & nunc simul cum illis anteriùs vulgatis emittuntur. Itaque recognoscendas, & explicatiùs euoluendas video, binas illas voces epigraphes propositæ; pro *Idiota* exhibendo genuinum nomen & cognomen Autoris quibus subnectuntur adiuncta omnia personæ Autoris; tum quid priùs ad totum hunc Autorem desiderantur, aperiam.

9. Nominalia huius Autoris, verè humilis qui non posuit nomina sua in terris suis, debeo M. S. Codici V. C. L. D. Ludouici de Caseneuue, Turnonensis, non vna scriptione pridem publico data, eruditis benè noti. In eum Codicem cum incidisset R. P. Gilbertus Ioninus ὁ μακαρίτης, in cuius præcoci obitu, rēs literaria haud leuem plagam excepit; & libellos à nobis vulgatos, & alios præterea quosdam, eodem Codice contineri significauit, præfixa operis initio hac Epigraphe. *Librorum huius voluminis Autor est R. P. D. R. Iordani Præpositus Vticensis, anno Domini 1381. qui deinde factus Abbas de Cellis Bituricensis Diocesis, ibi dies suos clausit vniuersos, cuius anima requiescat in pace.* Quæ epigraphe, initio voluminis (vt dixi,) exarata iteratur specialiter ad Tractationem *de Oculo*, de qua postea. Liquidum ergo est, ex ea inscriptione, Autoris cognomen. In nomine tamen aliquid supererat ambiguum. Quis enim ille *R. P. Dominus R. Iordani*? Poterat quippè anceps videri, *Renatúsne*, an *Richardus*, aut *Robertus*, legendum esset: an verò aliquod aliud nomen cuius ea esset initialis littera, eo dispendioso festini Librarij compendio signaretur. Ambiguitatis ratio, non dissimilis ei qua etiam nunc laboratur circa verum *Platinæ* nomen. Nam vetera quæcumque exemplaria, habebant compendio scriptum, *B. A. R.* Recentiora habebant B. A. P. Itaque cum non satis constaret, vtra esset lectio verior, qui Platinæ opera prælo posteriùs commiserunt, recentiores codices secuti, *Baptistam* dixere, nulla (vt falsi sunt,) ratione permoti, esse recentioribus potiùs Codicibus, quàm vetustioribus adhære-

rent. Vnde aliqui *Possevino* referente in Apparatu Sacro, ferè semper *Platinam* ex nomine appellant *Bartholomæum.* Par confusio timenda erat circa Autorem quem vulgamus. Sed suppleuit Librarij festinationem interpellata à nobis diligentia *Optimi Patris Alexandri Degletain*, nostri, qui Hemauti in Vticensi Vicinia degens, dum quaquauersùm, ex cognomine, & munere, ac æuo annotato, proprium Autoris huius nomen rimatur, incidit in transactionem anno 1377. initam inter Martialem Vticensem Episcopum, ipsumque Præpositum Iordanum suo & Capituli nomine contendentem de jure plectendi, & ad officium reuocandi Canonicos Regulares Vticenses; si quando delinquerent. Ea transactione, Præpositus Vticensis, nominatur *Raymundus Iordanus*; honestatúrque titulo *Licentiati in decretis*, & *Procuratoris in ea controuersia*, à Capitulo constituti, vt coram Cardinali Sabinensi causam ageret, vel componeret: quod denique fecit ijs cum Episcopo pactis conuentis, vt Episcopo ius esset, mulctandi noxios, Præposito autem saluum esset ius custodiæ; reis non alibi quàm intra Præposituræ carcerem concludendis. Quare liquido tandem constat, de Autoris qui priùs *Idiota* audiebat, vero nomine & cognomine: quæ nos, epigraphe Codici Turnonensi inserta docuit.

10. At illud perbellè accidit, quod indidem omnes propè anteriores cogitationes nostræ de hoc Autore, in illa priori editione propositæ, egregiè firmantur. Nam & *Gallum* illum esse conieceramus, *& Ordinis D. Augustini Canonicum Regularem, Præfecturam in eo ordine gerentem.* Quæ omnia explicatissimè signantur in proposita epigraphe. Nam Præposituram Vticensem vulgo *d'Vsez*, in Septimania, Canonici Regulares S. Augustini, hodiéque obtinent; Nec ita pridem, Abbatiam Cellensem, in tractu Bituricensi, ijdem Canonici Augustiniani, Patribus Cisterciensibus strictioris instituti, Congregationis Fulliensis, cessere. Atque ita quod de Auctoris natione, ac Religioso Ordine, & sacra in eo præfectura conieceramus, ratum manet atque indubitatum. Circa ea quæ de sæculo dixeramus, minùs aberratum erat, quàm ab alijs plerisque sit factum: quorum aliqui sæculo octauo, quidam nono, nonnulli decimo, hunc Autorem transcripserant: omnes admodùm abiuncti à vera ætate qua Autor floruit. Mihi visus erat collocandus sub sæculi decimiquinti finem, ita vt etiam decimumsextum attingere potuisse videretur. Argumentum petebam ex eo quod deploret fidei veræ ac Ecclesiæ compactionem in vnum angulum Occidentis: quod tum maximè contigisse existimabam, cum anno 1452. Constantinopolis, Regia Orientis, Otthomanico Tyranno præda est facta. Sed paulo anteriùs consignandam fuisse Autoris ætatem, haud grauatè concedo. Nam cùm post annum 1381. iam pridem Præpositus, Vtica migrasse Biturigas, & ibi Abbatem egisse, tandémque obijsse prodatur; verisimile est ad cladem Constantinopolitanam minimè pertigisse. Nec arctatio Ecclesiæ ac fidei ad vnum angulum Occidentis, ab Autore memorata, labefactat quod dico: quandoquidem ante contritum Tyrannide Otthomanica Orientis Imperium, Ecclesia Græcanica fædo pridem schismate,

mate, erroribus crassis immisto, seipsa erat: Et in multis oris Occidentalibus grassabantur graues hæreses: ita vt orbi ferè toti Orientali, & haud exiguæ parti orbis Occidentalis nox atra incubaret. Sic euoluta sufficienter est pars prior Epigraphes, voce *Idiotæ* comprehensa.

II. Iam quod *Totum* hunc Autorem, priore illa editione vulgatum arbitrabar, corrigendum est. Accessio enim postea facta est non modò, aliquorum *contemplationum de amore diuino*, nunquam antea eis commissarum; sed etiam iustarum aliquot lucubrationum. Nam incidi postea Romæ in opus huius Autoris *de Instructione Religiosorum*, Parisijs, ante centum annos vulgatum, quod exhibuit domus nostræ Professæ Bibliotheca: aliquot vero post annis, legi recusum Remis, ex recognitione R. P. Simonis Hulot Ordinis S. Francisci de Paula; qui cùm recepisset curaturum se inibi omnium huius Autoris operum editionem plenam vno volumine comprehensam, accepit à me, quòd post primam editionem ex Codice Turnonensi nactus eram, Opus M. S. integrum de B. Virgine, quod aliàs editum esse, coniectura est, ex eo ducta quod Onuphrius. l. de ritu sepelien. cap. I. ex opere Idiotæ de B. Maria cap. 20. alleget eius petitionem, vt sibi Deus concedat in hora mortis deuotam Eucharistiæ susceptionem quæ viaticum ab instructu in via ad aliam vitam appellatur. Quæ allegatio non cadit in Tractationem illam contemplationum Idiotæ de Virgine Maria, non vltra senarium capitum diffusam primùm à Iacobo Fabro Stapulensi priusquàm ad Caluinum transgrederetur, cum paucis aliquot Idiotæ libellis vulgatam, & postea à Margarino in Bibliotheca sua veterum Patrum recusam, sed extra locum. Nam quod Hæretici Orthodoxographiæ concinnatores, Idiotam, hac tractatione truncum malignè immisissent ei Autorum farragini; maluit Margarinus præmonito lectore, extra locum eam lucubrationem *contemplationum de Deipara* edere, quàm fraudare Catholicos B. Virginis studiosos, eo facto pietatis. Quare vt constaret vbinam fraus manu hæretica interuenisset ac ne quis notatum ex segmento locum, sic desideraret, etiamsi nunc plenum de Deipara opus huius Autoris emittimus, visum est è re piorum fore, eam deflorationem vberioris operis non omittere. Hæ lucubrationes & aliæ omnes prima editione ex M. S. Codice Lugdunensis Collegij emissæ, & æquè Codici Turnonensi insertæ, sunt extra cuiusuis controuersiæ aleam; nec fuit qui ambigeret, rectè ne Raymundo Iordani adscriberentur.

II. De sola lucubratione seorsim à nobis post primam quatuordecim tractatuum editionem factam, publico data, titulo *Oculi Mystici*, lis mouetur. Nam eam opellam, duo chara capita R. P. Georgius Heserus, & Christiana inter suos germanos facundia, ac potenti Thomæ Kempensis vindicatione clarus; & R. P. Franciscus Storek, ante hac Professor Ingolstadiensis, nunc martyrij in Æthiopica expeditione candidatus, abiudicatam Iordano nostro adscripsere Ioanni Beccano, Anglo, Ordinis Minorum, Archiepiscopo Cantuariensi, Autori perspectiuæ communis, qui corruptè apud aliquos *Pisanus* audit, cum omnes propè Autorum syllabi,

Peuanum appellent nonnulli *Pitsanum*, pauci *Pithsapum*. Peuano igitur opus *de oculo spirituali & mystico*, inscribunt prædicti duo, & à doctrina, & à iudicio benè constituti sodales; nec non Index Conradi Gesneri, & emendatiores vetusti Codices duo MM.SS. nec non Catalogus antiquior Augustanæ Bibliothecæ typis vulgatus. Aliam viam init, & hoc opus Iordano, ac Peuano abiudicatum Ioanni Valeis, aliàs Galensi, aut Valensi Minoritæ Anglo, tribuit F. Lucas Vadinghus ex fide Pithoei, in scriptorum Anglicanorum Catalogo. In Italica eiusdem libelli interpretatione iam olim typis mandata quæ asseruatur in Vallicesllana Bibliotheca, hoc ipsum opus tribuitur *P. la Cepiera*, Magistro in Theologia. Quis verò sit, ille siue *Petrus*, siue *Paulus*, siue *Publius* la Cepiere, incompertum est, In tam alto de eo apud omnes Indicum & Catalogorum contextores silentio. Fabianus Iustinianus in eiusdem Bibliothecæ indice vniuersali Codicem illum Italicum recensens, Anonyma adscripsit, falsus ex nuda operis fronte, nullum præferente Autorem: qui tamen pro vsu ea ætate non infrequenti; annotatur in calce operis diciturque fuisse *P. la Cepiere*.

12. In tanta sententiarum varietate, quid dicam? Quid, nisi quod habet solemne Iurisperitorum pronunciatum? *Qui tenet teneat, possessio valet*. Nisi fortius aliquid proferatur, ad hoc opus Raymundo Iordani abiudicandum, posset sanè in sua possessione Codex manu exaratus, & contra quem nihil licet excipere, in ea ipsa ora in qua Raymundus floruit, quantum ex characteris & charte annositate fas est conijcere, æquans Autoris ætatem, notato anno & loco quo liber est conscriptus, Raymundum consignat opusculi *de Oculo* Autorem. Quid vltra quærimus? Quidue in eo de sua possessione deijciendo tricamur? Ausim confirmare, vix vlli Autori, tot firmatum titulis alicuius scriptionis possessionem, posse deprehendi, quàm sint ij, quibus liber de *Oculo spirituali ac mystico*, asseritur Raymundo nostro. Quid enim verò stabile deinceps ac fixum erit circa legitimos fœtus Autorum, si hic tot adiunctis perspicuè signatis res vocetur in dubium, nullo præsertim alicuius momenti argumento in contrarium adducto? Nam quæ contra Raymundi possessionem intorquentur, æquè ac quæ pro alijs libelli huius parentibus proferuntur, enodia sunt, ac nullo negotio expedibilia; quæ verò contra eos vrgeri possunt, multo sunt fortiora quàm quæ aduersus Raymundi possessionem intorquentur.

13. In Raymundum vrgetur dumtaxat nonnulla styli diuersitas, à stylo quo aliæ eius lucubrationes sunt exaratæ. Item quod aliquando Anglos doctores alleget; haud leui coniectura quod sit scriptor Anglus, non Gallus. Verùm hoc secundum est apertè futile: cum Ioannes Sarisberensis Autor Polycratici, quem vnum recolo allegatum ab eo Autorem Anglum, à Carnotensi in Gallia Episcopatu, æquè Gallis accenseri possit, atque alij tam multi; alibi quidem nati, sed commoratione diuturna & præfectura sacra Galli. Deinde quid mirum, Autorem Anglum operis celeberrimi & peruulgatissimi scriptorem, à Gallo homine allegari? Passim Bedam, Valdensem, Copum, Sanderum, & alios Anglos adducunt Galli, non abiecto

Gallorum titulo. Hæc fortiùs desipere, puerile fuerit; Styli diuersitatem, quæ præterea opponebatur, argumenti diuersitas popoſcit. Nam in sacris commentationibus & contemplationum paradigmatis, (cuiusmodi sunt illæ aliæ Raymundi lucubrationes;) soli affectus adhibendi sunt, & vix vllis allegationibus locus datur, nisi diuinæ scripturæ, & quidem auara manu prolatis: quæ omnia aliter se habent in lucubratione alterius generis, qualis est ista de qua agimus, ad alias asceticas Raymundi scriptiones comparata. Notatum verò iam pridem est, aduersùs hanc nimiùm quantum fallacem Erasmj rubricam (qui prout illi sapiebat Stylus, plerisque Patribus, omnino certos eorum fœtus subduxit;) eundem Autorem pro varietate argumenti, stylum diuersum assumere nec semper eundem scribendi characterem in omnibus scriptionibus adhibere. S. Ephrem, vt in prioribus cogitationibus monebam, post Photium Cod. 196. tractans Ascetica, neglecto & obsoleto scriptionis quasi vestimento contegitur. Idem in laudationibus ac encomiasticis orationibus quas habet complures, adeò eloquentia valet, & tantum præfert orationis cultum, vt has & illas scriptiones quoad stylum componere haud aliter liceat, quàm similagineum lectissimum panem cum furfuraceo, vel cum trabea Senatoria, mastrucam sardoam: styli itaque diuersitatem Autor idem, pro argumenti varietate non refugit. Id quod benè annotarunt, & pleniùs illustrarunt Aloysius Lippomanus præfatione ad Tomum 2. de vitis Sanctorum; Raphaël Bagata, & Baptista Peretus, præfantes ad sermones S. Zenonis Veronensis, & obiter Hieronymus Torrensis in proloquo ad confessionem Augustinianam: Præter varios, qui de Erasmi Censuris censuerint. Nihil igitur aduersùs Raymundi possessionem profertur, quod incommodam habeat expeditionem.

14. At contra assertum Peuano hoc opus, facit, quod in tot indicibus operum eius, ab Anglis inter quos ille fastigia sacrarum dignitatum tenuit perquàm studiosè concinnatis, nusquam hæc de oculo lucubratio comparet. Soli Germani (ac nè omnes quidem, sed vnus & alter;) toto diuisum orbe scriptorem, huic operi acciuere parentem; quantum fas est conijcere, permoti consensione doctrinæ huius lucubrationis, cum doctrina libri cui titulus est, *Respectiua communis*, Autores plerique, (non absque multorum aliorum reclamatione,) censuerunt, hoc ipso Ioanne Peuano: cui tametsi velimus falsum esse ius in librum illum de perspectiua communi; non infertur solidè, ad scribi, item debere, quascumque alias scriptiones, illius optici operis doctrinæ consentientes; cum potuerit facilè alius scriptor doctrinam alterius peruulgati Autoris passim receptam, assumere, in ædificandis ad lectorum vtilitatem sensis moralibus.

15. Pro Ioanne Valensi, siue Galensi Anglo Ordinis Minorum, putatur stare Pithei Catalogus scriptorum Britanniæ, in quo cum cæteris eius scriptionibus annotatur *liber de Oculo morali*: sed in primis indices cæteri non ad stipulantur Pitheano. Nemo quippè alius præter Pitheum, inter opera Valensis siue Galensis, scriptionem aliquam de Oculo morali recenset, &

Posseuinus qui exscribens varios Catalogos ter in suum Apparatum intulit hunc Ioannem, prout in variorum indicum serie oblæsionem aliquam in eius nomine factam deprehendit; nempe sub nomine *Ioannis Valeis*, & sub nomine *Ioannis Galensis*, ac denique sub nomine *Ioannis Valensis*, repetita ad quamlibet appellationem serie lucubrationem huius Ioannis, nusquam reperit inter eius opera *Librum de Oculo*. Demus verò, Valensem, vnius alicuius libri de Oculo moraliter spectato, fuisse Autorem: vnde constat eius esse hunc ipsum de quo agimus librum de Oculo spirituali ac mystico? Ita enim habet huius operis inscriptio, in Vallicellana Bibliotheca; In M. S. C. Turnonensi, absolutè ac nudè legitur, *Tractatus de Oculo*. Leuicula est hæc diuersitas inter titulum operis Valensi adscripti à Pitheo notatum; & titulum, operi Raymundo tributi appictum: Et vt planè essent ijdem vbiuis tituli, quid vetat dicere de eodem argumento varios Autores, similiter prænotatos, nec tamen eosdem libros scripsisse? Ioannes Gerson *de Oculo* accommodatè ad mores informandos spectato, vnam & alteram exarauit lucubrationem; quarum vna simpliciter inscribitur *de Oculo*, altera *de triplici Oculo*, conserta tractatis eius de meditatione. Recentiorum non nemo, eodem titulo prænotatum opus emisit: quæ tamen omnes, de Oculo moraliter spectato lucubrationes, à scriptione Valensi attributa longè discrepant. Idipsum ergo potuit contingere Raymundo, scribenti de Oculo Mysticè spectato, si de illo anteriùs scripserat Valensis. Pitheus sanè, nulla (vt solet,) initialia operis de Oculo verba notauit; ex quo liquere possit, opus Valensis de Oculo morali, illud ipsum esse quod Raymundo vindicamus. Et verò si ex modo scribendi facienda est coniectura, longè aliter scripsit Valensis, quàm Autor libri pro quo satagimus. Hic enim peramœnus est, & multiplici doctrina, quasi fluentis hinc inde corriuatis, lucubrationem hanc suam perfudit; ratiocinationes adhibens non auisas & extremo tantùm digito tactas sed liberiùs exertas, & multipliciter conditas. E contrario scriptio quædam Valensis, (quam vnam pridem causam videre memini,) estque in Posseuini & aliorum indicibus præterita, aduersùs Mahumetum, & Saracenicas spurcitias, fortis quidem est ac neruosa, sed squalida & ieiuna, nec vllis persperſa amænitatibus. Quanquam quia iustum non est, ex vna scriptione æstimare Autorem multæ intellectualis sobolis parentem, cuiusmodi Valensis fuit: ita quod Raymundi causæ commodat adduco, vt salua Ioanni sua alibi decora velim; me non modò non refragante, sed etiam applaudente; In SS. la Cepiere, obscuri planè nominis scriptorem, nihil oppono, quia causa eius per se concidit; quandoquidem qui huic terræ filio manum admouerit, adhuc quæro.

16. Auditis itaque firmamentis causæ Raymundi, & ijs quæ in aliorum gratiam adducuntur; præstat possessorem cui nihil validum opponitur in sua possessione relinquere. Obiter tamen, ex multitudine Autorum quibus hic *liber de Oculo*, adscriptus varijs locis reperitur, coniectura fieri potest de libri dignitate ac pretio. Quod æquè contigisse videmus circa aureolum

eiusdem æui libellum *de imitatione Christi*, à quibusdam satis otiosè S. Bernardo attributum; à plerisque verò adscriptum Ioanni Gersoni, illustrissimo per id tempus scriptori; ab alijs Ioanni de Gersen, vel Gessen, Abbati (vt volunt,) Benedictino; ab alijs, quos causa superiores arbitror, Thomæ à Kempis: de quo opere tam multis adscribendo, non fuisset certatum, nisi liber esset pretiosus & dignus pro quo contenderetur. Idem igitur statuendum est de hoc libro *de Oculo*, æquè quatuor (vt vidisti,) diuersis parentibus attributo, & planè digno quod cæteris tam pijs, tantóque in pretio, passim ex quo prodierunt, meritissimò habitis, Autoris huius lucubrationibus annumeretur.

17. Non est quod depreciandis Raymundi scriptionibus, quis opponat, vile orationis tegmen, & minùs nitens vel etiam sordidum vbilibet apud eum verborum pallium. Habet enim hic locum, quod à Theodoreto l. 9. contra Græcos obseruatum est, [ita vsu venire, vt ea, quæ sunt maximè pretiosa, cuncta ferè vili materia integantur. Videre siquidem est, pretiosum vnionem, quales ampli ac magnifici viri apud se esse desiderant, aspernabili testæ innasci; eadémque nutriri, augescere, occultari. Qui verò eum sibi coëmunt, auri plurimum persoluentes, missam faciunt testam. Præterea verò pellucentes gemmas, ornandisque regijs capitibus destinatas, aliud genus lapidis extrinsecùs circumuestit; despicabilis ille quidem atque inutilis. Qui ergo eas gemmas expoliunt, atque ad ornatum concinnant, superfluam illam testam, nihilque pendendam, circum amputantes abradentésque, nitorem lucentium lapillorum detegunt, & expediunt, *&c.* Iure igitur factum est, vt verissimas de diuinis humanísque rebus traditiones, non illustres eloquentia tumidíque sermones, sed simplices humilésque, ac omnibus mortalibus noti prædicent; magnúmque adeò ineffabilémque thesaurum viles admodùm testæ, despicabilésque circumferant.)

18. Ne tamen neglectus orationis mundus, simplicitatem sanctam redolens, ipséque *Idiotæ* nomine quod sibi vel Autor præ humilitate indidit, vel ab alijs accepit prælata scientiæ penuria fraudi esset huius Autoris scriptionibus;& doctrinæ soliditas apud minùs æquos ac pruriginosos æstimatores periclitaretur, consultum visum est, faculas ad subobscura loca adhibere, quibus nihil ab Autore, non sincerum aut non sanum prodijsse, constaret; quæ diligentia circa lucubrationem *de Oculo* posteriùs editam non est visa necessaria; quando ex lectione anteriorum illarum scriptionum, quæ doctis æquè ac pijs omnibus valdè arriserunt, Autoris existimatio securitatem nacta erat; & faculas nostras admouere, haud aliud fore viderem, quàm tentare lumen Soli, admotis candelis affundere. Illustrationem autem nonnullarum qua Physicarum, qua Opticarum propositionum, de quibus Autori cum recentioribus Physicis Opticísque non conuenit, vt quoad numerum tunicarum oculi, quoad visionis fabricam per extramissionem; eiusdémque consumationem in neruo, ac similia nonnulla, suscipere non libuit: quia eum laborem ante occupauerat, & in

ſcriptione ſui iuris, (quippè è Bibliothechio ſuo deprompta,) præripuerat iam ante laudatus D. Ludouicus de Caſeneuue, nunc pluribus annumeratus. An emiſerit ſuperſtes, vel etiam an conſcripſerit, in tanta à multis, ante eius obitum, annis abiunctione noſtra, me latet.

19. Obductio lacunæ extremorum trium eiuſdem operis capitum, & limbi capitis duodecimi, quæ per Librarium in noſtrum Codicem interuenerat, à nobis in prima eius editione, eo conſilio facta erat, vt ſi integrum opus aliundè emergeret, aſſumentum hoc abijceretur. Nactus poſtea quod præſagiuerat animus Italicam totius operis interpretationem, iam olim typis commiſſam, quam Vallicellana Bibliotheca aſſeruat, ad ſupplendam Latinè hanc lacunam me accingebam; cum è Germanicis Codicibus, & manu exaratis, & pridem typo cuſis, ipſa genuina Autoris ſcriptio vndecumque integra tranſmittitur, beneuola voluntate R. P. Georgij Heſeri, qui varios Codices Auguſta conquiſitos, ſuppeditauit, optimo Patri Franciſco Storer, nunc profeſſori Ingolſtadienſi. Hic immenſo labore, editionem noſtram Lugdunenſem cum multis MM. SS. & typo iam olim vulgatis Codicibus, contulit; variantes lectiones diligenter annotauit; lacunas expleuit, ſubinde ab oſcitante Librario factas ni mauis acceſſiones ex Autoris (vt fit,) poſterioribus locupletationibus, in Codice quem Librarius exſcribebat, deſideratas; plerumque haud ita breues ſuis locis immiſit; capita quæ editionem noſtram deficiebant, ex ſcripſit, totum opus exquiſitè emaculauit, eiúſque vniuerſam recognitionem tranſmiſit, pretij tamen cupidus, nec aliud ſibi laboris haud exiguij præmium, quàm Deum optans. Sed vbi vbi nunc, inter Africana ſabuleta, vel Æthiopica teſqua degat, æquus ferat ſe non auditum. Et quod gratus concipio votum, experiatur benignè in cælo exceptum. Sit manus Domini cum tam beneuola manu, & in Apoſtolico opere expeditionis tam arduæ tantíſque obſeptæ difficultatibus atque periculis, ſecundet ſerui ſui pia conſilia; leuet ærumnas, condiat ira bonitates, labores fortunet, omnem introitum, ac exitum benedicat. Ita precor ac voueo. Annue Deus.

20. Voluntati viri de hoc libro tam benè meriti, datum eſt, vt illud ipſum ſupplementum, eodem ordine capitum qui ab Autore in præfatione proponitur à me quondam concinnatum, reperto nunc opere integro, non prorſus abijceretur, ſed in totius operis angulo legeretur, vt genuinis Autoris cogitationibus ſubiunctum, gratiam illis conciliaret, & deteriora potioribus lenocinarentur: quo pacto ſuffectionem quandam excuſare memini Gregorium Nyſſenum, Oratione in ſuam ordinationem.



FACVLÆ AD IDIOTÆ SVBOBSCVRA QVÆDAM LOCA, SIVE

Iudicium de quibuſdam eius propoſitionibus, quæ nonnullis, cum receptiore Theologica doctrina minùs cohærere, ſunt viſæ.



VT nihil inter quanta vſque adeo læue ac terſum eſt, nulli vt in eo hiatus, nulla tubercula à perſpicaci obtutu notari poſſint, ita nihil in ſcriptionibus, præſertim Chriſtianis, vſque eò accuratum, & exquiſitè limatum eſt, in quo ſagax aliquorum perſpicienda, non inueniat quod putet meritò improbandum. Quare cum in his Idiotæ libellis, præſertim qui nunc primò cuduntur, viri eruditi quibus exhibiti ſunt, recognoſcendi, quædam ſin minùs erronea, at errorem ſapientia loca, alia verò antiquatam & vietam Theologiam redolentia obſeruarint, operæ pretium fore viſum eſt, ea hîc attexere, & cuiuſmodi reuera ſint, diiudicare.

I. *Me feciſti creaturam, animatam anima rationali*: Hanc *ſummè mundam, & ſpecioſam creaſti*. Parte 2. depl. c. 1. n. 1.

HÆc propoſitio, ſi de ipſius Autoris anima, vt verba ſonant, accipiatur, errore non vacat. Anima enim vniuſcuiuſque noſtrûm, in peccatis creatur: quia à primo momento productionis, conſeritur corpori quod eſt ex origine vitiata, & modo naturali ex Adami ſtirpe traducitur. Vnde fit, vt quamuis ex ſe, & vi productionis ſuæ à Deo, principio puriſſimo, careret labe, tamen vaſis cui immittitur contagio ſordeat; *ſicut in vaſe non ſyncero vinum infuſum, licet optimum, inficitur, & aceſcit*, ait Vrbanus Papa in Metaphraſi Pſalmi 50.

Poteſt etiam abſque recurſu ad animam. Adæ, aliter exponi Autor iungendo hunc eius locum cum alio paulo ſalebroſiore ex c. 2. ſequenti vbi ſic loquitur: Vt ergo locus Autoris, præſtetur immunis à macula quam ei ſenſus propoſitus oblineret, dicendum eſt; munditiem illam & ſpecioſitatem quam animæ in creatione ſua tribuit, cadere in animam humanam prout condita eſt in Adamo. Deus enim fecit hominem rectum, & animam eius, gratia ſanctificante exornauit. Eſtque longè veriſimilius, & SS. Patribus ac Conciliorum decretis congruentius, quod anima primi hominis in ipſa ſua conditione & primo quo extitit momento, gratia ſanctificante ſit decorata. Quamuis, ex fide quidem, tantùm liqueat, hominem ante inobedientiam fuiſſe rectum, ac gratiæ ſanctificantis ſplendore colluxiſſe. Hoc igitur beneficium tanquam ſibi præſtitum, celebrat Autor, quia non ſtetit per Deum, quominus beneficium Adamo collatum, perenne eſſet, & ad nos quoque transfunderetur. Eundem loquendi modum non rarò vſurpant alij Patres, quos appendere in re perſpicua, inutile duco. Sed nominatim frequenter id habet Drogo l. de Sacram. Domin. paſſio. Apud Autorem verò Elucidarij S. Anſelmo adſcripti c. 43. idem traditur, & cum additamento duriore,

Miſericors Saluator meus, animam meam mihi dediſti ſpecioſam & immaculatam. Ex coniunctione & vnione infecti corporis, infecta & maculata Originali peccato fuit. De vitæ curſu 2. p. c. 2.

NOn eſt ſenſus, animam priùs fuiſſe productam labis expertem, tum per immiſſionem in corpus, fuiſſe inquinatam; veluti cum res nitens, ſordido vaſculo immiſſa inficitur. Hæc enim eſſet aſſertio apertè reproba, cum certum ſit ex S. Leonis definitione Epiſto. 71. animam non præextitiſſe corpori, ſed eodem primùm momento creari, quo infunditur corpori. Nec ipſum corpus reuera fœdum eſt, morali, fœditate quæ ſola apud Deum inquinat hominem; vt dici poſſit, animam nitentem, ſordere ex eo præuiſè, quod corpori immittatur. Alenitóque SS. Cyrillus Hieroſol. Catech. 4. Baſilius c. 3. Conſtit. Monach. & Chryſoſtomus Homil. de reſurr. mortuor. conclamant in corporis noſtri tanquam ex ſe fœdi ac ſordentis calumniatores, cum reuera nihil in eo præciſè ſumpto ſit, non concinnum ac nitens. Igitur mens Autoris non fuit, Originale peccatum aduenire animæ anteriùs productæ, eo ipſo quod corpus ex ſe fœdum ſubit: ſed eo loquendi modo exprimere voluit; vnde, & quando, ac quomodo, animaquæ ex ſe niteret, (id eſt peccato careret,) contrahat labem originalem. Operæ pretium eſt id tantiſper euoluere, ſed preparié.

Anima igitur à ſolo Deo efficienter producitur, vt docet S. Leo Epiſto. illa 71. & multis confirmant Bellarminus l. 4. de amiſſ. gratiæ & ſtatu peccati c. 11. Pererius l. 4. in Geneſ. diſp. de creat. animæ q. 2. & Criſpus

diſtribut.

distribut. 1. lib. 2. Itaque anima nostra neque ab Adamo, neque à parentibus traducitur, sed à Deo ipso immediatè creatur; atque creando infunditur corpori in eo momento in quo parentes sufficienter & vltimò illud disposuerũt ad animæ introductionē. In illo igitur momento, quod simul est primum instans generationis hominis, anima vnitur materiæ seu corpori: & per talem vnionem, fit pars totius ex Adamo descendentis via seminali & naturali: quod totum, ex suppositione destinationis ad finem supernaturalem, & diuini decreti de conferenda gratia in generatione, si Adam non peccasset, debuit ab ipso ex ortu habere sanctitatem, quæ tamen ob interpositum Adami peccatum tunc non confertur, secluso priuilegio ac ne priuilegio quidem posito, confertur vi generationis. Itaque anima non habens in eo primo suæ creationis & vitæ hominis momento, destinatam sibi (quantum ex Deo erat,) sanctitatem eo ipso contrahit peccatum Originale, quo nitor, idest carentia labis vi productionis affutura excluditur, & perspicuè exponit S. Anselmus l. de Conceptu Virgin. c. 7. & 10. Et eo ipso fœdari & inquinari dicitur, non per nexum cum materia vltimò disposita, sed per peccatum irrepens in momento illius nexus, ob inobedientiam Adami à quo omnes, (saltem mediatè) accipimus materiam figulationis nostræ. Idque est quod voluit D. Augustinus 2. de Nupt. c. 8. & l. 6. in Iulia. c. 6. & l. 3. de peccat. merit. c. 9. cum aliquod vitium, in semine à parentibus ad compactionem nostram transmisso, videtur agnoscere. Non enim est sensus, ipsum semen esse formaliter maculatum morali macula; aut aliquid vitij in eo residere per quod paruuli anima in illud immissa fœdetur, (quod à quibusdam assertum latè refellit antiquus Autor qui ad Librum S. Anselmi de Conceptu Virginali, apologiam pro viro sancto subiunxit, æqualis S. Bernardi, vt monui in notis ad eum S. Anselmi Librum.) Sed vt benè notat Stapleto l. 1. de Iustific. c. 8. sensus est, transmissionem seminis, & quæ per eam fit, insertionem in numerum posterorum Adami, causam esse cur anima in momento illius insertionis, siue vnionis cum corpore, inquinetur peccato. Nec aliud voluit Beda, similiter locutus q. 14. ex varijs, ac etiam Tertullianus cum c. 40. libri de Anima, dixit, animam recipere ignominiam suam, ex carnis societate.

Quæ ergo Glossa, Augustinum, Bedam, & Tertullianum, puros præstabit hac in parte, eadem Autori purgando sufficiet. Nec enim aliud voluit, quàm peccatum originis aduenire animæ, per immissionem in corpus, via seminali ab Adamo acceptum. Sicut spurius eo ipso contrahit irregularitatem, quod ex tali sexuum commercio nascitur. Exemplum est Gulielmi de Rubione in 2. d. 31. q. 1. *sub finem.*

II. *Tua immensa misericordia, aspirationes salutares semper mihi dedit & præbuit.* Non *fuit in hoc temporis interpellatio, non dierum electio, non horarum diuisio, non momentorum interruptio: sed temporum, dierum, horarum, & momentorum, mirabilis continuatio.* Parte 2. depl. c. 3. num. 1. *Non est hora, aut momentum temporis, quo gratia tua caream.* Parte 5. deplor. c. 7. num. 1.

Difficile videtur, hæc dicta, cum experimento & veritate conciliare. Experimur siquidem, non semper ac perpetuò affulgere intellectui nostro diuinum lumen, nec semper emicare in voluntate scintillam pietatis, cuiuis consensui supernaturali præuiam. Plerunque enim naturalis distractio, aliò auertit potentias, ita vt nulla ratione quicquam agitent spectans ad salutis negotium. Igitur saltem tunc, abest à nobis diuinus pulsus, qui situs est in subita illuminatione intellectus & gustu non libero voluntatis. Tam ergo experimur nos non excipere continuè & citra omnem interruptionem, diuinas aspirationes, quàm experimur nos non perpetuò & absque vlla interruptione cogitare ac velle supernaturalia bona. Omitto Scripturas & Patres è quibus id euincit Bellarminus l. 2. de grat. & lib. arbit. c. 6.

Fuerunt qui eatenus censerent dici posse præberi à Deo singulis momentis auxilia gratię, quatenus Deus quantùm est ex se semper ea confert, quippe qui semper parata & in promptu esse peccatori auxilia præuenientia decreuit. Ita cum Banne Aluares disp. 112. de auxil. conclus. 3. & disp. 113. in respons. ad argum. Sed quamuis certum sit gratiam cooperantem semper peccatori præsto esse, & ratione eius nullo vnquam temporis momento per Deum stare, quominus peccator conuertatur; tamen agendo de gratia excitante qua discutiendum antea est peccatoris veternum, non video vnde constet quod Deus quantùm est ex se eam semper peccatori conferat, sitque semper paratus ad illam exhibendam. Nam si vellet conferre, nihil obstaret quominus conferret. Peccata enim, siue antecedentia, siue etiam quæ actu admittuntur, non obstruunt aditum gratiæ præuenienti: & plerunque Deus, etiam in flagranti delicto, & per æstum peccati aliquos tangit & ad frugem bonam reuocat. Illustria eiusmodi exempla benè multa profero in tractatione de S. Latrone cap. 4. Quare tametsi Deus in peccati pœnam, posset peccatoribus excitantem gratiam negare, tamen si velit nihil est quod collationem eius præpediat: ac proinde non est ex se paratus conferre peccatoribus auxilia excitantia, quouis momento.

Sed ne de iustis quidem id admitto; contra quàm faciunt, qui censent, Deum respectu iusti habere ex se generalem applicationem ad auxilia præ-

uenientia exhibenda, proportionalem illi generali applicationi quam in ordine naturę ex se habet ad concursum exhibendũ ei qui habet actum primum naturalem, cui certus concursus debetur. Hoc reiicio, quia hic non agimus de applicatione Dei ad concurrendum & cooperandum in ordine gratiæ, sed de applicatione ad excitandum & præueniendum. Præterquàm quod conferendo applicationem ad concurrendum in ordine naturæ ex qua ducebatur doctrina proposita, cum applicatione ad concurrendum in ordine gratiæ, etiam cum iusto, non est operosum detegere quantum inter duo illa intercedat discriminis. Nam quod constituit iustum in actu primo supernaturali exigente concursum ex parte Dei paratum, non est habitus gratiæ: Qua ex parte deficit proportio ordinis gratiæ cum ordine naturæ purè materialis VG. ignis, cui vi solius naturæ suæ habentis passum admotum, debetur concursus; quia eo ipso est sufficienter instructus ad operandum, atque adeò Deus tanquam prima causa, non debet ei deesse: Vnde paratus semper est ad cooperandum quantùm est ex se, & illico à passi admotione. At quod iustum hominem constituit in ordine gratiæ operatiuum, & diuini concursus exigitiuum, non est gratia sanctificans, sed gratia præueniens fœcundans naturam, eámque reddens vltimò completam in ratione principij moralis supernaturalis, idonei ad liberè se determinandum in eo genere. Sicut quod in ordine naturæ, hominem constituit, & vltimò complet in ratione principij moraliter philosophicè operatiui, est bona cogitatio indeliberata, & suauitas voluntati affusa naturaliter, vel ex speciali bonæ fortunæ benignitate. Vt igitur Deus astringatur cum iusto concurrere supernaturaliter & intra gratiæ ordinem, debeátque ex se semper esse paratus ad cooperandum, non sufficit quod iustus gratiam habeat: sicut vt sit semper paratus ad cooperandum homini tanquam principio morali naturali, non sufficit quod homo habeat naturam rationalem: sed in vtroque ordine necesse est, vt habeat naturam tali semini operationis fœcundatam, id est proportionata illustratione, & affectu indeliberato. De quibus vtriusque facultatis afflatibus, etiam respectu iusti, negamus, Deum semper ex se ad illos subministrandos paratum esse, aut decreuisse vt semper iusto sint in promptu, sicut de peccatore item statuimus. Proindéque non potest inde peti legitima interpretatio loci Idiotæ in quo versamur.

Nihilominus locus ille commodæ interpretationis est capax, & indubiè sanus. Nam etiam Concilium Senonense in decreto fidei 15. disertè ait, *gratiam nobis semper esse in promptu, & ne momentum quidem præterire in quo Deus non stet ad ostium, & pulset.* Sed & S. Prosper epist. ad Demetriad. non dubitauit profiteri, *extra gratiam effici, qui aliquid de plenitudine eius diffitetur, quasi homo auxilio Dei in quadam actionum suarum parte egeat, in quadam autem parte, non egeat: sitque vllum tempus, vllúmve momentum, quo perniciosum illi esse non possit, si ab eo Spiritus Sanctus defuerit.* Denique Paulus Orosius in Apolog. pro libertate, magna verborum emphasi contestatur aduersus Pelagium, gratiam Dei, hominibus *Speciatim, quotidie, per*

tempora, per dies, per momenta, per atomos, & cunctis & singulis ministrari.
Statuendum itaque est, Deum idcirco dici continuò & singulis momentis gratiam præuenientem elargiri, quia nunquam illam negat, cum opportunitas hominem præueniendi consentaneè ad diuinæ sapientiæ regulas incidit: ita vt nullum sit tempus, imò nec momentum opportunum, quo Deus constituerit, hominem non excitare ac præuenire. Quod autem sit tempus illud opportunum, nos pro caligine qua in rebus supernaturalibus offundimur, definire exactè non possumus. Tametsi certum est quocunque momento aut tempore infesta est tentatio, vel operandi abstinendíve præceptum vrget, aut imminet peccandi periculum. Deum homini præueniendo non deesse, si absque ea præuentione impotens foret tentationi obsistere, legem vigentem implere, & peccatum imminens declinare. Quod verò nihil horum aliquando locum habeat, Dei est dispicere quandonam præterea incidat hominem vocandi ac excitandi opportunitas: Qua posita Deus non deest vllo vel tempore vel momento. Et in hunc sensum benignè accipiendus est Idiota locis propositis. Constat verò plerasque etiam Scripturas, quibus aliquid semper, aut tota die, vel nunquam deficiendo faciendum aut factum dicitur, accipienda esse cum hac eadem temperatione, quam fert communis loquendi ac sentiendi modus, ita scilicet vt tantum designetur tempus singulis actionibus opportunum. Qua ratione semper orandum esse, & nunquam deficiendum, monemur. Et Christus se semper in synagoga docuisse professus est, & discipuli in calce Euangelij Lucæ, dicuntur semper fuisse in templo. Sexcenta huiuscemodi, vbiuis prostant.

III. *S. Martinus, par Apostolis.* Parte 4. deplor. cap. 7. num. 1.

HVnc de S. Martino, loquendi modum, vsurpat hymnus Gallicanæ Ecclesiæ qui legitur apud Clyctouæum libro 1. Elucidatorij Ecclesiastici. Fuit autem hymni illius Autor S. Odo ex Turonensi Canonico Abbas Cluniacensis. Qui etiam obstrepentibus nonnullis, & aduersus audacem comparationem reclamantibus, respondit iusto opusculo de eo argumento quod extat, nuper cum reliquis Sancti viri lucubrationibus editum in Cluniacensi Bibliotheca. Annuit Petrus Damiani sermone de S. Martino. His enim verbis cumulat insigne elogium quod S. Martino panxerat à sermonis initio. *Creuit in immensum fama nominis eius, & ausa est in ipsam Apostolorum irrumpere dignitatem, quorum manus tractauerunt de verbo vitæ, qui filium hominis inter filios hominum, felici vocis officio diuulgarunt.* Nec dubitat versiculum Psalmi 18. Apostolis ab Apostolo aptatum, Sancto item Martino accommodare. Addit enim. *In omnem terram peruagata est memoria tanti Pontificis,* & vbicunque resonat fides Christi, *sonat vita Martini.* Præiuerat Sulpitius episto. 1. Sanctum Martinum nominans, *per om-*

nia similem Apostolis. Et episto. 2. ait de eodem. *Est ille consertus Apostolis, & Prophetis, & quod pace sanctorum omnium dixerim, in illo iustorum grege, nulli secundus.* Similia habentur dialogo 3. Approbat Sulpitium Apostolis exæquantem S. Martinum, Gregorius Turonensis lib. 1. miracul. cap. 1. Imo in Epistola Episcoporum ad S. Radegundem recitata à Gregorio Turonensi l. 9. c. 39. videtur S. Martinus præferri Apostolis.

Difficultatem tamen in hac re non modicam facit, iudicium S. Thomæ, cuius sobrietatem & modestiam in alienis placitis configendis, nemo ignorat, qui illum norit. In hanc autem Sancti cuiuscunque è nouo Testamento cum Apostolis comparationem, strinxit S. D. censuram admodùm seueram. Sic enim scribit lect. 5. in caput 8. ad Rom. ad illud, *sed & nos ipsi primitias spiritus habentes*, & exponens cur Apostoli dicti sint habere primitias spiritus. Id scriptum ait, *quia Spiritum Sanctum, & tempore prius & cæteris abundantiùs, Apostoli habuerunt: sicut & in fructibus terræ, illud quod primò ad maturitatem peruenit, est pinguius & magis acceptum. Hierem.* 2. Sanctus Israël Domino, primitiæ frugum eius. *Hebr.* 12. Accessistis ad Ecclesiam primitiuorum, qui conscripti sunt in cœlis. *Ex quo patet, quod Apostoli sunt omnibus aliis Sanctis, quantacunque prærogatiua præfulgeant, siue virginitatis, siue doctrinæ, siue martyrij, præferendi, tanquam abundantiùs Spiritum Sanctum habentes.* Addit S. Thomas rationem huius rei luculentam, petitam ex Apostolico munere, ratione cuius acceperunt gratiam vberiorem & fortiorem quàm vllus purus homo, dempta Deipara. Electi enim sunt, vt doctrinam immediatè à Christo haustam in alios transfunderent, essêntque quodammodò Ecclesiæ fundamenta. Vnde quamuis aliqui Sancti plura & acerbiora sustinuerint quàm Apostoli; tamen quia mensura meriti est charitas, & ad hanc excitati diuinitùs sunt Apostoli præ omnibus aliis propter muneris propositi celsitudinem, liquet neminem quantumuis conetur, posse ad sublimitatem meritorum, atque adeò gratiæ & sanctitatis Apostolorum pertingere. Ita ibi ratiocinatur D. Thomas. Et ex eodem principio, in c. 1. ad Ephes. lect. 3. *in ipso limine*, infert, temerarium, ac fortè erroneum esse, comparare Apostolis quoad gratiam aut gloriam, sanctos aliquos noui Testamenti, nullo modò implicatos cum ordine vnionis hypostaticæ. Quibus verbis excluditur comparatio Apostolorum, tam cum S. Ioanne Baptista; qui non fuit sub nouo Testamento, quàm cum S. Iosepho qui pertinuit ad ordinem vnionis hypostaticæ, prout pater Christi iuxta communem existimationem. His sepositis, maiestas Apostolica de qua plenè ago in tractatione de Iuda cap. 3. eum gratiæ cumulum deposcit, qui omnem cum Apostolis aliorum sanctorum contentionem fieri vetet. Et accessus ad Christum gratiæ fontem, idem suadet, vt benè ratiocinatur Ben. Iustinianus disp. de Apostolatu cap. 5. num. 8. conseniúntque passim omnes. Nec refragatur Laurentius Iustinianus sermone de S. Matthia *in fine*, cum ait: *Extollantur Apostolorum merita, non quia Sanctis præferantur omnibus, dignitatis gratia, sed quoniam animarum zelo, honoris Dei, contemptus sæculi, cæterarumque virtutum, præ cunctis sublimiùs*

inarsere, vt potè propinquiores verbo & spiritualibus donis locupletiores. Nam quod aliis est impertitum ex parte, hoc istis totum est præstitum abundè. Hæc inquam non repugnant Apostolorum primatui supra omnes sanctos subsequentes: nam verba illa priora, quæ minùs attento Lectori possent imponere, hunc sensum faciunt; Non præferri Apostolos aliis sanctis ratione nudæ dignitatis Apostolicæ, sed quia nomen tantæ dignitatis impleuerunt, & iis virtutibus colluxerunt, quibus insignis vbertas gratiæ & supernaturalium bonorum copiosus splendor adiungitur: quod est verissimum, optiméque cohæret cum proposita ex S. Thoma doctrina. Quæ intelligenda est cadere in totum cœtum Apostolicum; idest non tantùm in illos duodecim qui antonomasticè dicuntur Apostoli, (quanquam in eos maximè,) sed & in alios eorum gregales ac socios, immediatè edoctos à Christo; vt Stephanum; de quo nominatim monet S. Gregorius Nyssenus orat. de eo, cauendum esse ne quis ei secundum ab Apostolis locum tribuat, cum eos planè æquarit sanctitate ac meritis, etiam si non munere: quod item disertè habetur apud Clementem Romanum 8. constit. c. 46. Et in commemoratione eius 26. Decemb. agnominatur à Græcis Apostolus.

Idem esto iudicium de sanctis illis Apostolorum ætate collaborantibus Euangelio de quibus in Græcorum Horologio, vltimo Octobris ita habetur. *Tanquam sancta & pretiosa Sanctissimi Spiritus vasa, & solis gratiæ fulgores, hymnis debitis celebremus, sapientes Apostolos, Apellem, Vrbanum, Aristobolum, Ampliam, Narcessum, quos gratia congregauit Dei nostri.*

Vt ergo appareat quo non improbabili sensu, & citra temeritatem, Autor S. Martinum Apostolis parem nominauerit, occurrit inprimis quod aiunt Gulielmus Durandus in ration. diu. offic. lib. 7. cap. 37. & Ioannes Belethus in opere eiusdem argumenti cap. 163. Referunt enim hanc S. Martini cùm Apostolis æqualitatem ad exhibitam diuinitus apparitionem globi ignei inter sacrificandum, post insignem sancti viri erga pauperem beneficentiam, de qua Sulpitius initio dialogi secundi de vita S. Martini. Quòd igitur igneus ille globus sancti viri capiti illapsus, similitudinem retulerit descensus Spiritus sancti in Apostolorum vertices ignis specie, inde S. Martinum, parem Apostolis dictum, pronunciant hi Autores.

Verisimilius tamen censuerim hanc S. Martini & Apostolorum paritatem, de mente antiquiorum, (vno fortassis excepto S. Odone, de quo postea) non esse crudè accipiendam, & iuxta extimum verborum corticem: sed duntaxat pertinere ad analogiam aliquam, & non degenerem similitudinem, ac proportionalem paritatem, tametsi infra æqualitatem. Qua ratione S. Bernardus Tironius à Gaufrido Grosso in eius Actis c. 63. æquiparatur Apostolis. [Credimus enim (inquit Grossus) cum illis non inferiorem fuisse, misericordia & pietate, mansuetudine & humilitate.

Item S. Germanus Antissiodorensis, ab Henrico Monacho qui sub Carolo Caluo floruit, non cuicunque Apostolo, sed Apostolorum omnium principi æquatur aliquatenus. Sic enim canit.

——— *Quanquam vocer improbus, ausim*
Magna quibus seges est concredita totius orbis
Fidus Apostolicis Germanum inscribere granis,
Et si non numero, numeri quem finiit Autor,
At meritò meritis ipsi concurrere Petro
Haud vetitum, meritis Petrus non inuidet æquis
Vitam, & virtutes à nostro Præsule gestas,
Et documenta legas, si non & Apostolus esse,
Et dici valeat. Videor non dicere fallax
Pontificum cathedras quantis splendoribus ornet,
Inferior nullo, multis præstantior extans.

Sed his subobscuris nominibus prætermissis, audiamus aliquot Patres aliquorum Sanctorum collationem cum Apostolis non refugiẽtes. S. Anastasius Sinaïta c. 9. ὁδηγῷ ait Patres Nicænos (in quorum laudes ibi effunditur pag. 141. & 143.) *Apostolorum sortem esse consecutos.* S. Max. homil. 1. de S. Laurent. ait eum se Apostolorum consessui copulasse, fuisseque eorum supparem. Et S. Basilius l. de Spir. sancto cap. 39. Magnum Gregorium Neocæsariensem eodem quo Apostolos loco ponit, quod eodem cum eis spiritu vitam exegerit. Sed & S. Gregorius Nyssenus in ipsius S. Basilij encomio, securè pronunciat, secundas Basilio post Apostolos partes, solum tempus dedisse. Idquè S. Basilij à fratre elogium, respexit Palladius in Laus. c. 86. cum de Euagrio; dicens, *sapientissimus & à perturbationibus animi alienus & omni doctrina clarus, Gregorius Episcopus Nyssenus frater Episcopi cui datur honos inter Apostolos.* id est Basilij: At ipsi S. Gregorio Nysseno, in vitis PP. lib. 8. num. 136. ita tribuitur: *Gregorius Episcopus Nyssæ, cui datur honor inter Apostolos.* Ipsemet Nyssenus, S. Meletium in eius monodiæ fronte, vocat nouum Apostolum, cooptatum in ordinem Apostolorum. Et in Græcorum Horologio ac veluti Diurnali 22. Iulij S. Magdalena, & 24. Septemb. S. Thecla, nominatur ἰσαπόστολος *par & æqualis Apostolis.* Item 21. Maij adscripta ibidem habetur commemoratio *SS. Magnorum Regum, & Apostolis æqualium, Constantini, & Helenæ.* Vbi etiam Constantinus, vocatur *Inter Reges Apostolus Christi, sicut Paulus, vocationem non ab hominibus accipiens.* Nicolaus Cabasilas orat. in SS. Basilium, Gregor. & Chrysost. ab alijs adscripta Philotheo Patriarchæ Constantinopolitano, vocat eos, *Theologorum Trinitatem, Secundam vocationem Apostolos post Apostolos, Euangelistas post Euangelistas, Æquales Apostolis, & Apostolos*; multúsque est in ostendenda eorum cum primis Apostolis paritate: nempe proportionali & aliquali, de qua etiam accipio quod Ennodius hymno 16. ait, S. Ambrosium esse *adiectum Apostolis.* Eodem igitur sensu accipiendam censuerim paritatem illam S. Martini cum Apostolis, ab antiquioribus nonnullis traditam & in Gallicano hymno celebratam.

Excipiebam tamen S. Odonem. Adeò enim disertè & verbis adeò conceptis æquat S. Martinum Apostolis quoad gratiam & gloriam, vt non sit relictus explicationi locus. Tantùm verò Apostolos præfert S. Martino, quòd præcesserint eum, *Sicut causa effectum, sicut materia materiatum, & sicut principium, prius est iis quæ ex ipso inchoant esse suum. Vnde quoniam Apostolica doctrina, causa, & materies, & principium est fidei, disciplinæ, & religionis, in Patribus, in hoc debet & potest præferri omnibus: non tamen ideò vel meritis, vel gloria, præeminet vniuersis.* Non possumus viri sancti, pro sancto æmulationem, ratam habere, propter fundamentum ex D. Thoma iactum. Qua etiam ex causa displicet, quòd Henricus Antissiodorensis, carmine de S. Germano Antissiodorensi Episcopo, cecinit, eum quamuis numero non censeatur inter Apostolos quos diuinum beneplacitum, duodenario conclusit;

At meritò meritis, ipsi concurrere Petro,
Haud vetitum: meritis Petrus non inuidet æquis.

Absit tamen vt decerptum quicquam velim de eminentia, & insigni gloria S. Martini cuius in vniuersa Occidentali Ecclesia summus iam olim splendor fuit, præsertim verò in Gallicana, quam annos ab eius obitu longo tempore numerasse, notauit Genebrardus in chronolo. anno Christi 400. Vniuerso autem in orbe diffusam fuisse sanctitatis eius fragrantiam, Seuerus Sulpitius laudum eius nunquam satur, latè monstrat Dialog. 3. cap. 21. & 22. Breuiùs dialog. 1. cap. 18. vbi de eo apud solos Gallos inglorio expostulat. Scitè item dialog. 2. cap. 5. ait, *Minima S. Martini, aliorum maximis maiora esse, nulli dubium est.* Sed de viri sancti præconiis, vberrimè præterea Gregorius Turonensis, Petrus Damiani, Laurentius Iustinianus, Albinus, S. Bernardus, alij.

IV. *O Adam & Eua si peccatum non commisissetis, absque peccato vixissem.* Parte 5. deplor. cap. 1. num. 2.

SVpponit Autor, Adamo non peccante, omnes eius posteros fuisse confirmandos in gratia, quam vi originis acciperent, & perpetuò perstituros absque culpa. Quæ fuit aperta S. Gregorij sententia lib. 4. moral. cap. 36. & S. Anselmi lib. 1. cur Deus homo cap. 18. Non est ea sententia improbabilis, aut digna quæ suffigatur. Tametsi (mihi quidem,) vt communior ita & probabilior videtur contraria sententia, quam S. Augustinus apertè supponit lib. 4. ciuit. cap. 10. & tradit disertè S. Thomas 1. p. q. 100. artic. 2. vbi Molina, Valentia, aliíque suffragantur, nec non Suares lib. 5. Cosmop. cap. 9. num. 3. à quibus in eam rem multiplex ratio, & autoritas conuehitur. Ad Idiotam tamen, indemnem præstandum, satis superque est, quòd sententia quam tradit, multorum nec vulgarium Autorum fuerit, nec aliquo destituatur colore probabilitatis & veritatis.

V. Non

V. *Non solùm diligis in gratia existentem, sed etiam in peccatis constitutum.* Parte 5. deplor. cap. 7. num. 4.

AN verò diligit Deus impios, & non potiùs, sicut scriptum est, *Odio sunt Deo impius, & impietas eius*? Et vbi illa in scripturis toties támque luculenter testata Dei concitatio in peccatores? Non est tamen operosum, aliquam Dei erga peccatores dilectionẽ qualem Autor proponit, ac etiam puram & nudam dilectionem, excluso vero Dei erga eosdem odio, agnoscere. Diligit enim Deus peccatorem, inprimis amore naturali, quo ei vult esse, iuxta illud sapientis. *Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti.* Præterea non est peccator prorsus extraneus à terminando diuino amore supernaturali, quatenus aliquarum etiam gratiæ stillarum, particeps est: Nimirum multarum excitationum quibus ad resipiscentiam inuitatur. Odio autem à Deo non habetur peccator, vt benè vidit Sanctus Thomas primo contra gent. cap. 96. quia Deus non fertur in malum peccatoris vt malum eius est: siue non fertur in malum eius ad modum rationis vltimæ, sed tantùm prout substratæ supremo omnium Dei intentionum motiuo, quod est eius gloria, & attributi alicuius manifestatio: Nimirum iustitiæ diuinæ in peccatorem iustè animaduertentis, & meritò aduersus eum exacerbatæ. Est enim magnum quoddam bonum, vt Deus iustus iudex & vltor prodatur, ac iustificetur in sermonibus suis, & vincat cùm iudicarit: quod non est ferri in malum peccatoris, purè vt malum eius est, sed in bonum iusta peccatoris recruciatione conuestitum. Tametsi quia ea animaduersione infertur aliquid peccatori acerbum, nec Deus ei vult potiora sua bona, dicatur à Deo odio haberi, ipse & impietas eius.

VI. *Bona remunerans* (Deus,) *vltra condignum, & mala puniens citra condignum. Mercedem auges, & pœnam minuis.* Parte 5. deplor. cap. 11. num. 2. & contempl. de beatitud. cap. 15. num. 1. & 2.

HOc videri potest contra plerásque scripturas, sæpè docentes vnicuique retribuendam mercedem secundùm suum laborem, ac pro meritis, vt Matth. 16. Rom. 2. 1. Corinth. 3. Apocal. 22. annuúntque passim Patres. Quid quod nullum vel in scriptura, vel in traditione fundamentum est, ad comminiscendum excessum aliquem præmij supra condignitatem operum, vel aliquam supplicij mitigationem infra quantitatem admissis sceleribus rependendam ex metro diuinæ iustitiæ. Vnde constare videtur, nullum tale siue superpondium gloriæ, siue supplicij decrementum, agnos-

ci posse. Nam cùm scripturæ aliquid definitè tradunt sub certa quadam ratione, & semper loquuntur tali præciso modo, idoneum signum est, omne additamentum excludendum, & omnem deiectionem infra eum terminum, remouendam esse. V. G. quia scriptura semper proponit tres Augustissimæ Triadis personas, nec vnquam plures aut pauciores esse dicit, certum signum est, docere non dari plures. Similiter ergo quia modulum repensionis gloriæ, ac supplicij semper statuit secundùm vniuscuiusque opera, signum est, eam esse vnicam & adæquatam præmij ac mulctæ mensuram, secluso quouis auctario, aut gratis inuecto intertrimento. Pugnant pro hac parte graues Theologi, nominatímque Andreas à Vega q.5. de iustif.

Nihilominus locutio Autoris sana est, & apud Theologos, non noua. Nam quoad excessum præmij, ita habet D. Thomas in 4. d. 46. q. 2. artic. 2. & ibidem Scotus, Bonauentura, atque Durandus. Ex recentioribus, idem tradunt Stephanus Durantus lib. 2. de ritib. cap. 44. nu. 8. & Bellarm. lib. 5. de iustificat. c. 19. Vasques item 1. 2. d. 215. c. 4. huic parti adhæret, vt magis piæ. Inter Patres, videntur apertè suffragari S. Basilius ad illud Psalmi 114. *Conuertere anima mea in requiem tuam*, S. Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 10. & Innoc. 3. in illud Canonis Missæ, *non æstimator meriti*. Imò in bulla Gregorij 13. aduersùs Baium, damnatur hæc propositio. *Opera bona iustorum, non accipient in die iudicij, ampliorem mercedem, quam iusto Dei iudicio mereantur accipere*. Nimirum vt est apud Lucam cap. 6. mensuram bonam, & coagitatam, & supereffluentem, dabit Deus in sinum beatorum: & mercedem eis rependet copiosam, ac magnam nimis: Nec vt Apostolus, Rom. 8. monuit, condignæ sunt passiones huius temporis ad futuram gloriam. Quibus aliisque eiusmodi loquendi modis, superpondium illud gloriæ, non quibusdam tantùm beatis, vt Bellarminus supra censet, sed planè omnibus rependendum, suprà leue hoc & momentaneum tribulationis nostræ, non obscurè proditur. De supplicij item minutione infra debitam ex summo iure mensuram, consentiunt S. Chrysost. homil. 37. in Genes. S. Basil. ad illud Psalm. 114. *misericors Dominus & iustus*. Autor sermonum ad fratres in eremo serm. 6. ac Innoc. 3. loco iam notato, qui illud Psaltis in hanc rem profert, *Non secundùm peccata nostra fecit nobis, neque secundùm iniquitates nostras retribuit nobis*. Hac opinatione prolata S. Augustinus 21. Ciuit. cap. 24. temperat à censura, nec vult eam pœnæ à Deo irrogationẽ citra condignũ, improbare. Approbant verò eam gregis scholastici arietes, Magister in 4. d. 46. & ibidem S. Thomas q. 2. art. 2. & 1. p. q. 21. artic 4. ad 1.

Cum verò variis modis accipere liceat quòd hactenus diximus, præmium fore maius & pinguius quàm merita, supplicium verò minuendum esse infra malorum operum condignitatem; ego sensum quem cortex verborum præ se fert, suffixione dignum nego. Atque adeò admitto citra notam dici posse, diuinam largitatem, vltra præmium ex natura rei respondens operibus, corollarium aliquod conferre; quale etiam est congiarium quod à munifico Principe strenuis militibus post victoriam partam supra stipendium conceditur. Hoc enim in æterna retributione præmiorum fer-

uari à Deo, improbabile non est: præsertim si vt gloriæ, ita & gratiæ ac charitatis mensura quædam meritis indebita, simul admittatur, vt graues plerique Autores admiserunt: Nec pauci idem tradiderunt de pœnæ minutione. Quòd sufficit, ad Autorem labe purum, & indemnem præstandum. Addi verò insuper potest, præmium nostris operibus supernaturalibus ex natura rei debitum, non esse ex sola rei natura determinatum, sed continere latitudinem aliquam, intra quam sit locus diuinæ erga nos munificentiæ. Sicut cùm de rebus venalibus agitur, si secludatur lex taxans, non datur ex natura rei, pretium prorsus indiuisibile, sed cum aliqua latitudine, cui contrahentium voluntas, vel publicum præscriptum, determinationem apponit. Similiter ergo tametsi generatim loquendo, opera nostra meritoria proportionem habent cum præmio gloriæ, tamen proportio illa, ex sola natura rei loquendo, non est omninò indeterminata & indiuisibilis: sed reperitur in ea moralis latitudo, intra quam salua condignitate & morali æquitate potuerit Deus hæc opera præmio illo compensare, cùm potuisset tenuiore ac minore. Non quòd quantitas præmij de facto rependenda, non sit apud Deum stata & fixa, aut pro variis operantibus sit varia, sed quòd cùm Deus sua operibus præmia constituit, potuisset illæsa condignitate debita decernere minus aliquid reddendum, quàm reuera decreuerit. Et idem proportione seruata dici potest de punitione, quæ proinde non malè dicitur esse *citra condignum.*

VII. *Contritio non esset accepta Deo, nec esset pars veræ pœnitentiæ, sine charitate.* Contempl. primi mens. spir. c. 1. num. 2.

DVobus modis concipi potest contritio, nempè & ex motiuo charitatis, & ex motiuo iustitiæ. Nam si quis peccata detestetur, quia impetunt diuinam bonitatem, contritio illa concipitur ex motiuo charitatis. Si autem detestatio peccatorum eliciatur ex motiuo diuini iuris violati, quod indemne seruari iustissimum fuerat, contritio illa est actus iustitiæ. Liquet, Autorem non agere de contritione formata ex motiuo charitatis, quandoquidem planum est huiusmodi contritionem non posse esse absque actuali charitate, quod Autor supponit cadere posse in contritionem de qua agit. Videtur ergo de contritione loqui prout concepta ex motiuo iustitiæ. At hæc quamuis à charitate neque eliciatur neque imperetur, quomodò non est accepta Deo, cum sit actus optimus? Quomodò autem non est pars veræ pœnitentiæ, cùm id quoque habeat attritio, quæ est motus in peccatum longè despicatior?

Mens Autoris esse videtur, contritionem ex iustitiæ motiuo elicitam, non esse acceptam Deo ad conciliandam peccatori gratiam sanctificãtem, quod habet contritio concepta ex motiuo charitatis: neque esse veram pœnitentiam simpliciter dictam, quæ scilicet ex opere operantis iustificet, ad

modum dispositionis vltimæ, conuehentis homini gratiam Dei, & sanctificationem. Quæ sententia est longè communissima, & vt censent aliqui tradita in Tridentino sess. 14. cap. 4. vbi ad peccati remissionem requiritur contritio perfecta charitate, quæ verba admodum affinia sunt iis quæ protulimus ex Autore, ac proinde non potest in hac parte de suffixione periclitari.

Quanquam ego quidem non dubito, quin contraria positio, veritate nitatur. Pœnitentiam enim ex motiuo diuini iuris violati conceptam, dummodò sit vniuersalis & qualem esse oportet ad plenum à peccato recessum, arbitror sufficere ad iustificandum. Nam est perfecta auersio à culpa, & vera peccati detestatio propter Deum: cui actui diuina gratia in Scripturis repromittitur. Et motiuum quidem eius, despicatius est illo alio motiuo quod pœnitentiæ ex charitate conceptæ præfigitur: est tamen satis nobile, vt inde liquere videtur, quod peccator in huiusmodi detestatione peccati, non quærit seipsum, sed bonum Dei extrinsecum, siue honorem & gloriam Dei, quam à se imminutam dolet. Operari enim propter Dei gloriam imminutam, est operari, ne Deus maneat læsus in illo bono suo externo, qui est æquè actus iustitiæ ac similis actus circa bona externa hominis; estque actus valdè pretiosus, & liber admistione fœtum amoris proprij, tametsi non accedit ad pretium alterius actus, quo homo quærit diuinam gloriam absque obligatione: id est, ne non peccet, aut vt peccati pedicis se extricet, sed vt Deus quem diligit, honoretur. Itaque admodum probabilem duco sententiam qua contritio nixa motiuo iustitiæ, statuitur accepta Deo ad conuehendam homini gratiam, & habetur iustificantis pœnitentiæ pars, contradistincta pœnitentiæ ex motiuo charitatis elicitæ, quam ea vi pollere, est exploratum.

Non me latet quantis autoritatum & rationum machinis hæc positio à recentioribus appetatur. Sed irrito nisu ac casso, quantum aduerto. Et imprimis quod Tridentina Synodus ait, contritionem ante Sacramentum charitate perfici & hominem Deo reconciliare, malè accipitur de charitate actuali, cum accipiendum sit de habituali; ita vt sensus sit, dolorem peccatoris formari charitate & gratia diuinitus collata ante susceptum reipsa Sacramentum. Qua ratione locus ille Tridentini, nihil aduersariorum causæ commodat, nostræve incommodat. Scripturæ quæ præterea vrgentur, quamuis tribuant dilectioni vim iustificandi, nunquam addunt esse illi soli tribuendam. Specialitérque malè ad hoc negotium trahitur illud Apostoli, *qui non diligit, manet in morte*: nam ibi Apostolus agit de non diligente, id est graui odio fratrem prosequente; quem meritò ait, manere in morte: hoc autem longissime abest à præsenti instituto. Sed & perperam negatur, Deum, per hunc pœnitentiæ actum, quæri ex toto corde; quod alibi scriptura ad verum peccatoris regressum deposcit. Eum item vnum regressum ad peccatoris sanationem exigunt Patres, non solliciti, an ex charitate, an ex iustitia fiat. Tametsi plerunque priorem tanquam certiorem & nobiliorem proponunt, non excluso posteriore. Aliquando

autem vtrunque nectunt, tanquam disiunctiuè, non copulatiuè necessarium ad iustificationem ex opere operantis: quo pacto accipio illud Augustini serm. 7. de temp. *pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati, & amor Dei*: ita vt in his verbis illud *&* eundem faciat sensum, ac in illo Christi dicto, *nisi manducaueritis, & biberitis.* Vltro autem do, pœnitentiam ex motiuo iustitiæ conceptam, esse deterioris notæ, quàm eam, quæ est ex motiuo charitatis; nego tamen esse inidoneam ad conciliandam peccatori sanctitatem, cum non suis, sed diuinis commodis consulat; sitque super omnia cum diuino amore, & plena diuini iuris obseruatione incompossibilia, quod non habet attritio, quippe cui adiungi potest alius actus includens affectum ad peccatum, vt patet ex eo qui cum seruilitate timet. Et in humanis quidem verum est, posse aliquem abhorrere à violando iure eius, quem habeat exosum: non tamen idcircò dicendum est hominem peccata detestantem ex motiuo diuini iuris, posse Deum odio habere. Discrimen namque in eo est, quod homo non habet ius vt ametur: ideóque dummodò nullum eius ius violetur, possunt vigere inimicitiæ salua iustitia. At Deus ius habet, ne odio habeatur. Si enim omnia peccata pugnant contra ius Dei, multò magis flos ille sceleris, quod formalem à Deo recessum infert. Tandem malè aliqui, detestationem peccati ex iustitiæ motiuo, ad despicatiorem pœnitentiam quæ attritio dicitur, relatam à Tridentina synodo censent; cum docuit sess. 14. cap. 5. dolorem ex sola peccati fœditate conceptum, non esse nisi attritionem, ad iustificandum ex opere operantis inidoneam. Hoc dico malè intorqueri contra placitum cui suffragamur. Quamuis enim labes peccati admodum tetra sit, quòd diuinum ius violet, tamen non omnis fœditas peccati, constituit attritionem; alioqui dolor de peccato ob illam ingentem eius fœditatem quod sit contra Dei bonitatem, eique præferat bonum creatum, esset attritio inidonea ad iustificationem. Nomine ergo fœditatis peccati, quæ est motiuum inadæquatum attritionis, intelligitur illa peccati fœditas quæ in peccati deformitate, aliò quàm ad Deum terminata consistit, cuiusmodi est fœditas peccati purè philosophica.

Hæc de placito in quod grauissimi recentiores seueriùs egerunt, astipulante vt videtur, Autore, & ferè omnibus. Vnus enim (quem viderim,) Franciscus Victoria in summa de Sacram. num. 119. placito illi nostro patrocinatus est. Quandoquidem autem, tam multi efficaciam pœnitentiæ ex iustitia conceptæ, improbant, vel dubiam habent; omnes autem pœnitentiam ex charitatis motiuo elicitam, tãquam certò fructuosam agnoscunt; nulli Autor esse velim, vt certum incerto postponat. Inconsultè planè facere dixerim, qui in re omnium grauissima, & quæ possit in animarum perniciem certam cedere, non extimescat periculum, cui nullum esse par potest: præsertim cùm non sit operosius ex illo alio motiuo ad charitatem pertinente, peccata detestari, quàm ex motiuo iustitiæ.

VIII. *Sine charitate, nec meritum quis habet, nec præmium.* Ibidem.

HOc aliqui de charitate actuali accipi volunt, existimantes, actum quantumcumque supernaturalem, & à persona grata elicitum, nisi vel à charitate profundatur, vel ob interpositum charitatis imperium, radiis eius colluceat, esse meriti supernaturalis infœcundum.

Et prior quidem sententia, quæ soli elicito charitatis actui, meritum simpliciter dictum assignat, paucissimorum est. Innuunt eam aliqui apud Almainum in 3. d. 18. *sub initium.* Apertè autem illam tradit Bannes 2. 2. q. 24. artic. 6. dub. 5. Sed meritò eam explodit Suares relect. de reuiuisc. merito. disp. 2. s. 1. num. 39. & s. 3. à num. 52. & lib. 12. de grat. cap. 8. Mihíque videtur planè improbabilis, & quantum arbitror, contra scripturas, & Patres, laborem in omni opere bono commendantes. Quis verò diffiteatur aliarum quoque virtutum actiones, esse media ad finem vltimum, & in Dei gloriam cedere? Igitur accedentibus aliis ad verum meritum excudendum necessariis, nihil eis deest, quominus gratiam homini ac gloriam conuehant. Posterius autem placitum, quod Almaino suprà placuit, & Bellarmino lib. 5. de iustific. cap. 15. quamuis sit minus inuerisimile quàm præcedens, tamen mihi quoque non probatur. Nam saltem actus virtutum infusarum, merito fœti sunt absque imperio charitatis. Sunt enim substantialiter supernaturales, tendúntque per se & suapte natura in Deum, vt gratiæ Autorem, ac supernaturalem finem: Siquidem gratiæ fœtus sunt, ac veluti potentiæ, & eundem cum illa finem habent. Sicut finis potentiarum, idemmet est atque animæ. Igitur actus illi absque alia extrinseca destinatione per charitatem, tendunt in Deum vt in finem supernaturalem, quod tamen vnicum est quod obtendi posset aduersus eorum vim meritoriam.

Sensus ergo Autoris longè alius est quàm Doctorum hactenus memoratorum. Eius quippe verba non pertinent ad charitatem actualem, sed ad habitualem, sine qua nullum esse meritum, Apostolus liquidò tradit. Quamuis enim habitus charitatis si à gratia distinguitur, (vt fert probabilior sententia) non conferat seipso & formaliter, vim ac idoneitatem ad merendum, cùm non sit forma iustificans: tamen ratione gratiæ cuius est connaturale satellitium, & cum qua computatur vnus & idem animæ decor, rectè dicitur hoc præstare homini, vt absque ea nullum sit meritum: quia vbicunque deest charitas, deest & gratia, sine qua meritum euanescit. Hanc porrò fuisse Autoris mentem, eúmque non de actuali, sed de habituali charitate egisse, vt affirmabam, perspicuè expressum habes in contempl. de beatitud. cap. 12. num. 2.

IX. *Peccator per contritionem reconciliatus Domino, adhuc tamen non habet pacem cum Ecclesia; sed per apertam confessionem peccatorum, reconciliatur Ecclesiæ, & facit pacem cum ea.* Contempl. mens. 3. spirit. num. 3.

HÆc non spectant ad errorem Sectariorum cùm nostri temporis, tum antiquiorum, qui peccatores extra Ecclesiam statuerunt, & velut excommunicatos ac Ethnicos ab eius corpore abscissos fuisse, ideóque redeuntes pace & reconciliatione cum Ecclesia egere commenti sunt, vt referunt, latéque refellunt Valent. 2. 2. disp. 1. q. 1. p. 7. §. 15. & Bellarm. lib. 3. de Eccles. cap. 8. & 9. Pugnat porrò error ille, contra tam multas ac patentissimas Scripturas, vt vix possit in hominem non prorsus in Scriptura hospitem cadere. Quid enim illæ parabolæ, bonos & malos in eandem aream, in idem rete, in eandem arcam, in eundem virginum cœtum congregatos, referentes, nisi typi Ecclesiæ fuerunt, iustos ac iniustos ambitu suo coërcentis, donec finiantur lux & tenebræ?

Non igitur Autor hoc ignorauit, ac proinde non egit de reconciliatione qua membrum præcisum recorporetur Ecclesiæ: sed tantùm egit de ea reconciliatione, cuius verbum Apostolus in ore ministrorum Christi positum dixit: Siue de pacatione inimicitiarum cum Deo, quæ vtcunque refunduntur in sponsam eius, quatenus potest ipsa quoque de peccatoribus dicere, *perfecto odio oderam illos, & inimici facti sunt mihi.* Eas autem inimicitias, Sacramentalis absolutio dissoluit, quia quamuis contritio potuerit anteriùs maculas peccatorum abstersisse, tamen in sola Sacramenti confessione, intercedit peccatori negotium cum Ecclesia, quoad peccata quæ inimicitias illas ingesserant.

X. *Aliter fides pro virtute, & aliter pro fructu Spiritus.* Contempl. noni mens. spirit. num. 3.

APparet, Autorem fuisse in sententia singulari de fructibus Spiritus sancti Sensisse namque videtur, fructum dici gustum ac delectationẽ ex bono actu progerminantem: affinéque est quod Albertus in 3. d. 34. fructum spiritus dixit esse ipsum actum supernaturalem, prout suauiter reficientem & oblectantem. Neutra sententia notam meretur: Tametsi negari non potest, longè verisimilius alios, nomine *fructuum* actibus virtutum communi, cuiusmodi est charitas & fides, non aliud intelligere quàm actus virtutũ eo nomine expressarũ, prout anima ab inhabitãte Spiritu sancto fœcũdatur, & in eos diuini seminis fructus erumpit. Denominatio nãque fru-

ctuum spiritus, petita est ex Apostolo ad Galat. 5. vbi fructus spiritus opponuntur operibus carnis: ac proinde debent ipsi quoque numerari inter opera; quamuis consultò videantur nomine *fructuum* notati, vt innueretur necessitas operæ cœlestis agricolæ in plantam è qua existunt, excolendam. Non debere autem fructus omnes in delectatione statui, ex eo perspicuum videtur, quod vnus è fructibus sit gaudium: quod certè non est gaudium abstractum; (nullum enim tale datur nisi per intellectus præscindentis negotiationem.) Est ergo gaudium de opere virtutis, non huius potiùs quàm alterius; igitur cuiuscunque. Atque ita nisi velimus membrum illud fructuum, esse superfluum & expungendum, aliter exponendi sunt reliqui, quàm per rationem gaudij & oblectationis.

XI. *Veni Sancte Spiritus in animam meam, quia sic certus ero de hæreditate habenda.* Contempl. de spir. robor. cap. 13. num. 1.

HOc videri potest non cohærere cum ea gratiæ incertitudine quam Tridentinum seclusa speciali reuelatione ratam esse voluit sess. *6.* cap. *9.* quamque contra sectariorum impudentiam plenissimè stabiliunt Vega l. *9.* & Stapleto. l. 7. de iustif. Bellarminus toto ferè lib. 3. eiusdem argumenti, ac passim Hæreseologi: à quibus proinde videri potest impugnatus Autor, concedens ad sancti Spiritus præsentiam, consequi certitudinem de habenda hæreditate, quæ certitudo necessariò supponit certitudinem de filiatione, cui adiudicatur hæreditas.

Sed dicendum est, certitudinem quam Autor homini iusto tribuit respectu gloriæ, non aliam esse quàm spei, quæ in omnibus fidelibus cernitur salua iustitiæ suæ ignorantia, quia includit conditionem exequendi mandata: de qua conditione per nos ad vltimam vsque vitam ponenda, securi esse non possumus, nisi per reuelationem specialem. Dici etiam potest, certitudinem de qua Autor loquitur, esse quidem certitudinem fidei, sed communem tantùm ac generalem; qua scilicet vniuersè certi sumus obuenturam nobis hæreditatem si habuerimus gratiam: Hoc enim duntaxat affirmat Autor. Nemini autem dubium est, quin id Catholicè affirmetur, probeque cohæreat cum illa propriæ sanctitatis incertitudine quam fides astruit. Eáque ipsa ratione S. Chrysostomus homil. 14. in c. 8. ad Rom. interpretatur testimonium à spiritu, conscientiæ nostræ exhibitum, quod simus filij & hæredes, quo Apostoli loco Autor mox vtitur.

XII. *Pono*

XII. *Pono mihi ante oculos meos mulierem in ciuitate, peccatricem, mulierem deprehensam in adulterio, latronem qui propter homicidium & seditionem missus fuerat in carcerem, & deinde suspensus est in cruce, Dauidem &c. Hi omnes, Domine, materiam confidentiæ mihi præbent.* Contempl. de consl. car. & anim. c. 4. num. 2.

AVtor, Sanctum ex latrone Euangelistam, & scarabæum de ligno clamantem, (vt S. Athanasius scitè nominat,) vel cum Barraba latrone confudit, vel participem ac socium sceleris Barrabbæ statuit: Fortè quod hic quoque, latro appelletur in Euangelijs. Præiuit Autori Innoc. 3. serm. 1. de conuers. S. Pauli, vbi eadem emendatæ flagitiosæ vitæ exemplaria recensens, similiter ait, latronem sanctum propter seditionem & homicidium, fuisse carceri mancipatum, ac crucifixum. At licet ratum exploratúmque sit, S. latronem, ante crucem fuisse facinorosum, & nequam; alium tamen fuisse à Barrabba, est extra dubium. Nam constat, Barrabbam carcere solutum, non fuisse actum in crucem, liberatum optione generationis pessimæ, eligentis magis mortem quàm vitam. Participationem autem sceleris Barrabbæ, & causæ contrusionis in carcerem latroni sancto affricare ob nudum latronis nomen vtrique aliquando commune, diuinatio est non solida, saltémque incerta. Itaque nisi velimus admittere Autoris μνημονικὸν ἁμάρτημα, dicere possumus, rei incertæ affirmationem ei excidisse, ex Innocentij (quantum arbitror) autoritate. Discutio hæc diligentiùs, in tractatione de bono latrone, cap. 1.

XIII. *Scribitur de te,* merces mea mecum est: *hanc mercedem non merui ex operibus meis.* Contempl. de beatitud. cap. 16. num. 3.

NOn pugnant hæc contra meritum bonorum operum, quod Scripturæ, Concilia, & Patres, ipseque Autor, toties & tam luculenter confirmant. Sed nomine *operum* intelligit hoc loco Autor, opera mortua, siue actiones peccati quibus Deus non debet copiosam mercedem, quam secum esse, id est, paratam homini, & ad manum sibi esse, contestatur. Verba continenter sequentia, hunc sensum ferunt. Addit enim Autor. *Quia iniquus peccator sum, sed iustificare me digneris per tuam immensam pietatem, vt te donante, mercedem obtineam sempiternam.* En *donante Deo*, & interposita iustificatione, sperat obtenturum se mercedem, quæ certè non nisi meritis rependitur. Et prima quidem totius meriti radix, ac primum totius meriti principium.

est gratia: ideóque ratione eius, gloria, nominatur *gratia*, apud Apostolum, cùm ait, *gratia Dei, vita æterna.* Supposita tamen liberali communicatione illius principij, & diuino pacto nobiscum de compensando bono illius vsu, fructus inde existentes, pariunt gloriam tanquam mercedem: ac proinde gloria frequentissimè in Scripturis, & *merces*, & *corona iustitiæ*: siue iustorum operum, & *brauium* nominatur. Hæc explicatissimè proponit Autor in contempl. de beatitud. cap. 14. num. &. 2.

XIV. *Vera dilectio in via omnem culpam expellit, nec esse potest cum aliquo peccato mortali. Ipsa sola, nulla labe inficitur & inquinatur. In patria, ipsa sola gloriam procurat.* Contempl. noua de amore (*nunc.* 21.) num. 2.

SIcut iusto flagrantiores alicuius erroris insectatores, vt à S. Basilio epist. 41. notatum est, nonnunquam in extremum contrarium deflectere videntur: ita Encomiastis dum sollicitiùs pro exornatione suscepta satagunt, eadem interdum labes affricatur. Et verendum est ne cui Autor noster dum totus est in exornatione diuini amoris, plus iusto eum attollere videatur, siue insinuans quod actus amoris sit forma sanctificans & excludens formaliter mortalem culpam (de quo iam actum est facula 14.) siue ei tribuens quod solus nulla labe possit infici) aut quod solus conciliet homini gloriam.

Hæc vt labis pura præstentur, præmittendum est non tantùm apud Autorem, sed etiam apud omnes ferè charitatis exornatores (quorum aliquos ad calcem signabo) laudes eius tametsi pro tenore depictas, aliquando habitum, aliquando actum spectare, ita vt à prudente Lectore intra eandem sæpè periodum, membrum vnum laudationis accommodandum sit habitui charitatis, alterum actui. Ea quippé permistio & quasi confusio non attenditur, quia totus sermo de charitate est, quamuis cum debita distributione accipi debeat. Hoc Autori in his de amore diuino contemplationibus familiarissimum est ac ferè perpetuum. Et iuxta hanc obseruationem non erit difficile labis pura præstare quæ proposita sunt.

Quod ergo Autor dixit de nitore solius diuini amoris, semper illic facilè accipi potest de actu amoris, qui solus incapax est inquinationis simpliciter dictæ, hoc est labis mortiferæ. Nam fides & spes, possunt cohærere cum peccato mortali, non item dilectio perfecta. Certum quippè est & fidem & spem in peccatoribus superesse. Esto actus earum semper in seipsis niteant, nec possint sordere siue elicitiuè & vi sui obiecti, siue ratione extrinseci imperij per voluntatem vitiatam eos actus ordinantem ad finem malum, qua ordinatione posita negaretur gratiæ auxilium sine quo actus illi cudi non possunt. Et ita docent graues Theologi; Vasques 1. 2. d. 53. n. 26. & 29. Suares l. 2. de grav. c. 3. n. 14. & disp. 1. de fide sect.

7. à n. 8. Malderus tract. de fide q. 2. art. 9. dub. 3. Becanus c. 8. de fide q. 7. Torres 2. 2. t. 1. disp. 33. dub. 1. 2. 3. & alij. Quanquam non desunt qui reclament & hos quoque supernaturales actus per vitiosas ordinationes aut circunstantias indebitas, inquinari posse concedant, vt Salas. 2. tract. XI. disp. 7. n. 18. fauente D. Thoma 1. 2. q. 64. art. 4. Sed quicquid de hoc sit, cæteræ virtutes actuales possunt in maleuolâ animâ & peccatis subditâ reperiri, non item actus charitatis qui secum aduehit sanctitatem. Atque ita Autor hac in parte caret macula.

Iam quod Autor subdebat, solum amorem conciliare homini gloriam, si accipiatur de amore actuali, non ita facilè intelligetur. Nam vt monstratum est facula 8. non est solidum quod pauci quidam dixerunt, solum actum elicitum charitatis, esse condignè meritorium gratiæ, atque adeò etiam gloriæ; cum nulla Dei lex nulla vt ratio ex natura rei petita, tali doctrinæ suffragetur. Quin etiam illa aliorum assertio, quod saltem imperium charitatis extrinsecum exigatur, vt alij virtutum infusarum actus sint condignè meritorij, non probatur omnino à multis, & meritò, quia tales actus absque actuali imperio charitatis, prodeunt à Christi influxu, & in Deo siue ex supernaturali fine fiunt, quod vnum à Tridentina Synodo ad meriti feracitatem deposcitur. Quod verò multo plus est, neque actus virtutum moralium humanarum vt euadant, meritorij postulant illud imperium charitatis. Sunt quidem hi actus inferioris notæ, quià seipsis ad Deum non referuntur; vnde vt sint simpliciter meritorij, necessarium est vt eliciantur ex imperio alicuius virtutis per se infusæ, vt habetur ex S. Augustino præfatione in psal. 31. & ex S. Leone serm. 7. in Quadrag. Nihil tamen est quòd euincat illud imperium non posse esse alterius virtutis quàm charitatis. Videndus Suares l. 12. de grat. c. 10. n. 20. Quare locus propsitus Autoris ægrè accipi potest de charitate actuali, vt præmittebam.

Accipiendus ergo est de charitate habituali, vt de simili loco dixi facula 8. Nam de charitate habituali quæ vel eadem est cum gratia sanctificante, vel eam inseparabiliter comitatur, rectè dicitur, absque ea nullum esse meritum condignum, atque adeo ipsam solam esse quæ conciliat gloriam. Ita habetur ex Marco Eremita l. de lege spirit. c. 23. ex posterioribus. Imo est certa omnium Theologorum sententia in 2. d. 24. aut 27. 29. vel 1. 2. q. 114. 2. quæ traditur apertè in Tridentino sess. 6. cap. 16. & can. 32. Et hoc sensu Apostolus 1. Cor. 13. ait hominem absque charitate nihil esse, & absque ea nullum opus quantumuis sublime prodesse. Alias Scripturas in eam rem profert Bellarminus l. 5. de Iustif. cap. 12. Sola ergo charitas habitualis dicitur causa meriti, quia ex parte personæ operantis conditio essentialis ad merendum, est sanctitas, quæ vel est charitas, vel charitati indissociabiliter adiungitur. Itaque propositus locus Autoris subducitur cuiuis reprehensioni, quia aliud non fert quàm quod Apostolus loco annotato dixit, & Ecclesia in Tridentina Synodo agnouit, traduntque

omnes Doctores. Scatent huiusmodi locutionibus encomia charitatis quæ contexunt Hugo & Richardus Victorini iustis Opusculis, S. Bernardus libello de charitate, creditus Prosper. l. 3. de vita contempl. c. 13. & 14. & passim Patres.

XV. *Ex dilectione, homo viuit vita gratiæ.* Contempl. de amo. c. 22. num. 3. *Vera dilectio sic reddit tibi hominem charum, & pretiosum, vt filius tuus nominetur.* Ibid. cap 28. num. 1.

HÆc loca possunt accipi, vel in sensu formali, vel in causali. Iuxta priorem sensum, continent sententiam quam hactenus non esse ab Ecclesia reprobatam, contendit Vasques 1. 2. d. 203. à cap. 3. quámque simpliciter docet ibid. d. 55. *in fine*, & Malderus 2. 2. q. 23. art. 1. quæstione. 2. Nempe quòd amor Dei perfectus, sit forma suapte naturâ sanctificans, & hominem Deo amicum ac filium adoptiuum constituens. Nolim tamen hunc sensum Autori tribuere, quia vt non sit ab Ecclesia improbatus, Catholicæ tamen doctrinæ conformius existimo dilectionem perfectam & ea grauidam contritionem, disponere tantùm ad formam sanctificantem, & præcedere vt conferatur gratia iustificationis, qua tanquam vnica forma, homo gratus efficitur. Habet hæc omnia Tridentinum sess. 6. & 14. Cùm autem ratum sit, habitum gratiæ qui actus illos tanquam vltimas dispositiones assectatur, esse formam sanctificantem, inferri apertè videtur, exulare à viatoribus omnem aliam formam sanctificantem ab habitu gratiæ distinctam. Accedit quod si dilectio esset forma sanctificans, admittendum esset, peccatorem mereri condignè primam gratiam sanctificantem. Nam ante collatam gratiam, persona per actionem priùs natura elicitam, sancta esset: atque ita semotus esset vnicus obex meriti condigni respectu gratiæ sanctificantis, hoc est, indignitas personæ. Quod autem fingunt, dilectionem esse effectiuè à prima gratia sanctificante, & idcircò non posse eam condignè mereri, reiectum suo loco est, tanquam ex falsæ philosophiæ principiis assumptum. Excindunt multis securibus hoc placitum, quod nunc molli brachio, alibi robustiùs appetij, graues plerique recentiores, vt Bellarminus l. 2. de Iustific. cap. 15. & 16. Lessius l. 13. de diuin. perf. cap. 27. Albertinus coroll. 18. ex 1. princ. compl. dub. 5. Ægid. Coninc. disp. 2. de pœnit. dub. 3. Iustinia. 1. Ioan. 1. v. 9. à num. 21. Ragusa 3. p. disp. 5. & solita doctrinæ vbertate & immensitate, Suares t. 1. 3. p. d. 4. s. & l. 7. de grat. c. 8. & 13. & 18. Præstat ergo Autorem accipere in sensu causali quem facilè patiuntur eius verba: in quo sensu, vacant difficultate.

XVI. *Statutum est omnibus hominibus semel mori; Ista lex, nunquam habuit nec habitura est, (saltem quantùm ad cursum communem,) in aliquo exceptionem.* Contemplat. de morte, c. 1. n. 2. & c. 3. n. 1.

NOn abhortet Autor à sententia quæ aliquos à morte eximit: eos nimirum iustos qui instante aduentu Christi ad iudicium, & sub horam generalis resurrectionis, nondum è vita excesserint: Quos non exuendos mortali hoc amictu & ostreo carnis, sed gloria superuestiendos esse, grauium Patrum fuit sententia, Origenis, Tertulliani, Hieronymi, Chrysostomi, Isidori Pelusiotæ, Theodoreti, & aliquando Augustini: è recentioribus autem, Caietani, Fabri, Isidori Clarij, aliorumque nonnullorum, quos appendunt qui pro contraria sententia latè pugnant, & Scripturas multas ac Patres quàm-plurimos pro se proferunt, Catharinus lib. de vniuers. resurr. Sixtus l. 2. bibl. annot. 265. Suares t. 2. 3. p. d. 50. s. 2. Salmeron disp. vltima ad 1. Cor. 15. A Costa l. 4. de tempor. nouiss. c. 20. Basil. Ponc. in variis disp. q. 10. scholast. c. 2. Salas. 1. 2. tract. 2. d. 14. num. 21. Less. l. 13. de diuin. perfect nu. 120. Valent. t. 4. d. 11. q. 3. p. 3. A neutra sententia dissidet Autor, sed suspendit iudicium, quod iusti illi quamuis morituri certò essent si permitterentur cursui communi, nec eius seriem diuina iussio abrumperet, tamen cœlesti decreto stamen cursus humani subitò intercidente, & iubente vt tempus iam non sit ampliùs, videri non improbabiliter possint liberandi temporis accessionibus, morte nimirum eiúsque adiunctis. Quamuis autem sententia quæ omnium planè mortalium mortem agnoscit, verissima sit, nec vllo fundamento inuehatur pro iustis illis speciale priuilegium toties firmatæ vniuersali legi de omnium morte contrariū, ac etiam minùs consentiens cum effato Apostoli 1. Cor. 15. quo traditur omnes resurrecturos, atque adeò etiam morituros: Tamen quod Gennadius l. de Eccles. dogmat. c. 7. rectè vidit, neque hæreticum, neque erroneum, ac temerarium quidem censeri debet, quod tam graues DD. priore loco adducti asseruerunt; cùm locutiones generales facilè admittant raras quasdam exceptiones, extra communem vsum cadentes: Apostolicus autem locus, omnium resurrectionem firmans, contrarium potiùs ferat iuxta nonnullos Græcos codices, quos profert S. Hieronymus epist. 152. quæ est ad Minerium & Alexandrum: & admissa lectione vulgata quæ sola est authentica & inuiolabiliter retinenda, non desint subterfugia glossarum, & latibula interpretationum non vsquequaque improbabilium, quibus loci illius impetus declinetur.

XVI. *Percutis, vt emendes, non vt vindices.* De patient.c.12.n.1.

HOc videtur falsum. Vltio enim, etiamsi spes emendationis præclusa supponatur, iusta est, ac proinde iustè, & dignè Deo, intendi potest. An non verò in damnatis æterna suppliciorum repensione mulctandis, sola vltio quæretur? Emendationis enim, siue in ipsis damnatis, siue in aliis eorum exemplo, nulla spes supererit. In humanis item, Iudices plerunque, recruciationem iustam directè appetunt, & correctionis opportunitates, vitæ ademptione præcidunt. Imo quamuis certò constaret flagellato pestilente, neminem fore sapientiorem, iusta nihilominus esset pœnæ irrogatio facta legitima autoritate, & iuxta præscriptum rationis rectæ, legum violationem vlciscentis. Videnda quæ profero in Morali dist. 4. à num. 477. expendens castigationis debitos fines. Meritò igitur S. Odo collat.1.cap.5.agnoscit, Deum interdum castigare ad solam peccatorum antecedentium vltionem: Quod repetit l.3.cap.43. Certè si prædicta in humanis valent, quanto magis circa diuinas leges, quarum contemptio homini fœdior & tetrior est; quásque diuina autoritate latas, dignum & iustum fuerat, illæsas & indemnes quàm accuratè retineri? Itaque vindex Dei iustitia & in altera vita ad iustam vltionem armabitur, nullo iam fructu emendationis vndelibet affulgente, tantùm vt peccator, quantùm in deliciis fuit tantumdem accipiat tormentorum ac luctus; & hic quoque pluit super reprobos bellum suum, non tantum si fortè animum mutent, quod prænoscuntur non facturi; sed etiam vt debitam malitiæ atrocitatem æternorum suppliciorum, iam ex hac vita prægustent, Sicque impij induuntur velut diploide confusione sua, & Deus secundò eos qui non crediderunt, perdit, vt egregiè in rem præsentem philosophatur S. Greg. 9. moral. c. 33.

Nec Autor refragatur, qui reuera tantùm agit de paterna flagellatione iustorum, aut etiam electorum, qui cùm sint aliquando in malo statu, superueniente Dei mansuetudine, correpti erudiuntur corde in sapientia, vt reuertantur ad cor, quod est formare lucem creando tenebras, & facere pacem inferendo mala, vt fusè docet S. Gregorius proximè laudatus, 3. moral.cap.6.& S. Chrysostomus in paræn. priore ad Theodorum. Eodemque modo accipiendus est Origenes qui planè insigniter in hanc rem disserit, & videtur cum Autore idem dicere Hom. 5. in Ezech.

XVII. *Tua tribulatio non est condigna ad præteritam culpam quæ à te remittitur, nec ad præsentem consolationis gratiam quæ à te immittitur, nec ad futuram gloriam quæ à te gratis promittitur.* Contempl. de vera patient. cap. 9. n. 3.

HVnc locum, tanquam *cautè legendum*, notauit F. Io. Maria Brasichellen in suo Indice expurgatorio, recognoscens Tomum V. Bibliothecæ Margarini. Suspectum enim habuit, quod gratia dicatur gratis promitti, cum iuxta Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 15. gloria sit merces pro exhibito bonorum operum pretio repensa, & corona legitimè certanti iustè retributa.

Hæc tamen ad summum, illud probarem, gratiam non gratis reddi, vt sanè merx & corona non redduntur gratis. Non tamen inde probatur, falsum esse quod dixit Autor, gloriam gratis esse promissam. Promissio quippè de gloria rependenda operantibus potuit esse gratuita, quamuis ex suppositione quod opera sint exhibita, debentur ex fidelitate, vel etiam ex iustitia. Vt tamen Deus hoc pactum cum creatura sua iniret de rependenda ei gloria si operaretur, mera Dei gratia fuit. Itaque nihil fuit ab Autore timendum occasione illorum verborum, *Deus gratis promisit gloriam*. Aliter dici potest, hunc loquendi modum eo sensu accipiendum esse quo ab Apostolo dictum est, *Gratia Dei, vita æterna*. Vbi *gloria* donatur nomine *gratiæ*, attenta radice prima totius meriti; siue quia gloria his redditur meritis quæ contulit gratia, vt ait S. Augustinus l. de corrept. & gratia c. 13. & diligenter ac plenè l. de grat. & lib. c. 6. & 7. Tanta enim est Dei erga hominem bonitas, vt dona sua velit esse ipsius merita iuxta Cœlestinum 1. Epistola ad Gallos c. 12. quod item habent Aug. Epist. 105. & creditus Chrysostomus hom. de Adam & Eua. Alibi eodem sensu Augustinus ait in nobis coronare in cœlo dona sua non merita nostra. Ita ille conc. 2. in psal. 70. & l. de prædest. SS. cap. 15. Vnde non excluditur meritum nostrum, sed prima eius radix ex gratis inito pacto & gratuita præuentione ad gratiam quę semen gloriæ est aperitur. Itaque in Autore non fuit causa timendi vt adhibitum loquendi modum Augustino & ipsi Scripturæ familiarem.

XIX. *Quamuis mihi certò constet quod fidem habeo per quam credo, nemini autem nec de se, nec de alio, certò constat quod fidem habeat formatam charitate.* Contempl. de morte cap. 1. num. 1.

NOn est facilè assignare discrimen inter fidem & charitatem quoad rem propositam, aut quomodò possit quis certus esse se habere fidem, siue actualem siue habitualem, nec tamen possit certus esse quod charitatem habeat. Proportio enim charitatis cum fide quoad hoc, videtur perspicua. Quod autem fides intellectui, charitas voluntati inexistat, parum refert: Non enim propterea intellectus notior sibi est, quàm nota eidem sit voluntas: Actus item suos distinctiùs & penitiùs non peruadit, quàm eos qui profunduntur à voluntate, siue eadem, siue multiplex sit potentia. Nā principia ad perspiciendam voluntatem, & actus eius, æquè sunt intellectui admota, ac illa quibus voluntas & eius actus perspici possunt. Quinetiam supernaturalitas fidei actualis, pendet ab actu voluntatis, de cuius motiuo nequit constare. Neque igitur constare videtur posse de actu fidei, & quod consequens est de habitu. Nam quo modo quis actum se habere cognoscit, eodem, de habitu tanquam de forma ad eam vltimam dispositionem consequente, docetur: id quod Durandus rectè vidit in 1. d. 17. q. 4. num. 11.

Sunt tamen graues DD. qui cùm concedant, actum nostrum contritionis, & amoris in Deum super omnia, non posse nobis certò esse compertum, (alioqui gratia cuique sua certò innotesceret, contra fidei scita,) actum tamen fidei, certò à nobis ac etiam euidenter agnosci, inde confirment, *quòd actiones voluntatis, non sint nobis tam notæ, quàm actiones nostri intellectus.* Dedi ipsa verba Gabrielis Vasques, qui in ea est sententia 1. 2. d. 201. c. 2. num. 11. Qui tamen vt reconditiores illas actuum voluntatis latebras stabiliat, addit actum nostrum spei, eadem certitudine à nobis deprehendi, qua actum fidei, de quo dixerat, quemlibet fidelem diuina fide credere, & certò ac euidenter experiri, se eum habere; non quod habeamus euidentiam ipsius veritatis fidei nostræ, quod cum obscuritate obiecti crediti non cohæret: sed quòd habeamus euidentiam de actu ipso & assensu, quatenus fidei, & credulitatis cuiusdam est. Illam euidentem ac certam fidei nostræ actualis, non contritionis vel perfecti nostri in Deum amoris experientiam, agnoscit quoque Iustinianus 2. Cor. vltimo. Alij verò negata euidentia assensus quo credamus nos fidem habere, certitudinem ei tribuunt, siue fidei diuinæ, vt Conradus, Medina, Caietanus, 1. 2. q. 111. artic. 5. & Soto l. 3. de nat. & grat. c. 10 siue assensus Theologici, quod innuit D. Bonauentura, in 3. d. 23. dub. 4. literali, & tradit apertè Becanus 2. 2. cap. 11. q. 5. nu. 8. Discrimen quod hi Doctores, inter certam de nostra vera fide notitiam, nec

nec nisi ambiguam cognitionem de nostra vera contritione assignabunt, æquè Autori commodabit, quem satis tutum reor, tot grauibus ac optimæ notæ Doctoribus stipantibus.

Tametsi mihi quidem longè verisimilius philosophari videntur, qui vt charitatis & perfectæ pœnitentiæ, ita & fidei diuinæ actum, explorari certò per nos posse, diffitentur. Hoc enim neque per euidentem notitiam scire licet: (nisi absurdè admittatur, eius quoque actus, atque adeò etiam obiecti crediti veritatem, euidenter penetrari:) neque per fidem diuinam, cum desit reuelatio de adhibitis per nos omnibus ad fidei diuinæ actum requisitis: neque per assensum Theologicum, qui saltem vno fidei principio niti debet. At hoc, contractum ad aliquam personam, non est nisi conditionatum, ac proinde sufficere tantùm potest ad formandum assensum, quod adsit vera fides actualis, si adhibeatur hoc aut illud, de quo non potest esse absolutè certum, quod abhibeatur. Itaque quamuis certi esse debeamus, quæ credimus esse certissima, tamen non possumus esse vsquequaque certi, an ipsa ea credamus illo optimo modo quo par est, ita vt etiamsi adsit nobis certitudo ex parte obiecti, desit tamen certitudo ex parte actus nostri prout est in tali specie. Quod addo, quia habemus certam & euidentem experientiam actus nostri, secundùm gradum quasi genericum, seu in ratione actus credendi, non internoscendo euidenter, an ea credulitas exerceatur per motiuum diuinæ fidei, an per motiuum fidei acquisitæ. Ea quippe internotio, difficillima est: vnde hæreticorum in errore obfirmatio. Nam si liceret actus nostros euidenter contueri quoad eorum speciem, viderent profectò hæretici, se, etiam quod veros articulos, mera fide humana duci, atque ita redirent præuaricatores ad cor.

XX. Timuisti Domine, & tristis fuisti quodam timore, & tristitia quadam naturali, quæ tantùm fuit in appetitu sensitiuo, nec in aliquo tetigit appetitum rationalem. Contempl. de morte c. 12. num. 1.

NOn est sensus, voluntatem, quæ est appetitus rationalis, fuisse in Christo tristitiæ ac timoris expertem. Id enim falsò assereretur; quia appetitus sensitiuus & voluntas cum sint potentiæ eiusdem suppositi, non disparatæ sed subordinatæ tam arctè colligantur, vt vna circa obiectum suum negotiante, ab altera quoque circa idem obiectum per sympathiam actus aliquis sub ratione sibi propria & accommodata extundatur. Aliam rationem optimam, Canus 12. de locis cap. 14. ad vltimum, ex eo dicit quod tristitia Christi fuerit peccati medicina, quam æquum fuit admoueri voluntati, quandoquidem hæc facultas, peccati sedes est in puris hominibus, quorum infirmitates Medicus noster portare venerat. Accedunt Patrum

ſuffragia, & Conciliorum decreta, quæ longo ordine proſtant apud Suarem t.1.3.p,d.38.ſ. 3. per quatuor primas aſſertiones. Copioſè item idem confirmat adductis variis Patribus, Facundus Hermianenſis nunc nunc refoſſus lib. 3. pro tribus capitulis ad Iuſtinianum Imperatorem cap. 3.

Non igitur negat Autor, triſtitiam & timorem cecidiſſe in appetitum Chriſti rationalem, nec affirmat hæſiſſe in ſolo appetitu ſenſitiuo prout contradiſtinguitur appetitui rationali, ſiue voluntati, quod verborum propoſitorum cortex ſonare videtur: ſed nomine appetitus ſenſitiui contrapoſiti appetitui rationali, intelligit Autor, non modò appetitum materialem cordi implantatum, ſed etiam appetitum ſpiritualem ſiue voluntatem, non quatenus operatur ex præſcripto prudentiæ (quo pacto vocatur appetitus rationalis, ſeu voluntas vt ratio,) ſed quatenus proſequitur proprium commodum, refugitque incommodum, iuxta naturalem inclinationem omnibus inſertam; quo pacto vocari ſolet voluntas vt natura. Duas illas voluntatis denominationes, breuiter ac benè explicat Durandus in 3. d. 17. q. 1. num. 6. Quamuis ergo ſpiritualis Chriſti voluntas, quatenus natura, refugeret tantam ærumnarum molem quantam per hoſtium rabiem imminere præſagus intellectus monſtrabat; tamen eadem voluntas vt ratio, conformauit ſe Deo, & magna demiſſione excepit, quicquid Patris decretum ferebat vt exciperet ſi inferretur. Quod vnum, voluiſſe Autorem, docent illa quæ ſubdit continenter eodem capite: *Secundùm appetitum rationalem, conformabas te voluntati Patris*, dicens non quod ego volo, ſed quod tu.

XXI. *Virgo Maria, ſacrificia ſeruorum ſuorum, & maximè quæ ſibi exhibentur, repræſentat in conſpectu diuinæ maieſtatis.* Prolo. Contempl. de Virg. Mar. num. 2.

ABſit vt id accipiamus de ſacrificiis ipſi Deiparæ oblatis. Alteri enim, quàm Deo ſacrificium offerre, abſque idolomaniæ atrocitate non licet: & à nullo vnquam Catholico tale quid cogitatum, contra Fauſti, & Manichæorum calumnias, demonſtrat S. Auguſtinus lib. 20. contra Fauſtum cap. 21. & pulcherrimè ſermone 101. de diuerſ. c. 7. Qua etiam ex cauſa lib. 1. contra Maximinum Arrianum, negat puræ vlli creaturæ templum de lignis & lapidibus conſtrui poſſe: & qui ſecus facerent, ait, *anathematizari à veritate Chriſti, & ab Eccleſia Dei, quoniam creaturæ exhibent eam ſeruitutem, quæ vni tantùm debetur Deo.* Vbi Eraſmus ad marginem, cœnum illiuit, ſcribens id nunc fieri omnibus Diuis; atque adeò præſertim Deiparæ, cuius nomen tot vbique templa præferunt. Sed tam verum eſt, templa à nobis in ſenſu quem D. Auguſtinus reprobat, (prout ſcilicet referuntur ad ſacrificium, ei cui tēplum inſcribitur, offerendum,)

ſanctis' ac ipſi etiam Deiparæ ſanctis quibuſuis ſuperiori dicari; quàm verum eſt, vllos aliquando veros Sacerdotes, alteri quàm Deo, ſacrificaſſe, quod qui fecerit, eradicandus decernitur. Mens ergo Autoris fertur tantùm in ſacrificia, quæ Deo in honorem Virginis, offeruntur: aut Deo oblata, exhibentur eidem Deiparæ, vt quod per offerentium indignitatem minùs acceptum foret, nobiſcum offerens, ac dignitatem ſuam tenuitati noſtræ adiungens, plenè gratum atque acceptum reddat.

XXI. *Dulcedinem ſuæ diuinitatis, tibi ſingulariter deguſtandam indulſit, quia tota pulcra eras, &c.* Contempl. de Deipa. cap. 2.

Singularem Deiparæ gloriam & diuinitatis deguſtationem hic ab Autore propoſitam, fuit qui longè alio modo acciperet, quàm hic ab Autore factum; illud ſingulare imprimis & eximium ſuſcipiens, in diuinitatis deguſtatione per Deiparam, conſentaneè ad exelſum illum purè creatæ dignitatis verticem, quod cum cæteri beati, interuentu luminis gloriæ ad Dei contuitum ſuſtollantur, Virgo abſque creato illo ſubſidio, & vulgarium beatorum, veluti ocularibus, Deum videat. Ad eam ſingularem prærogatiuam. Deiparæ aſſerendam, vnica adhibita probatio, ex eo Apocalypſis loco ducta, quo Deiparam Ioannes deſcribit in cœleſti gloria Deo potientem, vocans mulierem Sole amictam. Quem locum is quem dico Doctor ampliſſimus, penitiſſimè ſcrutatus, deprehendit, alios quidem Beatos, iuxta Pſaltem, in lumine Dei, videre lumen, hoc eſt iuxta Concilium Viennéſe, ad viſionem ſubuehi, indito intellectibus eorum, lumine gloriæ: At Virginem, citra omnem circumfuſi luminis beatifici opem, Sole ipſa Iuſtitiæ immediatè amiciri, eóque circumfuſo conueſtiri, vt proinde creato illo amiculo quo beati reliqui conteguntur, & ad Deum excipiendum aptantur, non egeat. Alterum deguſtatæ per Deiparam diuinitatis decus ſingulare, priori annectebat idem Deiparæ ſingularium ſcrutator, quod reliqui cœlites efformato ſpeciei expreſſæ mentali fœtu, (verbum mentis, appellant. Deum contueantur, atque beëntur; Non ita Virgo; ſed abſque vllo verbi mentalis enixu, feratur in Deum. Quod demonſtrabat illis ſponſæ de ſponſo verbis cap. 5. epithalamij. *Oculi eius, ſicut columbæ ſuper riuos aquarum, quæ lacte ſunt lotæ, & reſident iuxta fluenta pleniſſima.* At columbarum, cum eſſe genium ferunt Phyſici, vt lacte lotæ, obiecta diſtinctiſſimè peruadant. Quòd item ſponſæ attributum, ea verba ſonant. Vt quid ergo interiectus ſpeciei expreſſæ, aut verbi mentis? Et quanquam prolata de ſponſo verba illa, non de ſponſa, ferat contextus, tamen iure tantæ affinitatis, & ſocietatis adeò arctæ, quæ ſponſæ cum ſponſo intercedit, accommodari ſponſæ quæ de ſponſo leguntur, non videtur nouum. Et hæc quoque, vnica tam ſingularis prærogatiuæ, adhibita pro-

batio. Nam Patrum consensum, Theologorum suffragium, firmamenta rationum, post tam luculentum Scripturæ locum quasi ad roborandam spiritus sancti assertionem, quis requirat?

Dignum est ex hac singulari per Deiparam diuinitatis degustatione, consectaria eximia, & singularia decora, in gloriosum eius corpus, quæ idem Doctor mirabiliarius, refusa diceret, non præterire. Nam cum reliquorum beatorum corpora, splendere dicantur, sicut Sol; Virginis corpus, paui specie variegatum, affirmabat; hac vna, sed numeri damnum pensante probatione subnixus, quod Victorem, Psaltes ita compellet Psalm. 44. *Astitit Regina à dextris tuis, in vestitu deaurato, circundata varietate.* Vbi corporis Deiparæ, in cœlo species, describitur. Antecesserat de eiusdem grauissimi Doctoris sententia, singularem hanc rediuiui Deiparæ corporis gloriam, decus illud singularissimum, quod reliquorum beatorum animæ, interim dum corpora sepulchris conduntur, exemptæ (vt in Hermotimum lusit Tertullianus,) vaginis suis, solitariæ degant: Virginis autem anima, per triduum illud, quo sacrum corpus intra tumulum iacuit, non aliud sit nacta diuersorium, quàm corpus suum, iuxta illud quod de Virgine interpretabatur, *erit sepulchrum eius gloriosum.* Aliam huius prærogatiuæ probationem, non proferebat.

Quæ contra *fatuos* vt vocat, *Theologos*, receptam doctrinam tanquam plebeiam atque protritam, aspernantes, suis verò quibusdam commentationibus addictos, disputat in Dione Synesius, hic locum habere censuit non nemo. *A seipsis, absurdis quibusdam agitationibus cientur: Et cum se, philosophiæ nomine magnificè ostentent, si quid tamen ab aliis traditum accepe rint, hoc suis additamentis, deprauatum, & malignum reddunt, cæcos quosdam partus enixi, qui non mentis quidem illi, imò ne intellectus quidem dici debent, sed ex absurda opinione, & ab errante phantasia, prodierunt: ridiculi inquam, vel miserrimè potiùs, illos affectos videas. Æquum est enim, homines cum simus, hominum calamitatibus non illudere, sed easdem deplorare Proh SERMONES! proh dogmata! Nam si arietes, philosophiam ipsam capessere vellent, haud scio, quidnam præterea aliud, in honore haberent.* Ita planè de his Deiparæ singularibus pronunciauit, non nemo terso iudicio ac naris emunctæ, aliis interim ad tantam doctrinæ profunditatem immanè hiantibus, & protenso sesquipede pandiculantibus.

Ego illud vnum dico. Vt Deiparæ ornamentorum, quæ verè quidem eam exornent, & iusto titulo tribuantur, debemus esse retinentissimi; ita abiicienda esse inania decora: inter quæ proposita sunt, operosum non dico euincere. Sané illa luminis gloriæ abrogatio, de qua primo loco, siue satis ruta, & Viennensi decreto consona sit, siue non sit; tantum abest vt singulare decus beato conferat, vt potiùs præternaturalem efficiat visionem, & non aptato ea cœlesti dispositione intellectu, improportionatam, ac quadantenus indecoram. Beatis enim lumine gloriæ aptatis, connaturale est Deum videre. At quanto dignius est ac nobilius, connaturaliter, &

cum proportione aliqua operationem elicere, quàm præternaturaliter, & absque quacunque proportione? Itaque ad depreciationem gloriæ pertinet, quod tanquàm singulare eius ornamentum proferebatur. Probatio verò ex Solis amictu, cuiusmodi sit, & quàm bellè rem conficiat, ne expensione quidem dignum est. Eiusdem furfuris est, alterum gloriæ illius singulare decus. Tametsi enim rancida nunc, & exoleta, paucorum Theologia olim tulerit, beatos citra speciei vllius expressionem, Deum conspicere, tamen ea sententia, tanquam in recepta philosophiæ placita peccans, & quæ ægrè defendi, vel etiam intelligi queat, passim exploditur. Nec etiamsi admitteretur, aliquid reuera eximium & dignum Deipara proferret: cùm decus visionis, non ex physica structura, si potest esse multiplex, sed ex obiecti exhibitione meliore & illustriore, sit petenda.

Iam rectè ne Deiparæ corpus gloriosum, paui specie variegatum, vt ex Psalmo 44. ludicrè eruitur; Solari, imò septuplò, hoc est multis partibus auctiori, reliquorum gloriosorum corporum splendori anteponatur; noctuæ bubonésque iudices sunto. In altero singulari corporis decore proposito, agnoscenda est disruptio vittæ aureæ, siue vinculi quo anima cum corpore conserebatur; ne vitam perstitisse, & Deiparam nequaquam mortem oppetiisse, existimatio subeat. Idque suggerente qui primùm affuerat viro erudito, & periculum latentis in herba illa anguis denuntiante, expressum postea, est in iterata eiusdem doctrina propositione, post annos aliquot. Sed ne sic quidem, conditur insulsitas: cùm animæ corpori non consertæ, nec à loco cui inexistit, perfectionem vllam aut decus emendicanti, perinde sit vbiuis degat. Probatio verò ex loco Isaiæ, tantoperè desipit, vt quantouis pipere insperso, nunquam defatuanda videatur.

De his Scripturæ tormentis, eiúsque contra Patrum & Conciliorum oracula, ad plausum nouitatis specie captandum, detorsionibus, lucubrationem plenam qua hæc ineptiendi licentia coërceatur, nuper apparauimus. Et breuiter rem tetigisse videntur sancti Chrysostomus altero in Psalmos proœmio, & sanctus Hieronymus epist. ad Paulinum, cum *vitiosissimum hoc docendi genus, puerile & circulatorium ludo simile*, (ita enim appellat Hieronymus,) superbiam puram putam, & ignorantiæ suæ ignorantiam definiunt.

XXIII. *Caput tuum vt Carmelus, quia limpidiùs contemplabaris præ omnibus alijs sanctis, Deum; cælestis & terrena, quia cœlos attingebas stans in terra; & vt à multis creditur pie, etiam viatrix beata anima tua, frequentius comprehendebat & fruebatur.* Parte 1. Operis pleni de Deip. Contempl. 1.

VIdes Autorem doctrinam sic propositam, non ex se asserere, sed referre. Et quamuis eam non improbet, tamen neque suam facit. Quanquam tametsi eam asseruisset, non pateret criminationi: cum omnino multi, & veteres & recentiores, ita statuant. Retuli complures in Diptychis parte 2. punct x n. 5 quibus addendus qui fusè in hoc argumẽto versatur Recupitus. 1. p. l. 6. q. 14. c. 1. & 2. mihi ea sentẽtia non arrisit, eamque & grauium Patrum autoritate, & ratione non inidonea adhibita, reieci loco allegato n. 6. non puto tamen eam doctrinam posse vllatenus notari; tum quia grauium Doctorum est, tum quia non destituitur rationum eam astruentium verisimilitudine. Itaque Autor hac in parte est planè innoxius, præsertim cum ex alijs duntaxat id referrat, vt præmisi.

XXIV. *Lingua Euæ, totam progeniem ex se nascituram lethaliter vulnerauit; Paradisi portam cunctis clausit, & Dei iracundiam ad vindictam prouocauit.* Operis de B. V. parte 1. Contempl. 11. n. 2.

IN contrarium esse videtur, quod sanctus Augustinus l. 2. responsionis secundæ ad Iulian. c. 25. & l. 2. de Nupt. à c. 26. monstrat, per vnum Adamum, peccatum introisse in mundum. Et quamuis Eua quoque peccauerit & probabiliter controuertatur, grauiùs ne peccauerit Eua, quàm Adam (vt videre est apud Bellarminum l. 3. de amiss. gratiæ c. 9.) tamen ordine ad inferendum nobis nocumentum, solus Adam peccauit; quia solus habuit ad nos rationem capitis, vt eruitur ex varijs dictis Apostoli in Epistola ad Rom c. 5. asserentis, *per vnum hominem*; & *vnius hominis peccato; multos constitutos esse peccatores*, & *omnes in Adam mori.* Et idcirco quamuis Eua peccarit prima, & illicò deiecta iustè è statu naturæ integræ, & possessione iustitiæ originalis, fuerit in statu naturæ lapsa, vt rectè statuit Suares Prolego. 4. de grat. c. 6. num. 11. Tametsi Adami culpa non fuisset subsecuta, caruissemus peccato originali: vt habetur ex

Anſelmo l. de Concept. Virg. c. 9. Bellarmin. l. 4. de amiſſ. grat. c. 13. Vaſque. 1. 2. d. 133. c. 3. Becan. 1. 2 tract 2. c. 9. q. 9 qui rectè, contra aliquos, id extendit ad mortalitatem, quam non incurriſſemus ſi ſola Eua peccaſſet. Itaque peccatum Euæ, nulli alteri quàm ipſi nocuit: ſolus Adam, occulta tabe omnes de ſua ſtirpe venientes tabificauit, vt loquitur ſanctus Auguſtinus l. 1. de peccat. merit. c. 9. Solius Adami gula nos perdidit, ita vt omnes pereamus, quia in eo non ieiunauimus, vt tradunt Sophronius hom. de cruce, creditus Proſper l. 2 de vita contempl. c. 18. poſt. S. Baſilium hom. 1. de ieiun. allegatum ab Auguſtino l. 1. in Iulia. c. 5. Quomodo ergo Autor tribuit peccato Euæ, exitium noſtrum?

Hunc nodum expedire dupliciter licet. Ac primùm, quod peccatum Euæ coniunctim cum peccato Adami poſteritatem vniuerſam vitiauerit, etiamſi minùs videtur conſentaneum Scripturis & Patribus; tamen non eſt adeò apertè reprobum, quin à quibuſdam Catholicis aſſeratur, vt à Palacio in 2. diſtinct. 30. diſp. 1. Idipſum, vir doctus cuius ſunt Notæ ad l. 1. de peccator. merit. c. 16. attextæ tomo 7. D. Auguſtini tribuit Diuo Auguſtino, dicto capite 16. & in illud pſalmi 50. *Libera me de ſanguinibus*, & tract. 2. in Ioan. citra illud *non ex ſanguinibus*, & in reſponſ. 2. ad Iulian. libro 2. nec non D. Ambroſio, quem D. Auguſtinus adducit l. 1 in Iulian. reſponſ. prioris c. 3. credito item Ambroſio, & Anſelmo, ac Hugoni Victorino in illud Rom. 5. *Sicut per vnum hominem.* Bedæ ac Theophilacto in illud Ioan. 1. *Qui non ex ſanguinibus.* Omnes hi, vel dicunt, vel inſinuant, non Adami tantùm, ſed etiam Euę peccatum infeciſſe poſteris, & vitiaſſe naturam. Et fauet illud Eccleſiaſtici 25. *A muliere initium factum eſt peccati, & propter illam omnes morimur.* Vti Cornelius, notat nonnullos Theologos, tribuere Euę quoque, vitiationem naturæ. Hinc ſatis ſuperque tegi poſſet Autor, ſi reuera exiſtimaſſet, peccatum Euæ eſſe in nobis cauſam peccati originis, ita vt ſicut ex Adamo & Eua deſcendimus, ita per vtriuſque inobedientiam maculemur.

Nihil tamen eſt quod vrgeat, adhibere pro Autore hanc reſponſionem, minùs ſcripturis conſentientem, & à D. Thoma repudiatam 1. 2. q. 81. artic. 5. Facile enim eſt dicere, Euam (iuxta Autorem) ſibi quidem ſoli nocuiſſe peccando, quia pactum non erat cum Eua initum, ſed cum ſolo Adamo, quippe totius generis capite. Adſcribi tamen Euæ calamitatem nobis per Adami inobedientiam Adæ illatam quia Eua per ſuam pellaciam infatuauit Adamum, & induxit eum ad violationem pręcepti, cuius obſeruationi per Adamum, fuiſſet comitatura in poſteris naturæ integritas. Eatenus enim, Eua rectè dicitur vulneraſſe totam progeniem ex ſe naſcituram, & cunctis Paradiſi portam clauſiſſe, & Dei iuſtam vltionem in omnes ſuos & Adę poſteros aduocaſſe.

XXV. *Tibi dicitur tota pulchra es. Fuisti pulchra quia sine aliquo peccato, & ab hac gratia nunquam cadere potuisti.* Parte V. Contempl. 1. n. 1. & Contempl. 2. num. 1.

HOc Autoris pronunciatum videri poterit morbosum, quia status purè viatoris deposcere labendi capacitatem. Nec est necesse, plus tribuere Deiparæ viatrici quam cuiusuis peccati exclusionem, salua peccandi potestate, si libuisset. Multi tamen, & graues Doctores, quos retuli in Diptychis parte 2. puncto 9. n. 34. admittunt, B. Virginem etiamnum viatricem, non fuisse liberam ad peccandum: abiecto eo inepto modo quem iniuit Ioannes Zametus l. 2. de Eminentiss. Deip. perfect. c. 48. contendens B. Virginem fuisse liberam ad cadendum, quia quamuis non esset libera à necessitate, erat tamen libera à coactione. Ea quippè libertas spuria est & Caluiniana, de quo alibi pleniùs. Explosa ergo tali libertate, quam Apostolus ipse reprobauit, cum dixi de homine libero 1. Cor. 7. *Non habens necessitatem; potestatem autem habens suæ voluntatis*, admiserunt Autores prædicti, B. Virginem viatricem, caruisse libertate peccandi, atque adeò nullatenus cadere potuisse: id quod æquè de omnibus hic in gratia confirmatis, statuunt, quoad grauia peccata. Atque adeò Autor, quamuis idipsum asseruisset, vacaret labe. Quid si verò accipiendus priùs videatur, in eo sensu quem ipse amplector, (vt dixi in Diptychis loco annotato n. 35. & 36.) quod scilicet B. Virgo habuerit moralem impotentiam cadendi, sitam in vbertate auxiliorum; validissimorum quidem, sed tamen absolutè eluctabilium, addita extrinseca prudentia submouente illices labendi, & benè operandi incentiua subministrante?

XXVI. *In te Sola fides remansit, in te lumen sanctæ fidei absconsum fuit, te solam illuminauit.* Parte 6. Contempl. 19. num. 2. & parte 14. Contempl. 1. n. 4. & Contempl. 14. n. 3.

ALibi etiam addit Autor, Ecclesiam tunc in sola Virgine mansisse. Hoc fateor mihi non probari; & reijcitur etiam à grauibus recentioribus quos signaui in Dítypchis parte 10. puncto 9. n. 27. Quamuis autem id censeam falsum, tego tamen posse alterius notæ insimulari quàm falsitatis; quia plerique Doctores non ignobiles eodem loco adducti id tradiderunt: & nominatim creditus Bernardus Tract. de passio. Dom. in illud.

Ego

Ego sum vitis vera c. 2. & in lamentat. B. Virginis. Qui huc refert addi-ctionem Sabathi in cultum Deiparę, & ritum Ecclesiasticum quo in Officio Majoris hebdomadę, extinguuntur candelę omnes, pręter vnam. Ex quo populari sensu, Autor eam Deiparæ laudem de qua agimus, hausisse videtur, & bona fide expressisse. Vti etiam factum est à Gulielmo Durando in Rationali Diuini Offic.

XXVII. In gloriosissimi Filij tui passione, Animam tuam sanctissimam pertransiuit doloris gladius. Longè enim plusquàm Martyres censenda; quia in te passionis sensum, excessit compassionis affectus. Parte 4. Contem. 5. n. 1.

ERit qui hoc reprehendat, eo ductus argumento, quòd B. Virgo, prę eo acerrimo sensu doloris non obierit, quod tamen esse de ratione martyrij in confesso est. Sed quamuis mors defuerit, potuit tamen Virgo dici martyr. Nihilominus enim admotio causæ ad mortem reipsa inferendam sufficientis, nisi diuina manus pręter naturę ordinem obstaret ac vitam retineret, censetur sufficere ad veritatem Martyrij: & hoc pacto defenditur à plerisque verum discipuli dilecti martyrium, quamuis sicca morte sit defunctus. Qui ergo volunt B. Virginem fuisse verè martyrem, agnoscunt, ex dolore de Christi perpessionibus debuisse in ea naturaliter mortem existere, nisi eam auertisset diuina manus. Ita Ioannes Bagotius Tomo 2. demonstr. dogm. lib. 5. disp. 7. c. 5. n. 35. & eidem principio innitantur necesse est, Lucas Castellinus in Appendice ad librum de exigentia miraculorum pro canonizatione SS. Martyrum, puncto 1. Spinellus in Throno Dei. c. 11. n. 2. Ioannes Gruzevvski lib. 1. de coniunct. cum Deo c. 14. sect. 15. & alij pro vero B. Virginis martyrio certantes, quos adduxi in Diptychis parte 2. puncto 10. num. 19. Mihi tamen contrarium placitum verius videtur, vt eo loco dixi in opere de Martyr. parte. 2. c. 1. n. 4. quamuis non idcirco verisimile esse negem, quod Autor, & cum eo tam multi alij, de vero Deiparę martyrio asseruerunt. Illud duntaxat apud Autorem videri possit obscurum, quandò dixerit, in B. Virgine, compassionis affectum, excessisse sensum passionis. Dicendum est, conferri eo loco ab Autore, compassionem Deiparę, cum sensu passionis afficiente alios Martyres, non autem Christum.

XXVIII. Non minùs meruisti Virgo sanctissima, fundendo lac de vberibus tuis pijssimis, ad nutriendum tuum Filium benedictum, quàm meruerunt Martyres fundendo sanguinem suum per Martyriū. Parte 1. Contempl. 17. n. 2.

HOc Autor neque primus dixit, neque postremus, vt in Diptychis dixi parte. 2. princ. 5. num. 11. vbi etiam monstratum est, quo sensu

hæc comparatio (cæteroqui inuidiosa) admitti posset, consentaneè ad rationem dicti sui ab Autore his verbis subiunctam; *Omnium namque operum merces, secundùm charitatis radicem pensatur.* Itaque quia B. Virgo, supponitur, ex maiori, vel saltem æquali charitate lactasse Christum, quàm fuerit charitas qua Martyres pro eo sanguinem fuderunt! fas est, lactationem illam, cum merito profusionis sanguinis per martyres comparare. Dummodò autem Autor circa hanc comparationem indemnis abeat, non sum sollicitus de exactiore eius expensione, instituta loco annotato.

XXIX. *Speciosissima Virgo Maria, nullus defectus gratiæ in te fuit; sed sicut in mari est plenitudo aquarum, quarum nec fundum potest aliquis inuenire, neque mensurare, sic sanctissima Virgo Maria, in te est omnis plenitudo omnium gratiarum immensurabilis, quam profundare non potest intellectus humanus.* Parte 5. Contempl. 2. n. 7.

VIdentur ista sonare, gratiam sanctificantem Deiparæ fuisse infinitam; cum tamen Deus omnia fecerit in numero, pondere, & mensura; ac ne de ipso quidem Christo, de quo scriptum est, *Non ad mensuram dat Deus spiritum filio*, potior pars Theologorum, admittat, fuisse in eo gratiam creatam, quantitate infinitam. Hic nodus facilè expeditur, dicendo, sensum Autoris duntaxat fuisse B. Virginis gratiam, præ ea quæ cæteris puris creaturis communicata est, fuisse omnino magnam, & bolide ingenij nostri ac captus impertentabilem, tametsi finitam; & in oculis Dei certo demenso comprehensam. Nec aliter accipiendum est, quod varij Patres de abysso gratię Virginis dixerunt, vt fusè retuli in Diptychis parte 2. puncto 7. à num. 5. dicunt enim fuisse in Virgine *gratiæ pelagus, & abyssum immensam*, vt nominatim loquitur Damascenus Orat. 2. de Assumpt. Non quod Patres intendant, gratiam sanctificantem B. Virginis caruisse suo modulo, nec fuisse terminum vllum intensionis in ea Deiformi qualitate: sed vel significant cumulum eius absolutè magnum: vel certè eam conferendo cum gratia cæterarum purarum creaturarum, affirmant, eam gratiam supergredi gratiam aliarum omnium; & (vt dixi loco allegato à num. 8.) esse extrinsecum terminum gratiæ, omnium purarum creaturarum.

XXX. *Puritatis fuit, quia sine concupiscentia seminare potuisti.* Operis pleni de B. V. Parte 8. Contempl. 10.

AGnoscit Autor, Deiparam concepisse Christum, adhibito semine suo. Quam doctrinam Nicolaus Chichonus, habuit pro reproba;

eoque nomine, proximè superioribus annis, institit acriter, vt Franciscus Suares qui t. 2. 3. p. d. 10. s. 1. & 2. visus erat eam doctrinam non habere pro reproba, (quamuis in contrarium potiùs inclinaret,) Operis illius proscriptione multaretur.

Esse tamen eam doctrinam planè securam, & à multis Patribus traditam, monstraui in Opere de Christo lib. 3. sect. 2. c. 3. & ita nominatim habet S. Epiphanius hær. 30. n. 31. expendens illud Psaltis, *Imperfectum meum viderunt oculi tui*. Sanctus Bernardus Ser. 2. de Pentec. circa illud *erit Germen Domini*. Hincmarus Opusc. de diuort. ad interrog. 12. Beda in c. 11. Lucæ Rupertus in c. 1. Matth. vers. *Pariet autem filium*. & in c. 3. Ioan. vers. *Filius hominis qui est in cœlo*. Haymo in c. 8. ad Rom. ad illud, *in similitudinem carnis peccati*. Rich. Victor. l. 1. de Emman. c. 12. Petr. Damia. Serm. de S. Victore. Rich. à S. Laur. lib. 12. Martial. ad illud, *Cuius semen in semetipso*. Ex posterioribus, idem tradunt Baptista Mantuanus Tract. de Conceptione Christi contra Petrum de Luca 2. parte Tractatus, *Circa quintum*, (habetur Tom. 4. Operum.) Torniellus anno mundi 4051. n. 2. Peramatus in Appendice ad Tract. de semine. Petrus Hurtado de Mendoza disp. 2. de gener. S. Fortunius Licetus Tom. 2. de quæs. per Episto. c. 37. & ibidem Sebastianus Baldus c. 36. Paulus Zacchia in qq. Medicolegal. Idem volunt quotquot admittunt B. Virginem concurrisse actiuè ad Christi productionem, vt Scotus in 3. d. 4. Bonau. ibid. art. 2. q. 1. Maior q. 3. Gabr. q. vnica & omnes Scotistæ. Nam concursus actiuus matris in prolem, præstatur per semen ab ipsa fœmina suppeditatum, quod actiuum esse, Galenus & omnes Medici, contra Aristotelem asserunt. Cum ergo B. Virgo fuerit verè ac perfectè Christi mater, atque adeò omnem concursum ab alijs matribus in fœtus productionem conferri solitum, verè contulerit; fatendum est, eam interuentu sui seminis, ad formationem corporis Christi esse cooperatam; Spiritu sancto naturalem illius seminis efficaciam vegetante; insuperque supplente reliquum concursum à viro præstati solitum, vt benè statuunt Richar. in 3. d. 4. art. 2. q. 1. Auersa 3. p. q. 27. sect. 1. Bonac. disp. 1. de Incar. q. 4. p. 3. Quare doctrina Autoris quam expendimus, est planè tuta, & nulli obnoxia criminationi.

Temperanda tamen est eo modo quo ipse Autor illam temperauit, dicta contempl. 10. & parte 1. contempl. 2. & parte 5. contempl. 2. dicendo scilicet, spiritu sancto obumbrante, & omnes motus corporis Deiparæ componente, nullum fuisse in ea seminis subministratione sensum libidinis, nullam ac ne tenuissimam quidem virginitatis labem: sed vniuersum hoc opus, nitentissimè, & dignè spiritu sancto, principali corporis Christi artifice, fuisse peractum. Quinetiam vt benè loco annotato admonuit S. Bonauentura, sobriè admodùm euulganda est hæc doctrina; præsertim agendo ad populum, aut cum minùs peritis. Imitanda potiùs est circumspectio & verecundia SS. Patrum, qui frequentiùs dicunt, Christum ex purissimis B. Virginis sanguinibus esse efformatum: quod non dicunt ad

excludendum materni seminis interuentum; sed ad honestatem locutionis. Qua ratione S. Ioannes, ait, filios Dei adoptiuos, non ex sanguinibus, id est non ex seminibus viri ac mulieris nasci; nam carnem ex cuius voluntate negat eos nasci S. August. tract. 2. exponit mulierem. Passim item dicimus, aliquem esse ex Regio sanguine; quamuis non idcirco negemus, interuenisse in eius conceptu, principia ordinaria humanæ generationis. Atque ita commodè expeditur, quod vnum aduersùs Autoris doctrinam vrgeri poterat ex autoritate Patrum.

Lubens ad hanc doctrinam traherem, quod Autore, non quidem ex suo, sed tamen ex multorum sensu, habet parte 4. Contempl. 4. n. 3. & aliquoties alibi; nimirum carnem primò assumptam à Verbo, & in qua Christus conceptus est, portiunculam esse carnis B. Mariæ, quam pro Christi materia decerpserit spiritus sanctus. Quæ assertio si intelligatur de carne iam formata, decisa per spiritum sanctum, & effigiata in corpus Christi; non est admittenda, vt latè dixi in Diptychis parte 1. puncto 5. num. 25. quia huiusmodi assertio, non cohæret cum vera Virginis conceptione actiua, & vera Christi conceptione passiua; quam non ex carne iam formata, sed ex purissimis sanguinibus esse peractam, in confesso est. Si tamen ea assertio intelligeretur de carne potentiali, seu de substantia in carnem transitura; rectè haberet, & sufficeret ad Autoris institutum, quod erat, ex ea multorum doctrina mõstrare, quomodò accipiamus in Eucharistia carnem B. Virginis, id est carnem formatam ex Virginis substantia. Verisimile tamen est, illos multos è quibus Autor huiusmodi propositionem refert; (absque approbatione, nec nisi ex suppositione illius doctrinæ, sensum pietatis inde eruens;) plus voluisse, & locutos esse in sensu quem reieci.

XXXI. *Vera & sincera conscientia, credit quod vitam æternam nullis potest operibus promereri, nisi tu Domine gratis eam dederis.* l. 1. statu religios. c. 16.

NOn pugnant ista sententia admodùm recepta inter Theologos, quod gloria, etiam quoad suam substantiam, cadere possit sub meritum iusti condignum, vt rectè statuit S. Thomas 1. 2. q. 112. art. 2. ad 1. & ibi Caiet. Conrad. ac Medina: Vasques 1. 2. d. 219. c. 2. Bellarm. l 5. de Iustif. c. 20. Suar l. 12. de grat. c. 28. n. 7. Valent. 1. 2. d. 8. q. 6. p. 4. 5. 3. Quid enim deest actionibus hominis iusti, quominùs gloriam per eas promereatur? idcirco sanè, gloria dicitur brauium, & corona iustitiæ, & merces. Non igitur aduersùs hanc doctrinam pugnat Autor. Sed tantùm innuere voluit, radicem meriti vitæ æternæ esse gratiam Dei, iuxta illud Apostoli, *Gratia Dei, vita æterna.* Quia enim gloria redditur meritis quæ per gratiam sunt parta, idcirco gloria ipsa dicitur *gratia.* Videndus in hanc rem S. Augustinus l. de corrept. & gratia c. 13, & lib. de gratia &

lib. arbit. c. 6. & 7. subdit item Autor, aliam optimam dicti sui glossam, inferius hoc ipso capite, dicens. *Scimus quia non sunt condigna passiones temporis huius ad futuram gloriam, etiamsi vnus omnes sustineat: neque talia sunt nostra merita, vt propterea vita æterna iure debeatur, sic vt tu Domine aliquam iniuriam faceres, nisi eam donares.* Tradit idipsum S. Bern. Serm. 1. de Annunc. Ex quo Autor, magna ex parte ita profecit, vt verba quoque exscripserit. Ac proinde sicut D. Bernardus extra omnem suspicionem erroris est hac in parte, ita nitor Autoris in hoc negotio, non debet in controuersiam vocari. Recolenda quæ præmisimus facula 13.

Haud dissimiliter accipiendum est quod Autor l. 2. c. 13. docet vitam æternam *perperam quæri in fiducia propriorum meritorum.* Quamuis enim verum sit, hominem posse suis meritis fidere, quatenus nituntur diuino auxilio & promissione gratuita quæ ex parte Dei antecessit: tamen quia opera nostra nisi perfundantur roræ gratiæ, & cœlesti veluti aspergine rigentur, arida sunt & exsucca; propterea in eis prout præcisè à nobis sunt, non est fidendum. Id enim esset sibi ipsi lucum facere, contra diuinum præscriptum, vt Philo l. 1. allegor. est interpretatus. Quin potiùs sæpè admonent Patres, vt ad opera bona quæ fecimus, occludamus oculos, & in solos defectus admistos intueamur: quod præter cœteros ritè admonet S. Gregorius 22. mor. c. 6. Quod tamen in operibus nostris prout per gratiam animatis, fidere fas sit, benè ex doctrina Patrum illustrat Vas. 2. 2. d. 2. q. 1. *in fine.*

XXXII. Tortuosus serpens, superna & æterna nobis conatur auferre; non tamen vt sibi cedat ad bonum quod irreparabiliter amisit, sed ne illuc pauper de puluere suscitatus accedat, vnde ipse in gloria conditus irreparabiliter cecidit. l. 1. cap. 22.

ANgelos qui ceciderunt, & non seruauerunt suum principatum, adeptos esse ante casum, gloriam essentialem, doctrina est ab omnibus scholasticis explosa; & à Ludouico Viues 11. Ciuit. c. 9. perperam afficta S. Augustino, qui disertè agnoscit, Angelos qui steterunt, priusquàm confirmarentur potuisse peccare, vt videre est l. de corrept. & grat. c. 11. & lib. 11. de Gen. ad liter. c. 26. annuentibus S. Basilio hom. quod Deus non sit Autor malorum, Fulgentio de fide ad Petrum c. 3. Gennadio de Eccl. dog. c. 28. Anselmo de casu diab. c. 5. & passim alijs, At qui gloriam essentialem adeptus est, peccare vltra non potest. Si igitur Angeli boni, non sunt creati possessores gloriæ, certe neque Angeli mali. Quomodo ergo Autor, ait dæmonem in gloria creatum esse? Depecanda est eius cespitatio, nisi dicamus, obrepsisse librariis mendum: ita vt cum Au-

tor scripsisset, *in gloriam conditus*, vnius literulæ omissio ab oscitante librario facta, verum Autoris sensum peruerterit, sicut aliàs vnius I. & vnius apicis mutatio magnas blasphemias induxit. At si legamus Satanam fuisse *in gloriam* (siue *in finem potiundi gloria*, à Deo creatum), omnia ritè cohærebunt.

XXXIII. *Merces gratiæ operanti augetur, quando non spe mercedis quis operatur, sed studio placendi tibi Domine.* lib. 2. c. 27.

NVm Autor præiuit Sectarijs, mercenarium ingenium eorum qui intuitu mercedis operantur, acriter criminantibus, vt apud Bellarminum videre est l. 5. de Iustif. c. 8. & 9. Non est quod dubitetur, hunc esse errorem exploratum, cum Ecclesia in Concilio Tridentino sess. 6. cap. 11. & can. 31. eum damnauerit; id quod etiam pridem fecerat Innoc. 3. adductus in Directorio inquis. p. 2. q. 9. & 10. cui verò non est auditus Dauid, inclinans cor suum ad faciendas iustificationes Dei, propter retributionem? Deus ipse acuit plerunque industriam nostram, proponendo mercedem, vt apud Richardum videre est in Benjamino minore c. 38. habetúrque Ecclesiastici 18. Matth. 19. 2. Cor. 9. ad Gal. 6. quod certè non faceret, si intuitus mercedis, meritum profligaret, & actionem inficeret. Multa in hanc rem peti possunt ex Vega l. 11. in Conc. c. 40. & 41. itemque ex Suare diff. 1. de spe sect. 5. Non igitur mens Autoris tulit, excludere meritum, ab omni amore concupiscentiæ boni proprij, qui amor in Deum denique refertur, saltem virtualiter (vt benè præter cæteros exponit Durandus in 3. d. 29. q. 3.) nec scribit in re temporali propter seipsam; vel ordinando obsequium spirituale & supernaturale ad rem temporalem tanquam finem vltimum; sicut faceret qui ita mercedem spectaret, vt simul haberet voluntatem non operandi, quantumuis vrgente præcepto, nisi adesset præmium; qui nodus operandi sorderet peccato, vt benè viderunt Val. 2. 2 d. 3. q. 5. p. 2. & Sanches l. 2. in decal. c. 35. n. 3. isque est modus operandi ob præmium, quem Patres reprehendunt. Aliàs autem, depreciant operationem factam intuitu præmij, præ operatione ex pura charitate; quem nobiliorem agendi modum fidelibus inculcatum volunt, vt eum potiùs adhibeant; quamuis modus operandi intuitu præmij etiamsi imperfectus sit tamen vitio vacet, & possit esse meritoriùs augmenti gratiæ, quamuis nulla aliunde in eo supponeretur honestas; præter eam quam habet ex præmij supernaturalis tanquam obiecti sui propositione, vt suares rectè notauit l. 12. de grat. c. 12. à n. 12. & iuxta hęc, accipiendum est quod Autor dixit de augmento gratiæ, rependendo, operanti non ex spe mercedis. Similiterque molliendus est, duriusculè alioqui in hac re locutus S. Bernardus l. de diligendo Deo. 55. *dicto proinde*. Preclarè S. Chrysostomus, & huius actus im-

perfectionem, & honestatem, etiamsi despicatiorem, exponit hom. 2. in 2. ad Thessalo.

XXXIV. Maximum delictum est, (præsertim in Religioso) concupiscentia, quæ interiorem & exteriorem hominem occupat vniuersum; adeo vt in eo non sit à planta pedis, vsque ad verticem sanitas, quin totum inficiat concupiscentia. l. 3. de statu religios. c. 17.

FIde Catholica sanctum est, concupiscentiam quomodocunque sumatur, si sola sit, desitque assensus voluntatis superioris, non esse peccatum. Interdum enim *concupiscentia*, sumitur pro facultate sensibilium bonorum prosecutrice; pro illis eius motibus inuoluntarijs, qui in renatis quoque, perseuerant. Aliàs verò *concupiscentiæ* vox, sumitur pro totius hominis & omnium potentiarum eius propensione in peccatum. Quod voluerunt Nuperi sectarij, quibus perpetuum est, asserere, totum hominem non esse ex se aliud quàm *concupiscentiam*. Videndus de his *concupiscentiæ* notionibus Stapletonius l. 1. de iustific. c. 11. & l. 3. c. 1. nec non Payua l. 3. Orthod. explicatio, ac Ruardus ad art. 2. louan. Quomodocunque verò eam vocem vsurpent sectarij, pronuncientque concupiscentiam ex se peccatum esse, exploduntur à Catholicis: qui cum Richardo in expositione dubiorum à sancto Bernardo propositorum 5. *De expurgatione veteris fermenti*, negant omnem concupiscentiam pertinere ad malitiam: & addunt, aliud esse *concupiscentiam sentire*, quod potest esse labis purum; aliud verò *concupiscentiæ exlegi consentire*, quod peccato non vacat. Verum tamen est, concupiscentiam, extra rationis præscriptum, voluntate assensum non præstante excitatam, metonimicè *peccatum* dici, quia à peccato ortum habuit eius effrenatio, & ad peccatum inclinat. Idque vnum voluit Autor, cum dixit, concupiscentiam esse peccatum.

FACVLARVM CLAVSVLA.

QVæ censoribus, aspera & mollitionis indiga, nobis autem ad summum illustrationem vel discussionem aliquam deposcere in his libellis visa sunt, non plura occurrerunt. Et hęc ipsa non magno dispendio præteriri potuissent, si mens non læua cuiuis lectorum esset, & peritiæ ad diiudicandum, ac charitatis ad benignè interpretandum quæ benignam interpretationem admittunt, satis omnibus foret: sed quia nonnullis, etiam in plano, salebræ placent, dedi aliorum iudicio, vt meum de propositionibus non admodùm obscuris, iudicium interponerem; eam in-


ſuper vtilitatis acceſſionem ex hac qualicunque opella affulgentem non ſpernens, quod addictas pijs ſtudijs bonas mentes, ſanę vndecunque ac purę in his libellis doctrinę ſecuras, auidiùs ac iucundiùs, propoſito ſibi in eis pietatis pabulo reficiendas, ſperare licet.

Sanè in hoc autorum genere, vt ferè eminet pietas, ita ab ignorantia non vanus ceſpitationum metus eſſe poteſt. Nam pietate quidem, amica Deo ſimplicitas atteſtari videtur. Dei enim ſermocinatio cum ſimplicibus, quæ cauſa eſt cur Nazianzenus orat. 26. de Salomonis ſententia, ſtatuat: Meliorem eſſe pauperem ambulantem in ſimplicitate ſua, & qui ſermonis ac ſcientiæ inopia laborat, ſimplicibúſque verbis innititur, atque in illis tanquam in parua & tenui rate ſalutem aſſequitur, quàm multæ literaturę ac ingenij virum, Deo ferè minùs familiaritate iunctum. Quod aliter dixit alter Gregorius 6. mor. c. 4. Stellionem, vt eſt item apud Salomonem, manibus miti, & morari in ædibus Regis: *Plerunque enim aues quas ad volatum penna ſublenat, in vepribus reſident, & ſtellio qui ad volatum pennas non habet, nitens manibus, Regis ædificium tenet, quia nimirum ſæpè ingenioſi quique dum negligentia torpent in pranis actionibus remanent, & ſimplices quos ingenij penna non adiuuat, ad obtinenda æterni Regis mœnia, virtutis operationis lenat. Stellio ergo dum manibus nititur in Regis ædibus moratur quia illo ſimplex per intentionem recti operis peruenit, quo ingenioſus minimè aſcendit.* At cum vberi pietate ſimplicitatem ferè aſſectante, iungi plerunque næuos doctrinę periculoſos, ſanctus Hieronymus non diſſimulauit, monens epiſt. 103. ruſticitatem ſanctam quantum ædificat ex vitæ merito Eccleſiam Chriſti, tantum plerunque nocere ob ignorantiam. Eadémque ex cauſa S. Chryſoſtomus hom. 16. in Ioan. grauiter incuſat ſtultam ſimplicitatem, qua nixos ſuo tempore aliquos doctrinę incurios refert, eámque eſſe omnium in Eccleſia malorum originem profitetur. Quare ne Autor, quia aſcito ſibi Idiotæ nomine ſimplicitatem præfert, perſperſus næuis doctrinæ videretur, indéque fructus qui ex eius lectione exiſtere poteſt, auerteretur; placuit ſanam doctrinam locorum in quibus hæſuros nonnullos timor cenſores inceſſit, adhibita breui illuſtratione demonſtrare. Superuacaneam peritis operam, aliqua rudiorum neceſſitas, apud æquos æſtimatores excuſabit.

FINIS.

† † †




005646177